Digitized by Google

Digitized by Google

Ma. 1339

Math 1339

UNIVERSITEITSBIBLIOTHEEK GENT

Digitized by Google

T
Dupl. × 69. L. 90–95.

Digitized by Google

Digitized by Google

THEATRUM CHEMICUM,

PRÆCIPUOS SELECTORUM AUCTORUM TRACTATUS DE CHEMIÆ ET LAPIDIS PHILOSOPHICI

Antiquitate, veritate, jure, præſtantia, & operationibus, continens:

In gratiam Veræ Chemiæ, & medicinæ Chemicæ ſtudioſorum (ut qui uberrimam inde optimorum remediorum meſſem facere poterunt) congeſtum, & in Sex partes ſeu volumina digeſtum;

SINGULIS VOLUMINIBUS, SUO AUCTORUM ET LIBRORUM Catalogo primis pagellis: rerum verò & verborum Indice poſtremis annexo.

VOLUMEN PRIMUM.



ARGENTORATI,
Sumptibus HEREDUM EBERH. ZETZNERI

M. DC. LIX.

Digitized by Google

Digitized by Google

ILLUSTRISSIMO PRRINCIPI
AC DOMINO,

DOMINO FRIDERICO DUCI WIRTEMBERGENSI ET TECCENSI, COMITI MONTIS BELGARUM, DOMINO IN SAXENHEIM, &c.

DOMINO SUO
CLEMENTISSIMO,

S. D.

EA pleriſque in facultatibus boniſque artibus per annos jam aliquot ab artificibus adhibita fuit diligentia, Illuſtriſsime Princeps, Domine Clementiſſime: ut ſinguli Tractatus & libri de ſingulis materiis à diverſis elaborati auctoribus, & diſtinctis in lucem temporibus ſeorſim editi, unum in corpus & volumen coacti, ſingularum artium & facultatum cultoribus exhiberentur. Quæ ſane res in eum potiſsimum ſuſcepta finem eſſe videtur: ut quæ ſcripta in ſingulis ſcientiis diſſipata lateq; diſperſa jacerent: nec ſine moleſtia & ſumptu paſsim conquiſita legerentur: ea in unum volumen ad hunc modum redacta, omnem totius artis, vel ſane præcipuum apparatum, veluti pulcerrimo

Digitized by Google

quodam in theatro cum voluptate intuendum ſpectandumque ſtudioſis proponerent: unde hi, tanquam ex horto quodam bene culto & artificioſè diſpoſito, omnis generis herbas ſalutares, floſculos item fructusque varios ad ſuam ſinguli non ſolum utilitatem, ſed etiam oblectationem poſſent decerpere. Hunc ipſum finem atque uſum in præſenti quoque materia rerum Chemicarum mihi proponendum eſſe cenſui. Et quoniam permulti præſtantes ſummisque ingeniis præditi, & ſingulari ſapientia ornati homines, tam noſtro hoc tempore, quam ſeculis ſuperioribus de hac arte multa præclarè ac divinitus quaſi diverſis in locis ſcripſerunt: egò illorum opera, quotquot indagari quidem potuerunt magno ſumptu & labore, undique conquiſita, unum in corpus, & quaſi THEATRUM *quoddam digeri, diſponique curavi: Spe optima ductus, fore ut hac mea opera ſtudioſis philoſophiæ Chemicæ non injucundum ingratumve præſtarem officium: qui hac occaſione diverſis auctoribus inter ſe collatis, alia ex aliis colligere facilius, atque hoc modo propoſiti ſui metam contingere poſſent commodius. Veſtræ autem Celſitudini, Princeps illuſtriſſime, Domine clementiſſime,* THEATRUM *hoc* CHEMICUM *inſcribere ac dedicare humiliter volui: cum quod me non fugiat, quam clementi planè atque laudabili favore &*

amore

Digitized by Google

amore V. Celſ. artes Chemicas complectatur atque foveat: tum quod non ſolum in aliis ſcientiis uſitatum: verum etiam in hac noſtra Chemica prorſus neceſſarium ſit, edendis operibus patronos ac fautores quærere: quorum protectione & auctoritate illa tuto exire, & in luce publica verſari poſſint. Quamobrem ea, qua poſſum, animi ſubmiſſione, hoc ipſum THEATRUM *Chemicum V. Celſ. offero & dedico: ſimulque humiliter rogo: ut C. V. ſereno id benignoque vultu ſuſcipere, illuſtriſſimaque ſua protectione defendere atque tueri clementiſſimè dignetur. Deum opt. max. toto pectore precor, ut Celſitud. V. cum illuſtriſſima conjuge, totaque inclita domo Wirtembergica florentem diu, incolumem atque ſuperſtitem conſervet ac tueatur. Argentinæ. Id. Septemb. Anno 1602.*

V. Celſ.

Subjectiſſ.

LAZARUS ZETZNERUS.

ELENCHUS AUCTORUM ET TRACTATUUM
Primæ Partis.

ROBERTUS Vallenſis. *De veritate & antiquitate artis Chemicæ & pulveris ſive Medicinæ philoſophorum vel auri potabilis, teſtimonia & theoremata ex variis auctoribus.*

Jo. Chryſippus Fanianus. *De artis Alchemiæ veterum auctorum & præſertim juriſconſultorum judicia & reſponſa ad quæſtionem, an Alchimia ſit ars legitima.*

Item de Arte metallica metamorphoſeos.

Teſtamentum novum Arnoldi à Villa nova.

Thomæ Muſetti Londinatis Angli. *Dialogus Apologeticus de jure & præſtantia Chemicorum medicamentorum.*

Epiſtolæ quædam medicinales ad Medicos aliquos conſcriptæ.

Theob. de Hoghelande Mittelburgenſis. *De Alchemiæ difficultatibus: in quo docetur, quid facere quidque vitare debeat vera Chemiæ ſtudioſus ad perfectionem aſpirans.*

Gerardi Dornei *Clavis totius philoſophiæ chemiſticæ per quam potiſſima philoſophorum dicta reſerantur.*

Ejuſdem *Liber de Natura lucis Phyſica, ex Geneſi deſumta, in quo continetur.*
- Phyſica Geneſis.
- Phyſica Hermetis Triſmegiſti.
- Phyſica Trithemij.
- Philoſophia Meditativa.
- Philoſophia Chemica.

Ejusdem *Congeries Paracelſicæ Chemiæ de transmutationibus metallorum.*

Genealogia Mineralium atque metallorum omnium.

Bernad. G. Penoti, &c. *De vera præparatione & uſu Medicamentorum Chemicorum, Tractatus varij.*

Bernardus Treviſanus. *De Chemico miraculo, quod lapidem philoſophiæ appellant.*

Dionyſij Zacharij *Opuſculum philoſophiæ naturalis metallorum cum annotationibus Nicolai Flamelli.*

DE

DE VERITATE ET ANTIQUITATE ARTIS CHEMICÆ.

Caput Primum.

Esdras Propheta, Lib. 4. cap. 8.

Dicam *autem coram te ſimilitudinem, Eſdra, Quomodo autem interrogabis terram, & dicet tibi: quoniam dabit terram multam, magis unde fiat fictile. Parvum autem pulverem, unde aurum fiat.*

Salomon, Eccleſ. cap. 38.

Altiſſimus creavit de terra Medicinam, & vir prudens non abhorrebit illam. *Vide Arnal.* p.136.

David, Pſal. 12.

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum, probatum terra, purgatum ſeptuplum.

Alij ita vertunt.

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum, probatum ter, repurgatum ſeptuplum.

Vel,

Eloquia Domini, eloquia munda, argentum igne examinatum in vaſe terreo, purgatum ſepties.

Vel,

Verba Dei, verba pura, argentum in aludele exuſtum in terram, ſeu pulverem, refuſum ſepties.

Hoc enim vocabulum Aludel Arabice, *ſublimatorium* Latinis eſt, quo Arabs ille Geber Abenhaen, vel Ebenhaen inter Arabes chemicos philoſophus præcipuus, Avicenna, Rhazes, Hali, Morienus, & alij plerique Latini frequenter utuntur. Eſt autem Aludel, ſive Sublimatorium, vas in quo fit ſublimatio chemica: Quæ eſt rei ſiccæ per ignem elevatio cum adhærentia ſui vaſis. Rei (inquam) ſiccæ, id eſt, inferiorum elementorum, ſeu materiæ. Per ignem, ſcilicet lenem, æqualem, humidum, continentem, exſiccantem, digerentem, & propinquum natura. Elevatio, id eſt, converſio, ſive nobilitatio, & perfectio. Cum adhærentia ſui vaſis, id eſt, connaturalis, ſalſuginoſi, & in quo eſt virtus lapidifica

Geber. lib. 2. c. 43.

Hermes Triſmegiſtus, Cribra res

cribro ſuo ſepties.
Io. Daſtinus lib. 3.
Riga ſpiritu ſepties.

pidifica. Illa namque ſublimatione, ſepties quidem, vel pluries iterata, argentum (quod natura ſua auro eſt impurius, & imperfectius) auro quovis naturali, ſive vulgari reddi poteſt multo perfectius. Nec intelligas hanc perfectionem, puritatemque ſibi ſola fuſione accedere. Si enim illud ſumma diligentia ſæpe ac ſæpius igne examinaveris, propterea perfectius, ſyncerius ve auro naturali non reddes, niſi ſublimatione illa Chemica ſepties, vel pluries iterata, ritè utaris. Ob id igitur veriſſima eſt illa ſimilitudo, qua propheta ille David verba Dei vera, & ſyncera, tali argento arte Chemica defæcato, ac præparato comparavit potius quam auro naturali ſive vulgari. Quod quidem aurum quamvis purum, & perfectum inter omnia metalla exiſtimetur, aliquas tamen fæces, licet paucas, heterogeneas in ſe continet. Alioqui enim propheta verba Dei ſyncera, potius auro quam argento, comparaſſet.

PROSA, quæ ab eccleſia decantatur die D. Joan. Evangeliſtæ ſacro menſe Decembri, auctore Adamo à ſancto Victore. Cujus initium eſt. Gratulemur ad feſtivum, &c.

Cum gemmarum partes fractas ſolidaſſet, has diſtractas tribuit pauperibus.

Inexhauſtum fert theſaurum, qui de virgis fecit aurum, gemmas de lapidibus.

Divus enim Joan. Evangeliſta ab Avicenna lib. de anima, dictione prima, ad finem cap. ſeptimi, & à Vincentio, in Speculo naturali, inter Chriſtianos qui artem Chemicam exercuerunt, enumeratur.

HERMES Ægyptius, quem Triſmegiſtum vocant.

Verum, ſine mendacio, certum, veriſſimum. Quod eſt ſuperius, eſt ſicut quod eſt inferius: & quod eſt inferius, eſt ſicut quod eſt ſuperius, ad perpetranda miracula rei unius. Pater ejus eſt ſol: Mater ejus eſt luna. Portavit illum ventus in ventre ſuo. Nutrix ejus eſt terra. Et vis eius eſt intergra, ſi verſa fuerit in terram. Sic habebis gloriam claritatis totius mundi: Ideo fugiet à te omnis obſcuritas, &c.

Obſcuritas, id eſt, inopia & ægritudo.

B. THO. Aquinas in 2. 2. q. 77. articulo 2.

Si autem per Alchemiam fieret aurum verum, non eſſet illicitum ipſum pro vero vendere. Quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus cauſis ad producendum naturales & veros effectus: ſicut Aug. dicit in 3. de Tri. de his quæ arte dæmonum fiunt.

Idem in principio lib. 4. Meteor.

Præcipuus Alchemiſtarum ſcopus eſt, transmutare metalla, ſcilicet imperfecta, ſecundum veritatem, & non ſophiſtice.

Idem

Idem.

Metalla tranſmutari poſſunt unum in aliud, cum naturalia ſint, & ipſarum materia eadem. Avicenna. Ar. v. & ſulph. eſt omnium materia.

Idem alio loco.

Chariſſime fili, non abhorreas ſuper nomine lapidis. Nullus enim unquam potuit, nec in poſterum poterit tingere aurum, niſi cum auro. O chariſſimi divinæ artis filij, declinate ab omni errore cæcitatis, & attendite veritatem conſiſtere tantum in tribus, ex quibus componitur verum philoſophorum Elixir, videlicet ex lapide lunari, in quo ſulphur eſt album, ex lapide ſolari, in quo eſt ſulphur rubeum; & lapis Mercurij amplectitur utrumque, quod album ſcilicet & rubeum.

Guilielmus Pariſienſis.

Intentio philoſophorum eſt facere de corpore ſpiritum, ſcilicet argentum vivum purum, quod dicitur philoſophicum. Cum autem oporteat componere lapidem ex duabus ſubſtantiis, volatili & fixa, neceſſe eſt prius ex unione illarum conficere eorum argentum vivum, antequam fiat Elixir completum.

Jo. Duns Scotus, Doctor ſubtilis.

Aliqui dicunt, bonum eſſe mutare materiam de uno vaſe in aliud interdum, quod verum non eſt. Sed ſufficit lapidem ſemel poni in vaſe ſuo bene clauſo, nec inde egredi, quouſque totum compleatur magiſterium: & quod amplius eſt, à malo eſt, ut in generatione hominis, & omnis vegetalis, nunquam niſi ſemel matrici imponitur ſemen.

VINCENTIUS Monachus lib. 5. natural.

Noë hanc Philoſophorum medicinam tenebat, & quingenteſimum annum agens generavit Sem, Cham, & Iaphet.

Præterea Arnaldus de Villa nova in quodam tractatu loquens de putrefactione, & mutatione materiæ lapidis in varios colores, citat locum illum Joëlis Prophetæ, ubi ait, *Solem converti in tenebras, & lunam in ſanguinem.* Et Joan. Daſtinus Anglus lib. 3. *Obſcuratus eſt ſol in ortu ſuo, & luna à ſuo lumine declinavit.*

RAYMUNDUS Lullius lib. Codicilli, cap. 53.

Facimus tamen gratia gratis data per immortalem hominem, noſtram ſecretam diſſolutionem intra novem dies mediocriter intellectam, cum non ſit tranſitus à prima ad tertiam, niſi per iſtam, quæ media eſt inter hanc & illam. Hoc enim eſt ſecretum à mortali nemine revelandum.

CHRYSOGONUS Polydorus, vel Oſiander, ut nonnulli volunt.

Iudæi Principem Tyri, apud Ezechielem Alchemiam exer-

cuiſſe aiunt, ideoq; prophetam illi exprobrare, quod eius artis fiducia, Deus ſibi eſſe videretur. Nam Propheta (ut ipſi aiunt) narrat, quod aurum & argentum, quod in theſauris ſuis haberet, non è terra effodiſſet, non à ſubditis exegiſſet, nec hoſtibus eripuiſſet, ſed ſibi ipſe feciſſet, hac ſcilicet arte fretus: ideoque Daniele ſapientiorem eſſe, & omnia ſecreta naturæ perluſtraſſe, cum ſub perſona Dei diceret ad eos: Multiplicavi eis argentum & ipſi fecerunt idolo ſuo aurum.

JOANN. ANDREAS Juriſperitus in additionibus ad Speculum, Rubr. De crimine falſi.

Noſtris diebus habuimus Magiſtrum Arnaldum de Villa nova in curia Rom. ſummum medicum, & Theologum, de quo ſcripſi de obſervatione jeiuniorum concilium. Qui etiam magnus Alchemiſta virgulas auri, quas faciebat, conſentiebat omni probationi ſubmitti.

Hæc ille: Andreas enim à doctis omnibus ad cœlum uſque laudibus vectus eſt, quem Ludovicus Romanus omnium hominum præſtantiſſimum appellavit.

OLDRADUS Juriſperitus libro conciliorum, q. 74.

Avicenna Ar. vi. eſt elementum omniū corporum liquabilium.

Oldradus enim & Joan. Andreas artem illam Chemicam vulgo Alchemiam, veram eſſe probant, & non prohibitam, nec metallum unum in aliud transmutari inconveniens eſſe. *Nam* (ut ipſi aiunt) *& videmus, quod quandoque ex re mortua producitur viva, ut videmus ex vermibus, ex quibus producitur ſericum, & aliis pluribus: & ex herba producitur vitrum. Multo magis ex metallis, in quibus maior eſt convenientia & ſimilitudo. Nam* (ut ipſi tradunt, & habetur *in lib. de proprietatibus rerum in cap. de Alchemia*) *omnia metalla procedunt ex eodem principio, ſcilicet ex ſulphure, & argento vivo. Cum ergo ars imitetur naturam ff. de adopt. L. Si adoptio, non videntur iſti Alchemiſtæ peccare. Nam cum ſint quaſi ex eodem principio, in ſimilia, in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. Inſunt enim, ut dicit B. Auguſt. lib. de civitate Dei rebus corporeis per omnia elementa quadam occulta ſeminaria rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & caſualis, prorumpant in ſpecies ſuis modis & finibus.* Hæc Oldradus, & Joan. Andreas. Quem locum Auguſtini citat Gratianus cauſa 26. in 2. parte, q. 5. c. Nec mirum. Præterea ait Aug. lib. 3. De Trinit. *Omnium quippe rerum, quæ corporaliter viſibiliterque naſcuntur, occulta quædam ſemina in iſtis corporeis mundi hujus elementis latent.* Et Gaſpar Contarenus Card. lib. De elementis 3. ait. *Attamen in metallorum generatione:*

tione nullus ambigit quin omnia fiant ex argento vivo & ſulphure. Videmus enim vermem naturaliter, & per artificium naturale in muſcam mutari, quæ ab eo differt ſpecie; & vitulum ſtrangulatum in apes, frumentum in lolium, & canem ſtrangulatum in vermem, per ebullitionis putrefactionem. Sed hoc non facimus nos, facit autem natura, cui adminiſtramus. Similiter & metalla non mutamus, ſed natura: cui ſecundum artificium materiam præparamus: quoniam ipſa per ſe agit, non nos, nos verò adminiſtratores illius ſumus. Hæc Geber. Abenhaen, vel Ebenhaen. Auguſtin. item ait De Trinit. lib. 3. *Sicut ergo nec parentes dicimus creatores frugum, quamvis eorum extrinſecus adhibitis motibus iſta creanda Dei virtus interius operetur.* Hæc ille. *Ars enim imitatur naturam, & in quibusdam corrigit & ſuperat eam, ſicut juvatur natura infirma, medicorum induſtria.* Hæc Daſtinus lib. 1. *Ars namque ſæpe naturam ſi quando impediatur, adjuvat.* Geber lib. 1. cap. 9. Artificium in multis naturæ defectum complet. Sunt & qui capillos mulierum in ſerpentes verti poſſe aſſerunt. Videmus etiam & lapides, & ranas è cælo decidere, & lapides in renibus & veſica hominum gigni.

Avicenna lib. De anima, dictione prima. cap. 1. ait, *De hordeo poteſt facere homo vivevem. Nam ſi accipias ſtercus equinum, quod non eſt aliud, quam hordeum, & mittas in loco calido apto, ex illo procedunt beſtiæ, quas vocant Abumes: quemadmodum muſcæ de putredine aeris, & pediculi de humorum hominis putredine oriuntur.* Hæc Avicenna.

Sic enim vi quadā occulta, abdita, & mira naturæ diſpoſitione, atq; ſolertia hominibus ignota, virtutes ſeminariæ prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus determinatis à natura, ut ait B. Auguſtinus.

Quia, ut dicit Ariſt. *Ex quolibet non fit quodlibet, ſed determinatum ex determinato.*

Nihilq; convenit res (inquit Jo. Daſtinus lib. 1.) *niſi quod propinquius eſt ei ex ſua natura.*

Idem Daſtinus, *Natura creantur principia & arte de illis fiunt compoſita: ſic etiam lapis noſter arte perficitur, quoniam ut perficiatur, eſt aptus natus per naturam: natura tamen non habet motum ut fiat Elixir completum, niſi operatione perficiatur & arte.*

Præterea, ut ſcribit Theophraſtus libr. De hiſtoria plantarum 2. cap. 6. *in animalium genere mutationes naturales cernuntur, vel temporis ratione, vel pro locorum mutatione, vel generatione. Nam ex tinea, eruca, tum ex ea papilio gignitur. Inque aliis pluribus hoc evenire notatum eſt. Item ſiſymbrium,*

brium, ut idem ait, *niſi à cultura coerceatur, in mentam mutari videtur.* Hæc ille.

Albertus lib. mineral. 3. cap. 2. *Prima materia metallorum eſt humidum unctuoſum, ſubtile, quod eſt incorporatum terreſtri ſubtili fortiter commixto, ita quod pluſimum utriuſque non tantum cum plurimo utriuſque, ſed etiam in plurimo utriuſque.*

Ariſtot. lib. 3. Meteor. cap. 15 dicit, Metalla fieri ex aqueo halitu, & ſicca exhalatione, quæ ſunt ar. vi. & ſulphur. Metalla autem omnia ut ad rem redeam, fiunt ex una eademque materia propinqua, utpote ex ar. vi. & ſulphure, quod omnes aſſerunt. Differunt tamen forma, id eſt puritate & coctione ſeu digeſtione. Spoliatio vero accidentium, vel formarum ipſarum eſſentialium corruptio, & aliarum introductio, poſſibilis eſt, & in habentibus ſymbolum facilis eſt tranſitus unius in alterum. Quare metallorum eſt transformatio. Nam ut circularis eſt generatio elementorum, ita & metallorum ex ſe in invicem: quod Hermes Triſmegiſtus, & alij philoſophi aſſerunt. *Et elementa viciſſim inter ſe generantur & corrumpuntur: materiam ergo primam communem inter ſe habent atque eandem. Differunt autem forma & ſpecie.* Albertus de mineralibus lib. 3. c. 6. *Inter habentia ſymbolum in materia, & virtutibus & potentiis naturalibus facilis eſt tranſmutatio ad invicem.* Idem lib. 3. c. 6.

Nec te commovere debet quod ſcribit Titelmannus in ſuo compendio philoſophiæ naturalis, lib. 1. cap. 24. de cœleſti materia propter perfectionem & potentiam formæ potentiſſimæ in informando, quæ illi data eſt ab initio, eam de forma in formam tranſire non poſſe, quoniam agens naturale deeſt, quod illi poſſit vel aliam inprimere, vel ſuam auferre. Non enim propterea ille concludit idem accidere rebus inferioribus naturalibus. Ait enim c. 25. occaſionem ſimilem non habere, cum privatio non ſit vera cauſa per ſe effectiva ipſius transmutationis de forma in formam, ſed tantum occaſio & cauſa ſine qua non: niſi enim in materia eſſet privatio formarum abſentium, & niſi eas eſſet apta habere, quas non habet, nunquam de forma transmutaretur ad formam. Dicit autem hujus transmutationis veram & efficientem cauſam eſſe agens naturale, quod prædominans impreſſiones formæ exiſtenti contrarias, & formæ quam ipſam vult introducere, convenientes imprimit in materiam, ſicque eam de forma tranſire facit ſua activa virtute, in formam.

Reſipiſcant, rogo, qui naturam ipſam omnium parentum ſolertiſſimam, omnemque philoſophiam evertere audent, hancque Chemiam naturalem philoſophiæ partem meliorem, admirabilem, & occultam, humano generi apprime neceſſariam, ſuæ genitricis

tricis naturæ æmulam, quæ circa rerum naturas, cauſas, & virtutes abditas maximè generis mineralis, verſatur, ignoranter rident. Quam Hermes ille Triſmegiſtus veram ſine mendacio, certam, veriſſimam appellat: & quam probant Plato, Euſtathius, Suidas, Solinus, Strabo, Plinius, & alij permulti, & quam Geber, donum Dei altiſſimi, & benedicti, ſublimis, & glorioſi aſſerit. Cujus miro artificio componitur pulvis ille Regius, ſive ſal fuſile, oleum, ſive ſulphur naturæ non urens, terra philoſophorum, Elixir, aurum potabile, ſeu philoſophorum, Aqua vitæ, tinctura: lapis pretioſus, Indus, vel Indicus, ſeu philoſophicus, vel Medicina, quæ in tria rerum genera, animale, vegetale, & minerale, actiones mirandas facit, ut tertio capite fuſius tibi explanabitur. Ob id enim veteres philoſophi lapidem illum, animalem, vegetalem, & mineralem, eſſe dixerunt. Unde Arnaldus in Roſario: ***Alchemia eſt una pars celata philoſophiæ naturalis, præter alias partes neceſſaria: ex qua ars una conſtituitur, cui non eſt par.*** Illa enim lapides precioſi imperfecti perficiuntur; corpus humanum ægrum ſanitati reſtituitur: & metalla imperfecta in aurum & argentum transmutantur, uno quodam corpore medicinali univerſali, ad quod omnes particularitates medicinæ ſunt reductæ & infuſæ. Faxit autem Deus opt. max. ne perniciosè incidas in manus & laqueos iſtorum impoſtorum, qui circa res inutiles, vel fortaſſe prohibitas, tincturas albas, aut rubras ſophiſticas, augmentationes, multiplicationes, & extractiones auri (ut falsò loquuntur) operam ſuam miſerè ludunt, ſcienter & malitiosè plebem paſſim, cui multa, vel aureos montes pollicentur, fallentes. Variis enim & vanis laboribus ſophiſticis facultates ſuas & aliorum conſumunt, falſis, periculoſis, damnoſis, ac ſophiſticis ſtudiis praxeos, & mille impoſturis tranſigunt ævum, omnemque vitam deterunt, quorum nonnulli pocula, alij fortunas, alij luxus, alij honores, alij turpiſſimas libidines ſequuntur. Unde malè audit aliquando apud multos illa vera, naturalis, rara, abdita, ac divina ars Chemica, imò ſcientia tam ſupernaturalis, ita ut illuſio, & mera deceptio habeatur, & credatur. Iſtos nebulones, ſycophantas, impoſtores, ſophiſtas nihili facias, aſperneris, & longe arceas ab animo tuo, qui profectò philoſophi Chemici vocabulo digni non ſunt: quin potius ſynceros, ſive probatos libros Chemicos, philoſophiamque ipſam naturalem diu, multum, & anxiè, non lucri aut gloriæ gratia prorſus amplectaris & evolvas: Chemiamque illam ſublimem, cœlitus demiſſam à patre luminum ſuſpicias, illique conſecraris faveas, & benè preceris. Ars enim illa in potentia divina ſervatur, & cui vult elargitur & ſubtrahit, qui eſt glorioſus & ſublimis, & omni juſtitia & bonitate repletus. Cui ſemper agendæ ſunt gratiæ, & laudes decantandæ, pro ineffabili illius bonitate, & in-

Alber. de Miner. lib. 3. c. 9. qui per alba albificant, & per citrina citrinãt, &c.

In ſophiſtas & impoſtores.

Geber. lib. 1. cap. 7.

& innumeris bonis naturæ hominum præſtitis. Præterea ne incidas in quorundam hujus pretioſiſſimæ artis calumniatorum nugas, loquacitatem, & ſcripta, qui cum in multa tempora ætatis ſuæ libros aliquot de hac arte ſcriptos per transennam & ignarè revolverint, tanquam deſperati, illam miſerè contemnunt, & ſcriptis ſuis dedecorare ſtudent, variis ac falſis receptis ſuis de auro potabili conficiendo. Contemnunt enim quod ignorant, vel fortaſſe ab impoſtoribus & ſophiſtis decepti, vel ſuæ humanæ ſapientiæ & eloquentiæ inhærentes, falsò ſibi perſuaſi, ſe illam artem Chemicam, ex induſtria antiquorum philoſophorum, imò divinitùs, obſcurè ſcriptam, intelligere poſſe.

Scientia non habet inimicum præter ignorantem.

Panormitanus jurisperitus ſuper 5. decretalium, tit. De ſortilegiis, cap. 2. Ex tuarum tenore.

Eodem enim loco dicit Panormitanus, Alchemiam eſſe artem veram, & non prohibitam: ſophiſticatores autem & falſarios eſſe reprobandos. Et citat Oldra. & Joan. Andr. Præterea addit videndum eſſe B. Thom. in 2. 2. quæſt. 77. Et de hoc per Bald. in l. 1. quæ ſunt rega. in uſibus feudorum. Et videndum Abbatem, & Hier. de Zanetinis in repet. cap 1. De accu.

Hippocrates lib. 1. prognoſticorum, cap. 1.

Oportet igitur agnoſcere talium naturam affectionum, quantum ſupra vires corporis ſit, pariter & ſi quid in morbis divinum habetur, illius quoque ediſcere providentiam. Adſcribitur Galeno de illa ſumma & occulta medicina locutum fuiſſe tertio Tegni (ut vocant) Canone, utilitas verò utrorumque. Præterea an morbis depellendis hydrargyros, ſive argentum vivum, accommodari poſſit, dubitat Galenus, quia illius vim & naturam occultam ignoraſſe fatetur, propterea quod ejus periculum aſſerit non feciſſe: neque quod interimat ſi devoretur, neque ubi foris admotum ſit.

Veteres ita legunt.

Eſt autem in medicina quoddam cœleſte domum.

Claruit anno Domini 141.

Lulli. in praxi teſta. c.27.

De ſimpl. l.9. cap.59.

Avicenna lib. 2. tract. 1. cap. 4. De operation. medicin. ſingular.

Virtus autem quæ dividit & ponit unamquamque complexionem ad partem quam meretur, ita ut non ponat virtutem reſolutivam in partem materiei, quæ effunditur ad membrum, neq; infrigidativam in latere materiei effuſa ab eo, eſt natura docta obedire creatori ſublimi & glorioſo.

Idem libello De mineralibus, qui vulgo quartus Meteor. Ariſtotelis appellatur.

Sciant artifices Alchemiæ ſpecies ſive formas metallorum verè tranſmutari non poſſe, niſi fortè in primam reducantur materiam, & ſic in aliud, quam prius, permutentur. Hoc theorema ſive ſit Avicennæ, ſive Ariſtotelis, ita intelligas: *in primam materiam*, id eſt, *generi metallico proximam*. Illa autem

eſt ar.

eſt ar. vi. & ſulph. & non in primam primæ, ſeu remotam materiam: quia omnium rerum una eſt materia. Nam ut prima materia propinqua hominis, eſt unio ſeminis utriuſque parentis, viri & feminæ: & prima materia propinqua metalli, eſt unio argenti vi. & ſulphuris: Ita & prima materia propinqua Elixiris ſeu Medicinæ Chemicæ, eſt unio corporis & ſpiritus, ad abbreviationem quidem operis. *Geber l. 3. ad finem.*

Idem lib. De anima, dictione prima, cap. 2.

Si aurum & argentum non viderem, dicerem quod non eſt magiſterium. Sed quia video, ſcio magiſterium eſſe verum.

Idem lib. & cap. eiſdem.

Quaſiverunt ab alio philoſopho, quid diceret de magiſterio lapidis: dixit, Per Deum ego revelabo vobis, & non negabo. Qui accipit quod debet & miſcet ſicut debet, & operatur, ſicut debet, procedet inde quod debet procedere. Et qui dat medicinam illam ægroto ſicut debet, & quantum debet, exibit quod debet. Nullus enim Philoſophus fuit, qui negaret magiſterium, qui eſſet ſapiens.

ABUHALI in epiſtola de re recta, ſi modo alius eſt ab Avicenna, cujus nomen fuit, Haſen, & cujus pater fuit nominatus Hali, unde dictus eſt Ebenhali, id eſt filius Hali. Et quia filium habuit nomine Hali, dictus eſt Abuhali, id eſt, pater Hali.

Et nos quidem, quod natura facit in mille millibus annorum ſecundum naturam, facimus illud idem artificialiter in tempore brevi, ſicut in die una, vel in una hora diei, cum medicinis propinquis, quamvis tamen in longo tempore præparentur, reducendo ipſa corpora corrupta in ſua minera ad ſubſtantiam claram & mineram incorruptam. *Idem aiunt Geber lib. 1. c. 11. & ad finẽ l. 3. Rodiam l. 3. verborum c. 4. & Albertus l. propoſition. propoſ. 5.*

Idem.

Inquiramus ergo tincturam quam ignis non corrumpat, & ſubſtantiam quæ permiſceatur liquefactis, & ſubſtantiam conſolidativam & coagulativam, & adunativam, & fixam ſuper ignem, & ingenium ad permiſcendum iſta ad invicem, ita ut fiant uniendo una ſubſtantia, in quam ignis non imprimat, & tingat cum eo quod eſt in ea de tinctura, & permiſceatur cum ipſo quod eſt in ipſa de ſubſtantia permiſcibili, & conſolidetur cum eo quod eſt in ipſa de ſubſtantia conſolidativa, & figatur ſemper cum eo quod eſt in ipſa de ſubſtantia fixa. Si ergo pervenіamus ad has quinque res, perveniet ad nos intentio noſtra. *Idem ait Geber ad finem l. 3.*

Rhazes libro cui titulus: Lumen luminum.

Corpus ſpiritale factum occultum eſt fermentum ratione ingreſſionis. Nam corpus eſt forma, & ſpiritus eſt materia. Materia autem non poteſt ſubſiſtere abſque forma. Sic anima

anima mediante ſpiritu,non poteſt eſſe in lapide noſtro , niſi mediante corpore.

Idem libro de Divinitate.

Oleum quod ſupernataverit,auferatur tamdiu,donec nulla nigredo appareat magis,& rotunda nubecula aſcendat, qua relinquenda eſt,donec ipſius ſublimatio ſit formata.

Haly.

Totum artificiū in uno lapide continetur,cui nihil additur. aut commiſcetur in toto,aut in parte,donec opus perficiatur,

Idem.

Aqua noſtra non eſt ſimplex,vel nubis. Aqua enim eſt anima lapidis. Hæc citat B. Thom.

Idem libro Elixiris.

Hermes dixit in ſuo decreto, quod una pars iſtius elixiris cadit ſuper 1090. *Rogo te frater ſuper fidem Dei,ne tantum ſecretum alicui oſtendas,niſi filio noſtro. Et quicunque hoc magiſterio noſtro ſecreto dignus fuerit,erit noſter filius, & Deus allevies ſuper ſe,Et cum exaltatus fueris ſuper omnes circulos hujus mundi lunaris,memento tunc viſitare pauperes,pupillos,& viduas,& tales ſimiles in tribulatione eorum, ut valeas in die judicij audire verbum Dei promiſſum : Venite benedicti patris mei,percipite regnum quod vobis paratum eſt ab origine mundi.*

Matth. 25.

Dioſcorides lib. 3. cap. 115.

Sulphur.natura non urens.

Lumina Cryſtal.

Terra alba foliata.

Sulphur optimum exiſtimatur vivum, quod Apyron vocant,nitedula modo ſplendidum, perlucens, minime lapidoſum,&c. Lege in illud caput Corollarium Barbari,cui in illa arte Chemica ſulphur eſt vice maris : hydrargyros vero , id eſt, ar. vi. feminæ,ut Democritus propterea omnium metallorum ſpumam eſſe argentam vivum prodiderit.

ARNALDUS à Villa nova,libello qui vulgo teſtamentum ejus inſcribitur.

Lapis Philoſophorum de terra ſcaturiens in igne perficitur, ſeu exaltatur,limpidiſsima aqua potu ſatiatus ad minus horis duodecim,undique viſibiliter tumens.

Idem, in Roſario cap.3.

*Eſto longanimis, & non feſtinanter extrahas tincturam, nec feſtinanter aut velociter quaras perficere,&c.*Et ad finem ejuſdem capitis ait : *Ideo chariſsime indiges,quod in diſſolutione lapidis labores,ſcilicet partes ſuas puriores diſgregans ab impuris, ut gravioribus partibus abjectis, opus cum levioribus perficiatur.*

Idem libro de Medic. ſimpl.

Aurum potabile quid.

Corpus diſſolutum in aqua qua dicitur perennis,eſt Aurum noſtrum potabile.

Practi-

Practica Valeſci de Tharanta, quæ alias Philonium dicitur, lib. 5. De Cura ſtranguriæ.

Et ſine dubio lapis, ſive medicina philoſophorum, inter proprietates optimas & operationes quas perficit in corpore humano, habet proproprietatem frangēdi lapidem in renibus & veſica, & mundificandi utrumque, ut dicit Berienſis.

Conciliator differentiarum Petri Aponenſis medici ac philoſophi differentia 59 litera P.

Spiritus ſumitur pro corporibus Alchemicis ſublimatis ſubtilibus metalla transmutantibus, ex quibus Elixir, id eſt, lapis philoſophorum conſtruitur.

Plinius.

Lapis noſter, eſt aqua extracta & ſeparāta à corpore noſtro, quæ dicitur prima materia.

Idem.

Et ſcito fili, quod lapis albus habita materia prima perficì poteſt intra annum philoſophicum, qui dicitur menſis vulgaris.

Idem.

Et iſtud Elixir, quod Medicina perfecta vocatur, habet virtutem ante omnes medicinas & potiones Hippocratis, Galeni, Avicennæ, & omnium philoſophorum, ſanandi infirmitates omnes hominum, & liquabilium imperfectorum. *Summa & vera medicina quæ.*

BERNARDUS Comes Treverus in libro reſponſorio ad Tho. de Bononia Caroli Regis octavi medicum.

Sunt quædam Mercurii ſublimationes ab ejus propriis corporibus, quæ ſibi per intima amalgamando conjunguntur & commiſcentur, ex quibus pluries relevatus, & reconjunctus, ſuperfluitates reiicit, & amittit, & non confunditur in natura. Et ideo vero artifici prodeſt in ſpeciebus metallicis ſolvendis.

Idem.

Sed medicina noſtra fixa, mirabiliter prodeſt tam ad homines quam ad metalla.

MARSILIUS Ficinus lib. De vita cœlitus comparanda cap. 3.

Proinde ſcimus viventia omnia tam plantas, quam animalia per quendam ſpiritum hunc ſimilem vivere, atque generare. Atque inter elementa (quod maxime ſpiritale eſt) velociſſimè generare, perpetuoque moveri quaſi vivens. Sed quæres interea: Si elementa atque animantes generant; cur lapides & metalla non generant, quæ inter elementa & animantes media ſunt? Quia videlicet ſpiritus in eis craſſiori materia cohibetur, qui ſi quando rite ſecernatur; ſecretusq; conſer- *Quem metalli ſpiritum ſive ignem*

vaporem, Heraclitus animam eſſe metalli dixit.

conſervetur tanquã ſeminaria virtus poterit ſibi ſimile generare, ſi modo materia cuidam adhibeatur generis ejuſdem, qualem ſpiritum phyſici diligentes ſublimatione quadam ad ignem ex auro ſecernentes, cuivis metallorum adhibebunt, aurumq; efficient. Talem utiq; ſpiritum ex auro, vel ex alio ritè tractũ atq; ſervatum, Elixir Arabes aſtrologi nominant.

ARISTOTELES libro De ſecretis ſecretorum ad regem Alexandrum cap. 65.

Ariſt. metallicum ovum nominat, & hoc Pythago. fabam.

Inprimis, ô Alexander, tradere tibi volo ſecretorum maximum ſecretum, & divina potentia juvet te ad perficiendum propoſitum, & ad celandum arcanum. Accipe ergo lapidem animalem, vegetabilem, & mineralem, qui non eſt lapis, nec habet naturam lapidis: &c. Divide ergo ipſum in quatuor partes, & qualibet pars habet unam naturam. Deinde compone ipſum æqualiter & proportionaliter, ita ut non ſit in eo diviſio, aut repugnantia, & habebis propoſitum Domino concedente. Præterea idem ait, *quando habueris aquam ex aere, aërem ex igne, & ignem ex terra, tunc habebis magiſterium.*

ALEXANDER Imperator in epiſtola quadam.

Homo noſter antiquus, eſt draco noſter. Iſte comedit caput ſuum cum cauda ſua. Et caput & cauda eſt anima & ſpiritus, & anima, & ſpiritus ſunt creati de luto, & hoc ex oriente & occidente per expellentem nocumenta. Non mentior, quia quod dixi, vidi in veritate.

Geber lib. 3. cap. 79.

Iam igitur laudetur ſublimis naturarum Deus benedictus & glorioſus, qui nobis omnium medicinarum revelavit ſeriem, cum illius experientia, quam illius inſtigationis bonitate, & noſtri laboris inſtantia perquiſivimus, & oculo vidimus, & manu tetigimus complementum illius noſtro magiſterio indagatum.

ALBERTUS cognomento Magnus Ratiſpon. Eccleſiæ Epiſcopus lib. de miner. 3. cap. 1.

De tranſmutatione horum corporum metallicorum, & mutatione unius in aliud, non eſt phyſici determinare, ſed artis, quæ eſt Alchemica. Eſt autem optimum genus hujus inquiſitionis, & certiſſimum, quia tunc per cauſam uniuscujusque rei propriam, res cognoſcitur, & de accidentibus eius minimè dubitatur, nec eſt difficile cognoſcere.

Virgilius lib. 6. Æneidos.

Duc nigras pecudes, ea prima piacula ſunto.

Et paulo poſt.

Ramus Aureus quid.

Accipe quæ peragenda prius, latet arbore opaca
Aureus, & foliis & lento vimine Ramus,

Iunoni inferna dictus ſacer, quem tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt in vallibus umbra.
Sed non ante datur telluris operta ſubire,
Auricomos niſi quis decerpſerit arbore fœtus:
Hoc ſibi pulcra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit: primo avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.
Ergo alte veſtiga oculis: & rite repertum
Carpe manu: namq; ipſe volens, faciliſq; ſequetur
Si te fata vocant, aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.

Idem ecloga 6.

Dum canit Heſperidum miratam mala puellam.

Heſperides enim appellatæ ſunt Heſperi fratris Atlantis filiæ, quæ habebant hortos nemore aurifero pretioſos, ubi erat draco cuſtos pervigil mala aurea vigilanter obſervans, quem interfecit Hercules, pomaque aurea retulit ad Euryſthea. Juxta Heſiod. in Theog. Ovid 10. Metamorph. & Theocritum in Comaſte. Hanc autem fabulam & figmenta, Euſtathius, & Suidas auctores Græci celeberrimi ad Chemicam artem referunt. Hæc Willichius in poſterioribus ſcholiis in 6. eclogam Virgilii.

Suidas.

Χημεία ἡ τοῦ χρυσοῦ, &c. Id eſt, Chemia; eſt auri & argenti confectio, cujus libros Diocletianus perquiſitos exuſſit, eo quod Ægyptii res novas contra Diocletianum moliti fuerant, duriter atque hoſtiliter eos tractavit. Quo tempore etiam libros de Chemia auri & argenti à veteribus conſcriptos conquiſivit, & exuſſit, ne deinceps Ægyptiis divitia ex arte illa contingerent, neve pecuniarum affluentia confiſi in poſterum Romanis rebellarent. Hæc ille. Vide Oroſium lib 7. cap. 16. Et Conſtantinum diaconum in vita Diocletiani Cæſaris. *Anno Chriſti 296.*

Idem.

Τοῦτο δὲ οὐχ ὡς ποιητικῶς, &c. Id eſt, Hoc autem non ut fictitie dicitur, ſed liber erat in velleribus conſcriptus, continens quomodo per Chemiam fieri debeat aurum. Hæc ille. *Vellus aureum quid.*

Cæterum, multi libri de hac arte Chemica, præter à nobis citatos, Arabice, Græce & Latine ſcripti deſiderantur. In quorum numero tres in regia Galliæ bibliotheca, Græce & manu ſcripti aſſervantur; Zoſimus, de ſecreta arte & compoſitione aquarum ad χρυσοποιίαν. Iſaac monachus, qui ſcripſit ἀργύρου μέθοδον, & Blemidas, περὶ χρυσοποιίας. *Libri de arte Chemica ſcripti Arabice, Græce & Latine.*

Arabice enim ſcripſerunt, Geber ille Abenhaen, vel Ebenhaen, Habebacar, Markos, Ydrid, Yeſid Conſtantinopolitanus, Albumazar, Avicenna, ſive Abuhali id eſt, pater Hali, Rhaces, Hali, Morie-

nus, Alphidius, Maria, Calid Babylonius de ſecretis ſecretorum, Adros, Chora, Garab. Seneca ad Adros Regem Arabiæ, & Sedacerius.

Græce vero deſiderantur, Olympiodorus Alexandrinus, Oſthanes, Pelagius Aphricanus, Zoſimus, Iſaac monachus, Blemidas, Theophilus, Syneſius, Ptolemæus, Euclides, Apuleius, Heliodorus ad Theodoſium, Dardanus, Demetrius, Democritus, Ariſtoteles de Mineralibus lib. III. Theophraſtus, Albugazal præceptor Platonis in hac arte, Plato junior, in cujus Aphoriſmos, ſeu ſcholia commentarium ſcripſit Hameth, ſive Hamech, & Seneca.

Latine autem, Joannitius, Roſinus, Ephiſtus, Florus, Almazatus ad Archiepiſcopum Saragotiæ, Bernardus Comes Treverus, qui turbam Philoſophorum à ſe collectam, & aliam ab illa quæ paſſim circumfertur, & quam ſæpe citat, ſcripſit. Ray. Lulli. Joann. à Rupe ſciſſa. Pontius, Hortulanus, Clemens de ſecretis naturæ. Gilbertus Cardinalis. B. Ægidius eremita, cui adſcribitur Canticum regium carmine Gallice ſcriptum in honorem Conceptionis beatæ Mariæ. Magiſter Hoſpitalis, Andronicus epiſcopus, Petrus & Durandus monachi, Valerandus de Boſco, Theodorus, Petrus à Villa nova frater Arnaldi, Summa textualis, de ſacro Boſco, B. Thomas de eſſentiis eſſentiarum & ejuſdem breviloquium, Stephanus, cujus eſt liber De magna & ſacra ſcientia, Jo. Daſtinus Anglus, Holcot, Scotus, G. Pariſienſis, Bernardus de Gravia, Dumbeleius, Aloiſius Marlianus, Regor, Richardus anglicus περὶ χημείας, cui titulum fecit Correctorium, & Janus Latinius, à nonnullis viſi, & alii permulti à quibusdam, qui illos hujus artis ſtudioſis prodere nolunt, avide & ſecreto, ut olim libri Sibyllini, aſſervati. Sunt & alii quam plurimi libri auctoribus incertis. Multi etiam Gallice adfabre ſcripti. Inſuper multi hanc artem Chemicam exercuerunt, ad finemque illius, & pulueris compoſitionem feliciter pervenerunt, qui ab Avicenna lib. De anima, dictione prima, ad finem cap. ſeptimi; & à Vincentio in ſpeculo naturali, enumerantur.

JOAN. Picus Mirandula libro De dignitate hominis

Veteres conſueverunt res divinas, altas & ſublimes, ſub velo multorum ænigmatum, & fabularum poeticarum ſcribere.

Veteres enim permulti ſub fabulis poëticis tanta myſteria hujus pretioſiſſimæ artis, & naturæ ſecretiora tractaverunt, & data opera occuluerunt. Nam fabulas, de dracone quem Cadmus interfecit, qui poſtea admonitu Palladis, interfecti dentes ſevit, unde extiterunt illi terrigenæ fratres. De ſacrificio Hecati apud Orpheum. De Medea, quæ Æſonem filium Jaſonis in juventutem reſtituiſſe fingitur. De Saturno, qui Cœlo patri ſuo genitalia abſcidit, &

Poetarum figmenta Chemica.

dit, & in mare projecit, ex quorum commixtione ſanguinis cum ſpuma maris Venus procreata eſt. De eodem, qui dicitur filios, mox ut nati ſunt, comediſſe. De Æſculapio qui eos ſuſcitabat, qui jam fere erant extincti. De Jove, qui ſeſe convertit in pluviam auream De pugna Herculis & Anthei. De oculis Argi in pavonis caudam converſis. De Orpheo. De Pyrrho & Deucalione. De Androgynis ſeu Hermaphroditis. De Gorgone, qui omnes ſe conſpicientes in lapides convertebat. De Mida, qui annuente Baccho, quicquid tangeret, in aurum convertebat. De Jove converſo in aquilam, qui ſubvolavit cum Ganymede in cœlum. De Dædalo & Icaro. De nube ſpiſſa, cum qua Jupiter circumdedit Jo. De Phœnice, qui ſemper reviviſcit. De Salamandra. De dracone, qui ſuo gravi halitu homines interficit. De Demogorgone, ut ſcribit Boccatius, abavo omnium deorũ gentilium & ab omni parte circundato tenebris, nebulis, caligine, habitante in mediis terræ viſceribus, qui ubi natus fuerit, veſtitur quodam viridi pallio, humiditate quadam aſperſus, & non prognatus ab aliquo, ſed æternus, & parens omnium rerum. De Vulcano, qui cum recens natus turpis eſſet & deformis, præcipitatus fuit in inſulam Lemnos. De Helenes pharmaco, quod luctus, bilis, malive oblivia cunctis bibentibus inducebat: & ſimilia poëtarum & philoſophorum antiquorum figmenta, & ænigmata, Euſtathius, Suidas, & alij auctores graviſſimi, ad Chemicam artem referenda eſſe interpretantur. *Etiam ſub variis ædificiis*, quale fuit Labyrinthus: picturis, imagunculis, quales erant Sileni: characteribus, monſtris, quales erãt Sphinx, facie puellari, alis volucris, & pedibus leoninis: & Chimæra, prima parte, leonis imagine, ac ingenio, media draconis, poſtrema capræ: & animalibus varie depictis & transmutatis, quæ in templorum foribus & palatijs inſculpta erant. Hujus generis & figmenti, eſt Nicolai Flamelli ænigma, quo effinguntur duo ſerpentes, ſeu dracones, quorum unus eſt alatus, alter vero minime, & unus leo alatus, &c. Quod hodie in beatorum Innocentum cœmeterio Lutetiæ Pariſiorum conſpicitur. Quæ à doctiſſimis tantum, qui hujus Chemici ſecreti tam rari, tam latentis, tam cœleſtis theſauri, haberent cognitionem, intelligebantur. Sic Pythagoras, & Plato ſuam philoſophiam numeris ſuis obſcurarunt. Deum enim, & animas noſtras, & cuncta quæ ſunt in mundo numeris conſtare aſſeruit Pythagoras, ex eorumque concentu & harmonia univerſa gigni. Et Ariſtoteles libros aliquot à ſe editos perinde ac ſi non fuiſſent editi, quadam ad Alexandrum epiſtola, teſtatur. Vides ergo artem Chemicam non eſſe artem novam, aut incertam, ut ignarum vulgus putat.

Sileni Alcibiadis.

Anno Dom. 1393.

DE PULVERIS,

ſive

MEDICINÆ PHILOSOPHORUM ET AURI potabilis materiâ & compoſitione.

Cap. II.

Minima pars fæcum ſufficit.
Ignis ſecretus.
Therma philoſophorum Balneum Mariæ.

ILLA enim fit, ex pura argenti vivi ſubſtantia, vice ſeminis feminæ, ſive materiæ ac argenti vivi, & ex mediocri & pauca ſulphuris mundi auri, vel argenti, connaturalis & homogenei, vice maris, ſive formæ ac ſulphuris: igne artificiali, leni, æquali, humido, aereo, vapido, exhalabili, propinquo natura, ſubtiliter, & continenter movente, dirigente, & excitante tantum, & non vincente virtutem mineralem formativam, ſive coadjuvante proportionalem & naturalem ignem, optima commixtione conjunctorum, fæcibus heterogeneis primum ſuaviter, & magno ingenio ſublatis, ad ſolutionem, & fixionem fuſilem, permiſcibilem, ignibus inexpugnabilem & cum omnis perfectionis differentiâ perficientem, ſive transmutantem, frequenti ſublimatione, ſeu contritione & aſſatione deductorum. Interea dum plura de Harmonia Chemica, principiis naturalibus rei metallicæ & artis, ac operibus tum naturæ, tum artis, tibi per otium ſcribimus, hæc ſufficiant, & boni conſule.

DE PULVERIS

ſeu

MEDICINÆ PHILOSOPHORUM AC AURI POTABILIS, MIRA, NATURALI, OCCULTA, AC divina vi, actione, & operatione in tria rerum genera, animale, vegetale, & minerale.

Cap. III.

Quare dictus eſt animalis, vegetalis & mineralis.
Multplicatio duplex.

PULVIS ille Chemicus, ſive lapidem philoſophicum, ſive ſalem fuſilem, ſive ſulphur, ſive Elixir, ſive medicinam, ſive aurum potabile appelles, miram certe vim habet in tria rerum genera, animale, vegetale, & minerale. Unde veteres philoſophi, animalem, vegetalem, & mineralem eſſe dixerunt. Nonnulli enim appellant animalem, quia animam & ſpiritum habet: vel, quia aqua eſt anima ejus & vita, quæ corpus ſeu terram vivificat & nutrit. Vegetalem, quia vigeſcit, alitur, & vegetatur appoſitive, creſcitque ſive multiplicatur, aut virtute, aut quantitate. Mineralem, quia à mineralibus extrahitur.

In animale quidem. Nam omne animal, ſive hominem, ſive brutum, ægrum intrinſecus vel extrinſecus, ad ſanitatem breviſſimo tempore reſtituit. Quia qualitates primas, ſive elementa ipſa,

quæ

quæ à naturali ſymmetria deflectunt,& actiones labefactatas, humoresque peccantes intemperamentorum ac corruptionis cauſas,ſive internas & à ſe, ſive extrinſecus incidentes, ad naturam ſuam reducit. Eſt enim fere incorruptibilis, temperata per elementa ipſa purificata,& ſecreta à fæcibus quatuor elementorum, quæ ſunt corruptionis cauſa potiſſima: ideo temperatum corpus,& ſanum efficit,veluti ſpiritus vitæ,cujus vi & ope,natura digerit indigeſtibile, & omne indigeſtum educit, omnes qualitates ſupervacuas & peccantes abſcindit,ſpiritum vivificat,molle indurat,durum mollificat, ſpiſſum rarefacit, tenue inſpiſſat, macrum impinguat,pingue extenuat, calidum refrigerat,frigidum excalfacit,humidum deſiccat, ſiccum humectat, & calorem naturalem, ſeu humidum ſubſtantificum corroborat & confirmat. Eſtque veluti (ut multi ſcribunt) medicinale corpus univerſale, ad quod omnes medicinarum particularitates facultatesque ſunt reductæ ac infuſæ. Propterea quod illa eſt quinta veluti quædam natura, à veteribus philoſophis inducta,ſive eſſentia,& anima tenuiſſima, purgatiſſima,putrefactioni ſeu corruptioni diutiſſime plurimumque reſiſtens, & quam ægerrime & laborioſiſſime corruptibilis, in æqualitate, & homogeneitate conſiſtens,ſoluta ab omni cōcretione mortali,cæleſtis, ſimplexque elementorum ſubſtantia,veluti temperata ex ipſis elementis, purificata, ſecreta à materia craſſiori, & ſuperfluitate heterogenea quatuor elementorum, ſublimatione illa Chemica. Unde Euſebius lib. contra philoſophos, cap.44. Socrates & Plato ideas ſejunctas à materia, ſubſtantias exiſtimant. Ariſt. contra,lib.1.De cœlo,cap.2. Nam Elixir ſeu pulvis ille philoſophorum, aut aurum potabile, ex homogenea, puriſſima,eademque ſubtiliſſima metalli fit ſubſtantia,cuivis humori permiſcibili. Quid autem invenias ſub cœlo magis homogeneum magisque ſimilare,tenuioris ſubſtantiæ, temperatioris naturæ,corruptionique,ſeu putrefactioni minus obnoxium, ipſa pura metallorum, ſive ar. vi. ſubſtantia? Elementa enim, ut Ariſtoteli placet,rerum naturalium in ſuo centro ſunt puriſſima. Ergo partibus heterogeneis, quæ ſibi per accidens ſupervenerunt,ſublatis, remanebit res puriſſima & homogenea, veluti ejus ſemen, ſpiritus atque anima. Non eſt ergo quod mireris, aut inſcius negare audeas,illam vim Elixiris abditam, & admodum quam paucis cognitam,vel creditam,niſi & velis Galenum, & quod experimento patet,mirari,aut negare, cum inducit ſepticas vocatas facultates,cauſticam caliditatem poſſidentes, ſed propter ſubſtantiæ tenuitatem citra dolorem adurentes. Num miraris,& negare deſinis, cum videas ar. vi. ceu metalli ſubſtantiam, igni, aëri, aquæ, terræque abſque læſione ferè perviam, & ob ſubſtantiæ homogeneitatem per minima unitam & commixtam corruptioni diutiſſimè reſiſtere, & quibusvis injurijs ſubverti fere non poſſe.

Elixir, ex mediocri & puriſſima ar. vi. fit ſubſtantia.

Libro De ſimpl. 9. ca. de Conia. Propter maximam ſubtilitatem, maxime & citiſſime agunt, & minime lædunt.

poſſe, quod certe nulli alteri rei generis ſive animalis, ſive vegetalis contingit? Arnaldus lib. De ſecretis naturæ cap. 1. *Solus Mercurius eſt incombuſtibilis & aereus, quod perfectionis eſt ſignum.* Præterea quid dicas de auro, quod quantumvis ignitum, non minuitur, imo vel Ariſtotele teſte ad finem 3. Meteor. omnia metallica uruntur, quod ſiccam exhalationem habeant. At aurum, unum omnium nequaquam uri ſolet, & ut teſtatur Plinius, quo ſæpius ardet, redditur perfectius, ob æqualem ar.vi. & ſulphuris in ejus generatione concurſum & puritatem. Scotus etiam in ſua Alchemia dicit, *Ut omnia metalla imperfecta vocantur, ſi auro comparare velis, & omnia animantia imperfecta ſunt, ſi illa natura angelica & ſubſtantiis incorporeis, & à materia ſejunctis compares: ita aurum ipſum, eſt imperfectius atque impurius noſtra Medicina; quæ eſt lapis noſter, quamvis ſit de natura auri: quia eſt magis ſubtiliata & depurata à ſuis facibus, & abundans in ſubtilitate homogenea. Simpliciora enim ſunt compoſitioribus perfectiora, fortiusq́; & mirabilius ſua ſubtilitate agunt, ut acutū magis pungit quam obtuſum.* Hæc ille. Ariſtoteli enim elementa in ſuo centro ſunt puriſſima. Non dubito propterea quin fatearis aurum ipſum ad ultimam puritatem, & ad extremam ſubtilitatem & ſimplicitatem reductum, multo perfectius incorruptibiliusque eſſe auro naturali, & ad potabilem ſubſtantiam converſum longiſſimo tempore corpora animantium à corruptione & intemperie conſervare. Unde Scotus ait, *Ignis tollit eſſe ab omni materia; niſi à ſole, id eſt, auro, ita quod alia corpora metallica non poſſunt conſervari in ſuo eſſe; niſi in ſtatu ſolari.* Nec aſſerere tamen velim medicinam hanc omnino incorruptibilem eſſe, quia fit ex re naturali, ſed propterea quod componitur ex materia cæteris omnibus incorruptibiliori; eſtque redacta ad ſubtilitatem, maximamque ſimplicitatem, facta fæcum elementorum corruptibilium ſeparatione, ideo ſi illam rite conſervaveris, diu incorrupta manebit, & ægrotis animantibus exhibita, longo tempore illa in ſanitate conſervabit. Unde medici jubent, ut cibo utamur minus corruptibili. Cujus ſummæ medicinæ cognitioni, ſtudio, & perquiſitioni, humano generi perquam neceſſariis, multi priſcorum philoſophorum, ſpiritu divino inſpirante, ſeſe conſecrarunt, hac potiſſimum ratione eoq; fine, non ut arte illa Chemica, imperfecta metalla in perfecta transmutarent, ſicque diteſcerent, ſed ut homines ægros curarent, vitamque illorum maxime diuturnam (in gloriam Dei) & ad præfinitum à Deo terminum illæſam conſervarent. Optabilius enim, & ſanctius eſt hominem ægrum curare, & in ſanitate diutius conſervare, quam opibus diteſcere, & illarum affluentia, ac cupiditate inexplebili, fortaſſe anima tandem perire. Unde ſcribitur Eccleſi. 30. *Non eſt cenſus ſuper cenſum ſalutis corporis.*

Quare priſci philoſophi Chemiam tractaverint.

Ibi-

Ibidem 10. *Avaro autem nihil eſt ſceleſtius.* Nec ſunt interea prætermitendæ à philoſophis Chemicis illæ Dei præceptiones de Eleemoſina danda, & pauperibus alendis, non omiſſis prudentia & diligenti ac ſecreta cura ægrotorum ſanandorum. *Hilarem datorem diligit Deus. Diſperſit, dedit pauperibus: juſtitia ejus manet in ſeculum ſeculi. Memento paupertatis in tempore abundantia. Veſtra abundantia pauperum inopiam ſuppleat.* Morbus (ut tradunt medici) eſt immoderatio, ſive intemperies quatuor elementorum, ſeu humorum, ex quibus corpus humanum & conſiſtit, & ægrotat, & valet: atqui medicina illa Chemica, ſive aurum potabile, res eſt homogenea, & uniformis ſubſtantiæ in æqualitate conſiſtens, anima ſubtiliſſima, ſecreta a fæcibus, & veluti ſimplex elementorum ſubſtantia, & ideo temperata, corruptioni, ſive putrefactioni, quam minimum obnoxia. Quare corporis humani elementa, ſeu humores temperat, caloremque inſitum, & humidum ſubſtantificum corroborat, & ægrum ſanitati, moderationi, & temperiei reſtituit: ſicque ad præfinitum à Deo vitæ terminum à morbo tutum atque integrum conſervabitur, ſi modo illa medicina prudenter utendo, naturæ ſuæ vires, & corporis complexionem alias ſupra modum non læſerit. Unde Geber libr. 1 cap. 33. *Aurum eſt medicina lætificans, & in juventute corpus conſervans. Inſuper notavit quidam auctor innominatus, & ſcriptum reliquit, Deus cœli glorioſus, qui eſt benedictus, in genere creaturarum ordine temporis ultimum formatum fecit hominem, quem omnium creaturarum aliarum dominum conſtituit. Unde elicimus omnia facta & creata eſſe propter hominem. Cum ergo homo ſit finis omnium, erit etiam finis ad quem ordinatur ſumma illa medicina, qua Elixir dicitur, qua non tantum reſtauratrix eſt & reformatrix metallorum imperfectorum, ſed etiam animalium ægrorum & infirmorum. Eſt enim argumentum ſufficiens philoſophicum, quod actus activorum fortius agunt in diſpoſitis patientibus, quam in non diſpoſitis. Cum autem hæc ſumma medicina nihil aliud ſit, quam calor naturalis multiplicatus in ſubſtantia Mercurij fixa, & virtus caloris ſit congregare homogenea & ſeparare heterogenea: neceſſario hac medicina ſuo calore vivifico in corporibus animalium ſeparabit heterogenea, conſervando ſpiritus & humores in homine citius quam in natura metallorum, propterea quod homo calore ſuo naturali proprio ſeparat ſuperfluitates hetegoreneas, quas metalla calore proprio & connaturali minime ſeparare poſſunt, ut cõcipimus experimentorũ perſuaſione.* Hæc ille. Eſt enim (ut quidam ſcribit) hæc medicina ſpiritus vitæ penetrans omnes alios ſpiritus, præbens vitã, tincturam & perfectionem tam corporibus ſolidis, quam corporibus

Eccleſ. 35.
Pſalm. 111.
Eccleſ. 18.
2. Cor. 8.
Ratiocinatio.
Statutum eſt hominibus ſemel mori Hebr. 9.
Vis medicinæ Chemicæ.

animatis,cum ſit ſubtilis ſubſtantiæ,& ſpiritalis naturæ multarum virtutum,& virium occultarum. De modo autem exhibendæ & diſpenſandæ illius medicinæ ægrotantibus,in potionibus, & catapotiis,conſule librum Arnaldi à Villa nova, quem edidit de aqua vitæ: Lullium item de aqua vitæ, & de ſimplicibus,& ſecretis naturæ ſive quinta eſſentia: & Joa. à Rupe ſciſſa, de conſideratione quintæ eſſentiæ lib. 2. & G. Pariſienſ. cap. De effectibus hujus artis.

Mira lapidis ſive medicinæ Chemicæ vis & operatio in genus vegetale.

In genus vegetale has facit actiones. Nam arborum & plantarum generationes,ut ſcribit Theophraſtus de hiſtoria plantarum lib. 2. cap. 1. factitantur,aut ſponte,aut ſemine,aut radice, aut avulſione,aut ramo,aut ſurculo, aut ipſo trunco, aut etiam ligno minutatim conciſo,illiſque ſæpe morbi accidunt,aut communes, vel privati quibus intereant. Quibus ſane medetur medicina illa. Omnes enim plantas,arbores, frutices,ſuffrutices,& herbas tempore veris magno ac miro ſuo calore vivificat, illarumque vim genitalem corroborat & excitat. Nam ſi illius medicinæ in aqua diſſolutæ quantitatem aliquam, in cor, ſeu centrum trunci vitis inieceris,flores & folia naſcentur fructumque menſe Majo producet: ſic in cæteris plantis, propterea quod nihil aliud eſt quam calor veluti naturalis infixus ſuo humido radicali: & quia, ut Lullius ſcribit in praxi teſtamenti. cap. 27. natura ſuo inſtinctu maxime deſiderat, appetitque eſſe in profundo corporis elementati,in quo operatur, illius calorem naturalem, vimque ſementificam confirmando,quia eſt pervia omnibus corporibus, unde Hyle appellata eſt.

Hyle

Mira lapidis, ſive medicinæ Chemicæ vis in genus minerale.

In genus Minerale. Nam omne corpus metallicum imperfectum,plumbum ſcilicet, ſtannum, æs, & ferrum, præterea & argentum vivum vulgi, transformat vel in argentum vel in aurum, cum omnis perfectionis differentia, puritatis, ponderis, fixionis, coloris,extenſionis, examinis ſeu probationis cineritii, cæmenti, ignitionis, fuſionis, ſuper vapores acutorum expoſitionis, adurentis ſulphuris mixtionis,extinctionis, calcinationis, & reductionis reiterationis, & ar. vi. facilis ſuſceptionis. Præterea lapidum pretioſorum ægritudines, ſeu imperfectiones, aut diminutiones vel perſpicuitatis, vel coloris,vel duritiei,vel ponderoſitatis curat & perficit,& ad virtutem naturalem,imo perfectiorem reducit,ac (ut ſcribit Albertus lib. Miner. 1. cap. 1.) unum in alterum transmutat,antidoto illo medicinæ ejus, quam Elixir vocant Alchemici, eorumque ægritudines curantur, aut occulta eorum manifeſtantur,aut manifeſta conteguntur. Arte enim illa Chemica componuntur perfectiſſime hi lapides, Smaragdus, Carbunculus, ſive Anthrax,aut Rubinus vulgo, Adamas ſive Diamantes, Beryllus: Balagius,ſive Palatius: Chryſopraſus,Chryſolitus, & alij. De hac lapidum formatione,& metamorphoſi Chemica,plura legere poteris apud Lullium in Theoria & Praxi ſui lapidarii: & in praxi ſui teſt.

Ejuſdem vis in lapides pretioſos

Quod arte Chemica ex cryſtallo fiant lapides pretioſi.

teſt.cap.35. Addi poſſunt quæ ſcribit Plinius de Cleopatra, quæ vi aceti philoſophici margaritas reſolvit, & liquefactas abſorbuit, ſolaque in cœna una centies * ſeſtertium, ſpectante Antonio, cœnavit. Hujus Cleopatræ meminit Barbarus corollario in Dioſcorid.lib. 5. cap. 115. ubi ait, tres feminas lapidem illum philoſophic. compoſuiſſe, Cleopatram, Taphuntiam, & Iudææ gentis Mariam, cujus liber paſſim circumfertur. *Libro 9. cap. 35.* *Id eſt, 250. millia aureorum.*

INSUPER, mixtione hujus medicinæ ſeu pulveris, vitrum fit flexibile, ſeu malleabile.

FINIS.

RELIQUUM eſt, hujus ſacræ, raræ, & abditæ artis Chemicæ ſtudioſe, ut cauſam adferamus, quare quæ ſequitur doctrina excerpta ex Galeno, adjecta ſit ad calcem hujus libelli noſtri. Quod profecto factum eſt, ut brevi ac dilucida illius doctrinæ intelligentia, quædam Chemicorum propoſita obſcura, tum in theoria, tum in praxi hujus artis ab illis ſcripta, tibi clariora fiant. *Plinius l. 36. cap. 26.*

GALENUS, De ſimplicibus lib. 9. c. de Conia.

Ablato cinere fit lixivium Cinerem autem uſtorum corporum reliquias Latini nuncupant, ſive natura ſint lapidea, ſive arborum, animaliumve particula. Fit ergo lixivium pro ejus quod eluitur natura: ejus quidem quod empyreuma, ſive igneam naturam habet acerrimam, ipſum quoque acerrimum eſt: ejus quod tali non eſt, etiam moderatius. Quare & ſepticis vocatis facultatibus commiſcetur, utpote cauſticam caliditatem poſſidens, ſed propter ſubſtantia tenuitatem citra dolorem adurens. *Vt cineres differunt ratione lignorum, lapidum, aut alterius rei: ſic & lixivia.*

Pſalm. 92.

Vir inſipiens non cognoſcet, & ſtultus non intelliget hac.

Eccleſ. 38.

Scientia medici exaltabit caput illius, & coram magnatibus in admiratione erit.

AUCTORES CITATI IN HOC LIBELLO, QUI HANC ARTEM Chemicam approbarunt.

EX AUCTORIBUS SACRIS.

ESDRAS
Salomon } *Propheta*
David.

EX JURISPERITIS.
Oldradus
Io. Andreas
Panormitanus

EX THEOLOGIS	EX MEDICIS
B. Auguſtinus	*Hippocrates*
Adam a ſancto Victore	*Galenus*
B. Thom. Aquinas.	*Avicenna*
Albertus Epiſcopus Ratiſpon.	*Abuhali*
Gulielmus Pariſienſis	*Rhazes, Haly.*
Scotus doctor ſubtilis	*Dioſcorides*
Vincentius Monachus	*Arnaldus a Villa nova.*
Gaſpar Contarenus Card.	*Valeſcus de Tharanta*
Chryſigonus Polydorus.	*Petrus Aponenſis.*
EX PHILOSOPHIS	*Marſilius Ficinus*
Hermes Triſmegiſtus	*Plinius Alchemiſta*
Geber Abenhaen	*Io. Daſtinus*
Ariſtoteles	*Bernardus Comes Treverus*
Alexander Rex Macedoniæ	*Io. Picus Mirandula*
Suidas	EX POETIS
Ray. Lullius	*Virgilius.*

LIBELLUS, QVI TESTAMENTVM ARNALDI à VILLA NOVA INSCRIBITUR.

LAPIS Philoſophorum de terra ſcaturiens in igne perficitur ſeu exaltatur: limpidiſſimæ aquæ potu ſatiatus ad minus horis duodecim undique viſibiliter tumens. Deinde in ſtupha poſitus aëris ſicci & mediocriter calidi vapore depuratus extraneo ſoliditatem ſuarum partium adipiſcitur, & ab humore extenuatus ſuperfluo, fit aptus contritioni. Quibus peractis ex purioribus ejus partibus virgineum lac exprimitur, quod confeſtim in Ovum Philoſophorum poſitum, tamdiu pullifica concoctione foveri non deſinit, donec colorum varietate denudatus cum compare ſuo in niveo colore lætificat, & ex tunc ſine metu periculi, ſuſtinet pœnas ignis creſcentis, donec colore tinctus purpureo, egrediatur ex monumento cum regia poteſtate.

FINIS.

EVI-

EVIDENS ET MANIFESTA

ARTIS CHEMICAE COMPROBATIO.

Ex Petri Apiani Antiquitatibus deſumpta.

PATAVII ante aliquot annos mirabile Alchemicæ artis argumentum inventum eſt. Vrna fictilis erat, his notata verſibus:

PLUTONI SACRUM MUNUS NE ATTINGITE FURES:
IGNOTUM EST VOBIS HAC QUOD IN URNA LATET.
NAMQUE ELEMENTA GRAVI CLAUSIT DIGESTA LABORE,
VASE SUB HOC MODICO MAXIMUS OLIBIUS.
ADSIT FOECUNDO CUSTOS SIBI COPIA CORNU,
NE PRETIUM TANTI DEPEREAT LATICIS.

Intra hanc urnam reperta eſt minor alia, qua aperta, duæ ampullæ inventæ ſunt, affabre elaboratæ; altera ex auro puriſſimo quodam liquore plena, quo lucerna adhuc ardens per multa ſecula conſervata putatur. Vrnulæ inſcripti erant hi verſus:

ABITE HINC PESSIMI FURES,
VOS QUID VOLTIS VESTRIS CUM OCULIS EMISSITIIS?
ABITE HINC VESTRO CUM MERCURIO PETASATO CADUCEATOQUE:
MAXIMUS MAXIMO DONUM PLUTONI HOC SACRUM FACIT.

FINIS.

JO. CHRY-

JO. CHRYSIPPUS. FANIANUS, IOH. PHILOPONO SUO S.

MIRUM quod tot tantiſq; animal ſauciatum vulneribus, tot ægritudinibus divexatum Medicus ſanet, priſtinæq; reſtituat incolumitati: philoſophus nequeat præditum ſua labe metallum excludere, quod minus operoſum, multoque facilius videtur. Quis autem eſt, qui ſi ut animalium, ſic inanimorum inſpiciat ægritudines, non pervideat thecâ illam animæ longè periculoſius medicamẽtis exponi, quàm quod nihil habet præter ægritudinem cum animato commune? Et tamen audet is ipſe medicus ægrotantis & ſauciati dubiæ ſaluti imponere manum, philoſophus metallo non audet, quaſi verò illius non vetetur periculum, hujus quàm maximè, atque ideò magis impunè quis hominem læſerit quam metallum. Quod ſi quis ex læſo metallo adulterinam poſſe cudi monetam inducat, quin itidem ex læſo homine multa poſſe fieri homicidia induxerit? Vt ſi quis hominem interfecerit impunè; deinceps plures interficere non metuat? plus eſt interficere quam decipere. An non is magis eſt noxius, qui quum ſe ſanaturum ægrotum polliceretur, tamen interfecit, quàm qui pravum nummum dederit pro bono? Hic de bonorum aut particula ipſorum, illic de vitæ amiſſione agi oportet. Vtrum verò carius? At majeſtas, inquies, hic regia attingitur. Annon & illic divina? Regia quoque majeſtatis magis intereſt tolli quem de exercitu, quam de theſauro nummum. An non præterea plus eſt ſervare hominem, quam publicum augere ærarium? Decipere verò vel lege permittente alter alterum poſſumus: hinc quiſque ad rem ſuam tuendam fit cautior, ac denique ad tuendam Reipub. cauſam. Indignamur hodie ſi quis fortè communibus à natura hominum facultatibus utatur, quæ tandem non ſocietate ulla, ſed diſſidio, non pace, ſed bello propria effecta ſunt: ſi quis aliquem interemerit, diſſimulamus eique parcendum ducimus. Negligimus itaque Dei præceptum, quod eſt ut nihilo ſeſe plus, quam alterum quis diligat, quod quam ſit amicorum proprium & peculiare, & eorum quidem ut Pythagoras ſentiebat, communia quæcunque, quid ab amico querimur hodie de peculio nobis aliquid auferri? Atque ideò rectè Socrates execrari eum ſolebat, qui primus utilitatem à natura ſejunxiſſet: id enim querebatur caput eſſe exitiorum omnium.

Eſt equidem & deſtruere metallum atque deterius facere, & hominem interficere utrumque malum, & quidem altero alterum magis vitandum: verum qui ſanat non interficit, non deſtruit qui reſtaurat: manus medici ægro imponitur, non ſano & benè habenti; manus item philoſophi vili & imperfecto metallo, non caro & perfecto. Committendum itaque utrumque eſt & bonis & peritis hominibus, non iniquis, non etiam indoctis. Quod ſi ita fiet, erit quod de hominis ſalubritate, de metalli pretio ſperemus. Atque ad hoc quidem ars iſta, quam veteri & exoſo vocabulo Halchemiſticen dicimus, magno cum Reipub. emolumento, ſi modo percipi poſſit, ab heroicis uſque temporibus comparata eſt. Noſti enim quid de ea magni philoſophi referant, quid poetæ, quid etiam hiſtorici. Quæ miracula naturæ nemo ferè vana & ficta putat, & ad fallendum inventa. Atque hoc magis, quod illa ipſa artis præcepta à quovis quotidie teruntur, & ab iis potiſſimum accommodantur ad uſum, qui & ingenio parum valent & diligentia. Factumq; eſt neſcio quo fato, niſi forte quod nimis abdita, aut incredibilis videtur, ut à permultis literarum bonarum profeſſoribus poſthabita & neglecta ſit. Quo evenit, ut qui minus de literis meriti ſunt eam damnent, nedum contemnant: quo quid poteſt eſſe in humanis iniuſtius? Hoc velim mihi credas, quod te puto exiſtimare, ut niſi quis magnarum ſit artium diſciplinis inſtructus, parum poſſit in hac arte proficere. Eſt enim collecta, tum ex naturalibus, tum etiam ex mathematicis ac ſupernaturalibus præceptis. Quæ quoniam tibi perſpecta ſunt & cognita, aditum tibi præſtabunt ad eam patentiorem: Si modo tibi amplectenda ea ars videtur, quæ præter innumeros naturæ rerum effectus id etiam habet, ut qui eam conſequetur, poſſit ſcientiam ſuam multis opibus divitiisq; cumulare. Sed ſi noſtra leges quo es videlicet acutiſſimo ingenio, judicio peracri, cognitione rerum multarum, memoria tenaci & capaciſſima, id non dubito quin facilè conſequare. Atque eo præſertim & ſcriptum tibi & dicatum hunc librum, quod etiam me facturum per literas ante promiſeram, exiſtimes velim. Lutetiæ. 14. Calendas Novemb. 1559.

IOAN.

Ἰωαν. χρυσίπ. Φανιανοῦ ὡς ἀναγνωστήν.

Ἄργυρον εἰς χρυσὸν μεταβάλλειν ἥδε διδάσκει
　　Λοιπά τ', ἀναγνωστὴς πάντα μετάλλα βίβλος.
Θαῦμα θ' ἑνὸς λίθακος καὶ πᾶσιν ἄπιστα κελεύων
　　Τῷδε θεὸς πόρεν ἠνὲξαλάειν πενίαν.
Εἰ γοῦν πλοῦτον ἔχειν ἐθέλεις ταχέως ἐπὶ τοῦτον
　　Βίβλον ἐπίστρεψον γ' ὄμματα, σὺν δὲ νοῷ.

Ad eundem.

Quæ te torquebant aliorum ænigmata, Lector;
　　Explicat iſta modo pagina rara tibi.
Poſſit ut abſtruſo quicquid natura lapillo
　　Condidit, ingenuis arte patere viris.
Poſſit & argentum ſubitò vel cinclus in aurum
　　Vertere quis præſens calleat artis opus.
Ergo age naturæ loca inacceſſa hacce potentis
　　Arte petas liber hic dum tibi monſtrat iter.

JO. CHRYSIPPUS FANIANUS MICHAELI FILIO REGIS BUGIÆ. S. D.

LUTETIÆ *una cum eſſemus, poſtquam rogatu tuo ita de te ad Henricum Regem ſcripſi, ut non te lateat haud parum contuliſſe tibi ſcripturam meam, libuit tibi editionem, eam quam de libro artis metallicæ metamorphoſeos Philopono meo paulò ante receperam, mihi non vulgariter commendare. Quod ego placitum tuum ſecutus dedi operam, ut quam primum poſt diſceſſum tuum liber exiret. Eum nunc tibi mitto editum, atque ita editum ut non niſi à te & Philopono meo poſſit intelligi. Quod ſi ita tibi probe editus videtur, ſatisfeciſſe me arbitror voluntati tuæ: ſin aliter, in cauſſa eſſe putes nimiam ſeveritatem tuam. Cum enim diſplicere nollem populo hac in re, quod ne æquum quidem videbatur commodare non potui. Secutus es ipſe quidem Alexandrum, ego verò, ſed diſparibus tamen in rebus, Ariſtotelem. Vale.*

IOAN.

IOANNIS CHRYSIPPI FANIANI DE ARTE METALLICÆ Metamorphoſeos ad Philoponum.

Ars metallica multiplex.

INTER ea, quæ de metallis proferuntur, nihil eſt admirabilius arte metallicę metamorphoſeos, ad quam accedunt aliæ duæ, ut ſint tres in hoc genere, quibus inprimis utamur, artes: una fodinarum (fruſtra enim aurum & argentum, æs, ferrum, natura divina genuiſſet, niſi eadem docuiſſet, quemadmodum ad eorum venas perveniretur) altera liquandi metalla ipſa, ſeu pumices ærugicos, atque inde conficiendi quidvis, quæ & fabrilis dicitur, & Chemiſtica ἀπὸ τῆς χημείας. Quid namque juvaret inventa materia, niſi confectionis eius fabricam haberemus? Tertia metamorphoſeos, de qua hoc libro dicere inſtituimus, vocaturque Alchemiſtice, ab Alchemia ἅλας enim Græci ſalem appellant, χημείαν fuſionem: & hæc ars circa fuſilem quendam ſalem peculiariter verſatur. Ita cum utilitate, quam Deus hominibus dedit, ars aliqua conjuncta eſt, per quam illa utilitas percipi poſſit. Duæ priores mechanicæ, atq; chirurgicæ, hæc una pars eſt Philoſophiæ eius, quæ circa rerum naturam cauſaſque vertitur. Docet enim & metallorum & cæterarum quoque rerum, quæ cum his aliquo naturæ vinculo conjunctæ ſunt, naturas atque cauſas. Dividitut autem in duas parteis. Prima inventionis eſt, & Theorice dicitur. Secunda diſpoſitionis, quæ Practice appellatur. Ergò primum de inventione, in qua metallorum naturam, non omnium quidem, ſed eorum duntaxat, quæ ad opus ipſum metallicæ metamorphoſeos propius accedunt, inveſtigabimus; poſt de ſecunda parte dicemus. Metalla alia opibus, alia deliciis, alia temeritati fodiuntur. Nam aurum, cui perſæpe æs: & argentum, cui ſtannum & plumbum adnaſcitur, divitiarum, ut ferrum belli cædiſque, & gemmæ pigmentaque voluptatis gratia quæruntur Metalla autem Græci vel à μεταλλάω, quod perſcrutor ſignificat: (Solemus enim intra terræ venas metalla ſcrutari) vel ἀπὸ τοῦ μετὰ τὰ ἄλλα εὑρεῖσθαι, quod alia poſt alia inveniantur. Ita Plinius, quod ubicunque una inventa vena eſt, non procul invenitur alia, quod quidem & in omni fere materia, metalla Græcis dicta exiſtimat. Aurum ex ſulphure rubro, ſplendido, ignibus inexpugnabili, tenuiſſimo, defæcatiſſimoque argento vivo, optima commixtione purum atque rutilum concreſcit. Sed auro alio aliud melius. Melius id, quod decoctum magis, digeſtumque eſt, coruſcos indicis perferens affrictus.

Ars Chemiſtica.

Alchemiſtice.

Diviſio artis.

Finis multiplex ſtudium metallorum.

Metalla unde. Novatio.

Auri delectus.

Auri ductilitas. ctus. Nullum aliud metallum laxius dilatatur; alit numeroſius dividitur. *Argenti generatio.* Argentum tinnulum eſt, dulce ſonans, perſplendidum, ex candido & prætenui, ſed paulum unguinoſo ſulphure, nec ſatis cocto, & argento vivo ſubtili ac defæcato, non bene commixtis concretum. In generatione enim argenti plus ſulphuris concurrit, quàm argenti vivi, quod inde facile eſt deprehendere, quod cum *color auri & argenti unde.* auro miſcetur, eius colorem inducit. Quum autem color auri & argenti è ſulphure prodeat, ceu forma in argentum vivum, id eſt, materiam ipſam agente, & vis coloris ſit in hoc, quam in illo maior, conſequens eſt in hoc quoque plus ſulphuris ineſſe. Inde eſt, ut in argento negemus æquam ſulphuris & argenti vivi com- *Naturæ peccatum in argento ab ipſa experientia.* mixtionem, quod & ipſa experientia apertiſſimè oſtendit Siquidem in igne longo tempore ardens ac ignitum, in niveum tandem pulverem deficit, avolatque argenti vivi quicquid ſupervacuum offenditur. Quare æqualitate utriuſque ſubſtantiæ tum *Auri & argenti diſcrimen.* aurum æquat, commixtione nequaquam. Sulphur enim argenti cum non ſit ſatis digeſtum, etiamnum unguinoſi nonnihil habet a quod cum argento vivo contrarium exiſtat, debitam impedit commixtionem, avolanteque argento vivo, comburitur & perit. Vnde quoque eſt, ut igne minuatur argentum, tandemque diſpereat. Eadem ratione fateri cogimur, in auro puto æquam eſſe *Naturæ in auro integritas.* ſulphuris atque argenti lancem. Quantumvis enim ignitum ne quicquam minuitur: imò verò, vel Plinio teſte, quo ſæpe ardet, efficitur perfectius. Quod fit propter æqualem ſulphuris & argenti vivi in eius generatione concurſum & puritatem Æqualitas enim quæ, ut Pythagoræ placet, amicitiæ tum parens eſt tum altrix, tam invictæ in eo compoſitionis, ut in cæteris quoque rebus, cauſa eſt. Dixi autem auro puto: ſolet enim utplurimum *Argentum natura in auro.* è ſuis cuniculis erui utcunque argentum continens. Quod ſi argenti vivi plus haberet, igne evolaret ſuperfluum, minueretur que *Argentum vivum fugax ſine ſulphure.* ipſa auri moles. Argentum enim vivum omne ſine ſulphure fugaciſſimum eſt; à ſulphure autem retinetur æqualitatis proportione ſervata. Alioquin ſi plus mole ſua auri ſulphur argenti vivi *Digreſſio.* retineret, aurum ipſum quicquid attingeret ſibique adglutinaret, id ipſum ob ſui ſulphuris intentionem retineret, faceretque ſuæ naturæ, neq; opus eſſet tot ambagibus ad decantatiſſimum illum *Antiphora.* lapidem Philoſophorum, quot eius authores prodiderunt. Nec verò inficias ivero eſſe, aut fuiſſe nonnullos, qui parvo aliquo auri fruſtulo, pulveris interdum, interdum quoque humidioris materiei formam referente, quod utrumque tamen nihil aliud, quam auri ipſius ſpiritus, atque igneus quidem vapor, quem He- *Mira auri ſpiritus vis.* raclitus animam eſſe dicebat, argentum æs, ſtannum, plumbum, ferrum & argentum vivum in aurum converterint: quod & vidiſſe ſe & noviſſe facere, Cornelius Agrippa in ſuis de occulta Philo-

Philoſophia libris ſcriptum reliquit, & refert Marſilius Ficinus fieri: verum id fruſtulum non tam ſola auri forma aut materia eſt, quam purioris pars atque vegetioris, quæ in ipſius centro incluſa erat, ex utroque concreta, artificioque elicita. Sunt enim elementa ipſa, authore Ariſtotele, cum rebus reliquis naturalibus in ſuo centro puriſſima: & ea pars auri ipſius ſemen eſt, ſpiritus atque anima, qua aiunt ipſum vivere: quæ ye, ſi convenienter educetur, ſit aliquando futura vegetior, paulatim igne promovens in ampliores vires. Ignis enim, ut quidam ait, ipſius eſt pabulum & alimentum: atque vel ab hoc à nonnullis ſalamandra nominatur, & ego dixi igneum vaporem: hac etiam de cauſa appellatur pyrauſtum: quodque vegetat herbam virentem: & phœnicem, quod unicus ſit tam ſtupendæ naturæ ſpiritus, ac quod præcipuos acquirat colores, nigredinem & albedinem. Moly herbam, quam Homerus ait radicem quidem habere nigram, ſed florem lacteum. Ita enim ille Odyſſ. 10.

Auri ſpiritus nomina varia

Ρίζῃ μὲν μέλαν ἔσκε; γάλακτι δὲ εἴκελον ἄνθος·
Μῶλυ δέ μιν καλέουσι θεοὶ, χαλεπὸν δέ τ' ὀρύσσειν;
Ανδράσι γε θνητοῖσι.

Quibus quid aliud deſignaſſe huius artis peritis videri, quam eum; aut ſi qua alia eſt illius ipſius philoſophici lapilli materia, ſpiritum poteſt? Eſt enim is evulſionis è ſua terra, in qua altas jam ferè radices egit difficillimæ: & lapidi illi perinde arduæ vulſuræ, vim expellendi omnigenum mœrorem ægritudinemque veteres tribuere, vt verè eo nomine Moly appellari poſſit, atque in aurum vel argentum convertendi reliqua metalla mutabilia, ſicuti ſtannum, æs, plumbum, ferrum, argentum vivum: quod & ſpiritum iſtum ſibi vendicare docuimus. Hinc meritò eum Moly & ſalutem metallorum vocaverimus. Neque enim tantum ſupra terram ut apud Ciceronem eſt, ſed in intimis eius tenebris plurimarum rerum latet utilitas: quæ ad uſum hominum orta, ab hominibus ſolis invenitur, metallorumque ſalus incluſa in his ipſis eſt: quæ evellenda & extrahenda penitus, non circumcidenda, nec amputanda eſt. Sed quo maior in eis præſtantia & divinior, eò maiore indigent diligentia. Conveniet autem imprimis ſumſiſſe ἄλυπον; atque adeò illud Helenes pharmacum; quod luctuſque biliſque, malique oblivia cunctis bibentibus inducebat. Poſt deinde ſolvenda auri compago, uti ſpiritus naturalis, qui incluſus eſt, occultè ſubterlabente monumento oboriatur, oculorum aciem multipliciter perſtringens. Iſtuc enim tabernaculum inſtar ſilicis circumdedit natura: quo priuſquam fuerit exolutus, cognatumque æthera petierit, nullas flammas edit, ne vitæ quidem ullius habituris eſt conſuetudinem. Ubi verò exceſſit è fragilibus, per quos ſparſus erat meatibus, eſtque ab omni prorſum colluvie

Auri ſpiritus cum lapide philoſophico comparatio.

Metallorum ſalus.

purgatus, in infinitas ſe attollit formas: modoque in herbam gignit, modo in lapidem, aut in inſolitum quoddam animal: interdum in æquor, aut unionem, aut gemmam, aut metallum: dulceque jubentibus jam flammis emicans, in multas ſtatim colorum myriadas variat, vivitque portentorum ſemper effector ac magus, iſto nequaquam fatiſcens labore, ſed vigore ac viribus indies adoleſcens. Quod quoniam crebro à nobis contenditur quid ſit, quove poſſit modo tenebroſo iſto carcere liberari, deinceps explanabimus. Jam enim ad hanc artem omne ferè translatum eſt certamen multo honore quæſtuque vigentiſſimam, atque ut à Suida traditur, Ægyptiorum olim contra feros & formidabiles Diocletiani impetus diu ſervatricem, dum in ullius honeſtioris fructuoſioriſque rei labore vigilari non poterat. Sunt itaque, qui aurum diſpenſent, ex eoque viciſſim ſecernendi Elementa nullum faciant finem; dum puriſſima quædam, nulliſque naturalibus obnoxia inquietudinibus natura ſubſederit, quod quintum aiunt elementum, ſeu corporeæ ſubſtantiæ temperamentum eſſe. Eſt enim id velut quinta quædam natura ab Ariſtotele inducta, quæ ſoluta & libera & ſegregata ab omni concretione mortali terra vacat & humore; nec flabilis eſt, nec ignea: ſed ſejuncta ab iis uſitatis notiſque naturis, cœleſtis magis habetur ſubſtantia. Utuntur autē ad hanc rem lavacro, in quo utut ignis ſuppoſiti remiſſo, calore auri quaſi ſordes abſorbentur, abeuntq; in intimā munditiem omnia: obdura quoque, ac tantum non adamantæa ipſius moles contunditur, interioremque ſubit liquationem, atq; interitum abſque detrimento: ne quis fortaſſe putet tam integrum in omni igne metallum aliquotfariam poſſe attenuari, quo vel ob id maximè reliquis omnibus prælatum eſſe in ſuis naturæ hiſtoriarum libris Plinius ſcribat, quod uni rerum nihil igni depereat, tuto incendiis rogiſque durante, quoque ſæpius areſcit, hoc magis proficiente ad bonitatem materia. Tametſi namque eadem ipſa moles immanitate pondereque decidit: viribus tamen permanet, nec eſt unquam quicquam defectura: nec verò ſolum, quod ipſi haud citra miraculum peculiare eſt, non fit deterior, ſed magis atque magis eniteſcit. Demigrat de ſtatu quidem ſuo novum ſibi ut ingenium induat: dejicit de pondere, ipſumque levitate permutat: fitque in ea uti paucis vera abſolvam; & duritiei & reliquarum prorſus qualitatum viciſſitudo. Sed & vires, quas antea habuerat, hoc tranſitu nobilitataş recipit, multoque priſtinis vegetiores, & inexhauſto quodam renitentes ſplendore. ἔτως γὰρ ὁ χρυσὸς ἑψόμενος, ut ait Pindarus, αὐγὰς ἔδειξεν ἁπάσας. Huic enim occulta ea vis initio inſtar igniculorum quorundam ineſt, quam ſuſcepto paulatim incremento, tandem ad faſtigium, atque adeò ad fabulæ, quod dici ſolet, cataſtrophen erumpit: ac tum tale

Spiritus auri forma varia.

Huius artis vis ab exemplo.

Auri ſpiritus quid.

Modus educendi auri ſpiritum.

Auri præſtantia.

Pindari; de auro ſententia.

Auri occulta vis.

tale ferè quiddam poteſt, quale de Lynceo ſcribit Plutarchus: Saxa quoque & arbores oculorum acie penetraſſe. Eſt enim ei ex adaucto ingenij ſui acumine tanta penetrandi vis quęſita ut metallis ſit omnibus ὀστράκων quod dicitur περιστροφὴ. Atqui ſunt nonnulli, qui argenti requirant ſpumam aut argentum vivum, aut argentum ipſiſſimum, aut ovum, capillos, aut humanum ſanguinem, aut urinam aut vinum, acetum aut herbam, ut dicunt, Lunariam: Atque iſti quidem commemorandis varijs & horrendis nominibus nos territant, cum hæc omnia una gens ſit: atque ita ex uno, ut in proverbio eſt, multa faciunt. Sed redeamus ad argentum. De lapidis enim materia, quoniam inter hujuſce artis maximos authores non parva contentio eſt, alio loco nobis copioſius diſputandum. Argentum ergò ſulphur habet, ut ſuperius docuimus, paulum admodum unguinoſum: quo fit, ut igni diſtabeſcat. Dixi paulum admodum: habet enim fermè omne nonnihil in centro ſulphuris digeſti: proinde omne propemodum etiam aurigerum eſt. Cujus rei periculum fieri conſuevit Chryſulca. Hæc enim argentum involat, diducitque ab auro ſiderati cruoris inſtar ſidente, incorruptoq; emergente. Dulcioris tinnitus ejus cauſa eſt ſubtilitas argenti vivi, glutenque ſulphuris. Quod autem ſulphure conſtet glutinoſo, uſu quiſque diſcere poterit, ubi hydragyro ſulphur ſuppoſuerit vulgare, quod totum gluten eſt: ex ijs enim duobus intra menſem viderit argentum puriſſimum concreſcere, uti nos quoque vidimus, tempore & loco uſi ad hoc aptis. Aurum argentumque quo mollius, eo pulchrius. Stannum ex tenui ſulphure ac ſubtili, & argento vivo præpingui & denſo male mixtis compactum reperitur, hoc etiam nomine ſtridulum. Cum argento naſcitur, mixtiſque venis conflatur. Plumbi duo genera nigrum atque candidum, pretioſiſſimum candidum. Nigri duplex eſt origo: aut enim ſua provenit vena, aut cum argento & ſtanno naſcitur. Utrumque ex unguinoſo, bituminoſoque ſulphure & ejusdem qualitatis argento vivo conſtat. Quod judicare facile, ubi candente licio in virulentum fumum abijt, nulla relicta calce. Depurgatum in aurum & argentum vertere, ipſo experimento didicimus. Tunditur primum emolliturque liquido quodam in calice chytræ ſeu teſtulæ, indidemq; conjicitur in ampullam vitream, ut ſinegmati ſuo inſpergatur: ita ſuis ſtrigmentis ſpoliatum evadit nitidum. Datur & deinde licio, ac ſi quid eſt impuri reliquum, ignibus exoleſcit, argento cum auro reſiduis. Sed adſciſcendum aliquatenus argentum vivum pro ratione materiæ. Huic metallorum ſoli incrementum concedit Galenus: quod, ut Plinius auctor eſt, derelictum fertilius reviviſcit. Æs & ferrum ejuſdem pene compoſitionis ſunt: niſi quod hoc minus habet argenti vivi, ſulphuris plus & unguinoſioris atque ideo duriſſimum

Variæ opinationes de lapide Philoſophorum diſſerentium.

Argenti ſulphur.

Aurum natura in argento.

Chryſulcæ effectus.

Cauſa tinnitus argenti.

Hydrargyri & ſulphuris vulgaris mirū

Authoris experimentum.

Authoris experimentum.

Auri argentique delectus.

Stanni generatio.

Plumbi genera.

Plumbum ex quibus conſtet.

Mira plumbi metamorphoſis ab ipſo Authore inventa.

Incrementum ſoli plumbo attributum.

Æris & ferri diſcrimen.

Ferrum.

Æs.

Æris ſulphur. *Æs cum argento.* *Color metallorum unde.* *Sulphur vulgare.*

vixque flexibile. Hoc ſolum etiam difficulter liqueſcit. Æs minus eſt cæteris fuſile, minus etiam habens argenti vivi. Sulphur autem ipſius proxime accedit ad maturitatem, paulumque abeſt à debita decoctione, quod ipſum æs coruſcum efficit. Cum argento conjunctum ipſum reddit vocalius, inque ſuum colorem convertit: quod è ſulphuris in eo redundantia accidit. Sed hactenus de auro, argento, ære, ſtanno, plumbo & ferro: deinceps de alijs metallis. Jamque primum omnium occurrunt ſulphur illud vulgare atq; extrarium & argentum vivum. Hoc ſulphur terreſtri videtur eſſe bitumine quodam commiſtum, quod & Virgilius in Ætna ſcribit, & ad plumbi formam ſuſpiciendam idoneum adventu peculiaris ſibi argenti vivi, quod in plumbis ineſt. Virus eſt atque fex ſulphuris metallorum omnium ipſius ſubtilitatem aliqua ex parte referens, ſic ut concurſu argenti vivi nonnunquam in metallum induretur etiam pretioſum, agente calore. Id equidem ſum expertus in minio factitio, quod ex argento vivo & ſulphure conflatur: nonnulli cinnabarim appellant. Ex ejus enim drachma licio argenti puri obolum exprompſimus. Ubi vero maxima iſtius ſulphuris contigui, nullisque pumicibus aut cautibus implexi hubertas vehemētem radiorum ſolarium calorem reflectit continuò ardet, locumq; ipſum metallicæ generationis beneficio diſpoliat. Internus quoque vapor hanc materiam quandoq; ſolus accendit.

Argentum ex minio factitio.

Argentum vivum. *Vis argenti vivi & definitio.* *Omnis aqua viſcoſa, ab exemplo.*

Argentum vivum latentem quoque, ut ſulphur, in ſe quendam haber ſpirabilem calorem vegetumque ſpiritum, auri argentique ſemen, ubi pulſu agitatur externo, quod pulchrum & ſuſpiciendum arcanum in hac arte eſt. Idem & aurum & metalla reliqua exterit, mollit, imminuit, in ſeque convertit. Eſt autem argentum vivum, ut plerisque placet, aqua multum viſcoſa, ac proinde ſicca magis, quam humida. Addidi multum: omnis enim aqua aliquantillum viſcoſa & glutinoſa eſt: quod intrinſecæ penitiſſimæq; ejus ſubſtantiæ in ipſa etiam latere efficientia declarat. Latet enim initio diſtrita in pulveris modum atq; adeo inſectiles quosdam atomos diſtracta terra, à qua coagmentatur in maſſam, quæ evaneſcente liquido tandem indureſcit. Calor enim circumpaviens, atq; ipſius etiam terræ ariditas aquæ diluentem humorem propellit, retento glutino. Aliter autem qui poteſt manere cōpages, qua ſublata rurſum pulvis fuerit, later, aut uda forma luti? De auripigmento, pyrite, ſtibio, chyſocolla, alumine, calchanto, & id genus reliquis (ſubſequuntur enim iſta) id obiter dicam, nihil aut parum ad lapidem conferre. Conferunt alia ad extrinſecus dealbandum, inaurandumq; alia ad ſolidandum & abſtergendum, ad chryſulcam alia: quæ quomodo fiant, quid attinet enarrare? Unum hoc minime prætereundum videtur, auripigmentum auri quoq; venam eſſe quandam, ſed inopem atque indigam. Refert Plinius, Caium prin-

Auripigmenti exemplum.

Pyrites. Alumen.

principem, hujus excoqui juſſiſſe pondus ingens, feciſſeq; aurum omni ſpecillo probatiſſimũ, ſed ita exigui ponderis, ut damnum ſentiret. Pyrites totus argentum vivum & ſulphur. Alumen autem ferunt olim inventum fodiendi finem fuiſſe. Qua ratione prorſus ſum ignarus: eum ſit ſalſugo terræ in argẽtum vivũ promoventis, & inventa fuerit æris vena infra alumen alba. Verum quoniam de metamorphoſi metallica nobis propoſitus eſt ſermo & eam circa ſalem fuſilem quendam verſari, unde Alchemiſtices nomen habuerit, demonſtravimus, porro & metallorum ad hanc artem ſpectantium naturam, cauſasq; quadantenus (traduntur enim iſta à Plinio copioſiſſime) explicuimus: videndum deinceps quodnam ex iis, quidnamve aliud eum pariat ſalem, unde potiſſimum eliciendus ſit. Alij namque eum eliciendum ex auro argentoq; profitentur, quorum pleriq; omnes diſciplinam pertinaciſſime & mordicus tenemus: alij ex auro ſolo, alij ex utroq; & argento vivo, atque id quidem alij alijs modis. Nam & Geber libro, cui titulus, Teſtamentum, aurum & argentum in calcem extremo quodam ac diutino igne verti, calcemq; poſtmodum diſcuſſoria vi quadam vaporis aquæ ſubditis ignibus efferveſcentis in laticem reſolvi ac mox in ſalem gelari ſcribit.

Varia de materia ſalis philoſophici opinationes.

Opinatio Geberi.

Et Arnaldus à Villanova in calcem eadem abire tradit argentei cujuſdam liquoris ope commodum depurgati multis humeſcentibus diſcoctionibus.

Opinatio Arnaldi a Villanova.

Lullius autem, qui paulo hac in re Arnaldo ac Gebero religioſior eſt, præcipit aſſumendum vinum album vel rubeum, atq; innumeris vaporarijs ſic aſſuefaciẽdum, ut in calcem exeat, aut evaneſcat prorſus, ſubſidente tamen exili atq; imperceptiore quadam ſubſtantia, quam velut quintam illam rerum omnium, quæ ſub concavo cœli lunæ continentur vim, ſeu mundi animam eſſe innuit. Hac ſupradictum ſpiritum è ſuo corpore depurari contendit.

Opinatio Lullij.

Cujus fermè calculi eſt, præterquam quod deſtillationem ſubticet Aurelius Augurellus in ſuis de Chryſopæia libris. Albertus autem cognomento Magnus, omnium, qui hanc artem tractaverunt, diſputator multorum conſenſu acerrimus, cum Arnaldo verbis fere diſſidet, re conſiſtit. At Pantheus iſtorum nuperus ſcriptor, ſignis quibusdam ignitis docet aurum ita poſſe molleſcere, ut in aquam illam corrumpentem *durities*, ut Græci dicunt, ac ſui natura quandoque emergat.

Opinatio Aurelij Augurelli. Opin. Alberti Magni. Opin. Panthei.

Libri autem permulti, quorum inſcriptio nullum præ ſe fert Auctorem, alios modos habent, veluti ſcandente ſpiritu, corporis elevationem, quod ſublimationem appellant, & ut eorum utar vocabulo, fixationem, quæ eſt partium utriusque colligatio quædam, induratio atque aſſumptio in pulverem. Prætereo hic quæ iidem ipſi habent, diſſolutionem, diſtillationem, coagulationem, cereficationem, & id genus permulta ea de re, etiam prætermittenda, quod nihil aliud ad hoc negocium, quam tenebras atque caliginem

Varij modi ad lapidem Philoſoph.

Omnia de hac arte mandata literis ænigmatica.

ginem offundant. Atque haud ferè ullus eſt, qui Alchemiſticæ illius diſciplinæ præcepta dilucide quod ſciam hactenus enarrarit: omnes omnia ænigmate ac prodigioſa quadam oratione data opera occuluerunt. Neque abs re profecto: non enim fas videbatur tanta myſteria non ænigmatum involucris quibusdam ac verborum portentis involvere, ut videlicet eo nomine profana ab illis, tanquam ab Eleuſiniis, turba perpetuum abacta fieret ad audendum exanimatior. Ecquid enim abſurdius intolerabiliusque, quam inconditæ inſanæque plebeculæ vulgus tam inexpugnabilibus fretum præſidijs, aliō, quin etiam jam ſatis cornua tollens, inſolentius abire? Sic Pythagoras & Plato ſuam philoſophiam numeris ſuis obſcurarunt: & Ariſtoteles libros aliquot edidiſſe ſe perinde, ac ſi non fuiſſent editi, in ſua quadam ad Alexandrum epiſtola teſtatur. Sic & Lullius ſuum vinum ita dure ac peregrine tractandum ſcribit, dum in cinerem aut quid aliud levius deficiat aut penitus evaneſcat. Ita tractatum aſſerit quintam illam ſuam naturam evomere. Ea autem ad ſuum lápidem utitur: Cæterum lapide ad metalla reformanda, nobilitandaque. Cedo quæſo quidnam cum metallis vino eſt aut fuit unquam, aut fore etiam putas commune? Non minus à natura diſſentire videtur ille quam qui ex aſino hominem, ex homine leonem enaſci putat, aut aliud quippiam alienius. Porro vero quot horrenda ex literarum notis ſibi ac ſui ſtudioſis paſſim monſtra confingit? Ut ſæpe b aſſumendum; relinquendum t, & a in r mutandum, aut ſi mavis, r in a, & mille alia (libet enim pauliſper agere perſonarum Momum & acriori criminatione Lullium inſectari) jubet deridicula: itaque legentis animum impudenter eludens, literarum illi mutuas pro lapidis philoſophici deſcriptione viciſſitudines obtrudit? At deſignant inquies, eæ literæ ſingula; quibus ad perficiendum illum lapidem eſt opus. Deſignantur profecto res, quæ neque cœlum neque terram attingunt. Quid enim menſtruum ſeu menſtruale? Quid lunaria rectificata, ſalpetræ, quinta eſſentia, & ejus generis innumerabilia, inter ſe etiam plurimum diverſa, ad ſingularem & unicum lapidem? Tametſi enim ille ſive lapis eſt, ſive quid aliud lapidi non prorſum abſimile, ſe in multas ac varias vertit formas, editque res, quæ à natura ſua videntur remotiſſimæ, cum tamen nihil diſtent, res tamen ita eſt uſque ab initio una: nec alieni ad ſe quicquam admittit, alioqui in caſſum abituris omnibus. Atque ideo jure à permultis manifeſti mendacij Lullius inſimulatur: niſi forte depreſſo illo vini in quintam uſque ſubſtantiam liquore materia commodiſſime lapidis educitur, aut potius hoc opus eſt, quod mihi aliquando ob oculos poſuit unicus Excediſtes, magnas quippe fornaces, atque vitro eaſdem vario redimitas oſtendens. Vaſa erant ſingula in ſuis ſedilibus habentia ſedimenta,

Operis Philoſophici deſcriptio.

Fornaces.

Vaſa.

dimenta, atque interius diſpari dicatum ſacrumque munus. Quid enim rem tam divinam celem diutius? Erat autem intus circum acta moles quædã mundi præ ſe ferens imaginem ipſiſſimi. Quippe ibi terra videbatur in medio omnium conſiſtens, aquiſque circumfuſa limpidiſſimis in varios colles, ſalebroſaſque rupes aſſurgebat, fructum ferens multiplicem, tanquam humentis aeris imbribus tempori irrigua. Vini quippe videbatur ſimul & olei & lactis atque pretioſorum omne genus lapidum, & metallorum eſſe apprime ferax. Tum aquæ ipſæ inſtar æquoris, ſale quodam pellucido, albo interdum, interdum quoque rubeo aut fulvo, aut rubro multiſque præterea variegato coloribus in litus, inque ſuperficiem ipſam æſtuabant. Igne autem hæc omnia ſuo, ſed imperceppto quidem illo atque æthereo movebantur. Id vero præ cæteris unum incredibilem me rapiebat in admirationem, quod rem hæc tam multa unicam, tam diverſa, tamque in ſuo genere integra ſingula, parvo etiamnum, imbecillique adminiculo producere, quo facto paulatim robuſtiore, redirent tandem atque coaleſcerent in unum omnia fidenter aſſeverabat. Hic equidem obſervavi fuſilis illam ſalis ſpeciem nihil ab aphrolitho degenerantem, atque argentum illud vivum, cui Mercurij nomen ab hujusce diſciplinæ priſcis auctoribus inditum eſt, illam ipſam referens Lullianam lunariam, adverſa ſcandens aqua, noctuque relucens atque interdiu, glutinandi præditum facultate. Hic & menſtruum, quo *Lunam* Lullius intelligit, qua neglecta non ſit paralyſi locus. Quid enim rurſus eum ab objectationibus vindicem, quem idcirco demum libuit laceſſere, uti diſputatione res ipſa clarius eluceſceret? Quemadmodum autem Poetæ pro menſe nonnunquam Lunam uſurpant, pro die Solem; quia ſol ſingulis diebus curſum ad cœli motum peragit, Luna non niſi ſingulis menſibus: ſic è contrario Lullius pro Luna menſem accipit, menſtruamque ea ratione ipſam appellat. Sed & quintam vini ſubſtantiam dixit pro gemmifero amne, quæ ipſa lapidum materia eſt, ubi videntur aſpilatæ, aureæ nitellæ, ſardonychi, lychnites, ſardæ, lapis ſpecularis, omnigeni uniones & Gemmæ. Porro ſi literarum uſus eſt notis, idem fecit & Ariſtoteles. Neque de Lullio, quod ita obſolete ac peregrine ſcribat, magis mirandum quam de Ariſtotele. Siquidem & Ariſtotel. ipſe libro de ſecretis ſecretorum (ſi modo is liber Ariſtotelis eſt) lapidem animalem, vegetalem & metallicum ovum nominat: & hoc Pythagoras, ſi Marcello credimus, fabam. Et Cœlius in ovo totam conſiſtere mundi machinam ſimilitudine quadam lib. antiq. lect. quarto & decimo expreſſit, cruſtam ſeu corticem ipſius terram appellans, proximum huic humorem frigentem humectumque, aquam, quod ineſt ſpirituoſum, calens humenſque, aerem, vitellum, ignem. Cui calculum

Forma varia.

Ignis.

Sal philoſophicum.

Argentum vivum philoſophicum.

Menſtruum quid Lullio.

Ovum philoſophorum.

Ovum faba Pythagora.

Mira de ovo.

 adjicere

adjicere mediocritatem caloris, quam obtinet, aridioremque naturam addidit, ſimul & colorem & globatam figuram vimque ei innatam vitalem, veluti & mundo. Nec deſunt qui progrediantur, atq; ut illi faciunt prodigioſe loquantur, & ipſum avium cor, quod vitelli meditullium atque adeo centrum tenet, quintam naturam appellent. Quid quod multa magis admirabilia in ovo fieri teſtantur, ut ſerpentes, & formam ſimilem hominis, quam mirandis virtutibus efficacem perhibent, & veram mandragoram dicunt? Lac deinde illud gallinaceum quod inventu rarum, ut in proverbium abierit ὀρνίθων γάλα, opulentis, & quibus quidvis rerum ſuppeditat, accommodatiſſimum, de quo plura Deſid. Eraſmus ex Ariſtophane, Plinio, Euſtathio & Athenæo? Annon & Chryſippus, quod refert Cicero, ovum ſomnianti ſcribit theſaurum contigiſſe: atque conjectorem, ad quem ille ſomnium retulerat, ex vitello aurum, è reliquo argentum conjeciſſe? Atque alii quidam eodem uſi veritatis tegumēto, pyritem quendam ſcripſerunt lapidem eſſe philoſophorum: utpote qui totus ſulphur ſit, ut prædiximus, & argentum vivum, quibus duntaxat duobus lapis ille conſtat: quodq; viliſſimo pretio ematur in Germania etiam ubique repertus, atque paſſim à viatoribus conculcatus. Quid ſi quis objecerit ſulphuris ejus impuritatem, immunditiem argenti vivi? ad manum ſtatim habent quod reſpondeant, ambo uno & eodem ſmegmate mundari depurarique quod tanto operi inter cætera convenit. Circumferuntur paſſim & libri, ut diximus incerto auctore, quæſtionum plus quam cæranitarum & crocodilitarum, ad obruendum cimmeriis, quod ajunt, tenebris legentis animum Sed redeat unde aberravit oratio. Recenſuimus paulo ante eorum, quos in hac diſciplina non parum profeciſſe fama eſt, tum de materia lapidis, tum de opere quoque ipſo varie ſentientium opinationes. Sequitur ut ordine ſingulas examinemus. Non enim exiguus eſt in quaque fucus, aut diſſimulatio cognobilis. Nam qui aurum materiam eſſe lapidis affirmant, ridere miſeram hac in re laborantium conditionem videntur. Cum enim operis initium ſit debitæ materiæ corruptio ſolo igni contracta, ac quaſi totius diſſipatio ac dilaceratio quædam ſeu diviſio in quatuor elementa: qui fieri poteſt, ut aurum, quod igne, quantumvis aucto atque intenſo, tantum abeſt ut deſtruatur aut corrumpatur, ut longe etiā fiat ſolidius, atq; vegetius, iſtius ſit lapidis materia? Porro qui hac de re veteres ſcripſere, huic materiei corruptæ velut cadaverum ineſſe fœtorem quendam intolerabilem adnotarunt. Aurum quemnam quæſo odorem emittit? Ajunt autem item mollem eſſe eandem: Quænam autem huic mollities? At inquies inſunt iſthæc nomina beneficio alterius cujusdā rei in auro. Jam refragatur eorundem auctoritas rem operi iſti aſcribentium tantum unam, vilem præterea ac perviam

Vera mandragora magis.

Ovum ſomnianti theſaurum.

Cur pyrites quibusdam lapis philoſoph.

Operis proprium.

Libri vitandi.

In eos qui aurum tenent materiam eſſe lapid. philoſ.

Operis initium.

Lapidis materiei qualitates.

Subjectio.

viam materiam vociferantur, in quoquo exiſtentem homine, in ipſum etiam converti. At vix quicquam auro eſt carius rariusque. Idem vero neq; in homine ullo eſt niſi forte inſititiū invectitiumque, neq; ita excoqui in homine, ceu ferrum in ſtruthiocamelo poteſt, ut in chylum ac tandem in ſanguinem aut carnem hominis digeratur. Quam item inanimum eſt? Inanimum enim eſt omne quod pulſu agitatur externo, Animalem autem eſſe hunc lapidem affirmant, vel quod ex animali fit, vel quod animam habeat, vel utriusq; potius gratia: quorum nihil iſti competit. Non igitur aurum, ut multi falſo profitentur, lapidis hujusce materia eſt: Sed nec argentum. Qui poſſet enim cum igni abſumatur? Lapidis autem materia, vel aſſerente Arnaldo ipſo, res eſt quam maxime æterna atque ignibus impervia. Ergo nec reliqua ductilia metalla vel hoc ſolo nomine, quod ignem perpeti nequeunt, ſive cum auro, metallo quippe nihil, ut diximus, igni deperdente conjuncta; ſive ſingula ſeorſim igni exponantur. Veniamus ad argentum vivum. Nam ſulphur quod igne facile conſumitur, ſilentio hic prætereundum eſt. Non deſunt enim qui perhibeant argentum vivum, ſive ut loquuntur Mercurium, lapidis eſſe materiā. Hinc illa vox: Mercurius eſt lapis, quem honorant philoſophi. Videtur autem magis in hanc metamorphoſin vires habere. Penetrat enim altiſſimè atque magna inficit cum celeritate. Obeſt autem ei fuga. Proinde ſolem ei docent admiſcendum, lunamque, hoc eſt aurum argentumque ne ignem fugiat; cui convenit quod lapidi patrem ſolem, matrem lunam affingunt, quippe aurum & argentum, ut equidem interpretor. Hæc enim non aliis nominibus donarunt. Sed dum iſta percurrimus, vereor ne de Mercurio vulgi, ſive argento vivo, quod neq; aurum fuga liberat neque argentum, non intelligant. Aliter autem lapidem rem unam eſſe patre Sole matreque Luna mederique morbis humanis ementirentur. Mercurius enim vulgaris & Sol duo ſunt longe lateq; inter ſe diverſa. Porro ſi licet & nobis comminiſci, Mercurius ipſe pater eſt potius Solis & Lunæ quam filius. Aptus enim erat in metallo ſuo ad generandum naturaliter Solem & Lunam, ac quodcunq; aliud metallū cum idoneo ſulphure, utpote quod metallorum auri, argenti, æris, ſtanni, plumbi, ferriq; naturale ſit cum eo principium. Ad hæc quo pacto morbis depellendis accommodari poteſt, cum venenum ſit mortiferum? Quanquam tamen Galenus dubitat. Hinc confert nihil ad hoc opus quippe quod totum vulgare eſt argentum, & ſulphur. Diximus vulgare. Eſt enim aliud argentum vivum, ipſa nimirum lapidis materia, non ex capillis, aut ſanguine, aut urina aut ovis: quid enim iſta ad lapidem aut ad metallum, cum neque ignem neque metalla agnoſcant, neque animam, tametſi ex animalibus? Sed ex auro & argento vilibus, fœtentibus ſimul ac

Cur lapis animalis vocetur.

Argentum nō eſſe lapidis materiam, nec reliqua metalla.

Mercurius quibuſdam lapidis materia.

Vires Mercurij.

Quibus nominibus aurum & argentum donata ſint.

Principia metallorum ductilium.

Argentum vivum venenum, præterquam Galeno.

Materia lapidis philoſophici quid & unde.

ſuave

ſuave olentibus, virentibus, animatis, ubique repertitiis, ſed admodum quam paucis cognitis, in medio freto conſurgens, translucidum, fugax & volatile uſque dum cum ſuo ſulphure coalitum in lapidem abierit integrum: vocaturque tum apyros, vulgo carbunculus. Aurum autem id & argentum lapides initio Lybicontes ſunt, ac paulo poſt carchedunij, ubi ad anthracitem adiguntur. Poſtmodum etiam hoc genus argentum vivum profundunt, cui proxime fuſile ſal ex ſtirpe eadem adnaſcitur. Utrumque autem ne palinodiam ceciniſſe videamur, auri illius vulgaris ſpiritus eſt & vita, tametſi aliunde proficiſcantur. Proficiſcuntur enim ex auro puriſſimo nihil excrementi habente, & ipſius argento. Sed & utrumque, ut dictum eſt, parvo in momento rudi ipſi eſt plebeculæ: neque aurum fabrile eſt, neque argentum. Tale enim eſſe non poteſt, ubi recens è fodina erutum eſt, terra circumductum & lapide. Illud adjungo, non videri plane in ea materia aurum neque argentum, neque ipſo actu ineſſe, quod & Arnaldus ſcribit, ſed poteſtate duntaxat, & viribus. Ac ne quemquam diutius his remorer, dicam uno verbo quidnam ea materia ſit. Dicam vero ac proferam in conſpectum quod nemo hactenus in evolvendis iſtius diſciplinæ voluminibus advertit, nec mandavit literis quiſquam. Eſt enim aliud nihil quam ſal fuſile: quod & ipſum operis nomen præ ſe fert, Alchemia, hoc eſt, ſalis fuſio. Atque ut id ſibi quiſque facile perſuadeat, facit, quod omnem naturam, omne nomen, omnes qualitates, quas lapidi tribuunt, ipſi poſſumus ſali accommodare. Primum enim inſpiciamus, quod ajunt, lapidem animalem eſſe vegetalem & metallicum. Præterea vilem, abjecto venditum pretio ſemper & ubiq; repertitium, in mari mediterraneo naſcentem, in quolibet exiſtentem homine, & in quemlibet recedentem gignentemque, façile liqueſcentem atque indureſcentem, divino & humano corpori amiciſſimum An non iſta conveniunt ſali? Sal ipſe & animalis eſt & animatus & metallicus. Nonne ſal ex animalibus educitur, & vis ineſt ei penetrandi quædam velox & admirabilis, expurgandique atque à putredine vindicandi Quod ſi Thaleti Mileſio placuit, Herculem illum lapidem, id eſt, magnetem animatam rem dicere quia ferrum trahere & cogere videretur: quin & nos quoque ſalem, quod mire penetret, expurget, abſtringat, diſſipet. reprimat, extenuet, ſimiliter animatum dicemus? Quis autem neget animam eum vegetalem habere, quippe alterantem, augentem, gignentemque. Alteratur ſal, in Anthracitem creſcit quosdam ramuſculos plantæ in modum promittens, ipſamque hydrargyron gignit philoſophicam. Quid quod genuinam quandam gignendi vim habere creditur, vel hoc argumento, quod ſeminalem vigorē expergefacit acuitque. Sunt autem qui vel ſolo ipſius linctu mulieres fieri gravidas inde-

Deſcriptio materiei lapidis ænigmatica.
Sal fuſile & argentum vivum philoſ. quid, & unde.
Ex auro puro & ipſius argento.
Quid ſit materia ipſius lapidis, quod nemo hactenus prodit.
Lapidis qualitas, nomina natura.
Sal animalis.
Magnes lapis animatus.
Salis effectus.
Sal animatus.
Mira ſalis vis.

indeque genituræ principem Venerem è ſalo natam, quod & Athenæus refert, ac proinde ἁλογενῆ cognominari dicant. Metalla quoque ipſa Geber oſtendit in ſalem poſſe non ægre converti, ne quis putet non metallicum ſalem eſſe. Reperitur vero & in fodinis ipſis & in mari mediterraneo, & ubiq; in omni etiam re naturali compoſita & ſemper: quia ex omni naturali compoſito fieri, idq; omni tempore poteſt. Quin & in homine quoque, ipſo etiam actu eſt. Annon & in illius ſubſtantiam tranſit, ac viliſſimo vænit pretio? Porro quid ocyus liqueſcit indureſcitve. Homerus vero ſalem divinum appellat. Et Plato ſalem ſcripſit rebus divinis amiciſſimum familiariſſimumque. Comperimus quoque adagionis titulo commemoratum, humano corpori nihil eſſe utilius ſale ac Sole. At paulo penitius introſpiciamus: qua re potiſſimum egeant metalla, quæ perfecta non ſunt. Egent vero dixeris, purgatione præſertim & tinctura. Quidnam quæſo altius, aut celerius penetrat, ut cum colorem habuerit aut album, aut rubrum, inficiat? Quid purgat melius, quidve magis à corruptione & putredine tuetur? Adde quod illi ipſi authores ab heroicis uſque temporibus, non ſine magna aliqua cauſa opus iſtud Alchemiam, hoc eſt, ſalis fuſionem, nominarunt. Quid non igitur & ipſi dicemus, omnes omnium hujus artis ſtudioſorum conatus in id debere dirigi, ut ſalem indipiſcantur alicunde fuſilem? Niſi enim fuſile foret, haud conquieſceret cum metallis fuſis. Nec vero te ab hac ſententia revocet fœtor lapidi attributus. Sal enim odorem impune ſecum aſportat ejus rei, ex qua concreſcit, ut conjicias à rebus prolici debere fœtentibus, ſicuti ſunt muliebria, lotium, ſtercus humanum. Hic accedit quod lapidem illum nonnulli ſcripſerunt vilia inter ſtercora reperiri. Nec deſunt etiam qui obnixe aſſerant, quorundam eſſe animalium ſtercus, atque carnes animalium putrefactas, proindeque animalem ipſum appellari, quaſi ex animalibus: quibus, & illud concinit, quod naturam obtinent qualitatibus temperatam animalium carnes: author Themiſtius. Ex iis dilucet lapidis philoſophici materia, hujusque origo. Intereſt autem ut doceamus, quo pacto illa, quæ ei ſunt origo, in ipſam, hoc eſt, ſalem vertantur, ſal vero in lapidem, qualis nam is ſit, & cur ita vocetur. Neque enim vere lapis eſt, ſed ſimilitudinem tantum cum lapide quandam habet. Atque his extricatis, abſolutum fuerit, quod tum de theorice, tum de practice iſtius artis fuimus initio polliciti. Vertuntur autem illa in ſuum ſalem igne ſolo, adeo efficax eſt, ſive præmollia, ſive prædura, verti tamen & demutari in aliam naturam artificio poſſunt omnia: quod ſi quis miretur:

Cogitet obſcuri veriſſima dicta libelli
Heracliti, & ibi nihil inſuperabile gigni
Denſiſſima, quod ille ait, *corpora ſape*

Venus unde.
Sal metallicus.
Sal ex omni compoſito naturali.
Sal Homero divinus.
Quibus egeãt metalla imperfecta.
Alchimia quid.
Lapis è rebus fœtidis.
Natura carnium temperata.
Remota materia lapidis in ſalem igne ſolo.
Vis artificii.
Virgil.
Ætna.

Et Vis ignis

Et ſolido vicina, tamen compeſcimus igni.
Non animos æris flammis ſuccumbere cernis?
Lentitiem plumbi non exuit? ipſaque ferri
Materies prædura, tamen ſubvertitur igni:
Spiſſaque ſuſpenſis fornacibus aurea ſaxa
Exudant pretium: quædam fortaſſe profundo
Incomperta jacent; ſimilique obnoxia ſorti
Nec locus ingenio eſt: oculi te judice vincent.

Sed cum ignis in hac arte ſit multiplex; videndum quo præcipuè uti nos oportet. Atque ea quidem re magna ſuborta controverſia inter artis peritos obmanet. Alij enim fimum nec eum quidem cujus Columella tres ſpecies facit, ſed equinum: alij vinaceas & acinos, alij calorem cinerū, alij furfuris, alij accenſum elychnium, prunas alij, ac præſertim iuniperi quod igne, ut ferunt, integrum annum ardeant illæſo: alij vaporem aquæ tepidum, quod balneum appellant, ignem eſſe, huic operi peculiarem adſtruunt. Bernardus comes Treverus æthereum quendam ignem circumcluſum & humano calori ſimilem, cui permulti adſtipulantur. Mihi vero ex omnibus is videtur inter reliquos eligendus, quē ipſius exigit operis neceſſitas. Interdum enim equino utemur fimo, interdum quoque elychnio accenſo, liciis calidis atque ardentibus prunis. Nec ab re triplicem caloris conſtituunt gradum: unum remiſſi, qui operis initio adhibeatur: alterum paulo validioris, quo elementis in unum coalitis, ad calcem utamur: Poſtremum intolerabilis, cujus ope optatum adſequamur finem. Tota enim vis in igne jacet. Hoc rudem illam indigeſtamque molem in elemēta illa quatuor diſcernimus divellimusque, eadem porro componimus ac cogimus in unum: hoc vertimus in calcem inchoatumque perficimus. Atque niſi principio quidem lenis fuerit & manſuetus ignis, conglutinabit conſtringetque potius, quam diſſolvet: rurſum niſi invaluerit cum verti in calcem res expoſcet, laborem artificis fruſtrabitur. Ut incipiendi ratio fuerit, ita ſit deſinendi modus. Quemadmodum autem in omnibus rebus videndum eſt, quatenus, & tametſi ſuus cuique modus eſt, tamen magis offendit nimium inquit Cicero, quam parum: ita & in hoc negotio adhibendum eſt regimen quoddam, ac remittendus potius quam intendendus calor. Sunt enim è numero res iſtæ quas unum facere diximus, eorum, quæ Ariſtoteles contrario motu moveri alicubi ſcripſit. Quod ſi quis animum ad ejus verba advertit, haud dubie dignoſcet è quibus electari ſal illud fuſile ac philoſophicum oporteat. Sunt autem eæ res ejuſmodi, ut tametſi ex eodem fonte ſcaturiant, igne tamen effundatur altera, cum altera comprimitur. Quum enim liqueſcit ſtrictque corpus, ſpiritus conglaciat: eſtque idem tempore actus. Quis non tantam rem modo aſſecu-

Ignis multiplex.

Ignis ad lapidem.

Caloris gradus ad lapidem triplex.

Ignis qualis initio & in fine operis.

Deſcriptio remota materia lapidis.

aſſecutus eſt? Nempe exequor iſta non quod plerique omnes faciunt, doctis tantum atque harum rerum peritis: Sed meæ turbæ, id eſt, craſſioribus imperitisque, quando doctis quidem ſupervacaneus eſt præceptor. At cum nullus ſit in hac arte locus altiori egens indagine, ut qui non aliter à permultis, quam αἰνιγματικῶς inducitur, ſitque una è tribus illis hujus operis irreſerabilibus ſeris (ſunt autem cognitio materiei, vaſis inventio, modus ignis) tum nihil eſt hoc tempore manifeſtius. Dixi. Vaſis. Vaſorum enim copia nihil ad hanc rem: ſufficit ſatisfacitque unicum idque vitreum receptaculum utriculi cujusdam ovive oblongi figura, uti diſiuncta diſcretaque elementa poſſint in orbem rotari, mutuoque colliſu lapidem ſortiri alterandi, augendi, gignendique viribus conſpicuum atque incomparabilem.

Seræ hujus operis irreſerabiles.

Vas lapidis.

Lapidis operą varia.

Nam cum operum omnium, quæ in lapide fiunt id eſt, ſublimationum, ſolutionum, deſtillationum, coagulationum, cereficationum, atque ut illi loquuntur, calcinationum & fixationum hoc unum ſit abunde capax, quid multis eguerimus: Cernitur & in hoc initio cum ſolvitur, atra materia, poſt multicolor, deinde alba & candida, poſtremo rubra.

Colores materię lapidis.

Sed enim oportet obſtructiſſimum eſſe, ne incluſus internusque aer ſeu ſpiritus evolet ab extero & libero pellectus: quod vix ſarciri poſſet incommodum. Obſtruendi autem modus vitrariis ipſis eſt familiaris.

Modus obſtruendi vas.

Succedit quas ad res conferat, ubi è debita materie, apto vaſe, convenienti igne concrevit, atque ad ſummum perductus eſt lapis. Et in hydrargyro maxime ad parandas opes, in potionibus & catapotijs multum ad ſanitatem confert: quod ex inſtituto Lullij aliorumque hujus loci ratione difficilimum eſt, maximique negotij expedire.

Fructus lapidis.

Alterum autem Medicinæ eſt, alterum hujusce artis, noſtræque quod ajunt farraginis. Admiſcetur hydrargyro emundatæ ea primum portione ut hydrargyri quantitas decuplo ſit major, hinc centutuplo & chiliade, deinde myriade, poſt infinito. Hæc autem fermetandi lapidis videlicet auri argentique immenſa eſt multiplicatio: hujus quidem, cum in calcem albam & candidam, illius vero cum in rubram deſinit. Quo fit, ut lapis etiam vocetur. Calx enim nihil aliud, quam lapis coctus. Pulvis eſt ita ſubtilis, ut ne minimum quidem ventum ferat. Mirum autem quam ſit penetrabilis.

Quid lapis & cur ita vocetur.

Sed hæc ipſa te docebit experientia melius. Deſinam itaque ſi verbum addidero: tempus quo lapis vel albore candoreque, vel rubore conſummetur, definitum non eſſe. Hoc ut artificis ita & naturæ eſt opus. Cujus quam ſit lentus, quamque parum maturatus progreſſus nemo non videt. Interdum menſibus novem, duodecim, aut duo de viginti perficitur, ſed perraro: interdum, quod ſolet, plus minus triennium cunctatur.

Tempus ad perficiendum lapidem.

De

De

JURE ARTIS ALCHEMIAE,

Hoc eſt,

Variorum authorum, & præſertim Iuriſconſultorum, judicia & reſponſa ad quæſtionem quotidianam:

An Alchimia ſit ars legitima.

Ex Sybilla.

Ἐννέα γράμματ' ἔχω τετρασύλλαβός εἰμι, νόει με·
Αἱ τρεῖς αἱ πρῶται δύο γράμματ' ἔχουσιν ἑκάστη,
Αἱ λοιπαὶ δὲ τὰ λοιπά. καὶ εἰσιν ἄφωνα τὰ πέντε,
Τοῦ παντὸς δ' ἀριθμοῦ ἑκατοντάδες εἰσὶ δὶς, ὀκτὼ
Καὶ τρεῖς τρεῖς δεκάδες σὺν τ' ἑπτά· γνοὺς δὲ τίς εἰμι;
Οὐκ ἀμύητος ἔσῃ τῆς παρ' ἐμοὶ σοφίης.

Interpretatio ex Cardani lib. de Varietate rerum.

X. Cap. LII.

Cum in hos ſermones incidiſſem probari hanc artem illuſtris Emarus Ranconetus præſes Lutetianus demonſtravit carmine Sibillino: adeoque ad amuſſim, ut cum ambigua ſoleant eſſe talium reſponſa, hac in cauſa clariora ſolis luce ænigmatis verba fuiſſe videantur. Itaque quæ ille doctus vir miro expreſſit artificio, prout ab illo accepi, dum Lutetiæ eſſem, ſubjungam. Ea autem ſunt ἐννέα γράμματ' ἔχω, &c. ut ſupr. Dicit igitur eſſe nomen novem conſtans literis, quod quatuor continet ſyllabas, quarum tres primæ duas tantum continent literas, reliquæ reliquas, ſcil tres. In hoc nomine ἀρσενικὸν, videntur omnia pulchre congruere: nam quatuor conſtat ſyllabis ἀρ, σε, νι, κὸν: quarum primæ tres, duas ſingulæ continent literas: quarta & ultima, tres: ita ut ſint in univerſum novem elementa. Atque hæc omnino clariſſima ſunt experientia, quæ manifeſtè Græce produntur. Subjicit deinde, quod ex his quinque ſunt mutæ, ut intelligamus quatuor tantum eſſe vocales α ε ι ο: reliquas quinque appellavit mutas, id eſt, non vocales, quæ ſunt ρσνκν. Inde addit, quod numerus, qui literis his ſignificatur mutis eſt ἑκατοντάδες δὶς ὀκτὼ καὶ τρεῖς δεκάδες, id eſt, bis centum & octies atque ter tribus decadibus continetur: quod eſt novies atque octies decem hoc eſt centum ſeptuaginta, ut totus numerus ſit CCCLXX. is autem ſignificatur quinque literis mutis, ſi eam

ſi eam quæ replicatur, id eſt, ν ſemel tantum ſumpſeris. Nam aſſumptis ρ σ ν κ, tantundem conficitur; apud Græcos ρ, ſignificat C. σ, CC. ν, L. κ, XX. collecta faciunt CCCLXX. Inde ſubjungit σὺν' ἑπ7ὰ, quod eſt, τ, CCC ſignificans, & ἑπτὰ ſeptem, ſcilicet decades nam refertur ad ſuperiora. Solum videtur elocutionis congrua ratio tribus modis repugnare δὶς ἑκατοντάδις, & ἑπ7ὰ δεκάδις & σὺν pro cum. Abiicit autem, ν. alterum: cum hoc Sibylla haud dicat, & pro χ ſeu γ. legit, τ Nam codex habet σὺν χιπ7ὰ, quod eſt, cum ſeptem ſcilicet additis: dixit: quod facile verum eſſe poteſt, inter χ & τ parum intereſſe, quoad formam. Tandem concludit qui hoc noverit, non erit ſuæ ſapientiæ expers. In quo & illud mirum videri poſſet, quod tam procul vates abſcedat à propoſito. Sed hæc & majora longe ſunt vatum privilegia, & maxime lymphaticarum & fanaticarum. Accedit illud quod res ipſa verbis, & nominis expoſitioni congruit, ut alias docuimus: nam & arſenico æs in argenti ſimilitudinem tranſit, & in auripigmento aurum continetur. Si non hoc, aliud quippiam Sibylla indicare poterit valde utile. Utcunque ſit omnino vel admirabilis eſt interpretatio vel inventio: Saltem ut non indigna eſſet libris de ſubtilitate ſi illi jam non perfecti eſſent. Sic igitur in arſenico fundamentum alicujus præſentis utilitatis atque initium operis, ſicut in calchanto initium transmutationis ferri in æs: nam & confeſtim color immutatur.

Ex Thoma Aquinate in lib. Ariſtot. meteor 3. ad finem.

Metallorum propinqua materia ſunt ſulphur & agentum vivum, ſicut Alchemiſtæ dicunt: ita quod in locis lapidoſis terræ, per virtutem mineralem generatur ſulphur & argentum vivum, deinde ex ipſis generantur diverſa metalla, ſecundum diverſam commixtionem eorum: unde etiam ipſi Alchemiſtæ per veram artem Alchemiæ, ſed tamen difficilem propter occultas operationes virtutis cœleſtis, quæ mineralis dicitur, quæ ex eo quod ſunt occultæ, à nobis imitari poſſunt per prædicta principia, vel per principiata ab ipſis, faciunt aliquando veram generationem metallorum.

Ex eodem in 2. 2. q. 77. art. 2.

Si autem per Alchemiam fieret aurum, non eſſet illicitum pro vero vendere, quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus cauſis, ad producendum veros & naturales effectus: ſicut Auguſt. dicit in lib. 3 de Trinit. cap. 8. de his quæ arte dæmonum fiunt.

Ex eodem in 2. 2. q. 96. art. 2.

Quod ſi ſimpliciter adhibeantur res naturales ad aliquos effectus producendos, ad quos putantur naturalem habere virtutem, non eſt ſuperſtitioſum vel illicitum ijs rebus vel effectis uti.

Ex Suida, in dictione χημεία.

Chemia eſt auri & argenti confectio: cujus libros Diocletianus

conquiſitos cremavit, propterea quod Ægyptij res novas adverſus illum moliti fuerant, quos duriter atque hoſtiliter tractavit: eodemque tempore libros de Chemia auri & argenti ab antiquis ſcriptos conquiſivit, atque incendit: ne deinceps Ægyptij arte illa divitias compararent, neu pecuniarum abundantia confiſi deinceps adverſus Romanos rebellarent.

Ex eodem in dictione δέρας.

Vellus aureum quod Jaſon per mare Ponticum cum Argonautis in Colchidem trajiciens accepit, & Medeam Æetæ regis filiam. Hoc autem non ut poetice dicitur, ſed liber erat in pellibus cõſcriptus, continens, quomodo per Chemiam aurum conficeretur. Veriſimile eſt igitur illos per id tempus vellus aureũ nominaſſe propter fructum & emolumentum, quod ex eo libro percipi poterat.

Ex Plinio lib. 34. cap. 4.

Aurum faciendi eſt etiam una ratio ex auripigmento: invitaveratque ſpes Cajum principem avidiſſimum auri: quamobrem juſſit excoqui magnum pondus: & plane fecit aurum excellens: ſed ita parvi ponderis, ut detrimentum ſentiret, illud propter avaritiam expertus: quamquam auripigmenti libræ XIIII. permutarentur: nec poſtea tentatum ab ullo eſt.

Ex Cardano lib. ſubtil. 6.

Quod tamen permutari metalla poſſint, multis viſum eſt, ob experimentum æris jam ſuperius adductum. Videntur etiam permutare colorem, & pondus ob ignem, quare & ſubſtantiam veriſimile eſt poſſe permutare. Creditum eſt etiam quoſdã id feciſſe, ut apud illuſtriſſimum Venetorum principem paucis ante annis aſſiſtentibus ſapientibus civitatis à quodam Tarviſino pharmacopola, cujus rei adhuc manent veſtigia. Cumque herbarum ſpecies quædam invicem viciſſim permutentur, haud mirum videri debet metalla permutari poſſe. Verum non ita ſe res habet, nam aut nulla aut non omnia poſſunt invicem permutari. Ferrum enim & æs, cum ambo pondere & tenuitate ſimilia exiſtant, nullumque eorum ignibus reſiſtat: ſi colorem mutent & duritiem ex altero in alterum poſſunt traduci, aut vere aut ſaltem abſque manifeſto diſcrimine: reliquorum metallorum nullum in aurum & argentum mutari poteſt, ſolum illud dubium eſt, an argentum in aurum poſſit mutari? quod fieri poſſe exiſtimo: nam argento ut aurum fiat, deſunt denſitas, ob quam ponderoſius fieri oportet, & color: at hæc metallo addi poſſunt, ſi denſius reddatur argentum pinguedo abolebitur, & ignibus melius reſiſtet, atque, ut dixi pondus acquiret.

Ec paulo poſt.

Quod videtur aſſecutus pharmacopola ille Tarviſinus, qui coram principe & ſapientibus Reip. Venetæ, argentum vivum in aurum commutavit.

IVRISCONSVLTORVM ET SVMMORVM in V. I. D. reſponſa & conſilia, ad quæſtionem

An Alchemia ſit ars legitima?

Ex Oldrado conſil. 74. de ſortileg. num. 1.

AN Alchemiſta peccet, vel ſit ars prohibita. Et videtur quod ſic. Et quod ars Alchemia ſit prohibita. quia dicit text. 26. q. 1. c. epiſ. & quod quisquis credit poſſe fieri aliquam creaturam aut in melius mutari aut transferri in aliam ſpeciem, aut in aliam ſimilitudinem, niſi ab ipſo creatore, infidelis eſt & pagano deterior. Præterea iſti Alchemiſtæ ſunt multa diſcentes, & ad veritatem ſcientiæ nunquam pervenientes. 25. q. 5. nec mirum. Et ſic dant occaſionem multis deceptionibus. Nec eſt ſcientia quæ ducat ad pietatem, ut conſuevit dici in aſtrologia ar. 27. diſt. ſi quis. & no. Inn. Ex de Sorti. c. qui. Non enim poſſet fieri ſine auri decoctione, quæ videtur à jure prohibita C. de auri pub. perſe l. 1. lib. x. In contrarium videtur, quod iſti qui e ſtanno vel plumbo vel alio vili metallo producunt aurum vel argentum dum tamen hoc non faciant per artem magicam vel aliam legibus odioſam: ut dicit lex C. de theſaur. l. 1. lib. x. non ſunt reprehendendi, ſed potius laudandi. Iſti ſunt metallarij, qui labore proprio ſibi & Reipub. commoda comparant. C. de metall. l. 1. lib. xi. & jura propter publicam utilitatem, quæ ex eorum officio videtur reſultare, favent eis. Nam poſſunt invito Domino ingredi fundum alienum ad metallum inquirendum. C. de metall. l. 2. & l. quosdam. Et ibi no. quod alias non liceret, de acquir. rer. dom. nec ipſi dicunt unam ſpeciem mutari in alteram (ut eis imponitur) quia hoc non eſt poſſibile. Sed dicunt quod ex una ſpecie metalli (ſcilicet ſtanno) poteſt alia ſpecies metalli (ſcilicet aurum) produci. Nec hoc eſt inconveniens. Nam & videmus quod quandoque ex re mortua producitur viva: ut videmus in vermibus ex quibus producitur ſericum, & alijs pluribus. Et ex herba producitur vitrum: Multo magis ex metallis, in quibus eſt major convenientia & ſimilitudo. Nam (ut ipſi tradunt. & habetur in libro de proprietatibus rerum in C. de Alchemia) omnia metalla procedunt ex eodem principio ſcil. ex ſulphure & argento vivo. Sed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco quam in alio, in una minera fit ſtannum, in alia argentum, in alia aurum, & ſic de alijs. Cum ergo ars imitetur naturam ut ff. de adopt. l. ſi adoptio, non videntur iſti Alchimiſtæ peccare, ſi per virtutem iſtam, quæ eſt in herbis, vel lapidibus, vel elementis volunt de ſtanno facere argentum. Nam cum ſint quaſi ex eodem principio & ſimilia, in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. Inſt. quib. mod. toll. oblig. §. 1. Multæ enim ſunt virtutes inſitæ

herbis & lapidibus 16. q. fi. c. fi. Inſunt enim (ut dicit B. Auguſtinus) rebus corporeis per omnia elementa quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas, ſuis modis & finibus 26. q. 5. nec mirum. circa fin. Si ergo ipſi hoc attribuunt Deo non videntur peccare. Præterea video, quod non eſt magna pœna in eo qui dat, ſive obligat æs pro auro, etiam ſcienter. ff. de pig. act. l. 1. & de crim. ſtellion. l. 3.

Ex Panormit. ſuper c. ex tuarum de ſortileg. extr.

Sed juxta prædicta poteſt quæri de alia quæſtione, quam facit & ponit Oldrad. conſ. 69. numquid Alchemia ſit prohibita & numquid eam exercentes peccent. Et videbitur quod ſic. Quia una ſpecies convertitur ſeu transmutatur in aliam, cum plumbum efficiatur argentum, vel æs aurum, &c. Sed citra Deum nemo poteſt unam ſpeciem in aliam transmutare: ut 26. q 5. in §. quisquis ergo. Oldrad. tamen concludit oppoſitum: quin imò una ſpecies non mutatur in aliam diverſam, cum omnia metalla procedant ex eodem fonte, videlicet ex ſulphure & argento vivo. Sed ubi eſt melior influentia aſtrorum, ibi producitur metallum pretioſius. Unde per influentiam aſtrorum, & cum herbis & lapidibus (quibus inſunt multæ virtutes) poteſt naturaliter una ſpecies metalli converti in aliam ſpeciem magis pretioſam: quod eſt notandum.

Ex Ioan. Andr. in addit. ad ſpeculat. tit. de crim. falſi.

De Alchemiſtis dubitari ſolet, an incidant in pœnam falſi: quidam eis adaptant verba Pauli 2. Tim. 4. in prin. quæ vide 26. q. 5. nec mirum, ibi. & juxta Pauli ſententiam &c. ſimiliter multis deceptionibus dant cauſam: nec eſt ſcientia pietatis 37. diſt. ſi quis. dicitur etiam illam artem, ubi ad aurum tenditur, non fieri ſine auri decoctione, quod eſt lege prohibitum: C. de aur. pub. perſec. l. 1. lib. 11. In contrarium qui ex magiſterio artis, ſine arte magica, vel alia legibus prohibitis C. de theſaur. l. unica. lib 10. de vili metallo facit pretioſum, commendandus eſt: quia in hoc auget rempub. C. de metal. l. 1. lib. 11. & iſti metallarij privilegiati ſunt, contra præalleg. l. un. de theſ. & ff. de acq. rer. dom. l. 3. ut ingredi poſſint alienum fundum eo invito, & eod. tit. de metal. l 3. nec mutant unam ſpeciem in aliam diverſam, ſed unam metalli ſpeciem faciunt meliorem, ut de ſtanno vel ære argentum vel aurum: nec mirum cum videamus ex vermibus produci ſericum, ex herba vitrum, ut habetur in lib. de prop. rerum ubi de Alchemiſta: quia omnia metalla procedunt ex ſulphure & argento vivo. Sed ex virtute elementorum major eſt influentia in uno loco quam in alio, ex quo evenit, quod uno loco vel minera, fit ſtannum, alio argentum, alio aurum. Cum igitur ars imitetur naturam ff. de adopt. l. adopt. non videntur Alche. peccare, ſi per virtutem herbarum, lapidum

pidum, vel aliorum elementorum meliorant metallum in metallum pretioſius, cum ambo ejusdem ſpeciei & principij fuerint. Facit Inſtit. quib. mo. tol. obl. poſt. princ. conſentaneum eſt verbis tolli quod verbis inductum eſt. Aug. dicit in lib. de civit. Dei, quod ſunt in rebus corporeis per omnia elementa quædam ſeminariæ rationes occultæ, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & cauſalis prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus. Habetur hoc ad literam 26. q. nec mirum, ante medium cap. Item videmus quod non eſt grandis pœna illius qui etiam ſcienter dat æs pro auro, tenetur enim crimine ſtellionatus, cujus pœna eſt extraordinaria ff de pig. act. l. 1. in fin. & de crim. ſtellion. l. 2. Plus noſtris diebus habuimus magiſtrum Arnaldum de Villanova in curia Rom. ſummum Medicum & Theologum, de quo ſcripſi de obſerv. jeju. conſilium, qui & magnus Alchemiſta virgulas auri quas faciebat, conſentiebat omni probationi ſubmitti.

Ex Andr. Iſernino, in Tit. feud. Quæ ſunt regalia.

Quid de Alchemia & Alchemiſtis? dic quod ſi faciunt aurum ſophiſticatum non debere vendere pro puro, quia eſt falſitas. Nec liberatur ſophiſticatum ſolvendo ff. de pig. act. l. eleganter. § qui reprobos. electum non eſt aurum. ff. de leg. 1. l. 4. Si vero faceret verum aurum, non quod cuderet pecuniam principis inde ſine juſſu principis, hoc aurum eſſet facientis. Quia non eſt illicitum verum aurum pro vero vendere. Nil enim prohibet artem uti aliquib. naturalibus cauſis ad producendum veros & naturales effectus, ſicut dicit B. Aug. de Trinit. de his quæ arte dæmonum fiunt. h. d. Thomas 2. 2. q. 79. de his quæ fiunt circa voluntariam permutationem. q. 2. quid de Alchemia adde. utrum liceat facere Alchemiam, dic ſec. Oldra. in conſil. ſuis: quod ſic, dummodo non fiat per artem magicam, vel per aliam artem legib odioſam. Vide in ſumma Angel. in verbo, Alchemia. Bart. abhor.

Ex Baldo Peruſino, in eundem Tit. feud. num. 5.

Item monetæ: id eſt, auctoritas faciendi monetas publicas. And. de Iſer. quærit hic, de his qui faciunt Alchemiam: & dicit, quod ſi impenditur tantum pro tanto, & tale pro tali, ſine aliqua falſificatione formæ vel materiæ, non punitur Alchemiſta: quia eſt ars perſpicaci ingenio inventa, & tanquam à philoſopho. Super hoc etiam conſuluit D. Oldrad. in conſil. ſuis, & loquitur Jo. And. in addit. Specul. in rubric. de crimine falſ.

Ex D. Fabiano de monte S. Sever. in Tract. de empt. & vend. quæſt. 5. num. 8.

Sed hic quæritur incidenter, an Alchemiſta, vel faciens Alchemiam, puniatur de falſo. Dicas quod non, quia eſt ars perſpicaci ingenio inventa, ubi expenditur tantum pro tanto, & tale pro tali

ſine aliqua falſificatione formæ vel materiæ, ſecund. Andr. de Iſern. & Oldrad. in conſiliis ſuis, ut refert Bald. in d c. quę ſint regal. Idem etiam tenet Jo. Andr. in addit. Spec. in tit. de crimin. falſ. in rub hoc inſuper firmavit. Abb. Sicul. in c. 2. de ſortileg. ubi allegat. Oldrad. in conſil. 69. quod licet non poſſet una ſpecies in aliam cõmutari, niſi à Deo. 26. q. 5 c. epiſcopi, tamen hic una nõ transmutatatur in aliam, cum omnia metalla procedunt ex eodẽ fonte & origine, ſcilicet ex ſulphure & argento vivo, ſed ubi eſt melior influentia aſtrorum, ibi producitur metallum pretioſius, unde per influentiam aſtrorum, & cum herbis & lapidibus pretioſis quibus inſunt multę virtutes, poteſt una ſpecies metalli in aliam transmutari magis pretioſam, ſecundum eum. Sed adverte, quia S. Thomas ſecunda ſecundæ q. 77. dicit, hoc verum quando ſciretur ars vera, & fieret verum aurum, quia nihil prohibet uti arte naturali: alias dicit hoc non eſſe tutum, ſi daretur aurum alchemicum pro vero, cum multæ proprietates inſint in vero, quæ non ſunt in alchemico, ut lætificandi & multas infirmitates depellendi.

Ex Alberico de Roſate in Diction. in verba Alchemia.

Alchemia an ſit licita, vide infr. Alchemia. & vide infr emptio. §. 5. verſ. ex hoc patet. An Alchemia ſit ars reprobata, & an Alchemiſta peccet? videtur quod ſic: quia ſi quis credit poſſe fieri aliquam creaturam, aut in melius transferri in aliam ſpeciem niſi ab ipſo creatore, infidelis eſt & pagano deterior 26. q. 3. cap. epiſcopi circa fin. Item Alchemiſtæ multa diſcunt, & ad veritatem ſcientiæ nunquam perveniunt e. c. 7. quia nec mirum circa medium, ex quo dant cauſam multis deceptionibus, nec eſt ſcientia quæ ducit ad impietatem, ut conſuevit dici de Aſtrologia. ar. 37. diſt. c. ſi quis. & no. per Innoc. ext. de ſortileg c. 2. Alchemia enim non poteſt fieri ſine auri decoctione, quæ videtur à jure prohibita. C. de auri pub perſecut. l. 1. lib. 10. In contrarium quod qui è ſtanno vel plumbo, vel alio vili metallo producit aurum vel argent. dum tamen hoc non faciat per artem magicam, vel aliam legibus odioſam: ut dicit l 1. lib. 10. de theſaur. non eſt reprehendendus: tales enim ſunt metallarij, qui labore proprio ſibi & Reip. commoda comparant. C. de metal l. 1 lib. 11. & jura propter publicam utilitatem quæ ex eorum officio videtur reſultare, eis favent. Nam poſſunt invito domino ingredi fundum ad inquirẽdum metallum l. 2. & l. quoſdam & ibi no. quod alias non liceret: ut ff. de acq. re. dom. le. 2. & d. l. 1. de theſaur. lib. 10. nec ipſi dicunt unam ſpeciem immutari in aliam, ut eis imputatur: quia hoc non eſt poſſibile, ſed dicunt quod ex una ſpecie metalli, poteſt alia ſpecies transferri, ut aurum vel argentum. Nec hoc eſt inconveniens, nam videmus aliquando ex re viva produci mortuam, ut in vermibus pro-

bus producentibus ſericum & ex herba producitur vitrum multò magis in metallis, in quibus major eſt convenientia. Nam ipſi dicunt & notant in libro de proprietate rerum de Alchemia, omnia metalla procedunt ex eodem principio ſc. ex ſulphure & argento vivo, ſed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco quam in alio, & in una minera fit ſtannũ, in alia argentum, & in alia aurum: & ſic de aliis. Cum ergò ars imitetur naturam, ut ff. de adopt. l. adoptio. non videntur Alchimiſtæ peccare, ſi per virtutem herbarum, lapidum vel elementornm faciunt de ſtanno argentum: nam, cum ſint quaſi ex eodem principio & ſimilia, in habentibus ſymbolum facilior eſt tranſitus. Inſt. quib. mod. toll. obl. §. 7. multæ enim ſunt virtutes inſitæ herbis & lapidibus 16. q. ult. c. fin. Inſunt enim ut dicit Auguſtinus rebus corporeis per omnia elementa, quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis & cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus, & vigeſima ſexta q. 3. nec mirum, circa finem, & decima ſexta. q ult. circa fin. ſi exgo ipſi attribuunt Deo non videntur peccare. Et non eſt magna pœna ſi oppignoraſti æs pro auro etiam ſcienter, ut ff. de pig. act. l. 1. & de crim. ſtell. l. 2.

Idem Alber. in Dictio. in Verb. emptio.

An venditio reddatur illicita & invalida propter defectum rei venditæ vel propter ejus bonitatem latentem. dicit Tho. in 2. 2. q. 77. ar. 2. circa rem quæ venditur triplex defectus conſiderari poteſt, unus ſecundum ſpeciem rei, ut ſi vendatur aurichalcum pro argento, aut vinum aqua mixtum ſicut purum: alius defectus eſt ſecundum quantitatem ponderis vel menſuræ, ut ſi quis ſcienter utatur pondere defectivo, vel menſura injuſta: tertius defectus eſt ex parte qualitatis, puta ſi animal infirmum vendatur quaſi ſanum. In his tribus caſibus ſi venditor ſcienter offenderit, fraudem committit & venditio eſt illicita, & tenetur ad reſtitutionem. Si verò ignoranter, non peccat, tamen cum ad ejus notitiam pervenit, tenetur compenſare damnum emptori. Et ex hoc patet quod illicitum eſt vendere aurum vel argentum alchemicum pro vero, quia non eſt purum, ſicut eſt verum aurum, nec habet omnino eaſdem proprietates: ſicut eſt lætificandi: nec valet etiam contra certas infirmitates ſicut verum aurum. Si verò per Alchemiam fieret verum aurum, non eſſet illicitum vendere pro vero, quia nihil prohibet artem uti aliquibus naturalibus cauſis ad producendos veros & naturales effectus, ſicut dicit Aug. in lib. de Trinit. De his quæ arte Dæmonum fiunt.

Ex Alberto Bruno in tractatu augmenti & diminut. monet. in 1. præſuppoſitione num. 13. & 14.

Juxta prædicta habemus advertere, quod in moneta ut ſit pro-

ba, tria principaliter conſiderantur, ſcil. materia, forma, & æſtimatio ſeu valor, juxta l. 1. conjuncta l. fin. cum ibi notatis C. de verum. lib. 11. Et not. per Baldum in cap. quanto, de jurejurand. Debet enim primò materia eſſe proba d. l. 1. & l. 1. §. 1. ff. de contr. emt. & d. c. quanto. Unde non liceret de Alchemia cudere monetam, quod eſt intelligendum de ſophiſtica, non de ea quæ reperitur eſſe verùm aurum vel arg. quod eſſe poteſt juxta notat. per Joan. And. in addit. Specul. in Rubr. de crimine falſi, qui refert tacito auctore verba Oldra. cujus ſolet eſſe fur. in conſil. 74. incipienté, an Alchemiſta. Et latius Joan. And. in c. 2. de ſortil. Et Bald. & And. de Iſen. in c. 1. in tit. quæ ſint regal. in uſib. feud. Et per S. Thomam ſecund. 2. quæſt. 92. unde concludunt Alchemiam eſſe veram ſcientiam & permiſſam. De quo aliquid per Albertum de Roſate in Dictiòn. in verbò de Alchemia. Et dicit Joan. Andr. uti ſupra, quod ſuò tempòre fuit magiſter Arnaldus de Villanova, ſummus Medicus & Theologus, & magnus Alchemiſta, qui per illam artem faciebat virgulas aureas, quas conſentiebat omni probationi ſubmitti. Et fecit in illa ſcientia librum unum, qui mille homines depauperavit, aut quia non verum, aut quia non intelligitur. Et cum haberem quendam ſocium in legibus, multum inſudàntem in illa arte, volui videre unum mirabile experimentum ad effectum, ut plura ſcirem. Nam habuimus nobiſcum unum antiquum Alchemiſtam pauperrimum tamen. Et me præſente ille meus collega reduci fecit unam unciam argenti pretioſiſſimi ad inſtar auri, in pondere, fuſione, cum malleatione ſalvo colore, quia non erat croceus, ſed mutatus ad inſtar plumbei coloris. Et ille collega meus habebat modum dandi colorem ei croceum. Et illa materia patiebatur & ſuſtinebat aliqua experimenta, ſed non extremum experimentum, & admixta cum tantundem auri pretioſi videbatur aurum viginti characterum, & plus & minus: ſecundum quod illa matèria erat melius diſpoſita. Et quidam magnus Prælatus, ac multi antiqui Alchemiſtæ mirati fuerunt de illo experimento. Et unus antiquus Alchemiſta, putans ſe divitem, putabat reducere illam materiam ad veram ſpeciem auri: & non potuit: putavitq; ipſam artem illuſoriam, maximè ex quo tot viri in quadraginta aut quinquaginta annis non viderant tam notabile experimentum, quod nihilominus erat ſophiſticum, ita ut aliud experimentum videre noluerim. Nec liceret inconſulto principe materiam æream immiſcere in auro vel argento cudendo: per l. quicunque nummos, ff. de falſ. & notatur in l. 2. C. qui falſ. monet.

Ex Guidone Papa in ſingular. 388. §. de his.

De his qui faciunt Alchemiam utrum debeat puniri? Dic quod non. Dum tamen faciunt ſine aliqua falſitate materiæ vel formæ

quia

quia eſt ars pro ingenio adinventa, tanquam à Philoſopho. Ita dicunt Andr. Iſern. & Bald. in c. 1. quæ ſunt regal. & refert Baldus Oldradum ſic conſuluiſſe in ſuis conſilijs.

Ioan. de Platea in l. 1. ca ad R. C. de argent. pret. quod theſaur. infert. lib. 10.

Quæro incidenter, dictum eſt ſupra de perſecutoribus & excoctoribus auri naturalis, quid de perſecutoribus auri artificialis, an Alchemiſtæ tale aurum licite perſequantur & ſolvi poſſit, an verò committant falſum. Jo. Andr. in add. ſpec. in tit. de falſ. commendat Alchemiſtas, qui ex magiſterio artis, ſine re magica vel alia lege prohibita. l. unic. C. de Theſaur. de vili metallo faciunt pretioſum, nec mutant unam ſpeciem in aliam diverſam, ſed unam metalli ſpeciem faciunt meliorem, ut de ſtanno vel ære argentum vel aurum: procedunt enim omnia metalla ex ſulphure & argento vivo, ſed ex virtute Elementorum in uno loco fit ſtannum, in alio aurum, in alio argentum, & ſic de ſingulis. Cum igitur ars imitetur naturam. l. adoptio ff. de adopt. non peccant Alchemiſtæ, ſi per virtutem herbarum, lapidum, vel aliorum Elementorum, unum vile metallum in pretioſius reducunt, cum ambo fuerint ejusdem ſpeciei & principii. Inſunt enim rebus corporeis per omnia elementa quædam ſeminariæ rationes occultæ, quibus cum data fuerit opportunitas temporis atque cauſalis prorumpunt in ſpecies debitas ſuis modis & finibus; dicit lex. 26. q. 5. nec mirum. Et de iſto Alchemiſta vide Andr. de Iſern. & Bald. in tit. quæ ſint regal. col. 10. Quia tamen talis operatio multis ſubjacet deceptionibus, ut d. c. nec mirum, nec eſt ſcientia pietatis. 37. diſt. ſi quis Grammaticam, conſulo ab ejus exercitio abſtinendum, quamvis magiſter Arnaldus de Villanova ſummus Medicus & Theologus, & magnus Alchemiſta faceret in curia Romana virgas aureas quas conſentiebat omni probationi ſubmitti. Hæc quidem operatio ſi in piam cauſam convertendam peragatur, Dei omnipotentis permiſſione perficitur, *d*. nec mirum *x*. nec ideo quiſquam. & 37. diſt. legamus.

Sequitur contraria diſputatio Angeli in ſumma in Verbo Alchemia.

Utrum liceat facere Alchemiam? Reſpondeo: Oldrad. in conſiliis ſuis tenet quod ſic, dummodo non faciant per artem magicam, vel per aliam legibus odioſam, ut dicit l. unica. C. de Theſaur. quia tales metallarij ſunt, qui labore proprio & ſibi & Reipublicæ commodo comparant. C. de metall. l. 1. & jura propter publicam utilitatem, quæ ex eorum officio videtur reſultare, favent eis. Nam poſſunt invito domino ingredi fundum ad metallum inquirendum. l. 3. & l. quoſdam. & ibi not. C. de metall. quod alias non licet.

d.l.un.& ff.de acq.rer.domin. l. 3. Ratio eſt, quia (ut dicitur in lib. de proprietate rerum in v.de Alchem.) omnia metalla procedunt ex eodem principio: ſcil.ex ſulphure & argento vivo,ſed ex virtute elementorum quæ habent majorem influentiam in uno loco, quàm in alio, in una minera fit ſtannum, in alia argentum. Cum ergò ars imitetur naturam: ff. de adopt. l. adoptio. non igitur eſt peccatum, ſi per virtutem quæ eſt in elementis aut herbis, Alchemiſtæ de ſtanno volunt facere argentum. Quia cum ſit in eodem principio, & in habentibus ſymbolum facilior ſit tranſitus. Inſt. quib. mod.toll.obl. §. 1. Cum multæ virtutes ſint inſitæ herbis & lapidibus 26. q.5. nec mirum. circa medium Sed his non obſtantibus, credo quod ſit illicita,ex multis reſpectibus tum primo,quia nullus invenitur, qui habeat veram hujusmodi artem, licet dicatur de multis: Sed falſum ex experientia,tum quia videmus, quod communiter ipſam facientes multa conſumunt, & à communiter accidentibus eſt ſtandum. Unde de ipſis dicitur 2. ad Timoth. 3. ſemper addiſcentes, & nunquam ad veritatis ſcientiam pervenientes: experientias multas faciunt, & nunquam ad perfectum attingitur,tempus vitamque conſumunt: nec id quod operantur habet veritatem cum auro vel argento, ſed ſolum apparentiam. Ideo ſimpliciter ſunt condemnandi Alchemiſtæ. Et hoc evidenter probatur, quia nemo in publico eam vult facere, ut appareat quod malè agant, quia oderunt lucem. Et ſi aliquando aliquid veri faciunt,aut fit cum damno computatis expenſis, vel ex aliqua deceptione imponendo aurum verum, vel aliqua fallacia diabolica, quæ ut eos attendere faciat hujusmodi, facit eis verum aurum ex appoſitione auri veri occultè aliquando. Cum ergo ſit tale exercitium contra utilitatem publicam, ut patet ex conſumptione rerum,& quia (ut communiter) faciunt ex his monetam falſam. Ideò ſimpliciter ſunt condemnandi eam facientes.

Concluſio ex Hieronymo de Zanetinis, qua diſputationi & argumentis Angeli reſpondetur in c. 1. Ex. de accuſat.

An Alchemia ſit peccatum, & ars reprobata? Alber. in Dict. juris civ in ver. Alchemia arguit. & Jo And. in addit. ſpec in tit.de crim.falſi. Jo de Ana in cap 2. de ſortileg.& Per.de Anchar. in c. 1. eod.tit. Baldus in c. 1. quæ ſunt regal. & Tho. Secunda ſecundæ q. 77. ar. 2. & finaliter videntur tenere, quod non videntur peccare, ſi attribuunt Deo: quia non mutant unam ſpeciem in aliam (ut eis imponitur) quia hoc eſt impoſſibile: Sed dicũt quod ex una ſpecie metalli (ſcilicet ſtanno) poteſt alia ſpecies metalli ſcilicet aurum vel argentum produci. Nec hoc eſt inconveniens. Et videmus quandoque quod ex re mortua producitur viva ut in vermibus, ex qui-

quibus producitur ſericum. Nam omnia metalla procedunt ex eodem principio ſcil. ex ſulphure & argento vivo: ſed ex virtute elementorum quædam habent majorem influentiam in uno loco quam in alio, & in una minera fit ſtannum, in alia argentum, in alia aurum, & ideo eſt licita: dummodo non fiat per artem magicam, vel aliam legibus odioſam. l. 1. C. de theſaur. lib. 10. Sunt enim laudandi. Adde tamen ſummam Angelicam, in ver. Alchemia, quæ tenet, quod ars iſta ſit illicita ex multis reſpectibus: tum primo quia nullus invenitur qui habeat hujusmodi veram artem, licet dicatur de multis, ſed falſum ex experientia: tum quia videmus, quod communiter ipſam facientes multa conſumunt, & à communiter accidentibus eſt ſtandum Unde de ipſis dicitur illud ad Tim cap 3. & d. c. nec mirum 26. q. 5. ſemper addiſcentes & nunquam ad ſcientiam veritatis pervenientes. Experientias multas faciunt & nunquam ad perfectum attingunt, tempus vitamq; conſumunt. Nec id quod operantur habet veritatem cum auro vel argento, ſed ſolum apparentiam. Et ideo ſimpliciter ſunt condemnandi Alchemiſtæ Et hoc evidenter probatur: quia nemo eam in publico vult facere, ut appareat quod male agant: quia oderunt lucem & ſi aliquando verum faciant, aut fit cum damno computatis expenſis, vel aliqua deceptione, imponendo aurum verum, vel aliqua diabolica fallacia: quæ ut eos attendere faciat hujusmodi, facit eis verum aurum, ex appoſitione veri auri occulte aliquando. Cum ergo ſit tale exercitium contra utilitatem publicam, ut patet ex conſumptione rerum, & quia ut communiter faciunt ex his monetam falſam, ideo ſimpliciter ſunt condemnandi eam facientes. Ego vero teneo communem opinionem: artem iſtam eſſe licitam, quia rationes ſummæ Angelicæ non concludunt artem ipſam eſſe illicitam, eo quia nullus habeat artem veram: quia hoc non eſt ex defectu artis, nec etiam aliæ rationes concludunt: ut de ſe patet. Et idem tenet Thom. & Alber. An autem lucrum ex Alchemia ſit licitum, & venditio reddatur injuſta, dicit Tho. ubi ſup quod ſi per Alchemiam fit verum aurum, non eſt illicitum ipſum pro vero vendere: quia nil prohibet uti arte & aliquibus naturalibus ad producendos naturales effectus: aut non habet veram ſpeciem auri, & eſt injuſta venditio, poſtquam eſt aurum ſophiſticatum.

Thom. Arfoncini I. V. Doctoris de Iure Alchemiæ reſponſum.

Ad propoſitam quæſtionem breviter reſpondeo: ſi communis Doctorum opinio facit jus (ut inter omnes peritos conſtat) ſequitur ut Alchemia ſit licita. Verum eſt autem antecedens: quia Oldr. Bald. Jo. Andr. Pan. And. Iſern. Alber. de Roſat. Alb. Brun. Guid. Pap. & alij complures, tam civiliſtæ quam canoniſtæ illam com-

comprobarunt. Unus ſolus contradicit Angelus, in ſua ſumma angelica. Sed præterquam quod unius Doctoris contra communem nulla eſt auctoritas, ut omnes ſciunt, certe fuit unus magnus canoniſta. Hieron. de Zavetin. qui in c. 1. de accuſat. omnibus & ſingulis ſuis argumentis exactiſſime reſpondit. Hoc eſt fundamentum adamantinum ex auctoritate magnorum & clarorum Doctorum & Juriſconſultorum: ut omittam auctoritatem Thomæ de Aquino, qui duobus aut tribus locis Alchemiam apertiſſime comprobavit. Plinius quoque lib. 34. c. 4. ſcribit Caii Imp. temporibus fuiſſe Alchemiſtas. Neque ad rem pertinet quod dicit, illorum artificium non fuiſſe quæſtuoſum. Primum quia in quæſtione, an Alchemia ſit ars licita, non quæritur an ſit lucroſa aut fructuoſa, ſed tantum an Jure divino vel humano prohibeatur. Deinde quia fieri poteſt ut illi artifices, de quibus loquitur, non ſatis periti fuerint, cum alij peritiores eſſe potuerint, ut vulgo dicimus, inter artifices latam eſſe differentiam l. inter artif. ff. de ſolut. Mira ſunt præterea quæ Suidas de Alchemia & artificioſa auri confectione narrat: quod Ægyptij potuerunt alere bellum diuturnum contra tyrannum Diocletianum, freti arte ſua, id eſt, artificio.

Sed videamus alia quædam argumenta. Scribit enim Ariſt. lib. Metaphyſ. 2. & 4. quod ars naturam in quibusdam imitatur, & quod multa naturalia confici & perfici arte poſſunt: & colchotar & calchantum exempli cauſa nominat, dicens quod illa duo atramenta, non tantum naſcuntur in mineralibus, ſed etiam confici arte poſſunt. Tertium exemplum ponatur de ſale. Nam (ut ait Plinius lib. 31.) ſal aut fit aut gignitur. In Polonia eſt ſal minerale, in Gallia eſt factitium, & hujus eadem eſt proprietas, natura, & efficacitas, quæ illius. Quartum eſt electrum, quod Plin. lib. 33. c. 4. & multi alij ſcribunt eſſe non tantum naturale, ſed etiam factitium. De quo factitio & artificiali textus loquuntur in l. 4. ff. de legat. l. 1. 7. §. voluntas. ff. de acq. rerum dom. §. ſi duorum Inſtit. de rer. diviſ. Quintum eſt argentum vivum, quod prædictus Plinius lib. 33. c. 1. dicit eſſe aliud nativũ aliud factitium: & hoc ad alterius differentiam nominat Hydrargyrum. Guilielmus Philander in commentariis Vitruvij, quatuor ejus genera numerat: duo nativa & duo fictitia: atque ibidem oſtendit & chalybem & ſandaracham & æruginem & calchantum & cinnabrium, alia naturalia gigni, alia hominum arte confici. Quæ cum ita ſint, non abſurde concludere poſſumus: Sicut ars in tam multis alijs naturam imitari poteſt, non eſſe inconveniens dicere, illam in auri & argenti operatione naturam imitari poſſe. Certe Cardanus libro de ſubtilit. 16. ſcribit, & multi dicunt ſibi hoc eſſe cognitum quod ex ferro poteſt fieri cuprum chalchanto adhibito, & Cardanus eo-

dem

dem libro teſtatur pharmacarium quendam Treviſanum, coram illuſtriſſimo principe Venetorum & ſapientibus ſenatoribus argentum vivum in aurum convertiſſe. Verum eſt quod Julius Scaliger negat ſe id credere, ſed nititur argumento infirmo, videlicet quod ſi Veneti hoc vidiſſent, quia tanta ſunt avaritia (ut ipſe ſcribit) ut etiam cum Turca hoſte Chriſtiani nominis fœdus faciant, nunquam illum pharmacarium dimiſiſſent: ſed tormentis eum coegiſſent artem ſuam revelare, & forte eum in gabalo ſuſpendiſſent. Sed veriſimile eſt pharmacarium illum fide publica, fortaſſe etiam obſide, aut alia ſecuritate ſibi caviſſe & providiſſe. Nec certe de omnibus omnia ſuſpicari honeſtum eſt. Illud conſtat, innumeros, & ſuperioribus ſeculis fuiſſe, & nunc eſſe graves viros qui eam artem factitarunt, & ſibi quæſtuoſam fuiſſe prædicarunt. In quibus fuerunt Albertus Magnus, Comes Treviſanus, Augurellus, Avicenna, Geber, Lullius, Bonus Ferrarienſis, Morienus ac Tolod. & præſertim Arnal. de Villanova, ſummus medicus. Videmus etiam noſtis temporibus Joh. Fernelium in arte medica principem exiſtimatum in ſuo libro de abdit. rer. cauſ. eandem artem ad unguem tenuiſſe: & in ea exercitatum fuiſſe, quamvis circa finem jocolariter ex tribus Augurelli verſibus incautum lectorem eludat. Unius autem illius Fernelij authoritas aliorum multorum medicorum contradicentium authoritati (ut quidam dicunt) præponderat.

Sed principaliter & ante omnia in quæſtione: An ars aliqua ſit licita: conſiderandum eſt, An divino aut humano aliquo jure ſit prohibita. Nam licita aut illicita ita diſcernuntur l. 1. ff. de concubin. l. cum ſenatus ff. de rebus dub. l. 1. & per tot. tit. ff. de colle & corporibus. Quantum ad divinum, certe nullum textum reperio, ubi Alchemia & auri confectio prohibeatur: cum tamen innumera vitia & crimina legislator divinus Moſes in Levitico, & Deuteronomio perſequatur. Neque puto illum magis prohibuiſſe deſtillationes & alembicationes, & auri argentive confectionem, quam jocalium & annulorum & cæterorum ejusmodi ornamentorum conflaturam: quibus Salomon & alij Reges ornabantur. Quantus etiam laminarum & bractearum auri uſus apud populum Dei fuerit præſertim in templo Hieruſalem, nemini ignotum eſt. Quantum autem ad jus civile, certe nulla litera in Digeſtis, Codice, Inſt. vel Novell. oſtendi poſſet, quæ ad prohibitionem Alchemiæ pertineat, quin potius Fuſorum ars comprobatur & laudatur & præmiis decoratur l. 1. C. de excuſat. artific. Sic Vaſcularii fuſores frequenter nominantur, quaſi artem (ſine controverſia) legitimam exercentes. in l. apud Labeonem §. ult. ff. de præſcript. ver. l. ult ff. de oblig. & action l. penult. ff. de aur. & argen. lega. Et de Metallariis quod legitimam artem exerceant

dubi-

dubitari non poteſt ex tit. Cod. de Metallarijs lib. xj. Quantum ad jus canonicum, opponi ſolent duo textus: ſed facile eſt utrique reſpondere. Primus eſt in c. ſpondent Extravag. de crimine falſ. Ubi Papa Joannes xxii. Alchemiſtas reprobat, non tamen eos morte damnat, ſed tantùm infamia perpertua. Sed textus ille non eſt infinite & generaliter ſcriptus de omnibus Alchemiſtis. Verum ſpecialiter & proprie de iis tantum, qui (ut textus verba proferam) aurum vel argentum ſophiſtica transmutatione confingunt. Quare ad eos qui non reprobum, adulterinum, ſed probum & verum aurum conficiunt, textus ille non pertinet. Sicut Joh. Andr. in addit. ad Specul. teſtatur, Arnaldum de Villa nova ſuo tempore facere ſolitum virgas auri quas omni probationi ſubmittebat. Itaque omnes Doctores tam civiliſtæ quam canoniſtæ, non curarunt illam extravagantem Papæ. ut ſuperius diximus. Quin etiam Jo. Augurel. Magnus Poeta, opuſculum ſuum de Alchemia libere dedicavit & præſentavit Papæ Leoni x. cui gratiſſimum illud munus fuiſſe conſtat. Hæc igitur ad illum textum reſponſio ſufficiat: ut illud omittam, quod multi hodie non recipiunt auctoritatem illius legislatoris, qui fuit Papa: & dicunt quod ſi in uno capite auctoritas illius approbatur, etiam in altero capite proximo, ubi de Franciſcanis & aliis Monachis quædam pro ſuo libitu conſtituit, & approbanda eſſet l. qui non cogitur ff. de judic. Alter textus qui opponitur, eſt in c. epiſcopi 26. q. 5. qui ſumtus dicitur ex concilio Auquirenſi & ſic ſcriptum eſt: Quisquis credit poſſe fieri aliam creaturam, aut in melius aut in deterius transformari in aliam ſpeciem, vel aliam ſimilitudinem niſi ab ipſo creatore, qui omnia fecit, infidelis eſt. Primum ridiculoſa eſt allegatio ex conſilio Auquirenſi quod nunquam fuit aut eſſe potuit. Corrigendum eſt AQUILEIENSI. Sed magis deridicula eſt allegatio illius textus ubi damnantur, qui credunt transformationem fieri in aliam ſpeciem. Certe nihilo magis hoc pertinet ad noſtram quæſtionem quam quod Imperator ſcribit, poſſibile eſſe res omnes in pecuniam converti l. 2. C. de conſtit. pecun. Nam textus ille non loquitur de ſpeciebus metallorum aut ſimilium rerum, ſed de ſpeciebus perſonarum: hoc eſt de mulieribus ſortilegis, quæ dicebãt quod noctu transformabantur in varias ſpecies animalium, & per ſylvas ac nemora cum Diana vagabantur. Itaque in §. ſiquidem ſatanas (inquit textus) transformat ſe in diverſarum ſpecies perſonarum. Quare derídiculum eſt textum, qui de diabolica transformatione perſonarum loquitur, contorquere ad transformationes metallorum, quæ induſtria & ſolertia quorundam artificum fieri poſſunt, ſine ullo diabolico vel magico artificio: ut Thom de Aquino in prædictis locis oſtendit. Quin etiam textus eſt ſub eadem quæſt. in

C. nec

C. nec mirum, ubi ſic ſcriptum eſt: Inſunt rebus corporeis per omnia elementa, quædam occultæ ſeminariæ rationes, quibus cum data fuerit opportunitas temporalis aut cauſalis, prorumpunt in ſpecies debitas. Addam etiam illud, quod legibus noſtris comprobatur medicamentum factum ex venenis, aut rebus venenatis, quaſi ea quæ natura venenoſa ſunt, arte & ſolertia emendari, & commutari ad ſalubritatem poſſint, ut de Mithridatico innuit textus in l. quod ſæpe, §. venená. ff. de contr. empt.

Reſtat illud argumentum, quod multi alchemiſtæ faciunt falſam monetam: multi etiam fuerunt ſortilegi, impij, athei, necromantici. Dicitur etiam quod Raimundus Lullus & Paracelſus fuerunt magicis artibus inquinati. Horum diſputatorum laudanda eſt pietas & probitas: ſed tamen rogandi ſunt ut cogitent, artificum vitia nequaquam arti imputanda eſſe. Quoniam aliud eſt ars, aliud artifex: Aliud eſt uſus artis aliud abuſus l. quicunque & l. ſeq. ff. ad leg. Corn. de falſ. ubi ars monetaria probatur: ſed tamen damnantur qui nummos aureos aut argenteos tinxerint aut finxerint. Sic in l. 1. ff. de extraord. cognit. artis medicæ profeſſores laudantur, inter quos tamen dicuntur eſſe impoſtores, qui in cantationibus & imprecationibus & exorciſmis utuntur. Sic Mathematica ſimpliciter damnatur in l. 2. C. de malefic. cum tamen non omnes Mathematici damnandi ſint, ſed impoſtores ſoli. Sic venenarii capite puniuntur in l. capitalium. §. venenarij ff de pœn. cum tamen ne venena quidem ipſa damnentur ut modo dictum eſt ex l. quod ſæpe ff. de cont. empt. quod ſi artes propter artificum abuſum damnandæ eſſent, quænam hodie probaretur, An juris prudentia? in qua tot ſunt rabulæ? an Medicina, in qua tot ſunt venefici? an Theologia, in qua tot ſunt ſophiſtæ? Judicium igitur & delectus adhibeatur: ſeparentur paleæ à granis in area: mali piſces à bonis in ſagina: adulterini nūmi à probis in Repub. Sophiſticantes aurum vel argentum à peritis artificibus, acerrimæ contra falſarios & monetæ corruptores animadverſiones, inquiſitiones, informationes conſtituantur. Sed (ut ait Iuriſconſul.) alieni admiſſi pœna ab iis quos nulla culpa contingit, removeatur. l. ult. D. de bon. damnat.

FINIS.

EX-

EXCELLENTISSIMO VIRO
PETRO SEVERINO DANO
SERENISS. REGIS DANIÆ ARCHIATRO.

Thomas Muſettus Anglus

εὖ πράττειν.

QVandiu Philochemiæ animum adjeci, ornatiſſime Severine: tandiu ejus præſtantiam ſingulis Medicinæ ſtudioſis innoteſcere poſſe, plurimum peroptavi; quippe ex qua tantam ſanitatem ſuavitatemque hauſi quantam non optare aliis communem, vix hominis, nedum philoſophi eſſe exiſtimarem. Tamen cum cernerem tuam illam ingenioſiſſimam & cedro digniſſimam Idæam à vulgo medicorum honore non ſatis amplo exceptam; teque & oleum (quo ſaxa mollire inſtituiſti) & operam pæne omnem perdidiſſe: verebar equidem ne cum hoc libello iniquius multo eſſent acturi, qui tam elegantis & divinæ orationis θελγήτρῳ neutiquam flectebantur. Forte id accidit, quod Antichemiſtas ſiccos & ſobrios eſſe credens: propterea eos putares non ſale ſed oleo perluendos, & molli oratione ceu plectro quodam Thebaico ad veritatis ſenſum ducendos. Ego autem contra animatus ſum, in eamque totus abeo ſententiam: quod non oleo amplius perluendi ſed ſale perfricandi ſint, & vel ſatyricorum cauterio vel ſtimulis dialecticorum exuſcitandi. Nam illorum plurimi Chemiam tanto odio habere cœperunt, ut ipſius ſolo nomine audito inhorreſcant, & (qua ſunt fatui mentis intemperantia) ſubinde vomere cogantur. Alij vero Chemica vehementer laudant remedia: ſed quoties ſua ipſorum negligentia Vulcanus vitium admiſit,

miſit, toties artem denuo laceſſunt, vel traducunt demonſtratorem. Neq; omnino minimus eorũ numerus prodit, qui Chemico omnem eo uſque deferunt honorem, quo uſq; ſeſe extra metallicã mineralemve provinciam exercet. Nam ab illis majori religione, atque à ceraſte aut vipera abſtinendum cenſent, ſed qua rationis umbra id faciant, nequeo ſatis aſſequi. Nam ſi venenum illorum deteſtantur; quid viperam adhibent? qua neque leproſius animal, nec minerale tam noxium reperitur. Adde inſuper, tantam inter homines atque ſerpentes inditam à Deo eſſe ἀντιπάθειαν, quantam inter ipſum atque mineralia nunquam videris: adeoque tantam, ut illorum ſolo vultu, tanquam humani generis perduelle quodam conſpecto toti contremiſcamus. Deinde cum ſal mineralis non ſolum in omni vegetabili quo alimur aut alteramur, ſed etiam in quoque animali reperitur: profecto aut nihil præbere ægrotis neceſſum eſt, aut ad mineralium uſum quamvis reluctante animo accedere. Præterea cum à Deo hunc ordinem ſublunaris liturgiæ præſcriptum eſſe ſciamus: ut mineralia vegetabilibus, hæc brutis, brutaque hominibus alimentum ſuppeditarent; quanta (Deus bone) ſtupiditas, quæ nos ignorantia effaſcinat, ne maximam inter homines & mineralia ſimilitudinem confiteamur? Rectius mea quidem ſententia ille, qui hominem Microcoſmum vocavit: utpote in cujus natura, Dei, Angelorum, brutorum, plantarum, diaboli, totius denique univerſi aliquid collocatum ſit; nec ſane immerito: Nam revera quantum in nobis virtutis habitat, tantum Dei ineſt: quantum ſceleris, tantum diaboli: quantum rationis, tantum Angelorum: quantum motus ſenſusque arbitrarii tantum bruti: quantum auctionis, tantum plantæ: quantum ſalis, ſulphuris, mercurii, tantum mineralium. Factus enim

eſt homo, ut cætera quæque mixta, ex minera terræ: & in ſuum omnia pulverem poſt factam corporis analyſin, ocius tardius redibunt. Verum quid ego haſce noctuas ad te, qui Athenis tranſigis ætatem? vel quid ad illos Miſoſophos, qui ſenum pſittacorum more negligunt erudientem, nec unquam è ſuis monſtrorum plenis labyrinthis, vel Ariadnes filo adjuti egredientur? Placuit tamen aliquid tentare ad ipſos revocandos, ſi non proficiendi ſpe, tamen periclitandi voluntate: quandoquidem ἐς Τροίην πειρώμενοι ἦλθον Ἀχαιοί. Καλλίςα παίδων, πεῖραθεν πάντα τελεῖται. Cur autem hæc tibi noſtri exercitus prælndia dicarem, plurima in cauſa ſunt. Primum ſingularis tua erga noſtrates humanitas, quam ante biennium in tua patria & noſtro illuſtriſs. legato, Peregrino Bertio nobiliſſimæ ducis Suffolciæ filio, mihique in primis neque modio neque trimodio, ſed ipſo pleno horreo aperuiſti. Deinde vero, quod medicam ἀπό-δοσιν hominibus medicinæ imperitis (quales plerique nobiles & ſenatores ſunt) inſcribere, perinde eſſe videtur: ac ſi agricolæ Monarchiæ encomium, aut militi agriculturæ ſcientiam offerres. Sed illa in primis me movit (optime Severine) tuæ ſingularis doctrinæ & exploratæ hac in cauſa eruditionis contemplatio: cujus ſola umbra refocillatus mihi facile perſuadeo, me de cunctis chemicorum remediorum convitiatoribus vere atque ſolide triumphaturum. Hanc autem Apologiam anno ſuperiore accepiſſes, niſi tuam illam adverſus Antiparacelſiſtam auream reſponſionem indies expectaſſem. Verum cum te aut ſeculi ingratitudine, aut ſilentii jucunditate, aut regiis avocatum negociis auxiliares chemiæ copias nondum miſiſſe ſcirem: officii mei eſſe duxi Miſochemicos ſublimes interim arripere, ſuamque ipſorum ὑψηλοκαρδίαν hac prima velitatione ceu paſtorculi unius

fundula

fundula proſternere. Quod ſi aliquæ ejus forte reliquiæ revixerint, dabis ſpero operam, ut tuis conjunctis copiis noſtræ augeantur vires, σιώ τε δύ' ἐρχομένων, ſingula hujus hydræ capita amputentur. Victoriæ autem ſpem illud omnium maxime facere nobis videtur: quod neminem huic cauſæ reluctantem legere poſſimus, quin idem aut Babylonicæ beſtiæ nomen dederit, aut ſe diſciplinæ divinæ & perfectæ eccleſiæ repurgandæ ἢ λάθρα ἢ ἀμφαδὸν oſtenderit inimicum. Interim vero, dum tua inſtruitur acies, ſi mihi in hac prima dimicatione βεράσσων τεθυμὸς videatur λεπτὴ δέ τε μῆτις; id velim non noſtræ puſillanimitati, ſed tuarum copiarum expectationi feras acceptum. Nec tamen tam excordes unquam reperiemur, quin denuo in hoſtem redivivis viribus, quandocunque occaſio tulerit, revertamur. Bene vale, meque (uti ſoles) perdilige. Nobiliſs Regis Gall. legato, D. Tychoni Brahe, viris ut Chemiæ, ſic etiam virtutis ſtudioſiſſimis, ſalutem ex me dicas ampliſſimam, etiam atque etiam te rogo. Datæ Londino Prid. Kal. Feb. 1584.

Tuæ felicitatis ſtudioſiſſimus

THO. MUFETTUS.

PURAE SIVE CHEMICAE MEDICINÆ STUDIOSIS
Thomas Muſettus Medicus S.

VErum illud eſſe experior Comici non inſcitum dictum, chariſſimi fratres: Sapientem ad res agēdas his tribus impelli, Neceſſitate, Lege, Conſuetudine. Abſq; quibus fuiſſet, equidem non ſolum ab hoc genere ſcriptionis, ſed ab omni librorum meorum evulgatione abſtinuiſſem. Video enim eam cuiq; patere ad operum ſuorum impreſſionem facilitatem, ut impudiciſſima Venus, & ſtultiſſima quævis opinio ſuum quoque prælum conſecuta ſit. Tamen cum neceſſum ſit ſcriptis animare vos, quos viva oratione attingere non licet: neceſſitati dabitur (ni fallor) venia, nobisque non ſcripturiendi ſtudium, ſed animus veritatem docendi imputabitur. Præterea natura vitaq; brevitate monemur, ſerendas vel citò vel ſerò eſſe arbores, quæ proſint futuro ſeculo; hominemq; ut ad civilem vitam, ſic etiam ad eorum quæ à Deo optimo maximo accepit cum aliis diſtributionem procreatum. Quin porro de Zuingero Aragoſio, Severino, aliisq; inſtitutoribus meis peroptimis (quos ἶσα γενέτῃσιν ἡγήσασθαι Hippocrates jubet) parum honorifice ſentire videar, ſi chemica ipſorum remedia (quibus unice delectantur) variis criminationibus à viris impudentibus conſperſa, contra quemcunq; hoſtem libere propugnare non auſim, eorumq; innocentiam, immunitatem, jus nervis modisq; omnibus ſartum tectum ſervare. Nec ſola ipſorum gratia hæc facerem (hominum quippe auctoritate in Phyſica diſceptatione uti plane ἄτοπον videtur) niſi quoque reipſa cernerem medicos chemicis deſtitutos remediis ſimiles eſſe fabrorum, qui ad ſecandum hebetem ſecurim, vel forte medio confractam adhibent. Deniq; cum conſuetum eſſe videam præſtantiſſimis viris omnem inire rationem, qua ab ſe non tantum crimen ſed etiam criminatio-

nationem ſegregent; ſuamq́ innocentiam cum verbis tum ſcripto agant apud populum: nihil novi aut mali factu- rum memet confido, ſi illata repellendo tela, futura arceam: hosq́ delirantes nepotulos ad meliorem (pro viribus) fru- gem revocare velim. Nunc enim neſcio quo ſuperbiæ œſtro perciti in convitiando modum tenere nequeunt, deq́ illius Antiparacelſiſtæ libris, tanquam de Metelli ſpoliis in omni menſa triumphant. Tamen ſi perſpicerent miſelli, quam parum virium illius acies obtinet, ſuaq́ ipſius argumenta in veritatis, juſtitiæ, atq́ æqualitatis ſtatera examinarent: ſane non minore celeritate ab ejus vexillo, quàm Mars ille velociſsimus Deorum à Veneris amplexu toroq́ adulterino, poſtquam ſe diis hominibusq́ ludibrio expoſuiſſet, aufuge- rent. Etenim prima parte quid aliud nobis oſtendit, niſi magnam Theophraſti impietatem? quam ſane ut Theologi accuratius, ſic etiam juſtius tractaſſent. Nam quod medi- corum eſt, id curent medici; tractent fabrilia fabri; ipſe etiam homo cum ſit, in hominem æquius affici debebat: vel ſaltem non ita humanitatem depoſuiſſe, ut jugulare mor- tuos & in defunctos ſævire habeat oblectamento. Quid ſi Paracelſus in Mundi creatione divinaque adminiſtratione aliquid a ſacris literis alienum ſenſit? ecquid in eo ab Eth- nicis differebat ſcriptoribus? vel cur non pari miſericor- dia illius ferimus figmenta, atque diſciplinæ eccleſiaſticæ oſoribus (quorum non ſe minimum eſſe prodidit Antipara- celſiſta) vel Galenicæ impietati condonamus? verum cum illum κατὰ παντὸς, καθ᾽ αὑτὸ, καθόλου πρῶτον ipſamque huma- nitatis legem tranſiliiſſe abunde conſtet: nolo hunc limum amplius movere, ne vobis (quibus ſemper placere inſtitui) ingratiſsimum excitem odorem, meq́ ipſum ad majora fe- ſtinantem impediam. Novi Antichemiſtas etiam à nemi- ne oppugnatos, una cum illo idololatrarum Deo mole rui- turos ſua, jamq́ diuturno ſpontim furoris æſtu contabuiſſe. Tamen cum me ſciverint non tam cruciandi animo & ex- ſpectatione triumphi quam ipſorum ſanitatis gratia hunc

 libellum

libellum quaſi cauterium aliquod emiſiſſe: meum (ut ſpero) inſtitutum magnopere laudabunt, neque adeo damnabunt voluntatem. Quis enim Medicum apoplecticos vel pungentem vel urentem vel etiam flagris cædentem, tanquam ἀφιλανθρωπίας *reum inſimulabit; cum hæc ille non ut affligat ægrum, ſed ſenſus revocandi ergo uſurpet? Reliquum, animuli mei, nihil jam videtur: niſi ut quas vobis diſtribuente juſtitia poſſeſſiones emenſus ſum, eas nec pretio emi, nec ſycophantiis ſurripi, nec veſtra puſillanimitate auferri unquam permittatis. Deus optimus maximus veſtra promoveat ſtudia, atque hæc ſummæ tranquillitatis Alcedonia ad Eccleſiam noſtram medicinamq; perfecte repurgandam, quam diutiſſime velit largiri.* ἀμὴν ναὶ καὶ ἀμήν.

DE JURE ET PRAESTANTIA CHEMICORUM MEDICAMENTORUM.

Dialogus Apologeticus.

PHILERASTUS CHEMISTA.

APERUI præceptori meo conſilium meum de fallendo Chemiſta, laudat, commendat, prædicat, votis etiam promovet hoc opus, meque vario telorum genere & technarum multitudine inſtruxit. Tamen, ne mentiar, cum apro Ætolico, cum urſo, leone, excetra certare mavelim, quam cum Chemiſtis: qui alloquentem teterrimo ſulphuris odore, aut mercurialibus fumis totum obruunt. Audio etiam quendam Chemiſtam haud longe hinc commorari, qui nos Galeniſtas ceu haleces ſale conditurus eſt, & poſtea in fumo ſuſpenſurus. Pol, niſi me ſignum fallit, hic habitat in vicinia, ſed ecce hominem egredientem. Audite cælum & terra, dum Dædaleos comminiſcar dolos, totamque hujus peritiam nova ſimulatione perdiſcam. CH. Phy, aut catum ſilveſtrem, aut muſtelam hac tranſiſſe arbitror; ita olet male. PH. Adibo? ſiſtam, ſiſtam? imo certa eſt mens, quæram, quo quo hinc remotus eſt gentium. CH. Salve advena. PH. Et tu inquiline, ſalve. CH. Quem tam ſolicite quæris, hoſpes? ei ſi quid ego adjumento ſim inveniendo, impera.

pera. PH. Pol humanitatem tuam accipio, & in patriam denuo reverſus ipſam prædicabo lubens. Chemiſtam quæro, cui inveniendo quantam mea gratia operam dederis, tantum te ſemper arctius amavero; prima occaſione oblata reddam mutuum. CH. Tametſi tanto vix quiſpiam nomine dignus ſit, nihilominus me ita à populo vocari, nolo ire inficias. PH. O me felicem Philerastum, qui in ipſo portu merces video deſideratas. Quis aut qualis Deus cuiquam ſimilem opportunitatem? mi here, mi patrone, mi pater optatiſſime, ſalve. CH. Nugas agis, Phileraſte; neq; enim me tibi herum, vel te mihi ſervum fuiſſe, unquam memini; ſed unde ſolvis, obſecro? qua patria oriundus es? PH. Athenis Galenicis ſolvi patriam Germaniam habeo. CH. Quid igitur huc aditio fuit, hoſpes? cur me deridiculi cauſa ſalutas? Quid Athenis Galenicis valedicens huc appuliſti? PH. Quoniam ubi nihil præter morum corruptelam, ſcientiæ inopiam, loculorum exenterationem video, ibi ſi ſceptrum detur, non eſt cupita manſio. CH. Bona verba quæſo, vix ſentio talium operarum viros eſſe Athenienſes, quod ſi tales fuerint, merito aufugis, recteque facis advena, quod ab eorum conſortio accurate abſtines. PH. Imo tota Athenienſium atque Galenicorum gens eſt inter homines mea quidem ſententia, ut Napelli, Aconita, Chamæleontes; coloris ſplendorisve elegantia oculos atque animos paſcunt, bono tamen uſui ſunt nulli. CH. Tace obſecro, ſi quid Galenici Ethices præcepta transgrediantur, id Theologi deprehendant velim, Politici puniant. Tuum vero eſt, medicus cum ſis, illorum in medicina errores arguere; nam in alienam provinciam excurrere quam parum Dialectici ſit, lex illa juſtitiæ, καθ' ἀυτὸ, ſatis convincit. Sed dic mihi tua fide, hoſpes: Nunquid Galenicos in æternum deſeruiſti: an meos deguſtatum ſermones, & arcana ſurreptum venis? PH. Egone tua tibi arcana ſurreptum veni? minime poſſem: vel etiam ſi poſſem maxime, pietas prohibet. CH. Tamen tuorum multi huc veniunt, & me ſalutant blanditer: comiter appellant: rogant, ut ſuſtentatum eſt: meamque & operam & artem divinis affectam laudibus ſuſpiciunt; cum vero in ſcholam redierint, ſtomachum detegunt, & in chemiæ fautores libere vel potius illiberaliter debachantur. Alii itidem ſunt ita: Chemiam amant, quantum in rem eſſe ducunt ſuam; quando autem ſumptus requirit, tum ceu ſcientiam inutilem rejiciunt. PH. Atqui ego illam ita amplector atque amo unice, uti amare æquum eſt: nihilque mihi tanti eſt reliquum, quin Chemiæ diſcendæ nomine illud inducar dare. Eſt enim Chemia ſolidæ philoſophiæ fons, clavis ſapientiæ, anima & medulla phyſices, medicinæ radix, & meta, in quam viri ſapientes collimarunt, vis magis prædicem? CH. Imo ſatis ſuperque, advena, mallem enim ab ipſo laudari Chemiam, qui ipſius in

laude ſemper vixerat. Gaudeo tamen eo uſque prævaluiſſe eam, ut ſuum quoque encomium ex ore inimicorum conſecuta ſit. Sed reſponde paucis, cur Chemiæ nomen daturus venis, cum eam tot egregii medicorum principes repudiarint? nam ex Græcis, Hippocrates, Polybus, Ariſtoteles, Nicomachus, Theophraſtus Lesbius, Herophilus, Serapion, Dioſcorides, Galenus, Theſſalus, Trallianus, Archigenes, Ruffus Epheſius, Aetius, Oribaſius, Alexander Trallianus, Paulus Ægineta, Actuarius, veſtri ſunt. Veſtri quoque, Avenzoar, Albuberer, Iſaac Beimiram, Albaterius Albucaſis, Jacobus Alkindus, Avicenna, Averrhois, Joamitius &c. inter Arabes. Ad vos etiam ſpectant omnes tū Itali, tum Hiſpani, tum Galli, tum Germani & Angli, qui ante annos trecentos medicinam exercuerunt. Cum igitur tot præclari artis medicæ Atlantes ſenectute canisque conſiti noſtram oppugnarint vel ſaltem non cognoverint ſcientiam; inanem ludis operam adoleſcens, qui huc illius perdiſcendæ gratia nullum non maris terræque periculum ſubjiſti. Ph. At didici non ætate, ſed ingenio cognitionem acquiri, eamque in rebus plerisque peſſimā eſſe video opinionem, in qua major numerus conſentit. Nam, Deus bone, quantum & quam gravium hominum concilium Chriſtum illum Prophiloſophum falſis criminationibus & opprobriis affectum depromſit poſtea ad flagrum, nec non niſi viliſſima crucis morte occiſum demiſit. Quod ſi illum in carne patefactum, annorum, prophetiarum, miraculorum teſtimonio vel cœcis & lippientibus oſtenſum, oculati illi Patres noſtrique inprimis Patroni non agnoverunt: multo quidem facilius in ipſis medicinæ principiis errarere potuiſſent, nobisque aliquam ejus partem vel rudem vel incognitam relinquere. Siccine medicinam omnem in idololatrarum pectore, aut unius Galeni fonte clauſam fuiſſe veriſimile eſt: ut Chriſtianis neceſſitatem imponamus, eam vel ab Ethnicorum ore vel à nullo omnino latice hauriendi? Quin potius illud conſtantiſſime teneamus ἀξίωμα: Chriſti profeſſionem ad omnia utilem, omniumque promiſſionum energiam adeo percipere, ut qui ipſum ſincere colit, majus propterea in ſua vocatione ſive medica ſive phyſica ſumpſecit incrementum. Præterea ſicuti Chriſtus ipſe (quem eccleſiæ caput agnoſcimus) omnis diſciplinæ inter homines fuit (proculdubio) peritiſſimus; ita etiam ut Chriſtiani eo ipſo cunctos Ethnicos anteeant, non ſimilitudinis tantum ratio atque Cabaliſtica anagoge, ſed phyſicæ æquitatis lex imperat. Teſtor Salomonem, Apoſtolos, eorumque diſcipulos omnes, nec non hujus ætatis medicos nonnullos, qui divino afflati ſpiritu tum ſcientia tum uſu medicinæ Judæos, Græcos, Arabes, Latinos, ſuperarunt. Nam in Anatomia totius medicinæ veſtibulo quam pernicioſi veterum lapſus fuerunt? quam falſa ipſo-

ipſorum phyſice,& non ſolum à divinis literis, ſed quoque ab ipſis ſenſibus abhorrens? Methodum vero ita pœne omnes ignorarunt, ut qua potiſſimum methodo medicus opus haberet, pauci, imo vix aliqui tenerent. Omnes denique in medicamentorum præparatione à veritate ad opinionem, à ſenſibus ad imaginationem, ab apodixi ad errorem ſenſim delapſi ſunt: nec unquam niſi ante paucos annos ad ſanam mentẽ reverſi. CH. Næ quamvis Galenicis in uſu eſſe ſolet, linguis ab animo differre, tamen tu tam cordate loqueris, & mea quidem ſententia divine: ut nihil in me claudi permittam, quod te ſcire intereſt. PH. Tu ſi aliud mihi in ore eſſe perſpexeris, aliud in pectore: nullam cauſam dico (Chemiſta) quin mihi & famæ, & ſalutis, & vitæ apud te deliquio ſit. CH. Age tuam experiar fidem, ſi erus ingenio tuo, fac igitur infidelior mihi ne fias, quam egomet ſum tibi. PH. Imò niſi meis præcordiis malè velim, tibi volo optimè, & mihi citius infidus ero, quam tibi deſit fides. CH. Capio conditionem, ſequere me ad ædes. PH. Salve naturæ fanum! ut te expectavi diu, ſed papæ! quam exiguæ ſunt iſtæ tuæ ædiculæ? CH. Nec ingentes quoque formicæ; tamen naturæ ſolertiam artificiumque magis, quàm proceras gigantum machinas commendant atque commemorant PH. At quæ ille obſecro literæ, quæ præ oſtio manent inſculptæ? CH. BASILICA CHEMICORUM: CONTRA QUAM OMNES GALENISTARUM COLONIÆ NON PRÆVALEBUNT. PH. Rude quidem hoſpitium, & tanto ferendo nomini longe impar; neque enim opere Corinthiaco veſtiuntur parietes, nec extra emblematis ornantur, deſunt quoque veſtibulo Atlantes, & in tecto tegulæ deliciares deſiderantur, neque valvæ Dædalea manu ſculpuntur, ad Baſilicæ exemplar. CH. Tu exteriorem ædium ornatum expetis hoſpes, eum ego data opera non addidi. Turpe enim exiſtimo externum conſectari ſplendorem, ambitionis, non philoſophiæ; ſtultitiæ, non cognitionis argumentum. Quum etiam tuus Hippocrates nimiam in medicis damnet ἀξυνεσίην, fruſtra mihi tegulas deliciares, opus Corinthiacum, aut Dædaleam manum narras, qui Anglus ſum: & in ædificiis ſobrietatem, quam novam iſtam οἰκομανίαν imitari mallem. Præterea ædes tanto ſumptu ornatæ, cum multorum Pharmacopœorum pixidibus pariſſimæ ſunt: quæ extra auro radiant opereque poliuntur Phrygio: intus autem vel nihil, aut ſceleta tantum continent, & (adſit veriverbio venia) cadavera medicamentorum. PH. Verum autumas. Noli autem graviter quæ dixi ferre; nam nos artis præſtantiam ex artificis divitiis, ſupellectile, ornatu, elegantia, faſtuque æſtimare ſoliti ſumus: parum naturæ memores, quam ingentem auri theſaurum in terra omnium ædium viliſſima recondere animadvertimus. Cæterum nunc cortice ſatis conſpecto, ad

nucleum pervenire fames eſt. CH. Ingredere igitur. Sed priuſquam pergis, cede in hoc apodyterium, atque ibi credulitatem, poſtea ſocordiam exue. PH. De ſocordia placet quod imperas, atque ſentio neceſſum eſſe. Verum credulitatem quiſquis omninò omnem exuerit, huic diſciplinæ non altius imprimunt veſtigium, quam triticum in mari ſatum. Nam juxta illud Ariſtotelicum, δεῖ μὲν τὸν μανθάνοντα πιστεύειν, ut diſcipulum habeas liberalem, modeſtum, benevolum, attentum, docilem, & inſtar luti in quamcunque partem fingendum. CH. Imò intelligentia diſcipulum decet, credulitas non decet. Nam ſi huic te ſubjeceris Athenienſis: animæ immortalitatem, Dei omnipotentiam, mundi creationem, omnemque Chriſtianorum doctrinam, ad Galeni exemplum, deridebis: nihilque tam improbè ab ipſo defenſum eſt, quin tuo viciſſim calculo confirmabitur. Quare nec mihi, nedum cuipiam ulterius habeto fidem; quam nos, vel ſenſibus manifeſta, vel rationi, vel divinis literis congrua dicemus. PH. Probe mones. CH. Nunc in balneum deſcende, atque ablue opinionem, prævaricationem, faſtum, & reliqua ſcientiarum impedimenta. PH. Factum puta, ecce jam lotis auribus, & defęcato ad te animo revertor. Numquid præterea vis? CH. Tantum ut pileo myſtico & toga bombycina depoſitis amiculum chemicum induas, rudioris fortè texturæ, ſed ad noſtras operationes longe convenientius; jam libri loco forcipem accipe dentatum, is tibi magiſter erit; optimè comparatus es; ſic phyſicum ornari addecet. Sequere jam nunc me. PH. Pro fidem, quas ego hic conſpicio, quales, quot fornaces? quod obſecro huic loco nomen eſt? CH. Πονητήριον. PH. Durum verbum & aſperum. CH. Tibi fortè quem hactenus in hypocauſto ſedentem Galenus deſidem reddidit. Verum qui laborem & ſudorem (quibus Dij omnia vendere ſcribuntur) optatiſſimo cuique otio anteferunt, aliter animati ſunt. PH. At profectò non vili pretio tantus vitrorum, vaſorum, & fornacū omnium delectus comparatur; multum quoque pecuniæ abſorbent Vulcanus, fermentum, argilla, & vehiçula elicienda. CH. Quaſi verò illius apud Comicum dicti oblitus ſis: Neceſſum eſt facere ſumptum, qui quærit lucrum; nec tamen tanti erunt ſumptus, quin à lucro millies ſuperabuntur. Etenim pro pecuniis ſcientiam emes incomparabilem, totius Phyſices demonſtratricem; nullus mercator tam felici commutatione, nullus daniſta tam fœcundo fœnore eſt uſus. Noli igitur iſto avaritiæ luto hærere: ſed potius imitare Montanum, Fernelium, Villa novanum, Fracaſtorium, Cardanum, Geſnerum, Zuingerum, Aragoſium, Brickmannum, Platerum, & aureum Daniæ pullum Severinum; quos factis in Græciam, Arabiam, omnemq; medicinæ veteris provinciam tam longis deviationibus, non pudebat hujus artis eſſe ὀψιμαθεῖς, ſuæque

que ſenectuti hujusmodi laboratorium, ceu monumentum quoddam honoratiſſimum extruere. PH. Memorabiles memoras viros, & hujus ſeculi ſola quædam ornamenta: eorumque fretus auctoritate, avidiſſimè ſitio Chemiam. Soleo enim aliquid aggreſſurus primum diſputare mecum, an id facere æquum ſit? deinde, an alii quoque boni id fecerint ante me? quippe tum confirmatur electio noſtra, cum ſentimus prudentes clariſſimosq; viros, qui ipſi in honore ſemper vixerant: idem velle nobiſcum, idem agere. Cæterum hic aqua mihi hæret: An æquius fuerit tam paucorum hominum veſtigiis inſiſtere: An ſequi veterum opiniones, qui in hac præparationum palæſtra aut nulli, aut planè hoſpites videntur. Parce obſecro ſi nunc ad Galenicorum ſtationes recurram: facio enim id non tam illorum amore aut victoriæ ſpe; quam ſciendæ veritatis cauſa, atque ut omnem tibi credulitatem videar depoſuiſſe. CH. Laudo inſtitutum: & viciſſim reſpondeo tibi: veteres medicos in omnibus vel plurimis imitari perinde eſſe, ac ſi rudi quidem ab opere peteres exemplar. Erat enim medicina circa Hippocratis tempora inſtar fœtus recens concepta: in qua confuſa tantum lineamenta, & rudes adumbratiunculæ membrorum conſpiciebantur. Hanc poſtea Galenus methodo diſtinctiorem, poſteritasque tum Arabum, tum Græcorum varia medicamentorum ſuppellectile ab agyrtis & tonſoribus corraſa locupletiorem fecerunt. Nullus tamen eo profecit, ut aquæ roſaceæ *diſtillandæ* (ò præclaros medicinæ Architectos) vel teneret vel traderet rationem. Imò in nulla Medicinæ parte non turpiſſimum reliquerunt errorem, quem poſtea ſapientior proles tanquam ſecunda ſpongia abſterſit. PH. Vera refers, & meo quidem judicio vel ſenſibus ipſis palpanda. Nam ſicuti aliter ſenes ſentiunt, aliter pueri: hi rectè, illi pro ratione ætatis: ita quoque admirationem minimè promeretur: nos in hac mundi veluti canitie, quædam invenire patribus incognita, aut inventis ipſorum Apellis manum inducere: quandoquidem ipſi non alias quam per nubem Medicinam intuebantur, & ut tuorum verbum uſurpem, nondum embryonatam. Quare perinde atque Avicenna in Galeno veritatem, in Hippocrate Galenus diligentiam, Hippocrates in veteribus methodum deſideravit: ita etiam nihil in omnibus vel ſingulis ſcriptoribus expetere, ſervi moroſo domino obſtricti, non eruditi ſcientiæ exploratoris nota eſt. Nunc autem (omiſſis veterum delictis) mihi fornacum nomina uſumque rogo explices. CH. Illa: Neptunus, Mare, Maria, Zona temperata; hæc Venter equi: iſta Gallinarum nidus vocatur; illic verò Ægyptus collocatur: à dextris Perſia, Mauritania, Ætna, Serpens, Acediæ furnus, & venter ſtruthiocameli. PH. Eheu! quæ dicis cinerem quærere videntur; apage iſtam amphibologiam, qua mihi non erudire velle

tironem,

tironem, ſed fugare etiam provectos apparent Chemiſtæ. CH. Verum hoc conſulto faciunt, & magno jure. Nam ultra quod in novis artibus ὀνοματοποιεῖν nulla vetat lex, Hippocratis etiam & æquitatis voce ſancitur: res ſacras profanis hominibus obſcurè tradendas eſſe, πρὶν ἢ τελεσθῶσιν ὀργίοισιν ἐπιστήμης. Adde inſuper naturam majeſtatem ſuam arcano aucupari ſilentio, nobisque caſtaneæ nucleum non niſi cortice & aſpero tegumento abditum offerre; quamvis re ipſa nullum rebus nomen à Chemicis impoſitum eſſe affirmo, quod perfecta Polygraphiæ, Etymologiæ, Notationis, Analogiæ, atque Phyſicæ anagoges ſcientia imbutus non prima quaque lectione intelligat. Tantum abeſt, ut meritò elucidationem vocum deſiderent, vel jure ullo culpent obſcuritatem. PH. Non repugno, tamen meo quidem animo in ſcientiis docendis ea ſolum uti oratione, ad quam ſolus aliquis Cabaliſta tanquam natator Delius perveniat, non aliud videtur eſſe, quam homines ad lautiſſimum prandium invitatos & mox accubituros larvis ſpectrisque fictis expellere. Verum ad eorum medicamentorum præparationes videndas oculi mei feſtinant, quas cæteris omnibus præſtantiores eſſe libri profitentur tui. CH. Adeſdum igitur, & in hunc zodiacum ingredere. PH. Nitidiorem locum memini vidiſſe me; ſed quam ob rem vocas Zodiacum? CH. Quia hic animalium ſignaturæ non illæ imaginariæ Aſtrologorum, ſed veræ & vitales ſervantur; volo enim duplicem ineſſe vitam animalibus; unam quæ in ſe ipſis, alteram quæ in nobis operatur; prima evaneſcente, ſecunda obtinet imperium: necisque vel medicamentum præbet ad corporis alterationem, vel ad ejus nutritionem alimentum. PH. Verum quandoquidem me credulum eſſe non vis, animalibus mortuis vitam ineſſe denego; nam pari ratione lapidibus, metallis, atque aſtris ineſſe vitam nullo quis negotio probaverit, atque brutis animam exhalantibus. Ego verò triplicem ſolum vitam agnoſco; rationalem, ſenſitivam, vegetativam: id quod non ſolum Ariſtoteles, ſed quævis medicorum natio ante Paracelſum natum defendit. CH. Atqui in eo turpiter hallucinaris, Athenienſis. Nam Galenus tuus vitam aut nihil præter vires eſſe diſertis verbis aſſerit, aut virium actionem. Si igitur vis inſit animalibus mortuis, metallis, aſtris, lapidibus: quidni & vitam ineſſe dixerimus? hæccine in Galeno ferenda opinio eſt, & damnanda in Paracelſo? Nonne etiam Hippocr. in ſuis de diæta libris paſſim notavit, vitæ conſervationem per alimentum fieri, declarationem per operationes: ſicuti igitur homo vivere dicitur, quandiu actiones homini prædeſtinatas edere queat; ita etiam quandiu Magnes ferrum, ſuccinum paleas, Rhabarbarum bilem attrahit, tandiu vitam illis tribuere ſobria atque ſicca ſententia cenſeri debet, non ebrioſi homi-

hominis imaginatio. PH. Vitam igitur nihil aliud ſtatuis, Chemiſta, quam cunctis rebus energiam ἐκ διόθεν inſitam; id eſt, hominis ad humanas actiones, aſtrorum ad aſtrales, Angelorum ad Angelicas, brutorum ad brutales, plantarum ad plantares, mineralium ad minerales, metallorum ad metallicas, alimentorum ad alimentares, medicamentorum ad medicas operationes diſpoſitionem. CH. Rectè colligis. & profectò cum mors nihil aliud ſit, niſi perpetua ab actionibus præordinatis ceſſatio: cur animalia prius omninò mori fatebimur, quam omni actione cujus gratia prædeſtinabantur ſpoliata ſunt? PH. Vivunt igitur animalia animam participantia ſibi ipſis: hac verò deſtituta vivunt poſtea in nobis, & actiones proferunt, magneticas nonne hoc vis? CH. Maximè, & propterea vitam ſplenis bovini dico, non ſolum quæ in corpore bovis attrahit, concoquit, expellit: ſed etiam quæ in nobis expedit lienis obſtructiones, menſeſque provocat; ſic etiam vita caſtoris teſticulorum (quo ad nos) ea dicitur, quæ uteri ſuffocationibus, & moram facienti fœtui medetur; ſic etiam ſales atque olea cranei humani, alcis, viperarum, buſonum, aſtacorum, vitalem facultatem obtinuerunt adverſus Epilepſiam, incubum, lepram, peſtem, quartanam, &c. Nec diſſimilis aliorum eſt ratio, quibus vitam ineſſe ſolus non videt ille, qui calorem ignis non ſentit, vel non videt cœli rotunditatem. PH. Intelligo, ſed quo me jam ducis? CH. In phyſicum plantarium, omnium vegetabilium ſulphure, ſale, mercurio refertum. PH. At cum eam feciſti gratiam, ut mihi liberum ſit παῤῥησιάζειν apud te: ne obſecro moleſtum ſit ea audire, quæ noſtri contra has vegetabilium extractiones ſolent objicere. CH. Imò niſi tibi moleſtum ſit dicere, mihi audire volupe eſt, PH. Afferunt: ſe in craſſa vegetabilium præparatione jam annis multis medicinam maximo cum ſucceſſu feciſſe: eamque in purgandis, alterandis, & diſcutiendis humoribus (quæ præcipua ſunt artis opera) non minus quam novas haſce præparationes vires ſuas exercuiſſe. Deinde hoc etiam timendum clamant, ne quando ſubtilioribus illis exactionibus corpora ſubitò mutentur, fiatque interim magna caloris nativi atque humidi primogeniti jactura. Chemiam tamen nullo modo damnant: ſed cur præ cæteris officinarum præparationibus extollatur, non videre ſeſe affirmant. CH. Sanè quod Chemiam nullo modo damnant, maximè laudo, & ego una improbo illos, qui in omni morbo ſolis Chemicis medicamentis utuntur. Nam cum contra mures aut formicas bellandum eſt, ſuffecerint Pigmæi vires: tamen qui cum leone certaverit aut apro Ætolico, huic Hectorea manu aut Gigantum robore eſt opus: id eſt, mea quidem ſententia, Chemicis medicamentis, vel ut clarius ipſorum præſtantiam ceu ob oculos poſitam intuearis, dic mihi qualem Galenici in

atro-

atrophia imperant diætam? PH. Nempe cibos euchymos elixandos præſcribunt: jubentq; illorum ſuccum exprimi, pinguedinem ſeparari, fæcem rejici, alimentoſum à non alimentoſo dividi, ſingula denique ſeparari, quæ facili concoctioni impedimento ſint. Panis itidem loco amylum lacte maceratum commendant, & ex vinis illud eligendum ſentiunt, quod ab omni ſpuma, tartaro, & fæce depuratiſſimum eſt. CH. Rectè; ſed cur panem, vinum, carnesque vulgari modo præparatas exhibent? PH. Quoniam eo modo devoratæ plus excrementi gignerent quam alimenti, atque non reficerent, ſed re ipſa opprimerent naturam. CH. Equidem admiror vos in Analeptica tam lynceos, erga medicamentorum chemicam præparationem tam protervè animatos eſſe; nam ſi ciborum optimi ſucci extractiones ad corpus reſtaurandum neceſſariæ ſint, quantò magis medicamenta ad corpus alterandum nata defæcare & repurgare convenit univerſa? adde etiam nonnullorum remediorum partes venenatas eſſe, aliquorum deleterias, plurimorum otioſas, nullorum niſi forte per accidens ſalutiferas. PH. Quid audio? annon vires medicamentorum totæ totis ita miſcentur à natura, ut nullo hominum invento ſeorſim eliciantur?
3. de Sim. fac. 3. CH. Neutiquam herclè verò. Nam in Galeni tui ſchola audiviſti, Aloëm exacte lotam purgativa facultate diſpoliari; uti quoq; uſu venire ſolet æris ſquamæ, aut æri uſto. Docent te etiam Neoterici eam duntaxat Rhabarbari partem purgare, quam vinum maceratione facta abſorbet; imò in integra totius ſubſtantiæ libra, vix unciæ Rhabarbari ſex reperiuntur, quæ alvum vel tantillum poterint movere, reliquæ verò ceu ἰτώσιον ἄχθος ἀρούρης, cloacæ potius cõmitti quam hominibus propinari debent. PH. Equidem vero ſimile loqueris, Chemiſta. Quidni enim juxta atque in nobis liquores inveniuntur heterogenei, quorum alij ſunt medicamentoſi, ut biles: alij alimentoſi, ut ſanguis: alij contra excrementoſi, ut urina; ſic etiam in cunctis medicamentorum generibus ſe habeat, quæ medicis ad corporis alterationem uſui ſunt? probo igitur hanc artificioſam eorum anatomiam, eamque citò diſcere percupio. CH. Imò illud quoq; attendas velim: Naturam nihil nobis puri dediſſe, ſed omnia permultis miſcuiſſe impuritatibus, ut iſtam nobis ſcientiam ab infantia nocendam eſſe ceu quodam neceſſitatis ſtimulo inculcet; animadverte enim panificii rationem: quo primum modo triticum à palea longa trituratione & Chemico veluti delectu ſeparatur; deinde furfur à polline cribro rudiori, & poſtea ſpiſſiore dividitur; pollinem cribratum coquimus, coctum mandimus, manſum in furno triplici recoquimus: nec tamen ita depuratur à nobis, quin inſitus ille cuique membro Chemiſta excrementa quædam inveniat ab accerſita expultrici potentia eliminanda. Nec minus eadem de melle, lacte, & liquore quovis

quovis humanæ naturæ familiariſſimo referri poſſit hiſtoria; nam ſi eo quo nata ſunt menſtruo infecta exhibeantur, varias relinquent fæces, quæ ſi in corpore diutius permanſerint non excretæ, morbillos, variolas, lepram, morboſque venenatiſſimos producent. Quantò autem magis purum ab impuro, mortuum à vivo, deleterium à familiari atq; utili, in Helleboris, Colocyntide, Coccognidio, Turpeto, Eſula, Rhabarbaro, Senna, Agarico, omnibus denique purgantibus ſeparare opus eſt? in quibus non πολλὰ, ut in Ægyptiæ pharmaco; ſed παῦρα μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά. Imò ne Aromata quidem cordi humano familiariſſima tam præclare atque chemice naturæ manu purantur, quin nobis ultra depurandi præbeant occaſionem, & neceſſitatem quandam imponant laborandi. Nam cinnamomi libra ſemunciam olei effundit; cariophyllorum ſeſquilibra tantum quartarium; nucis moſchatæ uncia, drachmam ſemis; ligni aloës quartarium, drachmam unam: in quo tamen oleo ſive ſulphure omnis vis illa aromatica quaſi in radicali quodam & ſpirituoſo humido deliteſcit. Eadem quoque habetur ratio in aniſi, cucumini, dauci, feniculi, roſarum, croci, &c. extractione: quorum quæ minimæ ſuperſunt partes, in eas omnis facultas derivatur: ut non immeritò de illis etiam perinde atque de formicis dici queat: Natura eſt *maxima in minimis.* Si igitur ſive purgativum, ſive *diaphoreticum, ſive urinam,* aut vomitum excitans arcanum in ſulphure ſolo commoratur, quid nobis cum Mercurio aut ſale negotij eſt? ſi in ſale, aut Mercurio, quorſum ſulphur datur? Quum in centum viginti granis Rhabarbari octuaginta otioſæ reperiuntur non purgantes: cur ipſas purgaturi ægros Galenici non tollunt? quare admiſcent? nunquid liberum videtur, quando nucleus devorari debet exhibere cibo putamina? Quum etiam in croci libra decem veneni unciæ deprehendantur (deprehenderunt autem primum Chemiſtæ) ſanè niſi cum humano corio ludere impune poſſent tui Athenienſes, illas jam diu facta per tincturam heterogenei ſeparatione abſtuliſſent. Quare hoſpes, Chemiæ jam nunc agnoſcito præſtantiam: cujus beneficio vivam Anatomiam diſces, ſimplicium ſales; Mercurios; ſulphura; imò influentias, ſignaturas, poteſtates, aſtra, vitas, reſurrectiones elucidantem? PH. Equidem Chemicorum tuorum nitor, elegantia, lautitia ita me in tuas partes transverſum diripuerunt: ut magna quidem dubitatio ſit, an rurſus ad Galeni ſcholam unquam pelliciar. Tamen non ad illud reſpondiſti: communium remediorum optimum fuiſſe ſucceſſum, illorumque uſum fuiſſe nonnullis hominibus ſalutarem. CH. Quid ni? nihilominus ſicuti aliter lignum cultellus ſcindit, aliter ſecuris: ita etiam cito nulloque pene negotio eas confeſtim tollimus infirmitates, quibus eradi-

eradicandis Galenici ne menſis unius ſpatio ſuffecerint. Nihil mentior, hoſpes, nihil ſimulo; atque rem ita habere praxeos voce, tum rationum pondere evincam. Nonne in quavis medica operatione, ἡσύχως, ταχέως, ἀσφαλῶς, jucunde, cito, tutoque agere oportet? Ph. Oportet quidem, nam & ſenſus idipſum ſuadet, & Hippocrates imperat. Sed cur hæc tria aſſequi non licet communibus medicamentis? Ch. Quia non vult fatum. Nam ſi corpus alicui purgandum ſit, quo inſtrumento id faciendum diceres, Athenienſis? Ph. Fortè Rhabarbaro, Aloë, Senna, Mechoaca, agarico, polypodio, viſco quercino, epithymo, caſſię pulpa vel manna. Ch. Tuta ſunt hæc fateor medicamenta, ſed non ſatis propter ſuam nimiam amaritudinem, dulcedinem, aut ſaltem quantitatem nimiam jucunda. Ph. Ad fortiora igitur confugiam, ſcammoneam, turpetum, laureolam, eſulam, elaterium, quæ nec ingratum præſtant ſaporem, nec doſis magnitudinem requirunt. Ch. At ſi ſola exhibeantur, non tuto purgabis: ſi multis aromatibus condita, ut moderni ſolent, nihilo gratior erit purgatio, quam ſi Rhabarbari tres drachmas aut mannæ tres uncias exhibuiſſes; ita ut ſi lenibus utaris catharticis vulgari quantitate exhibitis, celeritatem tollis: ſi fortioribus, ſecuritatem; ſi alterutris cum Galenica ſecuritate exhibitis, tamen vel doſis vel mali ſaporis odorisvè exuperantia tolles jucunditatem. Ph. At in officina varias compoſitiones purgantes, tanta dexteritate mixtas habemus, ut corpori citò, tutò, jucundeque evacuando nullis cedere putentur. Ch. Ah noli amplius officinæ meminiſſe veſtræ: quam ſi depoſita contentione examinarem, & (ut Græci loquuntur ἄνευ παθῶν: nullam tamen veterum compoſitionem purgantem iis præditam eſſe virtutibus facilè evicero, quas Hippocrates deſideravit. Nam ſi Hieram Galeni objicis. Deorum (ſi Diis placet) inventum: quid ea ſtomacho, naribus, palato, ingratius? quid cunctis membris injucundius potuit excogitari? illa autem Hamech, Diaphenica catholica, & cætera electuaria, plurimis ægrotis (dum iis Chemiæ imperitus uti cogerer) tam inviſa fuiſſe ingenue & vere fateor: ut etiam ego ipſe illis odio eſſe cœpi, meque fortè fortuna conſpicientes ad vomitum permoverentur. Quæ licet per ſe ſatis fuerint ingrata, quantitate tamen tanta exhibentur à tuæ diſciplinæ hominibus: ut non curaturi homines, ſed equos ſuffocaturi videantur; ô infelicem principum conditionem, qui ſua corpora hujusmodi impuritatibus hoſpitia, vel potius ſepulchra præbent! Quid loquar de pilulis veſtris globulo ferentariorum æqualibus? quas in honorem Romæ ſepticollis numero ſeptenario vel muſarum nomine novenario præſcribere ſoletis, nunquam facitis, quia numero Deus impare gaudet. Plumbeas quoque, aureas, achreſtas, polychreſtas, tenebrarum, lucis, ſine quibus eſſe volo, ſine

quibus

quibus eſſe nolo, vocatis: atque ita ſpecioſis nominibus ingratiſſima medicamenta, tanquam fronde aſpidem obtegitis. Taceo ſyrupos longos & breves, magiſtrales, communes, unos & alteros, neſcio an magis doctorum deliramenta, an ludos fœminarum. Tranſeo item aromaticas confectiones, quibus nihis puerilius eſt: nam ſi ſaccharo percocto parũ ex oleo ſtillatitio, cinamomi, aniſi, cumini, margaritarum, ambræ, moſchi, roſarumvè infuderis: me tibi mancipium, niſi diacinamomo, dianiſo, diacumino, diamargaritæ, diambræ, diamoſcho, diaroſato aromatico, ut gratius, ſic efficacius præſcripſeris medicamentum. PH. Næ tu non examinas, ſed exanimas officinam noſtram. Tamen revera ab illis confectionibus valdè quoque meus animus abhorruit, cum ipſas vel ingratitudinis vel periculi plenas viderem; ſoleo enim quoties bilem purgare volui, ſcribere in hunc modum: *R. rhabarb electi drach. 2. ſpicæ Indicæ, cinamomi, ana ſcrup. unum, infundantur in aqua endiviæ per noctem, expreſſioni ad ſyr. roſ. ſolu. unciam unam de cichor. cum rhabarb. ſequiunciam.* Vel ſic: *R. mannæ el uncias 2. rhabarb. in ſucco endiv. infuſi ſcrup. 2. diacathol. drachmas quinque: Tryphcræ perſ. drachmas duas: cum aqua cichorÿ. in qua prius agarici drachma fuerat infuſa: fiat potio.* Si autem pilularis forma convenientior ſit, ſic ſcribo ex Medica ſyntaxi Colmarienſis: *R. ſpec. Hier. ſcrupulos quatuor. rhabarb. el. drachmam ſemis, cornu cervi, raſuræ eboris, cinamomi, ana ſcrupulum ſemis, cum ſyr. eupator. q. ſ. fiant pilulæ n. novem.* CH. Ah, apage hæc prolixa deliramenta, & ſic ſcribe: *Accipe Tincturæ rhabarb. ſcrupulum unum: grana duodecim: olei ſpicæ & xyloaloës deſtillati, ana guttas tres.* Si vero phlegma evacuandum ſit præſcribe, *Tinctura Turpeti drachmam ſemis. olei aniſi guttas ſex. olei caryophyll. guttas duas. miſce.* Vel ſic: *Accipe tincturæ eſulæ vulgaris grana* 16. *olei aniſi, cinamomi, ana guttas duas.* Quoties verò bilem atram purgabis: *Accipe tincturæ ſennæ Oriental drachmam ſemis, tincturæ helleb. nigri grana quinque, olei aniſi, fenicul. ana guttas duas, petroſelini, cinamomi, ana guttam unam miſce.* atque ſic exiguo medicamento plus profeceris, quam ſi illas tædioſiſſimas receptas inſtituiſſes. Talis etiam Aromaticorum, diureticorum, diaphoreticorum, Anodynorum, vomitoriorumque noſtrorum conditio eſt; quæ in chemico noſtro Antidotario propediem (niſi hominum ingratitudine deterrear) excudendo fuſius explicata, & cuivis pathemati diligenter applicata inveneris. PH. Sanè tua hæc remedia Servitoris, Cordi, Weckeri, Auguſtanorum denique & cunctis ſeplaſiariorum formulis guſtus ſaporiſque lenocinio, doſis exilitate, & operandi celeritate præſtantiora eſſe, vel nos pertinaciſſimi Athe-

 nienſes

nienſes fateri cogimur. Nunc in eo totius quæſtionis cardo vertitur, utrum æquè tuto exhibeantur? Etenim ad noſtras aures rumor non ἀδιάπιστος pervenit, chemica remedia eſſe omnium longè periculoſiſſima, varioſque ægrotos præ nimia ſua in agendo violentia abſtuliſſe; tantam quippe caloris inſiti faciunt jacturam, quantam reſarcire omnia reſtaurantia juſcula non poſſunt. CH. Novi, hoſpes, chemica remedia non ſolum apud Athenienſes, ſed etiam in quavis patria traduci; verum quam absq; omni ſuo merito id fiat, id juſtitia viderit, & ego adductis principum, comitum, aliorumque Heroum, & civium, nec non Theologorum teſtimoniis facilè convincam. Nam non ſolum in Cæſaris Regisque Danorum aula hæc remedia in uſu pretioque eſſe cœperunt: ſed etiam à noſtris aulicis & ſaniore hominum parte tam unicè expetuntur, ut iis ſemper uti non poſſe ſemper doleant; verum ſicuti acutiſſima quæque & optima novacula, à chirurgo fatuo adhibita, non ſalutare ſed lethale vulnus infligit: ita etiam ſua natura tutiſſima omnia atque optima chemica remedia propter utentium imperitiam malè audiunt, καὶ τοῦ τεχνίτου σφάλματα (contra omnem juſtitiæ ſenſum) νομίζεται εἶναι τῆς τέχνης. Contra chemico tantum cognitionis conſecuto, ut Quod, Quantum, Quibus, Quando, exhiberi medicamentum oportet, ſatis intelligat: Me cuivis in nervum tradi non recuſabo, niſi ille officinarum præſcriptis oculum effodiat, & ſecurius multo, laudeque plurima exerceat medicinam. Sed nunc in mineralium Theatrum pergere, hora nos admonet; age igitur, ſequere me PH. Nolo inquam, nam quid hæc ad medicum? CH. Beatum faciunt dextrè adhibita, & ut vulgi ſententia utar pænè ἰσόθεον. PH. rectius ἰσοδαίμονα dixiſſes; nam utcunque tuas animalium vegetabiliumque extractiones magnifaciam, tamen ne mineralium uſum approbem, mihi ſemper religio erit. Foris quidem applicatis, divinas nonnunquam vires exeri agnoſco: intus autem exhibita veneni ſortiuntur vires, & niſi me veterum recentiorumque fallit judicium, aſpide maligniora ſunt. CH. Cave dixeris: ne fortè utrique tam veterum quam recentiorum ſectæ eiusmodi infligas vulnus, quod poſtea cicatricem non admittet. Nam Hippocrates θεῖον ἄπυρον aſthmaticis ſæpè præſcribit: nec non æruginem tritam cum melle & ſyrmæa portione admixtam. Galenus itidem (ille medicorum deus) ſulphur vivum & Melanthium ad dyſpnoicos commendat: & contra dyſenteriam à calce viva, ſquama æris, auripigmento & ſandaraca non abſtinet; tantum quoque mineralibus indulſit, ut ab Andromacho Theriacæ inditam chalcitin non expungeret. Quinetiam florem æris intus exhibitum optimè purgare corpus audacter aſſerit. Quid referam Archigenem, Andromachum, Aetium, Trallianum, Dioſcoridem, aliosque infinitos Græcos & Arabes,

Lib. de morb. mul. 7. De comp. med. S. I. 9. De comp. med. S. I. Lib. De antid. & 3. de ſim. fac.

Arabes, qui noxia perinde atque innoxia mineralia intus feliciter & cum laude ſua plurima exhibuerunt? Ne unquam tàm impudentem nanciſcar hoſtem, qui perlectis ipſorum ſcriptis me ipſorum patrocinio abuti aſſeverabit. Matthiolus verò (ut Neotericorum quoque adferam judicium) in morbis altas fibras agentibus, neceſſarium eſſe affirmat uſum metallicorum. Julius quoque Alexandrinus diſertis verbis Antimonium in peſte oppugnanda ſummum dicit arcanum. Joannes Crato poſt infinitas cum Chemicis dimicationes, minium nativum magnetem Epilepſiæ vocare ſolitus eſt: mihique ipſum primus oſtendit. Pius ille pientiſſimæ memoriæ Geſnerus oleo vitrioli illas aſcribit vires: ut vix medici perſona dignum exiſtimet, qui eo carere vult. Guilelmus Rondeletius Barbaroſæ pilulas argenti vivi pleniſſimas contra illam coſmopoliticam luem variè commendat. Gabriel Fallopius, nec non Hector Nonnius maximæ experientiæ doctrinæque viri Crocum Martis ad icteri curationem, lienisque obſtructiones expediendas ſummis laudibus afficiunt. Felix Platerus ſtibium Antimoniatum recta præparatione, mixtura, doſique exhibitum helleboro albo facilè præfert, eoque dum ego illi eſſem conviva feliciſſimè uſus eſt. Joachimus Camerarius Borace cryſtallino (cujus præparationem à Langravio Haſſiæ acceperat) in vomitu dextrè ciendo cunctis (& meritò) præfert medicamentis: Poſſim huc adferre Zuingeri Oſtruthium, Thielæum, Orionium: nec non Aragoſii Oxylæum: Hagecii Pactolum: Severini Turturem, Aquilam, Draconem, aliorumq; metallicorum & mineralium aureas præparationes: à quarum uſu non magis quam à vini exhibitione, pio cautoque medico abſtinendum cenſent. Ita ut ſive veterum judicio, ſive recentiorum ſuffragio ſtare velis; Mineralia & metallica remedia non ſolum locum ſuum mereri apud medicos conceſſurus es, ſed debere etiam in multis internis affectibus cunctis medicamentis præferri. PH. Concedo atque una video illorum non ferendam impudentiam, qui metallicorum uſum veteribus Neotericisque diſplicuiſſe ſine omni rubore fingunt. Tamen (ſi tua pace id liceat) hominum miſſis auctoritatibus, ad rationum puncta te conferas: quibus Antichemiſtæ tuam Theſin comminuiſſe ſatis videntur. CH. Audiamus tandem illas. PH. Optima Mineralia, ſint præparata quocunque modo, nullam cum humano corpore obtinent ſimilitudinem; quin etiam ipſorum plurima, nempe argentum vivum, Antimonium, Arſenicum, ſalia, flos æris, chalcitis, vitriolum, alumen, inſigniter erodendo vel metallorum minuunt ſubſtantiam: tantum abeſt ut corpus humanum, molle, membraneum, fragile ad medullam uſque non perferent.

Ep. 22. ad Oeconem.
Lib. de morb. Gall.
Lib. de ſimpl. purg.

forent. Si igitur neque nos reficere poſſint propter ſubſtant
diſſimilitudinem, nec alterare præter eroſionis corruptionis
periculum: quis obſecro illorum uſum non damnabit, vosq
ipſorum auctores non irridebit. Ph. Imò, Athenienſis, utraq
ipſorum de noxiis innoxiisque metallicis ſententia horridior e
quam ut veritatem vel tantillum æmulari queat. Nam longa e
perientia comprobatum eſt aurum ad cordis, argentum ad cer
bri, ferrum ad lienis, cuprum ad hepatis corroborationem plu
mum facere: ſive ignita in liquore appropriato extinguantur, ſi
in crocum & eſſentiam ſuam redacta exhibeantur. Quin etia
Saturnus vitrificatus (non ſecus atque bilis aliqua eſſet) alvu
ſubducit: ſulphur nutrit pulmones, cryſtallique liquor renes i
ſtar ſeri cujusdam optimi expugat. Sed eſto: Mineralia nulla
obtinuiſſe cum humano corpore ſimilitudinem. An propterea
lorum uſum rejiciemus? quid ni igitur uno eodemque peſſu
colocyntidem, helleboros, viperas, aliaque id genus deleteria m
dicamenta, & nobis omninò antipathetica excludimus? P
Quoniam non eſt tanta diſſimilitudo. Nam hæc olim una cu
homine anima vegetatrice prædita fuerunt: mineralia verò n
quaquam. Ch. Pulchrè, quaſi vos etiam plantas animaliaqu
tum primum non daretis hominibus, cum animam amiſerunt v
getatricem. Ph. Verum quando Mineralia metallicavè medic
menta nullam cum humano corpore cognationem habere dic
rem: hoc volui intellexiſſe: Non conferre ea ad ſpirituum r
ſtaurationem. Vidi enim aurum, coralla, margaritas, ſmaragdo
carneolos, hyacinthos, alioſque pretioſi generis lapillos, tuſo
coctoſque phtiſicis non plus profuiſſe, quam ſi vitrum devora
ſent, aut ſilicem. Quare hæc ad ægroti crumenæ evacuatione
non corporis refectionem ab Arabibus hominibusque fanatic
inventa clamant Athenienſes. Nec video quo tandem modo i
lorum clamores falſi redarguantur. Sunt enim omnium meta
lorum, lapidum, & mineralium partes tam craſſæ, ut in noſtru
corpus rariſſimum & ſpiritibus ſubtiliſſimis præditum cedere n
queant. Ch. Imò tui tecum magis verè errant, quam clama
Athenienſes. Quippe quod mineralia quædam, non corpu
tantum humanum, ſed aurum, ſtannum, plumbum, inſtar fulgur
cujusdam pertranſeunt. Argentum vivum, me nihil à verita
alienum dicere, ſuo probat exemplo, hujus enim ſpiritus frigi
hominem longè remotum feriunt paralyſi; calidi verò deſtillato
rem inſigni capitis ardore afficiunt. Cum igitur argentum v
vum cunctis inſit metallicis, equidem ea in hoc exaltata ſpiritu
educent non modo ſubtilitate analogos noſtris, ſed multò pene
trantiores. Atque ut de lapidibus dicam, quis illos inviſibile
magnetis ſpiritus noſtris ſubtiliores eſſe negabit, quibus ferru
long

longè diſſitum attrahit atque adunit? vel quis ſpiritum vitrioli eo penetrare non videt, quo omnes vegetabilium aquæ & olea illa aerea non pervenient? ſal quoque mineralis tanta præditus eſt ſubtilitate, ut paucorum granorum pondere magnam farinæ maſſam inficiat. Habent igitur mineralia ſuos ſpiritus ſubtilitate noſtros vincentes, tantum abeſt, ut ſubtilitatis inopia corpori reficiendo impares cenſeantur. PH. Eſto: lapillis pretioſis, gemmis, auro, argento, ferro, ſulphure itidem & aliis non noxiis mineralibus per me utaris licet: ſive ad corporis nutritionem, ſive ejusdem alterationem putes conferre. Abſit tamen vitriolum, chalcitin, argentum vivum, arſenicum, antimonium, atque alia id genus leproſa, impura, atque corrodentia mineralia in humanum corpus ingeri, & ad perpetuam tui nominis ipſiusque artis infamiam uſurpari. CH. Quid ita, hoſpes mi? PH. Nam cum oleum vitrioli etiam a Geſnero toties laudatum, ſcutellam ſtanneam exedit: quis ſimile periculum in ſtomacho noſtro membraneo non merito verebitur? vel nunquid veriſimile non eſt, antimonium univerſa inteſtina deglubiturum, quod cum auro fuſum ne micam ſordium relinquit? Quum etiam Mercurius metalla omnia reddit friabilia, cur non jure timeamus, ne nobis inditus, carnes, cartilagines, atque adeò ipſa oſſa totius corporis columnas ceu ſaxo aliquo molari in pulverem comminuat? Arſenicum autem tam effrænatæ malignitatis eſſe cognoſcimus, ut qui ipſum corpori ingererent ante audacem Paracelſum nulli fuerint reperti. CH. Aſpera tu quidem tela elidis, ſed quæ facilè retundi queant à philoſopho excitato. Nam ſi oleum vitrioli propter ſtannum ab eo exeſum humano corpore exulabit: quid vino ſublimato, aceti melliſque ſpiritu, quid ſale, & limonum citrorumque ſucco fiet? nam eorum unumquodque ſtannum abſumere, vel ſemeſtris Medicus agnoſcit. PH. At non tam parvo temporis curriculo, atque ſpiritus ille vitriolatus. CH. Imò ſanè nunquam, ſi cum noſtro illius exhibendi modo conferatur ratio. Nolim enim te aliquem Chemiſtam tam ſtupido ingenio præditum exiſtimare, ut oleum vitrioli nullis aliis mixtum liquoribus propinare auſus ſit: ſed potius ad aquæ roſaceæ vel alterius liquoris libram olei vitriolati guttas totidem adjicere, quot ad aciditatem comparandam ſatis eſſe queant, cui liquori oleo vitrioli accreſcenti, ſi tantum ſtanni immerſeris, quantum aceto: nullum non invoco ſupplicium, niſi ſtannum multò magis corroſum reperiatur. Verum ſi hoc oleum vitrioli vel etiam ſulphuris in uſu eſſe non mereatur propter eroſionem, quo ſe conferent cantharides, a Galeno inter ea medicamenta relatæ, quæ ne guſtare quidem audeas propter ſummam putrefactionem atque eroſionem: Tamen veterum ferè omnium atque multorum neoterico-

Lib. 3. de ſimpl. fac.

rum praxes eas ad urinam provocandam, penisque ἀτονίαν & ſ
ſcitandam Venerem uſurpant atque commendant. Ph. Nequ
diffiteri, ſed tamen parva quantitate eas præſcribunt, & non r
aliis convenientibus rebus admixtas, quo quidem modo ex
bitæ non ſolum innoxiæ perhibentur, ſed etiam perſalutar
3. De ſimpl. fac. cap. 18. Ch. Vera prædicas, atque ego itidem reſpondeo; olea prædi
debita quantitate, mixtura, præparatione exhibita, tantum n
corrodere corpus humanum: ſed ejus ſpiritus reficere, febres
tinguere, obſtructiones aperire, putredinem arcere, venena e
gere, ſitim ſedare, ulcera percurare, omneſque illas vires cu
laude ſua plurima exercere, quas illi Geſnerus epiſtola ad C
mam Medicum, aut Paracelſus in libro de vitriolo aſcripſeru
Memini ante annum me una cum Doctore Penneio & ἀντάδιλ
meo chariſſimo Turnero ægrotum quendam cacochymicu
inviſiſſe, illique Zulapium noſtrum vitriolatum ad ſitim ſed
dam & viſcera aperienda præſcripſiſſe: quod tamen ſummus i
pontificiorum ἀρχίατρος nullo conſilio, nulla pietate factu
impudenter aſſeveravit, noſtramque medicinam nihil profu
ram ægroto multis contendit. Tandem verò omne in ſe on
recipiendi ſtudioſus, precibus & grato ſed falſiſſimo valetudi
præſagio ita invaluit, ut huic omnis illius cacochymici cura c
mandaretur; argumentis autem contra uſum olei vitriolati i
dem planè tecum uſus eſt: ſed quam abſque omni rubore & co
ſcientia, ex eo ſatis apparet: quod à diſputatione triduo elapſ
ipſe eodem oleo in eodem ægroto uteretur. Poſtridie purgavit
grum ingratiſſimo medicamento: ſed quam peſſimo ſucceſſ
ſequenti mane & ipſe & omnes amici ad ſummum doloris ſe
ſum intellexerunt. Ego verò tam pij optimique ægroti vitam
gnam eſſe ſentio, quæ mille idololatrarum capitibus redimeret
fuit enim & Domino ſuo illuſtriſſimo fidelis, & vitam egit cora
aliis gravi nulla labe conſperſam: atque hæc de oleo vitrioli: nu
de argento vivo, atque antimonio quædam attexam, & poſtea
arſenico. Ph. Quæ de illo pontificiorum Archiatro ἱστορεῖν
valdè grata ſunt mihi; tamen ne tu in argenti vivi laude pudo
limites tranſiliens in ſimiles ſcopulos impingas, iterum atque i
rum te rogo. Haud enim video, cur non quartanam aut po
gram referas pari ratione inter optima medicamenta. Vidi en
alios ſola Mercuriali inunctione in paralyſin, ſurditatem, ſtrum
colicos dolores, dyſenterias, convulſiones, tremores incidiſſe,
etiam dentes expuit, ille ungues, capillos, maxillam, columella
artus perdidit, alij perioſtii diſtentionibus, contracturis, morb
que lue ipſa pejoribus ad extremum vitæ halitum diſcruciaba
tur. Ch. Fateor, nihilominus (ut tuæ illæ cantharides) argent
vivum certa quadam præparatione, doſi, & mixtura, divinum

vadit pharmacum, & ſolus tam horrendæ luis ῥιζοτόμος dici meretur. PH. Nempe quando enecatur, nonne hoc diceres? CH. Sanè, rectè enim enecatus Mercurius non recrudeſcit, non rodit, non putrefacit: ſed illam veneream contagionem radicitus, imò eradicitus extirpat; ſed quid rides? PH. Quia nequeo non deridere aliquorum inſaniam, dum Panthera vel tigride ferociorem cicurare, & immortalem jugulare tentant Mercurium. Quare alij hunc in aceto, alij in ſucco limonum, ſputo jejuni, lixivio, aut urina pueri ſuffocant: ſextus ſuſpenſum tenet: ſeptimus præcipitem agit: octavus verò ſepelit in ærugine: nonus ſtanno includit: decimus enecat hoc modo: *Accipe arg. vivi. q. v. mortario plumbeo impone: quod linteo obducitur cineribus cribratis pleno; ſuper cineres liquatum plumbum ſepties effundito, & tunc Mercurium exanimatum in fundo* (*ô plumbeum & profundiſſimum commentum*) *reperies propter odorem plumbi.* Verum utcunque ab ipſis enecatus dicitur, in tepidam poſitus reſurgit, foriſque illitus ejuſmodi excitat ulcuſcula, quæ luem ipſam excedunt malignitate, & vel feris exoptare inhumanum eſt. CH. Facilè aſſentior, atque hinc argumentum elicio, communem veterum peritiam nihil ab impoſtura vel ſaltem imperitia differre. Chemici autem Mercurium anima ſpoliant ſola ignea fixatione, atque ita neque operam ludunt, neque unquam cruciant ægrotum. PH. Cæterum Galenici noſtri Doctores (ſic enim vocari geſtiunt) noxia mineralia quo magis ad Vulcani violentiam exponuntur, eo acriora eſſe contendunt, & pernicioſiorem ſortiri vim. Nam ſi Olympio tantum ſublimati devoret, quantum argenti vivi Chalinus: nonne hunc ſupereſſe poſſe crèderes, atque illum certo interiturum? Quinetiam antimonium crudum non magis quam plumbum lædere, didici experimento: In igne tamen aliquandiu verberatum, in vitrum abit, ſtomachum, inteſtina, ſingula denique membra magno cum vitæ periculo laceſſens. CH. Non poſſum hac in parte aptius ſatisfacere, Athenienſis, quam ipſius Galeni verbis, quibus ſalis Theriacalis præſtantiam adverſus calumniantium linguas propugnat, lege verba. PH. Multa quidem evadunt ignis commercio meliora, & latentem naturam edunt; aurum quippe judicamus per ignem, adulteratumque à puro ſeparamus; ferrum igne ad multos nobis uſus aptum eſt. Nonne etiam plurima, quæ ingrediuntur in corpus, ignis beneficio ad nutritionem magis idonea redduntur? ſane vinum ab uvis preſſum crudum eſt: ſolis autem igne concoctum ſuave καὶ ἡδύποτον efficitur. Imò quæ rudiori ſua natura corpus exurunt, ut chalcitis: eadem cocta ulcus claudunt. Lapis item Phrygius crudus acerrimus eſt; ignitus, præſentaneum oculis remedium: imò & viperæ omnes

combuſtæ inſitum ſibi virus deponunt, & ab igne ſalutares redduntur. Porro multa medicamenta quandiu veterem ſuam obtinent naturam, acerrima eſſe & corporibus noſtris inimica, experientia docet: domita vero ignis violentia, curationi fiunt congrua. Video te ex iſtis verbis colligere: arſenicum, mercurium, antimonium, & alia quævis erodentia maximeque venenata metallica atque mineralia ignis beneficio ſalutarem nanciſci vim, & ſi in ſalem ſuum (perinde atque viperæ) redigantur, omnem malignitatem, putrefactionem, venenum, corroſionem, acrimoniamque deponere. Ch. Recte colligis: atque etiam ut idem credas, nullum ex univerſo Naturæ penu venenum eliges, quod poſt factam in igne fixationem bibere recuſabo. Ph Damnas igitur antimonium, vitriolum, arſenicum, mercurium, aliaque id genus nondum fixata medicamenta? Ch. Planiſſime niſi forte iis rebus admiſceantur, quæ ipſorum vel leniant acrimoniam, vel malignitatem fræni inſtar cohibeant; ſic enim illa ad lædendum facilitas demetur, & medica facultas ceu idoneum nacta vehiculum exaltabitur. CH. Facile aſſentior. Verum duo adhuc ſcrupuli me angunt, quos cito evelli cupio. Primum quod non aſſequor: Quâ tandem ratione medicamenta ad fixationem uſque combuſta medicam retineant vim; deinde vereor, ex longa ignitione plurimum empyreumatis conciliari, id, quod nobis ingratiſſimum & valde noxium eſſe, nemo non fatebitur recte philoſophantium. CH. Utrumque ſcrupulum tum tui Galeni, tum noſtræ experientiæ viva voce evellam. Nam quis in ſalibus Theriacalibus, tot florum, tot aromatum ſpecies recipientibus vel ſenſit unquam empyreuma, vel operandi impotentiam animadvertit? hoc ſolum deſideratur, eos non æque magno agere periculo: id quod deſiderari, mea certe ſententia, quam frui optabilius eſt. Eam igitur eſſe ignis non cujusvis, ſed chemici, naturam intellige: ut arcanum nunc in ſale, nunc in ſulphure, nunc in Mercurio latitans ſemper retineat, avolare nunquam permittat. Quod vero empyreuma attinet, id nobis oſtendit Pyrotechnia; Medicamenta quanto diutius in igne manſerint, tanto minus habere in ſe aduſtionis: quia ſcilicet ſulphur peregrinum diuturna combuſtione evanuit. PH. Viciſti me, Chemiſta: atque ita viciſti, ut qui tuam peritiam furtivis quibusdam interrogatiunculis expiſcatus redire ad Galenicos inſtitui: nunc ibi ſervitutem ſervire perpetuam non recuſabo, & ciniflonis, argillarii vigilisve locum ſubibo, nullam denique non admittam conditionem, quæ huic tam præſtanti ſcientiæ perdiſcendæ adminiculo ſit. CH. Probe facis, Athenienſis; nam juxta illud Comici dictum: Eſt qui nos videt atque omnia moderatur Deus; Bene merenti, bene eveniet; male merenti par erit. Quæ igitur videris, ea tibi ſerves arcana memor illius

Hippo-

Hippocraticæ legis vere aureæ: τὰ ἱερὰ πράγματα ἱεροῖσιν ἀνθρώποισι δείκνυται, τοῖς δὲ βεβήλοισιν, οὐ θέμις. PH. Memorem mones, ecquid jam reſtat amplius? CH. Hoc ſolum, ne unquam poſtea Phileraſtus dicaris, ſed Philalethes: hoc enim nomen ut longe auguſtius altero, ſic etiam chemico futuro videtur convenientius. Age, nunc te deſtillatoriæ provinciæ præfectum volo, & reliquis meis ſervis præeſſe. Mihi vero ad ægrotum quendam longe hinc habitantem properandum eſt. Tibi ſi quis interim ſcrupulus moleſtiæ fuerit, eum per literas ſignifica; atque ut primo quoquo nuncio eximatur, diligenter curabo. Vale PHILAL. Et tu vale, atque ad nos vel Pegaſo citius revertere, nam dum te iterum amplectar, etiamſi craſtino amplectar, ſeculum eſt. Vale.

EPISTOLAE QUINQUE MEDICINALES AB EODEM AVCTORE CONSCRIPTÆ.

PHILALETHI GERMANO. Chemiſta S.

VEniſſe ad te quendam Galenicum ſcribis, magno convitiorum mendaciorumque numero, ceu haſtis amentatis inſtructum. Qui licet non ſcutum efferri poſtulat, ſed ſcuticam: placuit tamen tandiu illi reſpondendo vacare, quandiu ægrotus hic apud quem nunc verſor, otium mihi conceſſerit. *Obiicit*, inquis, *Chemiſtas à patrum auctoritatibus omnino recedere:* id quod in aliquibus ſi faciant, probrum honeſtum judico: ſi vero in omnibus (ut is malitioſe fingit) cenſeo periniquum. Valde enim probo illud Hippocratis; collaudo omnium medicorum ſententiam; ἤνπερ ἐκ περιπλώσιος ποιῆται τὴν ἀρχὴν, καὶ τὴν καταφορὴν ἐκ τῶν φαινομένων μεθοδεύῃ. Elegans quippe eſt ex demonſtratione atque opere manans oratio, inelegans contra & infructuoſa ex ſola imaginatione proveniens. Non ſecus cum Chemiſtis agitur, Philalethes, eadem libertate Galenum in variis locis linquentibus: qua ipſe à proavorum de unico elemento ſententia olim defecit. Sed audiamus cætera convitia, quibus meam Chemicam Baſilicam ceu igne quodam malorum incendere inſtituit. Dicit *Chemiſtas omnes politioris doctrinæ ignaros eſſe: græcos non legiſſe auctores, Arabes vix à limine ſalutaſſe, a ſolo Paracelſo, ebrio, mago, impoſtore, agyrta, circumforaneo, obſcuritatum artifice, cæli, terræque odio edoctos.* Magnam denique talium verborum illuviem neſcio an ex animo, an ex ore fæculentiore ejecit. Cæterum ne nos in chemica tantum palæſtra animoſos eſſe exiſtimet,

ſtimet,& domi ſolum pugnaces,more galli: ego illum Thraſonem (omnium Chemiſtarum minimus) in ſua ipſius arena provoco,& ſecum in Græca Arabicave planitie confligere, neutiquam timeſco ſolus. Quod vero nos à ſolo Paracelſo edoctos ſcribit, non abhorret à cæteris mendaciis. Quandoquidem Hermetis Triſmegiſti,Iſaaci,Baconis, Nortonis, Riplei, Voſchij aliorumque pene infinitorum libri multis annis ante Paracelſum natum conſcripti plurimum nos erudierunt, & ex hujus pene inextricabili labyrintho eduxerunt. Ad Paracelſi vitia,id reddo loco reſponſionis: Hominem vitio carentem, raro videre eſt: amo autem maxime eum,qui delinquit minus. *Hip. Lib. de vet. med.* Sed ſane curioſulum Galeniſtam eſſe oportet,& minus improbum,qui in Theophraſti pectore ſerpentis oculum geſtans, ſua interim ſcelera non videt. Tamen ut flagitioſus & omnibus vitiorum nominibus contaminaſſimus fuerit: Chemiſtæ id eſſe officium ſignumque ſæpius dixi,non quemvis aut quodvis imitari; ſed arripere quæ bona ſunt, eaque in vitæ uſum transferre. Nam ut Venus ſeſe offerens atque agglutinans venereum excitat nepotulum, caſtum vero & pudicum adoleſcentem non urit: ita etiam Paracelſi alteriusve auctoris vitia animum forte improbum delectant: Chemicam autem ſive depuratam mentem non movent. Cabala naturalis,Pyrotechnia, Medicamentorum exaltatio,Phyſices contemplatio,feſtivitas,mirabilis inventio, ingenium ſingulare Paracelſi; Hæc Chemicos delectant, capiunt, alliciunt, attrahunt; Magia non naturalis, ebrietas, maledicentia, methodi contemtus, ea quidem omnia à Chemicis non ſolum in Græcis illis & Ethnicis, ſed etiam in ipſo Paracelſo reprehenduntur. Verum ut illi quiſquis ſit calumniatori ſuos quoque deos aperiam, nullum vitium Paracelſo ineſſe affirmo, quin illud aut vicarium aliquod Hippocrati ſuoque in primis Galeno poterat adſcribi. *Fuit obſcurus Paracelſus:* fateor & cauſa jubet. Sed quoque obſcuriſſimus Hippocrates, neque à Galeno qua verba,qua ſententias, intellectus. *Methodum ignoravit.* Eandem quoque neſcivit, vel ſaltem ſprevit Hippocrates: dum nobis medicinam rudem,indigeſtam,incoctam,& rerum confuſione,tautologiiſque plenam obtruderet. Eo forte conſilio, ne ſuæ poſteritati,cujus ſocordiam prævidit,omnis laborandi occaſio eriperetur. Addit præterea: *Paracelſum contraria quandoque ponere principia: nec tam Proteum à ſeipſo, quam Paracelſum à Paracelſo differre.* Verum niſi huic μνημονικῷ errato venia detur, educemus denuo Hippocratem infinities à ſeipſo diſſentientem. Teſtor Cardanum, Rorarium, ipſumque adeo Eraſtũ,qui varias ipſius contradictiones animadverterunt. *Sed fuit Paracelſus quoq; magus, impoſtor, habuitq; cum dæmonibus commercium. Ebrietati ita indulſit,ut integros dies noctesq;*

cum

cum ruſticis, bajulis, & face carnificum compotaret. Quæ ſi vera eſſe omnia concederem: habent tamen Galenicæ medicinæ patroni ſimiles nævos, vel multo turpiores quidem. Et ne ſolum ex imi ſubſellij medicis tanquam de fæce videar hauſiſſe, intueamur rurſus Hippocratem atque Galenum, quos ille divorum ſanguine natos paſſim clamitat. Verum (ut Indi aliquando ad Hiſpanos ſeſe divorum filios facientes non inepte reſponderunt) ſi deorum filij talia admittant ſcelera, quid nobis deorum ſobolem aut proſapiam Apollinis cõmemoratis? videte an juſtum, an naturale fecit Hippocrates, an quicquam divo dignum, cum profligatæ pudicitiæ ſaltatriculæ abortum data opera movet? *Lib. de Na. p.* ſi factum neges Æthiopem lavas: ipſe enim fatetur reus. Si agnoſcas: agnoſce una ejus impietatem, qui plus meretricis animo, quam Naturæ Deique voluntati obtemperavit. Scio quendam Galeniſtam præclari nominis huic ſtrumæ dibaphum prætendere, factumq; Hippocratis æquitate quadam abſurda, vel potius æquitatis ſpecie defendere. Alij vero, ut ſuo patrono bene ſit, hoc ſcelere Polypum aſpergunt: cum tamen rem agnoſcat Hippocrates à ſe commiſſam atq; propterea juramento poſteros obſtringat, *γυναικὶ μὴ διδόναι πεσσὸν φθόριον*. Galenus deniq; ut erat in omnibus φιλόδοξος, invidus, malitioſus: ita quoq; mentitur multa, nonnulla torquet; & varijs in locis ſeſe Plutoni, Hippocrati, Moſi, imo Creatori, Redemptori, cunctisque Chriſtianis oppoſuit inimicum. Notum eſt *Lib. 2. & 3. de diff. pulſ.* rem ita habere, atque ſcribo; nil addo illius tantis ſceleribus, nec addendum cenſeo: quandoquidem hæc ſola ſatis putere, & Gale- *Lib. 11. de uſ. part.* nicam impietatem probare videantur. Nunc venio ad ignorantiam Paracelſi in literis ſcientiisque humanioribus: quam uti non inficior fuiſſe aliquam, ita nec concedo tantam, quantam is eſſe vult. Nam Galenicam novit doctrinam: in Hippocratem commentatus eſt: Arabes examinavit: librum de Tartaro una cum Chirurgicis aliquot ſcholijs latinis mandavit literis, & publice in Academia Baſilienſi dictavit. Verum eſto, *Paracelſum germanice tantum locutum eſſe*, quin & tantum græce Hippocrates; uterque ſcilicet patriam tantum linguam. Hoccine in Paracelſo reprehenſione dignum, & prætereundum in Hippocrate, Aetio, Actuario, Galeno, Moſchione? Totus à juſtitia alienus eſt ille Galeniſta, nihil ſani obtinet; nihil modeſti. Nam quid mea refert, Græcusne legatur, an Anglus? Italus, an Gallus ſcriptor? Siccine nos peregrino lumine delectari æquum eſt, ut nativos deſpicatui habeamus ſoles? Quid impedit, ἐὰν νῦν παρῇ, Helvetiam, Angliam, aut quamvis terram Græcos ut mechanica (qua tamen olim efferebantur) ſic etiam medica cognitione ſuperare? ſoli Græci medici? nulla rerum mutatio, nulla viciſſitudo eſt? imò plurima. Nam Italia, Gallia, Germania, Hiſpania, Dania, noſtraque tota

divisa

diviſa orbe Britannia, omnium artium dominæ & ſoſpitatrices florent. Hic ſedent ſcientiæ, hic habitat Medicina, hic Hygiæ & Panaceæ fanum eſt, hic Hippocrates ſuis exulans excipitur, & Galeni opera poliuntur eorum ſcriptis, quos ipſe urſos, leones, apros, & omnino barbaros vocavit. Illam igitur multilinguem peritiam in Paracelſo deſideratam, uti ego non reprehendo, ita nolim à Galeniſta illo calumniatore tantopere extolli, ac ſi ad boni medici eſſentiam pertinere videatur. Hunc enim non tam πολυγλωττία quam πολυπραξία efficit: Medicique ab ægris opera conducitur, non oratio. Deinde cum multi Græcorum nullum idioma calluerunt præter vernaculum: difficilis ſed neceſſaria Galeniſtæ optio datur, vel ut ſuæ familiæ Atlantes damnet, vel hominem patrio tantum ſermone inſtructum medicinæ coryphæum eſſe poſſe ingenue confiteatur. Præterea ſuus ille, quem ſe amare ſimulat, Hippocrates ad perfectam medicinam ſeptem hæc ſufficere contendit: *Naturam, præceptionem, locum ſtudiis aptum, inſtitutionem à pueris, ſtudium, induſtriam, tempus.* recte; nam Natura duce procedunt, ipſa reluctante irrita fiunt omnia; hæc enim velut ager eſt; præceptiones ſeminum tenent vicem; inſtitutio à teneris cum agricola convenit, qui opportune facit ſementem; locus ſtudiis aptus aeri reſpondet è terra naſcentibus alimentum ſuppeditanti; ſtudium cultura eſt; induſtria culturæ famula; tempus denique hæc omnia in medico corroborat ut perfecte enutriatur. His ſeptem in Medicinæ ſtudioſo concurrentibus Medicum fieri poſſe inquit Hippocrates, μὴ λόγῳ μοῦνον per urbes, ἀλλὰ καὶ ἔργῳ obambulantem: illam autem non requirit πολυγλωττολογίαν, quę forte adornat medicum, non efficit: & magis ad perſonæ ejus elegantiam, quam medici eſſentiam conſtituendum utilis eſt, & profecto quid aliud emolumenti affert iſta peritia, niſi ut docti videamur verbis cum res non ſuppetunt, quod eſt ſtultæ ambitionis: vel ut Arabicos, Græcosve intelligamus auctores, quod eſt bene infructuoſum. Nam omnibus perlectis, quid aliud deportamus, obſecro: quam pro una veritatis ſpica, varios faſciculos errorum, obſcuritatum, ſophiſmatum, mendaciorum, antitheſeon, & quædam experimentorum fallacium impedimenta? hæc multilinguum laus erit, hoc ornamentum, ſic deſcribi ipſos oportuit; quorum ſi quis in medicina uſus ſit, ille erit profecto: quod libros ex uno idiomate in aliud vertere noverunt: id quod illorum in medicina peritiam non ſolum non augebit ſed etiam valde imminuet, dum rebus praxique omiſſis verbis dare operam coguntur. Sed pergamus porro: *Paracelſus Logices, Phyſices, Aſtrologiæ, Geometriæ fuit ignarus.* Et quales illius Galenici conſectatores dicam, quorum nemo ita ſuam artem definivit, ut vel aliis vel ſibi ſatisfaciat. Hic enim artem eſſe contendit: ille ſcientiam: tertius utram-

utramque & neutram, ſed quodam modo: quartus à fine: quintus ab opere: ſextus ab eventu definit: ſeptimus *Medicinam artem eſſe dicit curandæ ſanitatis*: ſed illud etiam adjungit, *in corpore humano.* quaſi vero natura nomenque medicinæ plus huic, quam plantarum curationi, vel etiam κτηνιατρικῇ conveniat. Phyſicam vero Ethnicorum, cum ne Chriſtianis quidem in uſu ſit, non ſolum Paracelſo ſed & mihi ignotam eſſe percupio. Adde etiam nullum tam ſtabile in ea poſitum eſſe ἀξίωμα, quin illico unico argumento, ceu figulorum ollulæ ad lapilli ictum frangatur. Aſtrologi quoque noſtri prædicturi (ſi diis placet) quo die, qua hora, quo momento morietur vel convaleſcet æger, exeuntes ad lapidem ipſi impingunt neſcii, tibiisque fractis redeunt ridiculi domum. Geometrarum quoque tanta deprehenditur inſcitia, ut terræ mariſque ambitum ſe exacte tenere autumant, quantum tamen Londinum ab Iſelini diſtat oppidulo, juxta cum ignariſſimis ſciunt. Quod vero Galenicus ille Paracelſum cæli terræque odium vocare non erubeſcit, pudoris cancellos data opera tranſiliiſſe videatur. Fuit enim cælo chariſſimus propter ſummam aſtronomiæ peritiam; terræ propter vivam mixtorum anatomiam, è quibus non illam communem animulam, ſed aliam eduxit operatricem, variis tincturis, aſtris, influentiis, poteſtatibus donatam. Hæc habui adverſus Galenicum calumniatorem in Chemiæ gratiam ſcribenda: quem nunc multo aure empturum non diffido nihil ſcire Chemiſtam, etſi potius nihil tanti eſt, ut ipſum convitiorum pœniteat, cum ex fati votiq; placitis contumelioſus ſit. Id ſolum colophonis loco adjungo atque impero: ut ſi diutius pro foribus obgannire non abſtineat, quam citiſſime arceatur ab ædibus: vel ſaltem eo mittatur, ubi ferrum ferro atteri ſolet. Vale & quam nactus es ſpartam, hanc orna virtute tua; ſicuti feciſti antehac. Datæ Londino. 4. Cal. Febr. 1583.

PHILALETHI GERMANO Chemiſta S.

GAlenicum illum ab ædibus nolle arceri, iterum atque iterum ſcripſiſti: nihil tamen reprehendentem in vobis præter id: quod ad medicinam perdiſcẽdam ſenſibus ſolis confidere videmini. Næ ille ſi ſciret ſenſuum de rebus phyſicis teſtimonium quantæ gravitatis ſit, vel piſce taciturnior factus ſimile vobiſcum & ſentire & facere non erubeſceret. Nam abſque ſenſibus fuiſſet, nullum naturæ motum unquam concepiſſet ratio: horum autem miniſterio à rebus ſingularibus ad univerſalioris naturæ cognitionem quaſi manu perducebatur, variasque tum rerum tum ſcientiarum leges conſtituebat. Unde ratiocinatio ab Hipproca. non immerito vocatur, μνήμη τις ξυνθετικὴ τῶν μεθ' αἰσθήσεως ληφθέντων. Nam διάνοια petens a ſingularibus principium, ad veritatem tandem

dem perducit: quoties autem non ex evidenti obſervatione ſed probabili rationis commento procedit, hominem in viam ſeducit (ne ab Hippocra. verbo diſcedam) plane inviam. Imò in phyſicarum rerum adminiſtratione Chriſtus ipſe totius rationis fons, 20. *Ioan.* 27. 24. *Luc.* 39. plurimam fidem ſenſibus eſſe habendam aperte docet. Nam quando Thomas ille didymus de Chriſti reſurrectione nonnihil addubitaret: φέρε, inquit, τὸν δάκτυλόν σου ὧδε, καὶ ἴδε τὰς χεῖράς μου. καὶ φέρε τὴν χεῖρά σου, καὶ βάλε εἰς τὴν πλευράν μου καὶ μὴ ἄπιστος γίνου, ἀλλὰ πιστός, iterum, ψηλαφήσατέ με καὶ ἴδετε. ὅτι πνεῦμα σάρκα καὶ ὀστέα οὐκ ἔχει, καθὼς ἐμὲ θεωρεῖτε ἔχοντα. Utinam tam veri præceptoris exemplo phyſicam ſuam philoſophi ad ſenſus regulam, non imaginationis ſuæ ſomnium inſtituiſſent. Quos ſi nunc interroges, quo tandem pacto ſenſibilia corpora ex elementis non ſenſibilibus, acida ex inſipidis fiant, non reſpondent: *Veni, tange, Vide, oculum digitumque adhibe;* ſed, *crede, contemplare, imaginare, illudque Ariſtotelicum perdiſe;* δεῖ μὲν τὸν μανθάνοντα πιστεύειν. Illiberale profecto dictum, tantoque philoſophiæ patrono nimis indignum. Nihil enim medico tyroni accidere queat calamitoſius, quam ſuæ artis fundamentum ſubſtruere credulitatem, cogitationem, opinionem, incertitudinem, arenam, paludem, Syrten. Næ quantum præſtaret illos imitari viros, qui ædificaturi varias aſpiciunt domos, probe, polite, commode, examuſſim factas, ut ab optima quaque petito exemplo, ſibi ipſis ſimile hoſpitium ſuo uſque ſumptu ædificent. Quare hinc baſis, illinc parietum, alias zetarum, atriorum frontiſpicij, imbricamenti faciunt electionem: ſi quid etiam de ſuo invenire & addere valent, id deputatur in lucro, ſibique honori maximo futurum eſt. Quid ni enim ſicut architecturæ magiſtri multa eaque præclara addiderunt patribus noſtris ignota, ſic etiam in medicina ſe habeat adeo æmula architecturæ, ut eadem curationis methodo utantur. Noli igitur vel antiquiſſimo medico, nedum ipſi quidem Apollini ultra credere, quam veram dederit ἀπόδειξιν, ſenſuum calculo & longæ obſervationis voce ſancitam. Imò Galenus ille Galenicorum Deus diſertis verbis affirmat contra Sophiſtas, ex ſenſu & per ſenſum omnia phyſica axiomata originem duxiſſe, & ab iis ſi receſſerimus, nullam ſuperfuturam demonſtrationem. Sed opponit, *haud tutum eſſe ſenſuum ſequi arbitrium, quod his tam frequenter ac facile imponitur. Nam organo male affecto, medio infecto, objecto propius longiusve collocato, modoque recipiendi inepto, non aures tantum, ſed lingua, nares, cutis, ipſique adeo oculorum excubitores falluntur. Imò inter mille viros ſanitate (quantum judicare licet) fruentes pauci perfecte ſentiunt, & eodem modo ut alii: quod enim huic acidum, id alteri auſterum eſt; quod uni acre, id duobus amarum videtur, &c.*

tur, &c. Age: principium quod petit Galenicus, diſputationis gratia concedamus: nunquam tamen perſuaſerit alicui ſenſus tam plane hebetes fuiſſe, ut ſalva mente albedinem nivis, caliditatem ignis negaret. Vel ſi id faceret, ecquid indignum putes, qui inſanorum cruciamentis affectus virgis undique teratur? ſed iterum objicit, *turpe eſſe ratione excluſa ſenſibus cõmittere judicium:* id quod fieri à nobis, nunquam ne per inſomnium quidem venit in mentem. Sed veluti prætor in foro ſuam non præcipitans ſententiam, ex ſola teſtium oculatorum relatione in hanc vel illam partem inclinat: ita etiam in medicis controverſiis rationem judicare volumus: ſed ex ſolo ſenſuum præſcripto, qui illi nunciorum loco & vice proxenetarum inſerviunt. Atque propterea materialem corporis humani cauſam terram eſſe ſtatuimus, triplici illa ſalis, Mercurij, ſulphurisque ſubſtantia ditatam, non quia affirmat Paracelſus, Iſaacus, Geber, ſed quia videmus, tangimus, guſtamus illa tria principia, atque ſenſu docente agnoſcimus eſſe vera. Hujus autem doctrinam cum non admitteret Galenus, audi in quam turpes errores decidit imprudens. Nam cum diu apud priſcos controverſum eſſet, ſaporum differentiæ utrum ab elementis, an peculiari quadam materia naſcerentur: Galenus hoc totum elementorum mixtioni attribuendum eſſe dicebat. Unde igitur aciditas Galeno? nempe ex imbecillo admodum calore, medicamentum alimentumve mutante, non vincente. Quemadmodum in malis nondum maturis atque ciborum ſemicoctorum ructibus videre eſt. Verum quid aceto radicato, quid vitrioli ſulphurisque oleo acidius percipi queat; quorum utrumque calore tam extremo conſtat, ut propterea vocari cæperint ignea medicamenta. Nunc ad dulcedinem veniamus, quæ ſecundum Galeni placitum, à temperatiſſimo calore procreatur: ſive is inſitus fuerit (ut in melle) ſive acquiſititius, ut omnia quæ ab igne dulcia redduntur. Tamen ceruſſæ liquor & butyrum vitrioli (utrumque perdulce corpus) igne violentiſſimo dulcedinem comparari poſſe ſatis evincunt. Denique inſignis illa opii amaritudo, ſaporem hunc non ex immodico tantum calore naſci disertè monſtrat; id quod Galenus neſcio an probavit magis, an finxit. Senſuum quoque ſpreto judicio, pulſus poetas fecit Galenus, Spondæos, Pyrrichios, tribrachos, Dorice, Jonice, Sybaritice ludentes. Aliquando etiam Lydiam ipſis muſicam, aſcribit, ſpondæis, pyrrichios, trocheis jambos, dactylis anapæſtos miſcentem; varias deniq; eorum reciprocationes aliis fortè nominibus ſed multo obſcurioribus dividit. Hinc videas approbandum eſſe, non quicquid Hippocr: Galenus, Avicenna, Paracelſusve ſcribit: ſed cui ſenſus, oculi, experientiæ atteſtantur: à quibus omnis phyſica cognitio (ſi quæ modo ſit) tanquam ex ipſo latice depromitur. Adhibe igitur multam

2. De fac. ſimpl.

7. De ſim. fac. ſimpl.

multam rutam, chelidoniam, fœniculum, eufraſiam, multa oxydertica remedia, ne oculi hominum auctoritate, quaſi lemarum ſordibus infecti, aut nihil, aut parum, aut perperam medicinam intueantur. Noli inquam permittere, ut te cujusquam vinciat auctoritas, ſed ſingulorum opinionibus guſtatis, corrigás quæ falſæ fuerint, vel confirmes veras. Sic tandem Theoriam Praximque medicam aſſequeris, non qualem illi ſomniarunt, ſed quam ipſe ἀυτοθιασάμενος cognoſcis eſſe bonam; Chemiſtam deniq; te præſtes; ſingula videas, retine quæ tua ſunt: homogenea (inquam) ab heterogeneis accurate ſegreges. Quid enim medico cum cauſis animæ? id Theologi diſputent; coqui etiam ſaporum; pictores colorum; unguentarii odorum; Muſici ſonorum cauſas examinent. Tibi vero ſatis fuerit noviſſe, quid proſit & quid noceat tuo ſubjecto. Has enim ſecundas qualitates ſenſus exteriores afficientes, nunquam vel in primarum mixtione, vel in alio quocunque philoſophorum figmento vere videris. Quin potius (ſi hoc videre geſtias) vegetabilium, animalium, metallicorum vivam fac anatomiam; & ubi tinctura, ſapor odorve habitat, ubi venenum, ubi Theriaca medicamentorum deliteſcit, non alienis, ſed tuis oculis perſpicito. Digna quidem provincia in qua omnes medici conſeneſcant, & plena exercitationis. Atque ita ſenſuum judicio medici opinionem conſonam eſſe debere liquidum reddidi, ipſumque Galeniſtam idem mecum dicturum eſſe non dubito. Vale. Datæ Londino 6. Idus Febr. 1583.

PHILALETHI CHEMISTA S

PEtis à me, Philalethes, quid faciet in hac auctorum ſectarumque varietate medicus novitius, quem potiſſimum ſequetur? Hippocratem, Galenum, Avicennam, Paracelſum, hunc, illum, omnes, an nullum? ardua mihi crede quæſtio & plena difficultatis. Tamen ſi res meo ſtaret ſuffragio, ego omnibus medicis aſſentirer, quantum illi veritati: tantumque illos relinquerem, quantum illi hanc. Alias ſiquidem Phalaridis imperium, non juſtitiæ placitum videretur, quos Natura liberos progenuit, eos ceu nuper ab haſta emptos unius philoſophi judicio emancipari. Nàm cum juxta illud Hippocratis, Medicina longa ſit, vel cum Medici ætate, temporis curriculo, judicij difficultate, aut cum experimenti incertitudine collata: quinam perſuaderi mihi ſinam, ab uno imo à cunctis Medicis ſummam manum ita fuiſſe adhibitam medicinæ, ut nihil addi adimique vel queat vel debeat? Tamen video pleroſque avitæ doctrinæ nimios æſtimatores, ad Patrum auctoritatem veluti Meniam aliquam columnam confugere, atque illud Pythagoreorum telum adſciſcere, ἀυτὸς ἔφα. Hac vero collabente à pontificiis opem quærunt, illaque confeſtim accerſunt ſubſidia aſinorum: *Credendum eſt patribus, conciliis, ſucceſſionibus*

Aſcle-

Aſclepiadarum, familiis Arabum, conſuetudinibus & ritibus Academiarum, &c. Cum tamen unicum Helvetium illis omnibus & meliora ſciviſſe & plura inveniſſe medicamenta, vel Paracelſi comprobet exemplar. Imo ipſum medicinæ veſtibulum localem anatomiam tantæ amplitudinis eſſe video, quantam quingentæ Olympiades Medicorum ſatis non ſunt complexæ. Quis enim Ariſtotelis illud commentum non videt, nervos aliquot à corde ducere originem? quis Platonis non deridet errorem, duplicem in pulmone meatum conſtituentis: alterum potus cibiq; in ventriculum, alterum vero aëris delatorem? Hippocrates quoque & Galenus, (quorum ille medicinam exuit, hic diduxit) in variis falſiſſimisque paradoxis, à Veſalio Anatomicorum ſole deprehenſi ſunt. Tamen Veſalium Columbus corrigit, Columbum Fallopius, utrumque præceptor meus cariſſimus Felix Platerus, qui poſt tot ſecula quædam in ſitu, uſu, & conformatione partium & nova, & pulcerrima notavit. Atque ſic Alpha Beta, Beta Gamma emendat: nec quidem Omega tam diligens erit Anatomiſta, quin vel alterius ſtylo, vel ſaltem à ſe ipſo corrigetur. Ecquid jam veriſimile eſt (Philalethes) nihil addendum adimendumve medicinæ, in cujus portu tot errorum ſcopuli reperiuntur, in quos cæca adoleſcentia prima quaque navigatione impingat? ſed ſolvamus altius, & phyſiologiam paulisper intueamur, cujus ſumma hęc eſt: *humanum corpus ex humoribus, humores ex elementis, elementa à principiis veniſſe.* Si vero interroges ex quo humore factus ſit homo, reſpondent: ex bile, utraque pituita & ſanguine in communem quendam humorem ſemen dictum coeuntibus. Sin ulterius ſciſciteris, utrum corpore humano ſemen, an illud ſemine natura antiquius ſit? Deus bone, quantam oſcitantiam hic videas, quantam timiditatem? nam ſi primum aſſeverant, effectum efficiente prius eſſe oportet, quod eſt abſurdum: ſi vero negant, tum homo aliunde factus eſt quam ex ſemine humano, ſuamque diruent mundi æternitatem, quam ipſi totius ſuæ religionis fecerant fundamentum. Nec aliter in elementorum doctrina ſe habet: Nam elementum alij unum eſſe volunt, alij multiplex, alii infinitum, innumerabile, immobile; hi quoque duo, illi tria, iſti quatuor, alii octo eſſe affirmant: omnes tamen in hoc mutuis vocibus conſpirant, nullum elementum, quod revera tale ſit ſentiri à nobis poſſe; omnique ſapore, colore deſtitui. Si vero tum interroges: quomodo inſipidorum mixtio elementorum, tot ſaporum colorumque ſpecies producat, ad Galeni illum clypeum concurrunt: *Vbi ſenſus hebeſcit, ibi ad rationem ceu diviniorem hominis partem eundum eſſe. Senſus quippe brutis una cum homine communis eſt: rationis autem lucidior ille oculus ea percipit, quæ ſenſus aciem nimis hebeſcentem effugiunt.* *2. De ſimpl. fac. c. 2. & 3.*

Atque ita verſatilis philoſophi reſponſione (qua quidvis probare, quidvis etiam diluere proclive ſit homini impudenti) quæſtioni

2. Lib. de puls. diſ.

neceſſariæ & nobili autumant ſatisfactum. Verum ſi Galenus Moſis Chriſtique ſcholam irrideat, quod in ea theſes aliquot habentur nulla conſtitutæ demonſtratione, idque in rebus phyſicis, ut ipſe affirmat: quanto magis jure Galenicam phyſiologiam cachinno ſibiliſque excipere oportet, quæ etiam in phyſicis rebus non ſenſuum demonſtrationem ſed imaginationis ſomnia

Lib. q. animi mor. ſeq. temper. corp.

teſtatur? Imo ut æqua magis fiat ἀναλογία, ſi Hippocrati non credendum cenſet Galenus, tanquam teſti, ſed demonſtratori, quidni & nos pari libertate ipſum demonſtrantem audiamus, & viciſſim rejiciamus delirantem? ſed interrogas: *Ecquid antiquis illis ſcriptoribus, an neotericis potius confidendum ſit?* ſanè iſtis recentioribus. Quod in hac ſeneſcentis mundi ætate, non ſolum linguarum dona, ſed quoque methodum adepti ſumus inſignem, cujus beneficio veterum ſcripta non confuſim & ſicuti naſcebantur tumultuario opere conſarcinata, ſed eleganter diſpoſita, ſuis locis, capitibus, artubus diſtincta, & varie illuſtrata legimus, videamurque hoc pacto coruo ſimiles in faſtigio turris ſedenti, qui licet ad terreſtres corvos collatus, paſſerculum repræſentat, tamen ob ſitum elatiorem longius proſpicit quam illi, & accuratius judicat objecta. Eſto enim, nihil à neotericis dici, quod non ſit dictum prius: nihilominus quæ rectius, planius, elegantius, apertius, fuſiusve aut ſubtilius dicuntur, multa inveneris; verbi gratia: Chemiam tractavit Mercurius ille ter maximus, circa Moyſis ætatem natus, ſed ita obſcure, ut capere eum nec coævi nedum Latini potuerint. Succeſſit poſtea Zoroaſtres, Salomon, & poſt ipſum Arabum familia, quorum tamen ante Gebrum, nemo quod ſcimus Chemiam definivit, diviſit, ſuiſque organis, actionibus, materia, effectibus locupletavit. Huic tamen Paracelſus alijque præclari Chemici tam ſermonis perſpicuitatem, quam rerum ordinem addiderunt, vereque affirmare poſſunt illud de ſeipſis: *Dictavit ille nos, & nos illum.* Imò licet Hippocrati tan-

3. Lib. de uſ. part.

quam medicinæ conditori & parenti, Galenus ſummum deferat honorem, nihilominus paſſim ſermonem ejus arguit veluti non exactum, improprium, obſcurum, inconditum, indiſtinctum, & modo mancũ, modo cõtra ſuperfluum. Et quando diligentiam in eo deſiderat, confuſam & inordinatam traditionem reprehendit:

1. de vict. rat. in act.

nonnunquam ineptitudinis, oblivionis, erroris, & mendacij tacite inſimulat: & circa pharmaca pleuriticis danda, ab eo totus diſſentit. Rem tibi lepidiſſimam narrabo, Guilelme mi, de quodam Galenico idololatra, vetuſtatis admiratore. Hic cum damnaret quidquid non vetus eſſet, & à Galeno ipſo vel Hippocrate conſcriptum, obtuli illi Hippocratis de elegantia libellum Germano cui-

no cuidam falſo inſcriptum: quem perlectum, ſtultitiæ, curioſitatis, ἀταξίας, & obſcuritatis accuſabat, addito etiam convitio cynicæ moroſitatis. Verum cum Hippocratis non Germani ſcriptum fuiſſe prolatis tabulis oſtenderem, erubuit miſer & vitæ infamiæque ſatur aufugit. Suadeo igitur ut nullius addictus jurare in verba magiſtri; te nemini prorſus emancipes ſcriptori, ſed ut veteribus & præcipue neotericis diligenter examinatis, tantum illis tribuas, quantum illi demonſtrationi, ſine qua quicquam affirmare quam ridiculum ſit, vel Geometriæ exempla oſtendunt. Bene vale: & me quantum diligis, tantum fac ut valeas. Datæ Londino 3. Non. Maii. CIↃ.IC.XXCII.

PHILALETHI CHEMISTA S. P. D.

SÆpius me percontatus es, Philalethes, quum nemini me addici patiar auctori, an ſequerer ipſe me, pluſq; meo judicio quam omnium claſſicorum placitis tribuerem? nolo hoc. Sed naturæ lumine ducar, non cæco illo naturæ auſpicio quo nitimur in vetitum, & veritate relicta comitem nobis jungimus errorem. Quid igitur per naturæ lumen intelligis? ecquid natura artem imbibimus, vel ex traduce conſequimur ſcientiam? neque hoc ſtatuo. Nam recens nati tabulæ abraſæ ſimiles videmur, in quibus ſcilicet actus ſcientiarum non inſcribitur, ſed potentia quædam exigua fati benignitate & præceptorum obſtetricatione temporiſque decurſu adoleſcit. Quid eſt igitur lumen naturæ? primæ naturæ ſive integritatis judicio velut fulgur quoddam, non innatum ſed inditum nobis à Deo: quo falſum à vero, diviniore mentis oculo diſcernimus. Etenim medicos duplices eſſe puto: alios Theodidactos, quales erant Apoſtoli: alios vero mediate iſto fulgure illuminatos, quales antiqui fuerant Chemiſtæ. Atque quemadmodum fulgur nunc ab hac cæli plaga, nunc vero ab illa emicat: ita etiam naturæ lumen alias atque alias ducit originem. Nunc à Deo immediate veluti in Adamo, qui dum integer vitæ ſceleriſque purus eſſet, non novit tantum, ſed etiam nominavit univerſa. At poſtquam immigravit Protoplaſtus in ingenium ſuum, atque ab illo pietatis ſtatu deflexit, actum eſt de primo iſto lumine naturæ, ejuſq; loco phantaſia, error, opinio, tam ipſum quam omnẽ poſteritatem ſecreto quodam ſeminis contagio infecit. Hinc factum eſt, maximam partem eorum quæ ſcimus minimam eſſe partem eorum quæ ignoramus: imo revera nihil ſciri effecit, ſi ſcientiam perfectam rei cognitionem eſſe definias. Hanc tamen perfectionem proxime aſſequuntur ii, quotquot albicante illo & clariore naturæ fulgetro carentes, vicario ejus fruuntur, denſiore illo quidem & craſſiore, ſed tamen ad veritatem iter commonſtrante nobis, & quodammodo indigitante. Exempli cauſa: Inno-

naſcens ille Adamus, ſui adeoque cujusque corporis eſſentiam, naturam, hypoſtaſin, efficientes, formales, inſtrumentales, finales denique cauſas ex inſpiratione divina perfectè novit: nos vero idem quoque noſcere videmur, ſed quaſi per nebulam, & in parte, uti loquitur Apoſtolus, id eſt per analogias, ſimilitudines, collectiones, & macrocoſmi cum microcoſmo comparationem. Hinc dicimus hominis corpus ex ſolo ſulphure, Mercurio atque ſale conſtare: non quia tam perfecte id noſcimus atque Adamus, ſed quia tam naturalis quam artificioſa corporum omnigenorum reſolutio, rem ita ſe habere oſtendit. At quomodo perſuaſum eſt nobis verum eſſe illud ἀξίωμα, componi corpora ex iis primum, in quæ ultimo ſolvuntur? Quin illud numeri atq; ſyllabæ palam faciunt, qui ut fuerint compoſiti, tot ſigillatim unitates continere videas reſolutos, quot compoſiti repræſentabant. Atque ita à corporibus ad accidentia, à natura ad artem; atque ab una arte ad aliam facta analogia, principia illa tria vere eliciuntur, nunquam vel cujusvis Galenici conatu ruitura. Etenim naturæ & artis una eademque lex eſt. Omnia enim ſimilia ſunt, quantumvis diſſimilia, & omnia concordia, licet diſcordia videantur. Quare non immerito Hippocrates totius naturæ diſpenſationem operationemque in nobis, ab artium ſcientiarumque effectibus comparatione facta oſtendit. Nam revera ſpiritus ſerrantium partium ſubſtantia, telariæ, generatrix facultas plaſtices, temperamentum figuli, concoctio aurificis, auditus Muſici, ſapor coquinariæ, diæta architecturæ adeo æmula eſt, ut ſive actionem ſpectes, ſive finem, vix ullum videas diſcrimen. Imo naturam hominibus verſipellem animum indidiſſe, ex eo probat Hippocrates, quod alia ſentiant, alia loquantur, alia faciant, & iidem de iiſdem contrariam ſubinde tradant diſciplinam: quod artes quædam deceptoriæ reperiuntur, utpote palæſtrica, mercatoria, potatoria, luſoria, quas dextre facientem admiramur omnes, & virtutis eſſe putamus: cauſam tamen non intelligimus, ab ipſa naturæ ſimilitudine profectam. Hanc naturæ artisque conſonantiam ſi Galenici ſatis conciperent, nunquam negarent in corpore humano molitores, piſtores, coquos, archæos, chemiſtas, deſtillatores, bajulos, portitores, obſonatores, muſicos, Parmenones, Getas, Clarætas, Dædalos, ſculptores, aurifices, fullones, telarios, nuncios, fabros & architectos reperiri poſſe: multoque minus talium verborum auctores plusquam cynice irriderent. Nonne ſapientiſſimus ille vel ex Dei oraculo Eccleſiaſtes, manus domi cuſtodes, oſſa athletas, dentes molitores, oculos ſpeculatores, labia oſtiarios, aures excubitores, aſperam arteriam ſymphoniacam, capillos amygdalum, medullam ſpinæ filum argenteum, venas hydriam, hepar fontem, cor rotam, pericardium ciſternam vocavit? At quare hoc? Sane ex lumine naturæ,

Vide. Hipp. Lib. I. de diat. c. 8.

Cap. 12. eccl.

quo

quo nihil cum his partibus, ſi officium uſumque videas aptius conferri poſſe ſatis animadvertit. Vis tibi errores aliquot Galeniſtarum aperiam, in quos ob ſpretum naturæ lumen ad perpetuam nominis infamiam inciderunt? audi unum, eumque nobilem & inſignem. Cum Deus hominem ex humo factum dixerit, quid aliud voluit (Philalethes) quam ut materiæ humanæ agnoſcendæ ſtudioſus, ſubſtantiam humi perpenderet, eam diſtingueret, ſecaret, examinaret; illic nimirum humani corporis principia invenienda eſſe inſinuans, non alibi reperienda. Hoc lumine Galenici carentes, ignis, aerisque regionem aſcenderunt, in aquas deſcenderunt, atque ita terra cum illis mixta hominem non ex Dei præſcripto, ſed placito phantaſiæ commento fabricaverunt. Quinetiam cum in terra neque ſanguinem vident, neque pituitam, neque bilem atram aut nigram: Hominem tamen & lege & natura nihil eſſe aliud affirmant, præter hæc. Paracelſus contra aliique inſignes Chemici, cum à Deo tantum luminis hauſiſſent, materialia hominis principia in terra unde provenerat abſcondi: continuo atque improbo labore venas ejus diſſecuerunt, viſcera aperuerunt, oſſa fregerunt, medullam colliquarunt, nullum non lapidem moverunt, ut quæ illic habentur corpora diligenter examinarent. Tandem vero Pyrotechniæ Alchemiæque beneficio, longisque ſuis & plus quam Herculeis laboribus, nihil ſimplex in terra deprehenderunt, præter *Vaporoſum, inflammabile, fixum*: nihil mixtum, quod non ex iisdem ſimplicibus componeretur. Quare hominis quoque principium duplex eſſe conſtituunt, alterum volatile, alterum vero fixum. Volatile viciſſim duplex eſt: primum vaporoſum, quod Mercurius dicitur, ſecundum inflammabile, quod ſulphuris nomen obtinuit. Mercurius eſt corporis principium vaporoſum: per ſe ipſum interminabile, humidum, liquidum, naturalis balſami vehiculum: ſulphur cum ſale, ceu aqua cum arena calcem incorporans. Sulphur eſt corporis principium inflammabile, pingue, leve, æquale, vitalis balſami fomentum. Sal vero eſt fixum corporis principium, pondus, ſoliditatem, roburque maximum concilians, neque ferro neque igni cedens per ſe. Horum principiorum differentiæ duæ ſunt: aliæ domeſticæ, cum ad ſe ipſa, aliæ exotericæ, quando cum aliis conferuntur. Domeſticum in homine principium appellatur, quod ad corpus in integritate ſervandum natum eſt; at vero quod id ipſum corrumpit, dicitur peregrinum. Hoc autem vel innaſcitur à parentibus & perpetuam valetudinem efficit, aut à nutrice & diæta externa contrahitur, corporisque dyſcraſiam inducit diuturnam. Ut autem peregrini domeſticique principii naturam quamque particularem rectius examinemus, omnia ſulphura, ſales, Mercuriosque omnes inveſtigare operæ pre-

tium erit: ut ita ſulphur ſulphuri (ceu purpura purpuræ) collatum, naturale à non naturali facilius diſtingui queat. Sulphur autem omne in majori mundo (qui eſt lumen minoris) vel eſt perfecte, vel eſt imperfecte animatorum; perfecte animatorum, animalium, vegetabilium; imperfecte, Mineralium. Animalium denique & vegetabilium ſulphur, vel nativum reperitur vel artificiale. Nativum quod ipſa ejicit natura ſenſibusque tractandum emittit: qualia ſunt, pinguedines omnium animalium exudantes, cereficia apum, reſinæ arborum, lacrymæ laricis, terebinthinæ, abietis, ſtyracis, piceæ, lentiſci: &c. gummi ceraſorum, laccæ, laſerpitij, panacis, cedri, thuris, myrrhæ, &c. Artificialia verò, ſunt olea, ſpiritus ardentes, reſinæ, lacrymæ, & gummata combuſtibilia, ex utriſque, tam animalibus ſcilicet, quam vegetabilibus extracta. Mineralia verò ſulphura, artis quoque & naturæ beneficio eliciuntur. Naturæ, ut ſuccini, bituminis, oleorum, pinguedinum, ſulphurum, omniumque corporum unctuoſorum ſub terra ſpontinæ efflorescentiæ. Artificialia ſulphura quoque varia eliciuntur, ex pyrite, gagate, carbone foſſili, bitumine, terra ſolis, atque omni denique metallico, in quo ſulphur illud uſtibile reperitur. Atque hactenus de ſulphuris ſpeciebus, quæ tamen plures in majori mundo ſive arte, ſive natura factæ neutiquam inveniuntur, quam in totius humani generis corporibus. Nam uti animal ab animali, arbor ab arbore, minerale à minerali differt: ita etiam non eadem hominum facies, non color, non ſymmetria, non eadem textura, non idem per omnia ſulphur eſſe liquido conſtat. Nam quos Galenici melancholicos vocant, illi piceo, napthalio, nigro, denſo, impuroque ſulphure abundant. Bilioſi verò, cereo, croceo, ſuccineo, abietino, flavo, pellucido, ſubtili. Sanguinei, amaranthino, cariophyllato, rubro, claro, coccineo, medij temperamenti. Phlegmatici denique, ſulphure etiam præditi ſunt, ſed ceraſino, arabico, maſticino, gummoſo, albo, compacto, grumoſo, glutinoſo, craſſo, & difficulter flammam concipiente. Præterea, veluti in majori mundo quædam ſulphura benigna ſunt, & apta nutritioni, quædam ſola medicamentoſa; ita etiam in corpore humano ſe habet, quod dulci ſulphure ſulphureas enutrit partes, peregrinum verò in veſicam fellis demandat, & loco ſtimulantis pharmaci utitur ad alvi ſeductionem. Adhæc, ſicuti in majori mundo, quædam ſulphura calidiſſima, ut petroleum, quædam contra Narcotica reperiuntur, ut hyoſcyami, opij, vitrioli, ita quoque petroleum in corpore reperitur febrium tam univerſalium quam particularium, internarum quam externarum auctor: & viciſſim ſulphur vitrioli atque opii, in uteri ſuffocatione, lipothymia, malo mortuo, & lepra, aliiſque morbis conſpicitur. Atque uti quædam ſulphura craſſiſſima ſunt, quædam ſubtilia,

ſubtilia, quædam media (uti carbo foſſilis, ſulphur colliquatum, ſuccinum exaltatum inter foſſilia; pix navalis, reſina, terebinthina, inter vegetabilia; ſevum, pinguedo, adeps, inter animalia; illæque multiplices ſpiritus vinoſi graduationes inter artificialia, ſatis ſuperque monſtrant) ſic etiam diverſa in hominibus ſulphura reperiuntur, quorum craſſities longas febres efficit, ſubtilitas verò breviores. Et quemadmodum carbo foſſilis non diuturniorem ſolummodo, ſed quoque vehementiorem flammam obtinet, quam lucerna: quod hæc ſubtiliore, ille verò denſiore fruitur alimento: pari ratione, idem de febribus argumentum narrari poteſt: quarum ſulphur aliquando ſpirituoſum eſt, ut in Ephemera: aliquando craſſiuſculum, ut in ſynochis; ſæpe etiam valdè craſſum, ut in tertianis, aliquando craſſiſſimum, piceum, & carboni foſſili ſimilimum, ut in quartanis. Hinc illæ paroxyſmorum, febrium, criſiumque varietates, longitudines, brevitates, transplantationes, mixtiones, & veri canones emergunt. Id ſi vidiſſet Hippocrates, non ſolum plurimas febres à ſulphurea quadam materia prodiiſſe aſſeveraſſet; ſed univerſim omnes, nullamq; uſtionem, vel aëris illis ſpiritibus; vel etiam pituitoſis attribuiſſet. Quis enim aërem vel aquam, vel etiam terram, omni ſulphure vacantem accendi unquam deprehendit? Quod ſi id nunquam in majori mundo vidiſti, quo tandem pacto inveneris in minore? Verum ex jaculo ardente, fulgetro, candela, cometis, capra ſaltante, ſcintilla, ſtellis cadentibus, igne fatuo, Helena, Gemino, aliiſvè meteoris ignis inſtar exardeſcentibus perſuaſum ſit tibi, aërem quandoque flammam concipere poſſe: nimis te ipſum credulum oſtendes non attendens, illorum flammam haud ex aëre, ſed pingui quadam exhalatione originem cepiſſe: pro cujus craſſitie, ſubtilitate, copia, inopia, clariores, pellucidiores, obſcuriores, opaciores, breviores diuturniores omnes illæ ignitæ in aëre tipulæ evadant. Ad hæc, cum caloris non ſit accendi, ſed accendere quicquid comburi poteſt: cur febrem calorem accenſum eſſe definimus, idque ſæpè ex pituitoſa, aut terrea materia, quum tamen neutra omnigeno ſulphure deſtituta, vel tantillum poterit accendi? imò aquea omnia (cujuſmodi pituitam facimus) nec non verè terrea corpuſcula, ad ignem extinguendum nata ſunt, tantum abeſt ut ipſum nutriant ſuperinfuſa. Solum igitur ſulphur omnis ſublunaris ignis alimentum & ſedes eſt: reliqua verò omnia non niſi ex hujus commixtione, vel (ut ita dicam) vicinitate, incaleſcunt. Atque hæc de ſulphure. Verum ut aliæ corporis partes κατ' ἐξοχὴν ſulphureæ appellantur, nempe ſevum, omentum, adeps, pinguedo, glandulæ, medulla, bilis, & quod hic illic cernitur oleoſum, ita quoque nonnullæ Mercuriales appellantur eodem modo, ut aqua & pituita vulgò dicta, earumque receptacula

communia; nonnullæ itidem ſaliares, ut oſſa, viſcera graviora, ligamenta, cartilagines, tenaciores membranæ, ſerum, renes, ungues, capilli, &c. in quibus per artem reſolutis plus ſalis quàm mercurii aut ſulphuris reperitur. Si autem mercurii in corpore humano actionem planeque mirabilem revolutionem diſcere cupias, idipſum in majore mundo particularis naturæ ſpeculo primum intueri oportet: ubi quot aquæ, quot liquores incombuſtibiles, tot quoque mercurii inveniuntur. Nec non in nobis aliter ſe habet (Philalethes) quorum alij mercurii mercurio minerali, alii vegetabili, alii animali abundant. Atque ex mineralibus, huic Solis, illi Lunæ, tertio Veneris, quarto Jovis, quinto Saturni, ſexto Martis, ſeptimo Mercurij Mercurius inſignitur. Ex vegetabilibus verò, hic meliſſæ, cardui, ſalviæ, betonicæ; ille ſatyrionis, chelidoniæ, valerianæ, braſſatellæ Mercurij plurimum obtinuit; ex animalibus autem, Mercurius leonis, tigridis, catuli, vaccæ, equi, urſi, elephanti, nunc hic, nunc illic communicatur; ſi non ipſamet eſſentia, viribus tamen iiſdem inſignitus. Mercurius denique hominum, vel naturalis eſt, vel peregrinus. Naturalis dulcis, mitis, neque calidus, neque frigidus extra ſecundum gradum, nec quantitatem debitam excedens; peregrinus verò inſtar argenti vivi tam extremæ caliditatis quam frigiditatis dyſcraſia pollet, & ad putrefaciendum, rodendum, debilitandum, enervandum, ipſaque oſſa totius humanæ fabricæ ſtabilimenta labefactanda comparatus eſt. Hinc igitur apoplexiæ, paralyſes, fatuitates, rheumata, hydropes, leucophlegmatiæ, œdemata, Ptyeliſmi, ſtomachi, cerebri, cordis, veſicæ, ſpinalis medullæ, aliarumque partium inundationes naſcuntur, non ex pituita, aut phlegmate, quæ præter nomen fictitium nihil ſunt. Atque his de principio corporis volatili expoſitis, nunc venio ad ſalis, ſeu fixi illius principii anatomiam. Eſt autem ſal quoque vel domeſticus, vel peregrinus: ille gratus, mitis, præſervans à putrefactione, unitatis vinculum, & proprium quaſi condimentum ſanitatis; hic verò (nempe peregrinus) acrimoniam, aciditatem, ardorem, amaritudinem, eroſionem, puncturam, ſtimulationem, perforationemque ex ſatorum ſeminis vitio, aut propria intemperantia contraxit, omnium tam internorum, quam externorum ulcerum, exiturarum, apoſtematum cutisque apertionum auctor. Salis autem ſpecies in homine variæ dicuntur. Alij ex mineris orti, arſenicales, ferruginei, venerei, vitriolati, aluminoſi, gemmei, ammoniaci, cryſtallini; Alij à plantis ſumti, urticales, perſicarij, piperini, opiati, tartarei, aronici, zingeberini, &c. Alij vero ab animalibus, viperini, ferini, lupini, canini, ſtellionares, cantharidei, ſcorpionei, tarantulares, &c. nec ſanè immeritò. Nam veluti aliter afficitur homo à tarantula morſus, atque à ſtellione aut vipera: ſic

etiam quidam ſal riſum, titillationem, pruritumque quendam gratiſſimum excitat; alius verò ingentem corporis dolorem, inquietudinem, inſaniam, hydrophobiam; ut hominem non à ſtimulo interno punctum, ſed à cane rabido extra vulneratum exiſtimares. Atque ut dypſades morſu ſuo ingentem ſitim, Hæmorrhois ſanguinis fluxum, Amphisbæna inflammationem, Baſiliſcus mortificationem Aſpis ſoporem, Drynius καρδιωγμὸν, ſtellio livorem, ſalamandra congelationem, ſolifuga peſtem, phalangia leguminaris phlyctænas, ſcolopendra putredinem inducit: ſic etiam ſal hydropicus, menſtrualis, pleuriticus, phagedænicus, mercurialis, anthracinus, furuncularius, narcoticus, peſtilentialis, herpeticus, gangrænatus, eadem facit ſymptomata, ubicumque in nobis centrum hoſpitiumvè ſibi poſt factam ſeparationem comparavit. Nam quamdiu mercurialibus liquoribus hic illic in venis vaſisq; latioribus continuo remeantibus immergitur, tamdiu tum propter motus aſſiduitatem centrique incertitudinem, tum etiam liquoris ſibi contrarij miſcellam exulcerare corpus non poteſt. Id nobis oſtendit vinum: quod recens mulſum ſuavitate dulcedineque ſua eximia Nectar refert divinum, & mirum in modum linguæ palatoque ebrioſorum lenocinatur; facta tamen partium ſpirituumque ſeparatione tartarum ſalſiſſimum atq; acerrimum, nec non acetum acidiſſimum & planè corroſivum ejicit. Cum igitur liquorum in corpore fluentium numerus infinitus ſit, haud mirum ſi tam diverſæ ſalium quoque facies, atque operationes appareant, varias ulcerum ſpecies, formas, figuras, varia quoque ſymptomata parientes. Atque ita lumen naturæ nihil eſſe, quam magni illius mundi cum corpore microcoſmico analogiam, luculenter vides; vides etiam artem naturæ, naturam arti conſentire, eandemque eſſe utriusque operatricem, quamvis Galenico ingenio (aliter enim ſenſit Hippocrates) res multum non ſolum diſpares, ſed etiam oppoſitæ videntur. Benè valè: meque ut ſoles dilige, animo meo chariſſime Philalethes. Datæ Londino. 15. Kal. Quintilis, 1583.

ENDYMIONI LVDDIPOLENSI Chemiſta S.

PEregrinationem medico in tua patria futuro haud eſſe neceſſariam, multis probare niteris, Endymion: nec tamen interim attendis, quantam tuo quem ſemper prædicas Galeno, & quam gravem inflixiſti ſecurim. Nam licet cum ipſo tu natam medicinam exiſtimas & perfectam eſſe, tamen varia in Ægyptum, Alexandriam, Palæſtinam, Cyprum, Lemnon, Romamque itinera ſuſcepit; nunc ut conferret cum Medicis, nunc opobalſamum, terram lemniam, aliaque domi non naſcentia medicamenta ad gen-

Vide Auct. vita Galenica & ipſum Gal. 9. Lib. de ſimpl. fac. Et lib. de cōp. med. ſec. gen.

Plin. lib. 29. cap. 1. tiles ſuos deſerret. Hippocrates quoque ille Cous paulo ante Peloponneſiacum bellum, cum Medicinam præceptis indigere intelligeret, variè peregrinatus eſt: & non ſolum ex Æſculapii fano, ſed etiam ab omnibus Philoſophorum Medicorumque vocibus, hiſtorias curationesque morborum exſcripſit, atque ita ex multiplici experientia obſervationeque diligenti Medicinam primus progenuit. Peregrinationis ſuæ teſtes locupletiſſimi ſunt Epidemicæ illæ vel potius Apodemicæ obſervationes, quibus ita profecit, ut nullus adhuc Galeniſta inventus ſit, qui Hippocratis peritiam attingere, nedum ſuperare potuerit. Arabes verò varias viſiſſe regiones atque inſulas trajeciſſe cognitionis ergò, ſolus ignorat ipſe, qui in ipſorum vitis ſcriptisque peregrinus eſt. Imò ut videas te planè nihil ſcripſiſſe, nullum eſſe medicum pronuncio ſive hic, ſive alias laude vera juxta atque eruditione florentem, quin idem quoque patria aliquandiu relicta ab aliis nationibus varia ad Medicinam locupletandam advexit. At inquis: *Quibus domi naſcuntur omnia, non opus habent aliunde cibos importare, & agricultura contenti vivere queunt.* Tamen quibus ſterilis tantum eſt regio, agricultura parum procedente, mercaturam facere debent, famemque inteſtinam aliunde accerſitis alimentis arcere. Quod verò tuas Academias civitatesque Medicorum numero præſtantiaque tam divites eſſe ſcribis, ut ab iis exteri petant exemplar cognitionis: Id quamvis ego omnium maximè optarem, qui quoque Ludipolenſis ſum, res ipſa tamen evincit, eſſe falſum. Nam in qua Academiarum noſtrarum niſi ſingulis ſemel decenniis facta eſt Anatomia localis? (ſi verò de viva ita loquerer Anatomia, quæ tamen Medicinæ maxima videtur pars, vix me intelligeres Endymion) quis Phyſiologiam demonſtrat, non opinionis, ſed ſenſuum teſtimonio? quis tyronem ad ægros una deducit, atque illi locum affectum, affectus ſpeciem, ſpeciei cauſam, cauſarum ſeriem, morbi terminum, transplantationem, nexum, gradumque vero & ſincero animo oſtendit, ad Hippocratis, Patavinorumque exemplar? Præterea quænam boni futuri medici ſpes eſt, cum primarij illi Regijque anteceſſores nullo legant ordine, ſed nunc illum, nunc alium libellum arripiant, & in decem explicandis vel potius implicandis aphoriſmis integrum terant annum? Hoccine eſt docere artem, methodicè legere, tyronem erudire, Medicinam abſolvere? Prælectoris Medici iſtæ potius videntur partes: ab utraque Anatomia incipiendo totam artem tradere diſcipulis, omnemque operam in ipſorum quam citiſſimam veriſſimamque eruditionem conferre. In tuos verò Anteſignanos non cadit hæc appellatio. Eorum orationes, opera, virtutes, tantam non ferunt molem. Miſeret me, ita vivam, lacrymisque ſubinde deſtillantibus doleo Academiarum noſtrarum vices: quoties

quoties in ipſis nonnullos medicinæ ſtudioſos ceu equos quoſdam generoſiſſimos in planiciem producendos video; quos tamen ſi in diaulo videris currentes, aut pavidi, aut ſternaces, aut anheli, aut ſuffraginoſi, aut cernui reperiuntur. Idque non tam ſua culpa, quam vitio Anteceſſorum, à quibus pro unica vera interpretatione infinita doctrinæ vitia, & ſcientiæ impedimenta acceperunt. Quantò præſtaret, tyronem Medicinæ linguis illis atque ſcientiis humanioribus excultum, in ipſa dum ætatis adoleſcentia Patavinas ſe Athenas conferre, ubi unica æſtate herbarum penè omnium, figuras, ſynonyma, atque unius hyemis curriculo cadaverum anatomiam perdiſcat, ſequenti anno Galenicam phyſiologiam ab ipſis elementis ad corporis perfectionem omniumque actionum plenam enarrationem accurate lectam perpendat, diſcatque illa omnia indicia, quæ vel pathologica, vel ætiologica, vel etiam prognoſtica dicuntur. Atque ita biennio feliciter exacto, poſtea ſeſe lectoribus perpetuum comitem adjungat, ipſorumque Praxin (id quod facilimè impetrabit) ſedulo animadvertat; atque ita aliorum vel erratis commonefactus, vel prudentia eruditus fructum ſibi faciet uberrimum: & ex bono Phyſico optimus evadet Medicus, & ut ille apud Homerum, πάντων ὑπείροχος ἄλλων. Quod verò Chemicam attinet, totius Pharmaceutices medullam vel potius animam: quamvis à peritiſſimis nonnullis in tua regione ita colitur, ut admirationi eſſe queant ſocordibus & otio veluti tabeſcentibus Galeniſtis: tamen illorum òmnium ſcientia cum exterorum hac in parte peritia conjuncta tantò minor videbitur, quantò Sol Luna major, aut fontes alveique aquarum rivulis inde manantibus uberiores. *Verum* (inquis) *utcumque magnifacis Patavium, Baſileam, Pariſios, Bononiam, Montem Peſſulanum, aliasq; inſignes Academias ultramarinas; hoc unum nihilominus ſæpè deprehendimus: Diu illic peregrinantes, vacuos rediiſſe domum, nihilq; præter futilem, & aliquando mendacem rerum hominumque hiſtoriam retuliſſe; alij verò eam apud Italos laſciviam, Germanos ebrietatem, Helvetios ruſticitatem, Gallos hypocriſin didicerunt, quam in patriam reverſi nunquam poſtea depoſuerunt. Atq; hæc ſunt præcipua peregrinorum ornamenta, quibus frui ſine mali hominis nota, quibus deſtitui ſine bona æſtimatione non potes.* Ad quæ ego reſpondeo, magnam eſſe peregrinantium varietatem, neque omnes uno animo proficiſci, nec reverti cum eadem utilitate. Quare judicium in peregrinatione deſidero, & illud quidem Ulyſſeum; ne quando cum ſolis Muſis philoſophandum ſit *Odyſſ.* 4.
Medicis, Circæo aliquo poculo in ſues atque ἄνδρας, ut poëtæ verbo utar, ἀνήνορας convertantur. Quod ſi ab hujus ædibus, Syrenumque cantibus tyro abſtinuerit, nec ſe facilè otio ſubmiſerit de-

rit decipiendum, eaque duntaxat egerit, quæ ſunt artis non qualis à te deſcribitur, ſed Hippocrate doctior redibit, patriamque ab infinitis morbis ceu pernicioſiſſimis corporis proditoribus ſartam tectam ſervabit, ſurge igitur, Endymion: atque ocyus recipe te. Noli amplius focarios illos philoſophos imitari, qui in cubiculo tranſigunt ætatem, ubi neque compluitur quiſpiam, neque ſole aduritur, & muſæi ſui auctores naturæ ipſius theatro vivæque adeò voci anteferunt. Surge, inquam, recollige te, induſtriam adjuvat Deus; & hoc à me dato igniario, peregrinationis ſtudio magis magisque indies conflagra, vel ſi meo nequicquam ſtimulo commovearis, ſaltem te Hippocratis, Galeni, Avicennæ quoque moveat auctoritas, qui totius Medicinæ principes cum fuerint, eam tamen in varijs regionibus & ex peregrinis fontibus hauſerunt. Pudebat quippe ipſos otij eſſe quam ſcientiæ cupidiores & eruditionem non ſolum laboribus, ſed quoque ſpiritu mercandam exiſtimabant. Quare jam nuſquam tutus es, Endymion. A fronte præcipitium, à tergo hoſtis imminet; ſi peregrinationem culpes, Galenum damnas, Hippocratem vulneras, occidis Avicennam; ſi probes, improbas ipſe te, & in meas denuo partes, quas temerè nimis deſeruiſti, recurris. Cæterum cum ſatius ſit recurrere quàm malè currere; neque unquam ſera nimis eſt ad bonos mores via: vel in ſenectute hac tua fundos vendito, mare conſcendito, exteros adito, fornaces ædificato, Chemiam diſcito, novam Medicinam haud opinione fluctuantem, ſed ſenſibus confirmatam colito. Id ni feceris de te tuique ſimilibus rectè dicetur, quod Martialis olim in pigros nautas conſcripſit.

Ceſſatis pueri, nihilq; noſtis,
Veterno reſinaque pigriores:
Et iam nunc placidas vagi per undas,
Tuta luditis otium carina.
Non nautas puto vos; ſed argonautas.

Auſculta: & jam tandem expergiſcere, Endymion.
Datæ Londino 4. Kal. Aprilis, 1584.

FINIS.

THEOB.

THEOB. DE HOGHELANDE MITTELBURGENSIS DE ALCHIMIÆ DIFFICVLTATIBUS LIBER.

In quo docetur, quid ſcire quidque vitare debeat vera Chemiæ ſtudioſus ad perfectionem aſpirans.

Prooemium.

Alchemia naturalis philoſophiæ pars.

NAturalis philoſophiæ partem nobiliſſimam eſſe, qua metallorum tractantur principia, cauſſæ, proprietates, paſſiones, & transmutationes, nemo niſi injuria, in dubium revocabit. Addidi transmutationes, ut non videar de illa parte Phyſices pervulgata loqui tantum, quæ de metallorum materia & forma, generationis loco, ductibilitate, colore, ſapore, odore & ſimilibus determinat: ſed de ea potiſſimum, qua metallum unum in aliud convertere docet. Hoc autem poſſibile eſſe demonſtratione non indiget, cum experientia fidem faciat, oculati teſtes ubiq; ferè terrarum confirment, & graviſſimi auctores aſſeverent. Ferrum enim aquis ſponte è terra ſcaturientibus, & facili etiam artificio in æs tranſit, & hydrargyrum cum ſulphure excoctum in argētum mutatur, quanquam absque lucro, niſi major artificis ſolertia accedat. Superſunt in Gallia, Anglia, Germania, Bohemia, & Belgio, qui ſuis manibus pulvere quodam minimæ quantitatis, quem tamen ab aliis præparatum accepiſſent, in argentum vivum igne excalefactum conjecto, argentum inde vel aurum omni examini ſubjiciendum retulere. Narrat Cardanus coram principe & ampliſſ. ſenatu urbis Venetæ argentum vivum in aurum converſum fuiſſe à pharmacopola Tarviſino. Corn. Agrippa dicit ſpiritu auri, aut potius eiusdem forma aut parte puriore imperfecta metalla & argentum vivum in aurum verti poſſe, ſeq; id vidiſſe & noviſſe. Teſtatur

Transmutationem metallorum poſſibilem eſſe docetur.
Experientia
Georg. Agric. lib. 9. de nat. foſſilium.
Teſtibus.
Auctoritate.
Lib. 6. de ſubtilitate.
Lib. 1. de occulta philoſoph. cap. 14.
In addit. ad Specul. Rubrica de crimine falſ.
Metalla omnia eiusdem eſſe eſſentia, ſed accidentaliter differre.

Transmut. met. poſſibilem eſſe, probatur à ſimili.

In ſimilia facilioremeſſe tranſitum quam in diſſimilia.

Lib. 1. de mineral. cap. 7.

Mirabilis metamorphoſis.

Georg. Agric. videtur innuere hunc fontem in Islandia eſſe, prope montem. Heclam. l. 2. de natura eorum quæ ſpõte profluunt è terra, ubi plura horum exempla. Et lib. ſep. de natura foſſilium.

Teſtatur Andreas I. C. *ſuo tempore fuiſſe in curia* Romana *Arnaldum de Villa nova; & feciſſe virgas quaſdam aureas; quas permiſit ſubmitti omni probationi. Sed quid mirum, ſi metalla inter ſe permutari poſſe, quiſquam credat, quæ materia & eſſentia eadem, ſolummodo ex accidenti, generationis videlicet loco, & decoctione majori vel minori diſtinguuntur, cum idem in arboribus, frugibus & plantis evenire videamus? & certum ſit terras, ligna, virgulta, conchylia, animalium pelles & oſſa in ſaxa & lapides converti aquarum naturalium & ſponte perfluentium vi, & lapidificandi virtute. At quid lapide & lignis aut animalium coriis oßibusq; diverſius, cum toto genere & ſubſtantia diſtrepent. De terra notius eſt quam ut probare neceſſe ſit: Adferam ſolum quædam relatu digniſſima ex Alberto Magno, qui narrat ſuo tempore in mari Danico juxta civitatem Lubecenſem inventum fuiſſe ramum magnum arboris, & in eo nidum cum pullis avium; qui una cum arboris ramo & nido in lapidem verſi fuerant. Et Fredericum Imperatorem cum audiſſet fontem eſſe cui omnia immerſa in lapidem verterentur; miſiſſe illuc explorandæ veritatis gratia chyrothecam ſigillatam, cujus medietas quum aliquot diebus in fonte merſa fuiſſet cum parte ſigilli; reliqua in parte nihil mutata, medietatem aquis immerſam in lapidem verſam fuiſſe. Sed transmutationem metallorum quidem fortaßè admittent; teſtimonio & conſenſu clarißimorum virorum convicti; ſed eandem cum lucro fieri, & augmentatione in infinitum negabunt. Iis ego hoc modo occurrendum puto: Si in judiciis ubi de cenſu & capite, aut fama ſive exiſtimatione reorum agitur, duobus aut tribus teſtibus tam lege divina quàm jure civili credendum ſit, id multò magis in arte Chemica uſu venire æquum erit, quæ rationibus, ſimilitudinibus, exemplis ac teſtibus non tribus aut quatuor, ſed propemodum innumeris vera eſſe convincitur. Habemus enim doctißimorum & integerrimorum virorum ſcripta. D. Thomæ Aquin.*

Teſtib. idoneis credendum.

Herme-

Hermetis Triſmegiſti, Raymundi Lullii, Io. de Rupeſciſſa, Marſilii Ficini, Arnaldi de Villanova, quem I. C. Io. Andreas vocat Theologum, ſummum Medicum & Alchemiſtam, Rhaſis præterea, & Avicennæ, & aliorum multorum, qui omni exceptione majores artem veriſſimam teſtantur, & naturæ genetricis ſuæ æmulam. Cur viris tam præclaris fidem detrahendam, & ſciolis quibusdam potius credendum judicabimus, qui perverſo judicio artem cavillantur vanam eſſe & adulteram, nec alia de cauſa ænigmaticè & obſcurè traditam, niſi ut exercerentur ocioſorum hominum ingenia. Abſit ut exiſtimemus antiquos illos venerandæ auctoritatis philoſophos conſulto aliquid falſitatis memoriæ commendare voluiſſe, qui ſummam operam veritati inquirendæ ſemper navarunt, famamq; in poſteros non ex nugis & inanibus, ſed arduis & ſublimibus, & vero ſtabiliq; fundamento innixis quæſiverunt. Huc accedit etiam diverſarum gentium conſenſus: nec enim Latinorum ſolum, ſed & Græcorum, Ægyptiorum, Arabum, Chaldæorum, Gallorum, Germanorum, Hiſpanorum & Anglorum, de metallorum metamorphoſi monumenta, quotidiè curioſorum hominum manibus teruntur: qui omnes uno quaſi ore (quanquam linguis diſſonis) clamant, artem eſſe veriſſimam, nihilque, poſt legem divinam, in qua eſt ſalus animæ, à ſummo Deo in hoc mundo, homini collatum fuiſſe magnificentius aut ſublimius: & propterea ſummo ſtudio inveſtigandam, vigilique labore quærendam prædicant. Fortè in hoc falluntur qui artem negant, quòd cum infiniti Chemicis vacent, neminem videant qui ſe ſcientiam adeptum eſſe glorietur: ſed ſapientibus & cauſas eventuum perſcrutantibus nihil admiratione dignum contingit. Quotusquisque enim in debita materia operatur? unus vix è millibus. Quid igitur mirum ſi debito fruſtrentur fine? Quare non inſulsè Avicennas: Qui accipit quod debet, & miſcet, & operatur ſicut debet, procedit inde quod debet procedere. Et plerique indocti

Loco ſupr. allegato.

Philoſophum non ſcienter mentiri.

Alchemiam veram eſſe ex conſenſu gentium probatur.

Nihil Alchemia ſublimius exceptis ſacris literis.

Cur arti contradicatur.

Abuſus, aut operantium error, aut ignorantia artem non tollunt.

Libr. de anima.

Quare rariſſime artem quis adipiſcatur.

Avaritiam & paupertatem multum obeſſe.

Secreta non vulganda. Prover.10.

docti planè ſunt & ἄμυσοι, qui ne communem quidem latinum ſermonem intelligunt, quantò minus metaphoras & ſapientum analogias? Alii quamvis docti ſint & ingenio perſpicaci, tamen libros non habent, aut quia expendere & illorum pretia ſolvere non velint ob avaritiam, aut non poßint ob paupertatem, aut quod exemplaria invenire nequeant iis in locis quibus commorantur, & à peregrinatione abhorreant. Illi verò qui libros & artem per Dei gratiam conſecuti ſunt, meminerunt dicti Salomonis: Sapiens abscondit ſcientiam, os autem ſtulti confuſioni proximum eſt: neque enim deſunt cauſæ quare ſcientes ſeſe non manifeſtent. Sed ſi neganda ſunt, quæ rarißimè aut nunquam videre contigit, Hiſtoriæ omnis tam ſacræ quam profanæ fides imminuetur. Quis enim pluviam de cælo ſulphuream & igneam cum Sodomæ & Gomorrhæ excidio, quis robur Sampſonis & alia quam plurima credat, quorum exempla ſimilia nuſquam niſi inter fabulas narrantur?

Lib. 13. in fine.

Non falſitatis arguenda, quorum cauſa ignorantur aut raro cõtingentia.

Quis P. Corn. Taciti annales percurrens non in riſum prorumpat, cum legit incendium Coloniæ Iubonum non aqua, ſed fuſtibus & detractis corpore tegminibus fuiſſe reſtinctum? Nonne fabulam narrare videtur? & tamen nos id tum accidere potuiſſe credimus, & etiamnum hodie ſæpius evenire in Leodienſi agro certo ſcimus; dum foſſores ſub terra carbones bituminoſos, ſaxis ſimiles colore nigro ad focum & ferrariorum fabrorum uſum exſcindunt. Quis non mera mendacia proferri credat à Georg. Agricola, cum dicit in Hecla Islandiæ monte; ignem eſſe qui aquam conſumat, ſtupam verò non comburat? At cauſarum naturalium inquiſitores ſciunt bitumen unde ignis ille excitatur, ſiccis extingui, aquis ali. Fruſtra ſanè philoſophi quam plurima de naturæ miraculis, fruſtra Medici de morbis rarißimè aut niſi certis locis contingentibus, & eorundem curationibus ſcripſere, ſi cuiuscunque qui nihil eorum vidit nec novit calumnia locum habeat. Quis tales non abſurdè à M. Petro Bono Ferrarienſi, pueris conferuntur à principio nativi-

De ortu & cauſis ſubterraneorum lib. 2. & lib. 4. de nat. eorũ quæ ſpõte effluunt è terra.

Quibus ſimiles negantes rarò contin-

nativitatis in domo quadam incluſis, qui non putant mundi latitudinem extendi ultra domum in qua concluſi ſunt, vel ultra quam oculis ſuis poßint conſpicere. Quare non potius cum D. Auguſtino fatentur, rebus corporeis ineſſe quasdam occultas ſeminarias rationes, quæ cum data iis fuerit opportunitas, prorumpant in cauſas debitas & ſpecies, ſuis modis & finibus. Cur non credunt D. Thomæ dicenti, nihil prohibere artem uti naturalibus cauſis ad producendum naturales & veros effectus. Quamobrem pedibus in ſententiam Marſilij Ficini non eunt, qui viventia omnia tam plantas quam animalia ſpiritu quodam ſuo ſe multiplicare affirmat: ſpiritum autem in metallis craßiori cohiberi materia, qui ſi aliquando ritè ſecernatur, ſecretusq; in ſua ſede connaturali conſervetur præter omne falſum poßit ſibi ſimile generare. Qui tantorum virorum & tot gentium conſenſui non cedit, rationibus imò ne ipſa quidem experientia victum ſe fatebitur, ſed potius Diabolo & futilium Magorum nugamentis, quàm Deo, & Naturæ poteſtati transmutationis effectum adſcribet. Interrogavi aliquando virum nobilem & non illiteratum cum familiari ſermone ille artem Chemicam ut vanam rideret, num poßibilem crediturus eſſet, ſi coram ipſo quiſpiam artis experimentum daret? Negabat. At quid agas cum hujuscemodi hominibus præpoſteris, qui tantum vulgaria admirantur, nec admittunt niſi ea quæ ſuo palato maximè ſapiunt; quibus Naturæ majeſtas ludibrio eſt, rerum proprietates explorare, aut metallorum occultas operationes deprehendere tanquam deliramenta quædam riſu excipiuntur. Sed à quibus arti potißimum contradicitur? Ab iis nempè qui nihil unquam in ea olfecerint, aut nunquam libros chemicos niſi raptim perlegerint, eo planè modo quo canes è Nilo aquam lambunt & fugiunt, qui cum non intelligunt intima naturæ penetralia, ſcrutantes philoſophos, ingenij tarditate, aut eorum quæ legunt neglectu culpam philoſophis & arti imponunt. At quid iniquius quam ut oderint homines quod

gentia, aut ipſis captu difficilia.

Super Geneſin, & in lib. de Civita. Dei cap. 31.

In 2.2. q.77. art.2.

Cap.4. lib. de Alchemia, & lib. de vita cœlitus comp. c 3.

Obſtinatus veritati non cedit.

A quibus arti contradicitur.

Scientia non habet inimi-

cum niſi ignorantem.

ignorant? quid magis temerarium, quam ut judicium ferat rei imperitus? Vt dudum non fruſtra exclamaverit Comicus.

Homine imperito nunquam quicquam injuſtius,
Qui niſi quod ipſe fecit nil rectum putat.

Multi ingenio ſuo plus tribuunt, quam par eſt.

His accedit aliud hominum genus, eorum videlicet, qui aureo uno aut altero ſummas divitias ſubitò conſequi vellent, qui cum ſemel ab aliquo eluſi fuerunt, artem potius quam impoſtorem damnant, canũ in eo naturam imitati, qui cum judicio careant, in lapidem quo percuſſi ſunt, ſæviunt, eo qui illum jecit omiſſo. Calumniandi verò cauſam ſi quis penitus introſpiciat in cæteris, nõ ſatis demirari poterit multorum arrogantiam & tyrãnidem, qui eo ſolum nomine artem vanam eſſe, & non niſi mera figmenta à Chemicis auctoribus tradi arbitratur, quod ipſi tantorum myſteriorum, quæ non niſi pauciſſimis, & ſtatutis à Deo temporibus revelantur, capaces non ſint, cum alioqui obſcuriſſima quæq; ingenij ſui acumine penetrare ſe poſſe confidant: quaſi eiſdem omnia dediſſet Deus, & nihil inſuper ſit in rerum natura, quod eos lateat, aut nihil ſciri poſſit, præter ea quæ ipſi norint. Sunt & qui vana cujuſdam gloriolæ cupiditate inducti artẽ vituperant, & apertis contumeliis lacerant, ut aliis paulò plus ſapere, & non cum multis inſanire videantur; eo enim morbi genere Naturæ arcana perquirentes laborare ſtultè & ſtolidè nimium affirmant, ſperantes placita ſua experientia redargui non poſſe. Sed falluntur plurimũ ſua opinione, cum multi è plebe paſſim ſciant illos delirare, qui naturæ & artis teſtes fuere, rejectis & poſthabitis iis qui ſcientiam hanc vili pendunt, tanquam indignis: cum enim Naturæ & artis vires aſpernentur, & ipſi merito ab artis Naturæq; operibus excluduntur, & cõtrarium planè quam ſperabant illis evenit, dum pro ſapientibus & doctis, ſtulti & inſipientes, qui artem rident, ab hujus ſcientiæ doctoribus appellentur; affirmante etiam ipſo Avicenna, neminem magiſterium lapidis unquam negaſſe, qui eſſet ſapiens. Saltem ſileant,

Gloria ex aliorum contemtu quæſita, ſtulta & inanis.

Nemò ſapiens artem negavit.

Lib. de Anima. c. 2.

ſileant, & quæ ipſi ignorant, non condemnent; & cũ eodem Avicenna meditentur, hæc ars ſi ſit, quomodo ſit; & ſi non ſit, quomodo non ſit; aut tempus expectent, quo Deus ad Turcarum tyrannidem coercendam, aut aliam ob cauſam aliquem fortaſſe excitet aliquando, qui artem veriſſimam eſſe palam comprobabit, quamvis etiam absque ea potens ſit Deus nominis ſui hoſtes profligare, & evertere. Aut ſi tacere nolint, philoſophico diſputandi more & ſine maledictis agant, & primum rationes Petri Boni Ferrarienſis & aliorum convellant. Quanquam ars iſta neque rationibus ſatis probari, neque etiam diſputationibus labefactari poſſit. Ideò Raymundus Lullius, qui exquiſitiſſimè alioquin omnium, quæ in arte fiunt, rationem reddidit, non curavit ipſius veritatem verbis aut argumentis aſſerere, ſed tantum ait, Id quod experimento oculari videtur, probatione non indigere. Et Beatus Thomas de Aq. ad fratrem Reinaldum: Non cures, inquit, de verbis philoſophorum modernorum & antiquorum de hac ſcientia diſſerentium, cum in capacitate intellectus & in demonſtratione experimentali Alchemia ſedem ſibi conſtituerit. Imò neque expedit ſcire artem hanc eſſe veram & omnino certam, ut illud Plotini de dubiis Animæ differentis, hic maximè locum habeat, qui dicit: operæ pretium eſſe conſiderare, utrum omnes de anima dubitationes ſolvendæ ſint, an potius in dubitationibus ipſis lucrum ſit collocandum. Nemini itaque mirum eſſe debet, ſi D. Thomas, Lullius, & alij doctrina & ingenio præſtantes, neglexerunt artem verbis tueri, cum hominum dubitatio lucro potius quam damno illis & poſteris omnibus ceſſerit. Ea enim ratione legitime operantium ſecuritati Deus proſpicit: & eos ex inimicis ſuis utilitatem non mediocrem capere dotet. Nec putandum eſt, quod verba ipſis aut rationes defuerint, ſed fortè non potuerunt niſi publicatis Naturæ arcanis, quæ ſi vulgarentur, non tam certum eſſet ullum mathematicum axioma, quam hujus ſcientiæ demonſtratio. Neque

In pretioſa Margarita novella.

Ars neque rationibus ſufficienter probari, neque argumentis cõvelli poteſt.

In teſtamento.

Alchemiæ veritas in capacitate intellectus & experientia conſiſtit.

Non expedit ſciri artem eſſe omnino veram & certã, & quare.

Lib. 1. c. 1.

De incognitis disputantes nõ poſſe recte cõcludere.

enim argumenta fere omnia quæ contra artem adducuntur aliunde procedunt, quam ex ignorantia eorum, quæ in arte fiunt. Sic de formis ſubſtantialibus, de miſcibilium proportione, de vaſe Naturæ & artis, multi loquuntur, & de ignotis diſputantes, ignota concludunt. Quare omiſſis illis ad propoſitionis meæ ſcopum progredior.

Quid ſit philoſophorum lapis.

Philoſophorum hujus artis intentio eſt, virtutem quandam mineralem è puriſſimo auri argentique ſemine artificialiter, naturæ tamen beneficio & juvamine, in forma ſubtiliſſimi pulveris albi vel rubei producere, qui propagari poſſit in infinitum, & poteſtatem habeat argentum vivum,

Lapidis virtutes.

& reliqua metalla vilia & impura in momento penetrandi, & ab omnibus impuritatibus mundandi, nec non ad perfectiorem ſtatum auri videlicet & argenti perducendi: & corpus humanum infirmum reſtituendi, & ad verum temperamentum revocandi, aut ſanum ad terminum à Deo

Lapis philoſophorum Elixir & Medicina, eadem.

præfixum in ſanitate conſervandi. Hunc pulverem tali tantaq; virtute præditum Elixir Arabes, Medicinam, & Lapidem ſuum Latini nominant Philoſophi. Iuniores tamen monitos velim Lapidis nomen late patere, & diverſimode uſurpari.

Lapidis nomẽ late patens. Cap. 10. roſarij part. 1. In clavi philoſophorum.

Quandoq; enim materia artis rudis, quam Natura nobis ſubminiſtravit, Lapis dicitur. Vnde Arnaldus ad Lilium. Quamvis lapis noſter tincturam in ſe naturaliter contineat, quoniam in corpore terræ perfecte creatus eſt, per ſe tamen motum non habet, ut fiat Elixir perfectum; niſi moveatur arte & operatione. Item Alphidius. Ex lapide procedit argentum vivum, nam aqua ex eo extrahitur, quæ argentum vivum nominatur. Principia item Elixir conſtituentia lapides vocantur, quæ ſunt tria numero,

Lapidis principia tria.

videlicet argentum vivum, Sulphur & Tinctura, Sive, Corpus, ſpiritus & Anima, vel, Terra, Aqua & Ignis, & ex prioribus duobus reſultans quartum, quod eſt Aër. His enim nominibus illa donarunt hujus artis Sapientes. De argento

In tract. impreſſ.

vivo intelligendum eſt illud Avicennæ: Tertius gradus operis eſt reductio lapidis in terram naturalem. Quod exponens

ponens Arnaldus. Tertium regimen eſt, inquit, reducere aquam humidam ſupra terram ſiccam. De ſulphure, hoc Arnaldi: Ignis comminuit groſſitudinem lapidis per calcinationem. De Tinctura, id Marſilij Ficini: Quem philoſophi lapidem quærunt, eſt ſpiritus inviſibilis & impalpabilis, eſt tinctura, & ſpiritus tingens, quem alter ſpiritus viſibilis atq; palpabilis penitiſſimis viſceribus abdidit. Lapis etiam dicitur materia philoſophorum pefecte ab omnibus ſuperfluitatibus mundata, & a fæcibus terreſtribus in ſublime elata, tincturæ recipiendæ jam idonea. Avicenna. Lapidem exaltatum oportet terere ſuper marmor. Lapis quoq; dicitur prima operis totius pars, quæ circa elementorum diviſionem & eorundem depurationem verſatur. Vnde Lullius: Generatio tam lapidis, quam Medicinæ fit & completur ratione ſimilitudinis & ſubtilitatis partium ad invicem. Deniq; ut unico verbo abſolvam, quocunq; gradu Operis materia, & materiæ partes junctæ ſive diſiunctæ, Lapis, & lapides dicuntur; imò ad alia, operi philoſophico omnino extranea, lapidis appellatio etiam transfertur. Quæ in hunc locum conferre placuit, quia erunt dicendorum fundamenta, ſine quorum cognitione vix ſequentia intelligi poſſint, cum & mihi indiſtinctè lapidis voce ſæpius utendum ſit.

Cap. 14. roſ. part. 2. Cap. 6. roſ. part. 2. Cap. 10. Alch. In tractatulo Baſileæ impreſſo. In Codicillo ſuo.

Quare autem pulvis perfectus ſive Elixir, aut ejusdem materia lapis vocetur, has invenio potiſſimum rationes apud philoſophos, quorum monumenta ad manus meas pervenerunt. Auctor viæ univerſalis.

Cur Elixir lapis vocetur. Cap. 15. Ratio 1.

Philoſophi vocant lapidem omne illud, à quo per artificium elementa poſſunt ſeparari; quia ſeparatione facta ex ipſis, per eorundem conjunctionem in hoc magiſterio ſuſcitatur quædam ſubſtantia ad modum lapidum, qui per admiſtionem humidi cum ſicco generantur. Idem: Compoſitum philoſophorũ vocatur lapis, ex eo, quod res ex quibus componitur, habent ſimilitudinem ad lapides, & ex eis creatur lapis benedictus. Et Arnald: Eſt lapis in ſimilitudi-

Cap. 12. In Epiſt. ad Reg. Neapolit. Cap. 4.

ne & tactu, non autem in natura, & vocatur lapis ſive compoſitum quoddam. Auctor Novi luminis: Materiam hanc voco lapidem, quia quandiu durat albedo, & etiam aſſumpta rubedine per longum tempus ſtat durus, & in maſſæ fortis ſpeciem reſidet, quousq; decoctionis continua-
Ratio. 2. *tione per ſeipſam incipit dirui. Et in Turba philoſ. Æs noſtrum cum primo coquitur fit aqua, deinde quanto magis*
Lib. ſecre. Alch. c. 10. *coquitur, tanto magis ſpiſſatur, quousque fiat lapis. Haly. Sunt lapides, & non ſunt lapides, ſed nominamus eos per ſi-*
In libr. de natura Solis & Lunæ. *militudinem quam habent ad eos. Michael Scotus aliam tradit rationem, quia videlicet hominum vias labiles reddit. Et auctor operis aurei. Eo quod vias ignarorum lubricas facit, ad offenſam animæ, corporis, & rerum, ſimilitudine ducta ab eo, quod ſicut impingens in lapidem læditur, ita qui inconſulte ſeſe chemicis immiſcet, jacturam facit bonorum ſuorum, & corpus & animum affligit. Artem vero negantibus & impoßibilem credentibus eſt lapis offenſio-*
Ratio 3. In ſpec. nat. *nis. Tertiam aßignat Vincentius dicens: Alchemiſtæ docent facere rem, quæ corpora, ſuper quibus projicitur transmutat. Hæc vocatur Elixir, & dicitur lapis & non lapis. Lapis quia teritur, non lapis quia funditur & currit absq;*
Ratio 4. *evaporatione. Quartam reddit Lacinius ex Rhaſi ſi bene memini, quod philoſophis lapis vocetur omne id quod ab*
5. *igne non evaporat. Quinta fortaſſe etiam dari poſſet propter calcem quam philoſophi in opere ſuo requirunt, eo*
Diſtinct. 8. *quod calx plerumq; ex lapide fiat. Unde in Allegoriis Sap. Calx eſt lapis igni incommiſcibilis, ideoq; calx eorum eſt*
6. *corpus ſpiritu mixtum. Aut quia metalla omnia in lapidibus fere generantur, & Elixir neceſſario ex metallis fieri debeat, ſi metalla convertenda ſint. Aut propter Salem mineralem: unde quidam, Sal metallorum eſt lapis philoſopho-*
7. *phorum. Salem autem lapidem vocat Lullius, quia nimirum*
Cap. 17. prax. Teſtamenti. *aßimilatur lapidi in ſede ſua exiſtenti. Sed poteſt alia occultior ſubeſſe ratio, cur medicina hæc lapis vocetur, quam philoſophi celarint: quamvis prima plurimorum conſenſu*

veri-

veriſimilior ſit. Hunc itaq; Philoſophorum lapidem ſive Elixir, aut pulverem ſpiritualem [non quod natura ſua inviſibilis ſit & impalpabilis, ſed quod tanquam ſpiritus corpora cum metallica tum humana vi ſua ſpirituali celerrime pervadat ac penetret] quoniam omnis generis & cujuscunq; conditionis homines, nobiles, ignobiles; docti, indocti; divites & pauperes tanquam metam aliquam ſibi proponunt, & ad illam anhelantes feſtinant, nec laboribus aut impenſis quãtumvis magnis deterrentur, quominus id quod ardentibus votis concupiverunt, totis viribus proſequantur, putãtes ſe tum demum ſummam in hac vita beatitudinem conſequuturos, ſi exſpectatione ſua fruſtrati non fuerint: operæpretium facturum me exiſtimavi, ſi propoſita rei quæſitæ difficultate, majorem laborantium partem conatus fuero à propoſito revocare. Veſana quidem opinio multorũ animos invaſit, lapidem philoſophorum factu eſſe omnino facilem, leviq; opera parari, & fortuna, & caſu quopiam contingere, modo inquirendi voluntas non deſit, eſt enim, inquiunt, Donum Dei, is largitur cui vult, itaq; & mihi, & mihi ſimili æque artis beneficium conferre poteſt atq; aliis doctioribus. Vnde quod pudet referre, ruſtici etiamnum & imperitæ mulierculæ de arcano philoſophorum garriunt, & experimenta captant, audentq; ſibi polliceri eam fortunam, quam ne doctiſſimi quidem viri & vigilantiſſimi poſſint ſperare niſi ex ſola Dei miſericordia. Error hic maxime deteſtandus partim ex philoſophorum quorundam ſcriptis originem ducit, partim etiam ex meris male feriatorum hominum fabulis. Nam in turba Philoſophorum dicitur opus mulierum, & ludus puerorum. Et Roſinus citans Democritum, opus noſtrum leve eſt, inquit, modicoq; eget ſubſidio. Auctor Tract. qui incipit: Omnis ſapientia à Deo, Alberto Magno adſcripti. Intendo ſcribere artem veram, levem & infallibilem. Et verſus vulgaris.

Quid auctorem moverit cur hunc librum ſcriberet.

Falſo ſibi plurimi perſuadent Elixir eſſe paratu facile.

Erroris cauſa.

Libr. ad Eutychiam.

Hæc ars eſt cara, brevis, atque levis, quoque rara.

Et Comes Bernard. Treverenſis, qui paſſim omnium ma-

nibiis hodie teritur,& qui videri poſſet zelo quodam charitatis libellum ſuum de metallorum metamorphoſi ſcripſiſſe, niſi conſtaret peritioribus ipſum diminute nimium ſcientiam tradidiſſe, artē ita facilem affirmat, ut ſi actu vel ipſa praxi oſtenderetur, vix fidem inveniat. Cum Pariſiis agerem adhuc juvenis memini me audiviſſe hortulanum quendam in unum acervum congeſtis herbis inutilibus,& ſponte provenientibus ignem injeciſſe; ut illis in cinerem redactis lixivium pararet: ſed cum forte tubus plumbeus ad aquas corrivandas eo in loco fuiſſet vetuſtate oblitus aut non animadverſus, vi ignis plumbum defluxiſſe, & in aurum converſum fuiſſe, virtute non dubia herbæ cujusdam inter alias confuſæ, quod poſtea ablatis cineribus invenerit,& eo divendito pretium retulerit. Profecto iſti qui tam otioſe fabulantur ſi naturæ arcana aliqua ex parte deguſtaſſent, aut judicio uſi fuiſſent, non ita facile mendaciis & impoſturis falſiſſimorum hominum credidiſſent. Cogitaſſent utiq; ex homine hominem, ex leone leonem, ex planta plantam generari, nec quærendam eſſe in natura quod in ea non eſt: quomodo enim planta tinget aut figet & ab aduſtione defendet, cum ipſamet neque tincturam neque fixionem in ſe contineat; & igne abſumatur? Non defuerunt tamen neq; hodie deſunt, qui ſummum Philoſophorum arcanum tam in animalibus quam in vegetalibus inquirant, & experiantur quælibet obvia, quæ vel in ſchedis, aut in libris male intellectis, aut impoſtorum fraude & avaritia compoſitis reperiunt, ſperantes ſe fortuito inventuros quod Philoſophi labore ſummo & ſtudio continuo quærendum, & precibus à Deo impetrandum cenſent. Sic non ſine immenſo periculo Salamandras vivas in ollam diligentiſſime obſtructam conjiciendas & urendas aſſerunt nonnulli, ſperantque ſe aurum inde relaturos, unde potius mortem timere deberent, cum id feliciter aliis ceſſiſſe ex ſolo auditu credant; aut forte quia Philoſophi lapidem ſuum qui igne perficitur Salamandræ nomine quandoq; vocarint, ſimilitudine

Fabula.

Simile à ſuo ſimili generatur.

Error operantium.

Periculoſum experimentū.

Cur lapis quādoq; Salamandra vocetur, ratio duplex.

tudine ducta à Salamandra quam veteres in igne vivere & eo nutriri credebant: aut, quod variis colorum maculis corpus inſignitum habeat, inſtar Lapidis qui de colore in colorem mutatur, & quandoq; etiam plures uno tempore colores demonſtrat. Sed ut reſpondeam aliqua ex parte ad ſupra allegata, dico in Turba philoſophorum non ſimpliciter dici artem eſſe opus mulierum & ludum puerorum, ſed poſt abſolutam lapidis mundationem, & ipſius dealbationem, quia deinde ſola coctione ad finem deducitur. Sic enim Socrates ibidem: Iam albi plumbi diſpoſitionem vobis demonſtravi, quo noto, nihil aliud ſequitur quam opus mulierum, & ludus puerorum. Sed quantum difficultatis ſit in lapidis elementis ſecernendis, depurandis & conjungendis, philoſophorum libri & experientium fruſtrati labores teſtantur. Vnde Lilij auctor qui multa dicta Turbæ fideliſſime interpretatur, hoc modo ſcribit. Lapide noto & ejus operatione, nihil aliud eſt quam irriſio mulierum, & ludus puerorum. Et certe ſcientibus & expertis lapidem paratu levem concedimus, inexpertis non item. Quod Comes Bernardus artem adeo facilem aſſerat, poſſumus præſumere illum de poſteriore operis parte ſentire, prout ſuperius Socrates in Turba, præſertim cum toto ſuo tractatu de priore parte omnium difficilima ne mentionem quidam ullam faciat, aut admodum parce, ſed parabola ſua finem tantum decoctionis complectatur. Aut poſſumus dicere ipſi viſam facilem, cum poſt tot expenſas male collocatas & quadraginta annorum labores, duorum poſtea annorum ſpacio ex lectione librorum divina adjuvante gratia ſcientiam conſequutus ſit, quam tot annorum curriculo fruſtra antea tentaverat. Experientiam autem ipſi non adeo facilem fuiſſe vel ex eo conjicere poſſumus, quod ſcribat ſe biennio ante artem ſciviſſe, quam manum operi ſerio admoveret. Ab aliis levis dici potuit reſpectu aliarum artium operativarum, quæ multis & variis egent inſtrumentis, & corporali exercitio & labore plurimo; cum hæc unam materiam ſolam, unum vas, unamq; fornacem cum igne convenienti requirat:

Reſponſio ad allegata philoſophorum dicta.

Cur Bernardus artem facilem dicat.

Quare aliis levis dicatur.

Philoſophos multa dixiſſe ad fallendum imprudentes.

deinde aliæ per totam vitam fere exercentur, hæc autem ſemel perfecte inventa & exercita repetitione non indiget, cum operans ditatus ſit, & voti ſui compos factus. Quis etiam negare audeat philoſophos talia protuliſſe, ut alia multa, ad fallendum imprudentes? Sed optarem, ut ij qui hanc artem ita levem exiſtimant, tritum illud adagium

Lapidis præparationē difficilem eſſe.

mente recolerent, difficilia eſſe quæ pulcra. Item illud Rocherij Bachonis: In quibus Deus magnam virtutem poſuit, in iisdem etiam magnam difficultatem collocavit. Vtinam meminiſſent, Lapidem philoſophorum dici, non ruſticorum aut imperitorum, quod vel ſolo nomine quilibet non plane

In Marg. Novell.

imprudens merito poſſet abſterreri. Quin conſulant Petrum Bonum Ferrarienſem, & reſpondebit, hujus artis inquiſitionem, veritatem & experientiam aliarum rerum omnium inquiſitione fortiorem, difficiliorē & occultiorem

Quemlibet de..et ſeipſum noſſe.

& longioris temporis videri. Quod cum veriſſimum ſit, ſeipſum quiſq; examinet, acremq; ſe & vitiorum & bonorum ſuorum judicem præbeat, priusquam hujus ſcientiæ adyta intrare conetur, & diligenter perpendat, num ea quæ in Diſcipulis ſuis requirunt Philoſophi, in ſemet ipſo deprehendat, quæ multa ſane ſunt, & opinione vulgi majora: quæ tanquam in tabula oculis omnium exponere pro viribus

Dicendorum ordo.

conabor. Sed ut dicendorum ordinem aliquem proponam, libellum iſtum in quatuor partes diſtinguam. In prima impedimenta circa artificis perſonam occurrentia narrabo, & nonnullos eventus. In ſecunda quam difficulter veritas ex Philoſophorum ſcriptis eruatur oſtendam. In tertia, quæ circa praxin difficultates oboriantur patefaciam interjectis ubiq; quantum memoria patietur Sapientum in hac arte auctoritatibus, ne me quiſquam difficultatis in majus quam par eſt augendæ ſtudio quippiam dicere arbitretur, vel ut propoſito meo inſerviam, & non magis legentium utilitati. In quarta rationibus quibusdam & exemplis artem hanc cuiq; vitandam, quibus ſi minus profecero, ut ſaltem quam minimo diſpendio exerceatur, commonſtrabo.

PARS PRIMA

DE IMPEDIMENTIS ARTIFICEM REMORANTIBUS QUO minus ad pretioſæ hujus ſcientiæ notitiam & finem pervenire poſſit.

IN omnibus ſive maximis ſive minimis divinum implorari debere auxilium præcipit Plato. Cum itaque hæc ſcientia teſte Gebro, Seniore, & alijs philoſophis non ſit niſi perfecta inſpiratio divina, & arcanum Dei glorioſi, qui eam largitur & ſubtrahit cui vult, decet inprimis eum, qui huic initiari cupit, Deum trinum & unum ſupplici mente rogare, ut intellectum ipſius illuminare & ſapientiam ipſi conferre dignetur; neque enim eſt ſapientia niſi à Deo, qui eam ſincero corde & bona intentione quærenti & petenti non negat. Sed quoniam peccatores non exaudit Dominus, neceſſe eſt ſi exaudiri cupiat, ut Deum, à quo omne bonum expectat, amet, revereatur, & timeat. Timor enim Domini principium eſt ſapientiæ ut ait Regius Propheta. Quare rectiſſime Alphidius: Fili prædico tibi timorem Domini pariter & amorem cum obedientia non ficta. Et Senior. Tu qui in timore Dei ſtudioſus fueris, lapidis hujus ſecretum & apparentem virtutem videbis, & invenies ſpiritu altiſſimi inſtructus, ut cognoſcas quoniam omnis ſapientia à Deo eſt. Et Hermes: Fili moneo ante omnia te Deum timere, in quo diſpoſitionis tuæ niſus eſt. Animum præterea contritum habeat & à peccatis abhorrentem; quoniam, ut inquit, Sapiens, in malevolam animam non introibit Sapientia, nec habitabit in corpore ſubdito peccatis. Unde Alphidius. Hanc ſcientiam habere non potes, quousque mentem tuam Deo purifices, & ſciat te Deus mentem habere contritam. Et D. Thomas. Cum Deo tuo pacem habendo finem ordinatum in opere tuo ſemper præſige. Et Geber: Filij nequitiæ & malevolæ pravitatis ab hac ſcientia fugite, quoniam eſt vobis inimica & adverſa, & vos in miſeriam paupertatis conſtituet. Humilis ſit, nec hanc ſcientiam quærat, ut alios excedat, aut de poſſeſſionibus & divitijs ſe jactet. Sic enim Hermes: Opotet tyronem ſcientiæ arrogantiæ vitium à ſe repellere, pium ac probum eſſe. Et Alphidius: Si humilis fueris ejus Sophia & Sapientia perficietur; ſin autem, ejus diſpoſitio penitus te latebit. Et Auctor dialogi Naturæ & filij philoſophiæ: Arrogantes & ambitioſi non ſolum à Deo, ſed ab ipſa ſcienria & omni Dei dono reprobati & indigni inventi ſunt. Sed

In Timeo. *A Deo ſcientiam petendã eſſe.* *Alchemia qualem artificem deſideret.* *In cla. philoſophorum.* *Timentem Deum.* *Tract. 2.* *A peccatis abhorrentem.* *Lib. Sap. c. 1.* *In cl. phil.* *Ad fratrem Rainald.* *Sum. perfect. cap. 86.* *Humilem.* *Tract. 2.* *In cl. phil.*

Objectio. Sed poſſet quiſpiam ſupradicta in dubium revocare, & hoc modo inferre: Tu Chriſtianum requiris hujus artis ſtudioſum, & pium, neque enim aliter tres in Deitate perſonas, & unum in Trinitate Deum cognoſcet & adorabit, neque illum poterit amare & timere. Deſideras præterea animum contritum & conſcientiam à peccatis puram, & humilitatem, quæ virtutes proprie in Chriſtianis requiruntur. Conſtat autem Gebrum, Raſim, Avicennam & alios Arabes, qui de hac arte ſcripſerunt, Sarracenos & Mahometiſtas fuiſſe, nec veri Dei notitiam habuiſſe, & tamen libri eorum atteſtantur eos hujus ſcientiæ peritiſſimos fuiſſe, quam etiam ab iis potiſſimum ad Latinos dimanaſſe fatemur. Itaque neque pietas, aut Dei timor quicquam ad rem facere videntur, modo ingenium, libri & divitiæ non deſint. *Solutio.* Reſpondeo, illis pietatem quamvis præpoſteram non defuiſſe, virtutibus maximis eos floruiſſe, & à ſceleribus abhorruiſſe, prout ex Gebri libris, & loco ſupra allegato ſatis conſpicuum eſt; cum ſciamus etiam Turcas hodie plus devotionis habere, & majori cum reverentia templa & ipſa ſacra loca adire, plus etiam fraternæ charitatis egenis & miſeris exhibere, quam multo maximam Chriſtianorum partem. Itaque mirandum non eſt, ſi Deus qui intentiones hominum non ſecus atque opera ipſa inſpicit, illos victoriis ſpecioſiſſimis, & hac ſcientia omnium pretioſiſſima & alijs denique beneficijs & donis temporalibus remuneratus ſit, quanquam verum Dei cultum ignoraverint; quæ omnia parva tamen ſunt reſpectu æternæ felicitatis, quam Chriſtianæ fidei profeſſores expectant, illis repudiatis. Deinde præſtat falſum Deum habere quem vereatur quis, & colat, & cujus timore pravæ hominum voluntates & maleficia coerceantur, quam nullum, prout plurimum Sophiſtæ; neq; enim Alchemiſtarum nomine digni ſunt, qui hanc ſcientiam eo ſolum animo quæſunt, ut cupiditates ſuas expleant, & non ad Dei gloriam, aut ad proximi ſolatium, aut inopiam ſublevandam. Sed ad propoſitum revertor. *Prudentem. Philoſophorũ techna in occultanda ſcientia.* Artifex præter jam dicta prudens ſit & ingenium habeat naturaliter ſubtile & profundum, & judicio egregio polleat, ut vera à falſis, naturæ potentiam ab operibus contra naturam diſtinguere ſciat, cum ſæpius ut incautos fallant philoſophi rationes quaſdam dictorum ſuorum adducant, quæ ſpecie & apparentia veræ videntur, & tamen ſunt falſæ. *Cap.13. De Inveſtig. perf. c. 12. ſum. perf. Lib. Secre. cap.2.* Unde Geber: Solum prudentes ad artem allicimus. Idem. Tradèmus artem tali ſermone, quem prudentes latere non accidet, hic autem mediocribus profundiſſimus erit, fatuos autem irreſerabiliter excludet. Et Haly: Non feci hunc librum ignoranti & neſcienti, ſed compoſui ipſum prudentibus & Sapientiam habentibus. Morienes: Providentia & ratio & firma expectatio ab artifice adhibeantur.

Doctus

Doctus ſit, ut quod per ingenium naturale non adipiſcitur, huic defectui per doctrinam ſubveniatur. Hinc via univerſalis: Abſcondimus hanc rem abſconditione forti, ut apprehendi non valeat ab indoctis. Latinæ linguæ inprimis peritus ſit, quo enim pacto aliter intelligat, quæ maxima ex parte latino ſermone conſcripta & vulgata ſunt: nec enim putet quis libros chemicos ea facilitate aut veritate in aliam linguam transferri atq; aliarum ſcientiarum libros. In philoſophia naturali & alijs ſcientijs verſatus ſit. Unde Arnaldus. Quicunque vult ad hanc ſcientiam pervenire, & non eſt philoſophus, fatuus eſt, quia hæc ſcientia non eſt niſi de occultis philoſophorum. Et Morienes. Quicunque hanc ſcientiam ſectatur, cæteras & præcipue Dialecticam ſcire convenit, quoniam Philoſophi hujus non niſi ſub involucro & figura loquuti ſunt. Et Alphidius. Nulli hunc librum compoſui niſi philoſopho. *Doctum.* *Latini ſermonis peritū.* *Philoſophum.*

Artifex præterea Naturæ & artis principia non ignoret, quia qui principium ignorat, finem non inveniet. Unde Geber. Qui principia naturalia in ſeipſo ignoraverit, hic multum remotus eſt ab arte noſtra, quoniam non habet radicem veram, ſupra quam intentionem ſuam fundet. Et D. Thomas, hortor ne aliquis præſumat incipere opus, niſi ſit multum peritus & expertus in principiis naturalibus. Avicennas. Cognoſce radices mineralium, ut ex ipſis facias opus tuum. Inſuper induſtrius ſit & laborioſus, ut quod per ingenium naturale & doctrinam aſſequutus fuerit, induſtria ſua & labore juvare ſciat, & ſi errare contingat corrigere. Haly. Non eſt tibi datum hoc magiſterium ſolum pro tua audacia, & fortitudine, & calliditate, ſine omni labore; nam & laborant homines, & Deus tribuit fortunam hominibus. Geber. Et tu quidem exerciteris cum laboris inſtantia maxima, & cum diuturnitate meditationis immenſæ, cum illa enim invenies, & ſine illa non. Requirunt etiam Philoſophi artificem conſtantis voluntatis, qui non modo hoc, modo illud attentare præſumat, quia in rerum multitudine ars non conſiſtit, ſed ut incepto ſemel operi ad conſummationem inſiſtat, nec opus imperfectum relinquat. Unde Roſinus ex Rhaſi: In hoc negotio ſi agendi difficultas & tædioſa fatigatio opificem negligentem efficiat, ipſum expectato gaudio privat, ſpem ſuffocat, efficaciam interimit. Et Auctor Scalæ philoſ. Cum in opere fueris, adſit aſſiduitas cum patientia & expectatione congrua, cujus finis damnum & triſtitia. *In cl. phil.* *Naturæ principia ſcientē.* *Sum. perf. in principio.* *In Secret. Alch.* *Induſtrium & laborioſum.* *Sum. perſ. c. 26.* *Conſtantem.*

Ne præceps ſit in iram, ne ſi libros primo intuitu non intelligat, illos abjiciat, aut ſi incepta minus feliciter ſucceſſerint, vaſa, fornaces, & reliqua operi neceſſaria impetu furoris diſſipet & diſturbet. Sed è contra, patiens ſit & longanimis, naturæq; actionem, quæ lentiſſima eſt, æquo animo expectans. Unde Arnaldus: Eſto longanimis, nec feſtinanter aut velociter quæras perficere, *Non iracundum.* *Patientem.* *Roſ. cap. 3. part. 2.*

quia

Cap.12. de inveſt.perfect. quia primus error in hac parte eſt feſtinatio. Et Geber. Feſtinatio à parte Diaboli eſt, ideo qui patientiam non habet, manum ab opere ſuſpendat. Ibidem. Hujus operis fundamentum eſt patientia & mora. *Liberum. Roſ. part.2. c.1.* Artifex ſit ſui arbitrij & liber. Arnaldus. In magiſterio tria ſunt inquirenda: Ingenium ſubtile artificis, operatio manuum, & arbitrium liberæ poteſtatis. *Otioſum.* Otioſus ſit nec ullis alijs curis aut negotijs occupatus, ſed operi tantum & philoſophorum libris inſiſtens, hæc enim ars totum requirit hominem. *Sum. perfect. c. 6.* Unde Geber. Sunt multi curioſi, varijs hujus mundi curis & ſolicitudinibus detenti, ſe omni negotio immiſcentes, à quibus hæc ſcientia refugit. *Secretum.* Secreti item tenax ſit, ne ſibi periculum accerſat, & alijs maleficijs anſam præbeat. *Diſtinct.1.* Unde in Alleg. Sap. Cela hoc opus ab omnibus, velut verbum in lingua, ſive ignis in oculo tuo, noli loqui tibi ipſi, ne ventus verba tua ad alium deferat, & ad tuum fiant detrimentum. Ecce te cavere feci. *Cap.1.* Et via univerſ. Oportet artificem hanc ſcientiam ſubtili ingenio indagare, & caute & prudenter loco ac tempore in ſuis neceſſitatibus ea uti: quia qui Theſaurum publice portat cupit deprædari. *In Secret. ſecret. ad Alexand.* Et Ariſtot. Divina providentia juvet te ad cælandum propoſitum. *Abſtinentem à Sophiſticis.* Abſtineat ab operibus Sophiſticis & in vera artis indagatione tantum perſiſtat. *Sum. perfect. c.7.* Geber. Nemo adinvenire nitatur Sophiſticam operis metam, ſed Soli complemento Elixiris ſit intentus. Forte enim Deus ex Sophiſtici operis vindicta tibi artem denegaret, & in devium erroris te crudeliter detruderet, & ex errore in felicitatem & miſeriam perpetuam. *Non prodigũ.* Non prodigus ſit, nec pecuniam ſuam præſumta ſpe futurorum vane diſtribuat; ne ſi forte artem non invenerit, relinquatur in miſeria, vel ne forte cum jam ad finem hujus magiſterij per ſuam indagationem approximaverit, conſumta ſint ipſius impendia, & verum finem ob paupertatem relinquere cogatur. *Non avarum.* Nec ſit avarus, nihil enim ſtudijs ſuis & laboribus proficiet, ſi diſpendia interponere timeat, & pecuniæ ſerviat. *Cautũ in diaboli illuſionib. dignoſcendis.* Cautus ſit in diaboli illuſionibus dignoſcendis & præcavendis, qui ſe chemiſticis operationibus ſæpius immiſcet, ut operantes circa vana & inutilia detineat prætermiſſis naturæ operibus, prout mihi & cuidam amico meo accidiſſe infra narrabo. *Locupletem.* Sufficienter locuples ſit, nec enim ſufficit ingenioſum eſſe, doctum, induſtrium & opera naturæ non ignorare, ſi paupertate premente hanc ſcientiam cogatur poſtponere alijs minus nobilibus ſectandis, ut inopem vitam ſuſtentet, & de victu & amictu ſecurus ſit. *Teſt.c.31.* Unde Lullius: Hæc ars divitias requirit, ſapientiam & libros *Politic.2.* Et Philoſophus: Impoſſibile eſt indigentem philoſophari. *Roſ. part. 2. c.7.* Quamvis enim vili pretio teſtantibus Philoſophis artis complementum poſſit perveniri (dicit enim Arnald. pretium ipſarum medicinarum hujus artis non excedere quinquaginta argenteos.

Et

Et alius: Expenſæ noſtræ artis non excedunt pretium duorum aureorum in prima ſui emtione] tamen cum neceſſario contingat operantem ſæpius errare (rectum enim non niſi errore diſcernitur, ut ait Baccen. in Turba. Et Alphil. Qui non errat non pervenit, & qui non corrumpit non emendat, & qui non triſtatur non lætatur) pauper iterato incipere & opus ſæpe repetere non poteſt, prout neceſſe eſt. Sic enim Auctor lib de perfecto magiſt. Cum de hujus rei experientia nemo poſſit eſſe ſecurus, tibi ſuadeo, ut actione incœpta ab ipſa non ceſſes. Si prima vice non recte fueris operatus, ſecundo, tertio, & etiam amplius ſi opus fuerit reitera, quousque quod appetis perfectiſſime deprehendas. Neque te ab hac re labor manuum, rerumve impenſa amoveat, quia cum inſtantia vinces, & de manuum labore mercedem, & lucrum de rerum ſumptibus rehabebis. Et Auctor viæ univerſ. oportet artificem cum multis laboribus & erroribus ad perfectionem pervenire, vix enim hoc opus excellentiſſimum ad finem ſine impedimento perducitur. Librorum magnam habeat copiam: neque enim perſuadeat ſibi quisquam librum aliquem unum inveniri, qui continuata orationis ſerie totam artem veraciter deſcribat, ut multi ſtolide opinantur. Id enim eſſet derogare naturæ majeſtati, meritoque ut proditor ſigilli cæleſtis talia auſus ab omnibus condemnaretur, illique aqua & igni interdicendum, ſcriptaque ejus tanquam orbi peſtifera & publicæ quieti adverſa igne abolenda forent. Ideo non fruſtra ab uno eodemque auctore plures una de re libri ſunt compoſiti, ut videlicet quod in uno diminutum tradiderit, in alio compleat. Sic enim Geber. Non propoſuimus cuncta in uno monſtrare volumine, cum liber librum aperiat & exponat. Idem alio loco, Sapiens artifex in noſtris ſtudeat voluminibus, colligendo noſtram diſperſam opinionem, quam in diverſis locis propoſuimus, ne malignis ſeu ignaris publicetur. Ea ratione permotus Lullius ſupra ſexaginta in hac arte volumina conſcripſit, alij ſex, octo, aut pauciora. Aut ſi auctor quiſpiam unum aliquem librum ſolum compoſuit, is unam quoque operis partem tantummodo complexus eſt, quod philoſophi nonnulli in tres, plures in quatuor, quidam etiam in quinque & ſex regimina diſtinxerunt, multi etiam in duo, eaque inter ſe confuderunt, ut quod primum, quodve medium aut ultimum ſit ignoretur. Vel ſi plures partes operis ſimul comprehenderit, breviter, & plurima falſa pauciſſimis veris interponendo, id exſecutus eſt. Sicut Arnal de villa nova, cum volumen ſatis magnum de hac arte compoſuiſſet ſub Roſarij nomine, tamen in fine ita concludit: Modos elixiris completo ſermone vobis ſuperius dedi, non ſub ænigmate, ſed ſub plana ſermonis ſerie diſcretionem veſtram dilucide alloquendo, quoniam teſte Deo nihil

Lapidis materiam vilem eſſe.

Cum multis erroribus ad artem perveniri.

Librorum copiam habeat artifex.

Opinio ſtolida.

Philoſophos ſparſim & per partes ſcientiam tradere.

Auctores opus diſtinxiſſe pro libito.

Cap. ult.

nihil in hac arte continetur melius nec perfectius quam iſta antedicta, brevitate tamen truncata, quamvis intelligentibus ſint ſatis prolixa. Idem alibi. Sapientes denunciaverunt opus ſub brevibus verbis, licet plura alia verba adjunxerint, ut non intelligeretur niſi per ſapientes. Quocirca pluribus libris & diverſis auctoribus artifex opus habet, ad aperiendum, ut ait Lullius, intellectum diverſum qui eſt in multis gentibus, quoniam comprehenditur per doctrinam unius quod nunquam potuit comprehendi per doctrinam alterius fortaſſis datam per figuram, &c. Et Arnal. Liber librum aperit & ſermo ſermonem. Et profecto hoc vel ſolo impedimento multi viri docti maxime retardantur ne votorum ſuorum compotes fiant. Libri enim de hac arte conſcripti inventu ſunt difficiles, ſed majori aliquanto difficultate à dominis impetrantur: qui enim eos poſſident, tanquam Sibyllina oracula cuſtodiunt, quo nihil fieri poteſt abſurdius aut intempeſtivius, nec facile prece vel precio niſi admodum magno alijs communicant. Impreſſi vero quos Doctori medicinæ Guilielmo Gratarolo, & Petro Pernæ Typographo Baſileenſi maxima ex parte ferimus acceptos (quorum heredibus mea quidem ſententia gratiam referri æquum eſſet, ſi quis artem adipiſceretur) pauciſſimi ſunt, reſpectu eorum qui ad huc latent. Quinimo ſæpenumero contingit ut hujus artis tyrones libros falſos & adulteros omni ratione & doctrina vacuos pro veris & bonis coëmant, cum ij plerunque qui praxim præ ſe ferant inchoantibus magis placeant. Novi ego duos præclaros alioqui viros & prudentes in cæteris, quorum alter cum magno pretio emiſſet practicam Philippi de Rovillaſto Pedemontani manuſcriptam, ipſo tamen ignorante typis excuſam, alter vero cujusdam Jo. Salinarij ſive de Saulmur libellum Gallicum de Salis præparatione, exiſtimabat uterque veram artis doctrinam & praxin ſuo libello contineri: nec aliud optabant quam artiſtam aliquem ſibi dari, cujus opera uti poſſent ad tantum theſaurum è libris eruendum, cum ipſi alijs negotijs occupati manus operi applicare non poſſent aut neſcirent. Qui quantumvis amice moniti à me eſſent nihil veritatis ijs libris contineri, proinde pecuniæ ſuæ parcerent, nec ſumptus ullos facerent, audivi nihilominus poſtea falſa ſpe lucri irretitos meo conſilio non paruiſſe, ſed alijs ſe deludendos & fallendos expoſuiſſe. Non autem ſatis eſt libros habere plurimos & magno comparatos, niſi illis lector diligens, aſſiduus, & diuturnus evenerit, neque enim menſium aliquot ſed annorum ſpatiis opus eſt intelligendis auctorum parabolis, ænigmatibus, æquivocationibus, tropis, figuris & transpoſitionibus. Idcirco rectiſſime Agadimon in Turba: Qui cito putat ſe ex libris noſtris fructum capere poſſe, fallitur, ſatius enim fuerat non inſpicere quidem, quam temere contigiſſe: Libri enim noſtri

In lib. qui flos florum. Cap. 31. Teſt.

Reſ. c. 1.

Libri Chemici inventu difficiles & rari.

Cautio in libris Chemicis emendis.

Exemplum.

Artificem ſtudioſum eſſe debere.

noſtri magnam injuriam inferunt his, qui ſolummodo ſemel, bis, vel ter ſcripta noſtra perlegunt, cum intellectu omniq; ſtudio privati, etiam quod peſſimum eſt, opes, labores, & tempus amittunt. Verumtamen qui curvat dorſum ſuum, ad libros noſtros legendos, ijsque ſtudioſe vacat, memoriam animumque adhibet, nec eſt vanis implicitus cogitationibus, Deum precatur ut Salomon pro ſapientia, non pro opibus, is in regno regnabit indeficienter, quousque moriatur. Et Auctor perfecti magiſtri. Rogo te fili, ut inceſſabili lectione philoſophorum libros ſcruteris, qui enim in legendis libris deſes extiterit, in præparandis rebus promptus eſſe non poterit, quia non poteſt de levi ejus in practica manus aſſueſcere, cujus mens in Theorica renuit deſudare. Ille namque ad operationem ſecurius accedet, in cujus mente plures operationum imagines variæque reſultant.

Et Richardus Angl. Studium amovet ignorantiam, & reducit humanum intellectum ad veram ſcientiam, & cognitionem cujuslibet rei. Ideo omnes hujus artis beneficium diligentes, ſtudijs inſiſtere tenentur, & ex libris veritatem haurire, non ex fabulis fictis & operibus mendoſis; cum hæc ars veraciter non inveniatur, niſi poſt terminum ſtudij, & philoſophorum dictorum cognitionem. Idem prorſus affirmant omnes paſſim hujus artis ſapientes, quorum auctoritatibus adducendis ſuperſedeo. Poſt aliquot annorum ſtudia quantumvis felicia, deſideratur etiamnum longa experientia, fundamentum enim artis experimentum eſt. Unde Geber oportet operando, perſcrutando & experiendo ad intentum pervenire. Idem: exerceat ſe artifex, donec ſtudendo & experimentando cum laboris inſtantia ad cognitionem pervenerit. Et Lilium. Heu vobis doctrinæ filij, quilibet veſtrum arbores inſerens, non ſperat fructus habere niſi poſt tempus, & ſemina ſeminans non ſperat metere niſi poſt meſſes, qualiter ergo vultis vos hanc oblationem habere lecto ſemel libro, vel primo regimine experto. Non ergo vos tædeat procedere, ad ſecundam & tertiam partem regiminis, donec Rex diademate rubeo ſit coronatus. Non autem falli velim quenquam Comitis Bernardi auctoritate, qui menſibus novem cum dimidio opus abſolvit, cum is tantummodo ut ſupra dixi poſteriorem operis partem intelligat: Minus adhuc aliis credendum moneo, qui breviori temporis ſpacio opus perfici aſſeverant. Audiant potius Lullium dicentem: Curſum naturæ completæ durare per ſpatium duorum annorum, unde lapis eſt unius anni, & elixir alterius omni novo artiſtæ, qui nunquam fecerit: ſed omni bono artiſtæ, & experto qui eſt ſubtilis, ſufficit unus annus & tres menſes. Ut autem hic Lullij locus melius intelligatur, non pigebit in gratiam juniorum explicare quid vocet lapidem, quid elixir. Lapidis, elixiris, & me-

Correct. c. 2.

Experiendum eſſe artifici.
De inveſtig. perf. cap. 2.
Ibid. c. ult.

Quanto tempore lapis compleri poſſit.
Cap. 42. Teſt.

Lapidis elixiris & medici-

dicinæ,

na nomina varie uſurpa-ri. dicinæ, nominibus Lullium & alios auctores promiſcuè uti prò opere omni modo perfecto exempla paſſim occurrunt. Sic enim de lapide & elixire Lullius: Iſte lapis convertit omne corpus diminutum & imperfectum in infinitum Solificum & Lunificum, ſecundum quod elixir erit ſubtiliatum & præparatum. De elixire ſolo Rog. Bacho. Elixir rubeum citrinat in infinitum. De medicina Arnald. Si metallum quod convertere debes per medicinam non fuerit ſufficientis coloris, addatur plus de medicina. Poſſem infinitas philoſophorum allegare hac de re auctoritates, ſi opus eſſet. Quibus tamen non obſtantibus, lapidis, Elixiris & medicinæ nominibus opus imperfectum ſignificari nonnunquam, adductis exemplis demonſtrabo. Sed quoniam de lapidis appellatione ſupra abunde dixi, cum oſtendi magiſterium in omni gradu operis lapidem vocari, de elixire tantum & medicina mentionem faciam, & primò quidem de elixire. Arn. in Roſ. Cave tibi in commiſtione elixiris, & operare ibi ſapienter. Idem. Calx quæ mittitur in elixir erit ſublimanda, ut ſit omnino ſimplex & una. De medicina idem Arn. medicinam calcinamus ut citius ſolvatur, & eam ſolvimus, ut melius mundetur & fundatur. Sed loco præallegato cum Lullius dicit, lapidem eſſe unius anni, & elixir alterius, nomine lapidis intelligit priorem operis partem, in qua materia lapidis ſolvitur, dividitur, mundatur, & denuò in unum conjungitur, ac tandem à fæcibus corporalibus ſurſum in quintam eſſentiam evehitur. Elixiris verò voce poſteriorem, quæ mundati fixionem & tincturam complectitur, non in hoc ſolum loco, ſed alijs paſſim. Sic enim in Codicillo, opus infirmare nihil aliud eſt quam debitam & naturalem formam ſulphuri vel lapidi, & poſtea elixiri & medicinæ tribuere. Idem in Teſtamento: Magiſterium noſtrum in duas partes eſt diviſum, ſcilicet in creando lapidem, & componendo medicinam. Alijs nonnullis auctoribus è contrario elixir prior, lapis poſterior operis pars nuncupatur, prout Auctori viæ univerſalis. Elixir eſt primum & principale fundamentum, & radicale lapidis pretioſi, quod poſtea per operationem ſecundam cõvertitur in ipſum lapidem, vel medicinam. Bernardus etiam & Rich. Angl. & quidam alij opus diſtinguunt in tres partes. In Rebis videlicet, elixir &, tincturam, ſive medicinam. Ut Rebis ſit prima pars dicta à re bina ſeu duplici, diſſolvente videlicet & diſſolvendo, elixir verò ſecunda, in qua à corpore diſſoluto anima extrahitur diuturna coctione (putabant enim elixir ab elixando nomen habere, aut propter vocis affinitatem videri ita volebant. Unde D. Thomas. Oportet in principio noſtræ operationis, ut res in elixir convertendæ primum elixentur antequam ad compoſitionem lapidis ſit procedendum) tinctura verò tertia pars, quam Lullius etiam medicinam vocat,

In pract. teſt. cap. 2. — *In ſpeculo Alc. c. 2.* — *Roſ. par. I. cap. 23.* — *In proœmio.* — *Cap. 24. part. 2.* — *Cap. 21.* — *Roſ. c. 23.* — *In pract. cap. 22.* — *Cap. 5.* — *In comment. ſuper. tab. ſ. ſmar.*

cat, priores verò duas in unam contractas lapidem maluit nominare. Quibusdam etiam opus in quatuor partes dividitur, qui inter tincturam & medicinam diſtinguunt, ut tinctura medicinam præcedat, quemadmodum etiam Auctor conſilij conjugij maſſæ Solis & Lunæ, in Ir, Xir, Ixir, & elixir. Quare attente & conſiderate admodum legendi ſunt auctores Chemici, cum ſæpenumero voces has & alias multas confundant. Quod non ignoravit Auctor viæ univerſalis dicens: Philoſophi in libris ſuis elixir lapidem, & lapidem elixir vocaverunt, non facientes differentiam nominum inter utrumque, ut fatuos excœcarent. Sed ut ſermonem unde digreſſus ſum repetam. Experimenta tentantem artificem ſanum eſſe oportet & firmis viribus, ut labori poſſit ſufficere, qui non eſt exiguus, teſte D. Thoma, qui tantum ſe laborem & fœtorem & corporis detrimentum perpeſſum adfirmat, ut opus nullo modo niſi cogente neceſſitate iterum vellet attentare. Non cœcum, aut manibus mutilatum. Si enim oculis captus fuerit, materiam ut oportet diſponere & commiſcere non poterit, neque colores conſiderare in opere apparentes, proinde neque ignem regere, cum ex colorum apparitione ignis regimen dependeat, dicente Roſario, colores te docebunt, quomodo ignem adminiſtrare debeas. Si manibus caruerit, jam non juvabitur à membris, quibus mediantibus hæc ars perficitur tanquam naturæ miniſtrantibus. Dixi ſupra ſufficienter locupletem eſſe debere artificem, ut videlicet libros neceſſarios hujus artis emere, & relictis alijs negotijs illos evolvere, deinde ut experimentum doctrinæ ſuæ capere poſſit, experiri autem nihil poterit, niſi domum aptam, aut ſaltem tria quatuorvè cubicula habeat; opus eſt etiam ut ſumptum faciat in vaſis, fornacibus, & igne noctu dieque continuando, qui nunc carbonibus, nunc oleo, aliavè materia, prout feret neceſſitas, nutriendus erit. Servus inſuper quærendus aut ſocius, qui artifice dormiente, occupato, aut ægrotante, ignem continuum & jugiter perſeverantem ſubminiſtret, nec ſemen jam diu enutritum emori aut refrigerari patiatur. Hæc omnia ſi in unum conferantur, videbit artifex non modica ſibi pecuniæ ſumma opus eſſe. Propterea non ſine ratione à philoſophis hæc ars pauperibus inimica dicitur, quia vult expenſas multorum annorum; deinde omninò præcavendum eſt artifici, ne redigatur ad egeſtatem, & aliis ridiculo ſit, ſi fortè contingat in opere errare, vel tempus prolongari, ut in pluribus evenit. Cum itaque ex prænarratis jam pateat, qualem oporteat eſſe artificem, & difficilimum ſit reperire aliquem, in quem tanta animi, corporis, & fortunæ bona Deus congeſſerit, meritò tota ars difficilis & periculoſa judicabitur, & quilibet non imprudens tanquam maxime damnoſam vitabit.

Cap. 5.

Artificem experientia deditum ſanum eſſe oportere.

Quibus artifex indigeat.

Alchemia pauperibus inimica.

Geb. Sum. perf. c. 7. & Albert. Magnus.

Sed inſurget fortaſſe quispiam,& dicet: Tu cum in alijs timorém Domini,integritatem, ingenium ſubtile & profundum, eruditionem,induſtriam,patientiam,conſtantiam, otium, libros, divitias & alia non pauca deſideres, & te hoc ipſo tractatu fatearis Alchemiæ ſtudioſum,num tibi ea arrogas, quæ in alijs tantoperè requiris? Reſpondeo multa mihi deeſſe, profiteorque ingenuè, ſi æquè impedimenta omnia & difficultates, quæ nunc oculis obverſantur quondam adoleſcens animo concipere & ruminare potuiſſem,aut ſi tam fortunatus fuiſſem cui fidus conſiliator eveniſſet,qui propoſitis omnibus hujus artis remoris me ab incepto revocaſſet, prout me facturum ſpero hoc libello, nunquam me palæſtram hanc ingreſſurum fuiſſe,doluique ſæpius dum temporis deperditi memoria ſubit, me libros Chemicos unquam vel per tranſennam aſpexiſſe. Sed idem mihi evenit, quod alijs non paucis: cum juveni mihi ad naturæ ſecreta inveſtiganda natura prono & mediocriter fortunæ bonis dotato Comitis Bernardi libellus Gallicus fortuitò Pariſiis oblatus fuiſſet, miratus ſum primò magnificum operis titulum,deinde curioſitate motus inſpexi, legi,relegi,in quo cum pauca ambigua,obſcuritatis parum animadverterem; quinimò auctor ultrò exhortaretur ad ſtudium ejus ſcientiæ cui nulla alia eſſet comparanda, deſcriptis ejus virtutibus, cum præter divitias immenſas memoriam etiam & ſanitatem polliceretur ſerio illam inquirentibus, & adderet eſſe adeò facilem,ut vix credi poſſit, victus fui fateor, manus dedi. Maximo itaque ſtudio confeſtim libros hujus artis impreſſos aut manuſcriptos quotquot invenire potui comparavi, & per aliquot menſes diligenter evolvi. Sed cum inter reliquos auctores Turbam philoſoph: maximè citaret, quam ſæpius benedictam appellat, egoq; duos libellos Turbæ philoſoph: nomine inſcriptos haberem, unum quidem Gallico idiomate,alterum Latino, qui poſtea opera Petri Pernæ Baſileæ impreſſus fuit, poſtpoſitis tandem cæteris uni præcipuè Turbæ Gallicæ operā dedi,quàm ab eodem Berna. collectam ignorabam. Primum conſenſum utriusque libri cœpi admirari,deinde cum Pythagoram de materia lapidis loquentem introduceret hoc modo: Opus noſtrum non indiget in principio niſi duabus naturis unius eſſentiæ,quarum una vilis eſt, altera cara; una dura,altera aquatica; una rubea,altera alba; una fixa altera volatilis; una corporalis, altera ſpiritualis; una frigida & humida, altera calida & ſicca. Cum amplius legerem Bern. libellum ſuum de metall. transmutatione concludentem in hanc ſententiam, opus noſtrum fit ex duabus ſubſtantijs Mineralibus unius radicis, ſive eſſentiæ,acceptis omnibus crudis è minera tractis, mundis & depuratis,junctis per ignem convenientem, prout requirit materia,coctis continuè donec duo,unum fiant: Et in hoc uno poſt illorum

Magnifici librorum tituli multis imponunt.

lorum miſtionem corpus fit ſpirituale, & ſpiritus corporeus, &c. Inſuper cum legerem in eodem libello, aurum merum eſſe ſulphur in Mercurio. Item in epiſtola ejusdem apud Thom. de Bononia Caroli 8. Medicum, Philoſophi aurum in quo activiora ſunt elementa tanquam ſemen maſcul. cum Mercurio, in quo paſſiva exiſtunt elementa ut debite diſſolvatur conjungi præceperunt, omni re extranea ſemota, præter calorem extrinſecum adhibitum, qui adjuvando excitat intrinſecum naturalem auri, ad digerendum & activè maturandum Mercurium. Cum item affirmaret Lullius, non operandum eſſe ad aurum, niſi cum auro & Mercurio, & ad Lunam niſi cum Luna & Mercurio, & adderet rationem: aurum non eſſe reſolubile niſi cum natura ſua. Et Arn. diceret Mercurium de natura ſua converſium fieri unumquodq; cum ſingulis quos amplectitur ex planetis, ſi ergo cum duobus jungatur radijs fieri elixir perfectum. Et cum idem in roſario ſuo juberet lapidem groſſum diſſolvi in argento vivo, eo quod ipſum ſolum haberet Solem & Lunam ad ſuam naturam vel materiam primam reducere: non potui aliter raciocinari quàm aurum & argentum vivum vulgaria conſtituere lapidis materiam. Quamvis autem legerem apud eoſdem auctores, aut ſimiles, Mercurium philoſophorum non eſſe Mercurium vulgi, tamen eodem Bernardo duce hæc ſic interpretabar: verum eſſe, argentum vivum per ſe non poſſe præbere materiam lapidis philoſophorum, nec etiam aurum ſolum, quamdiu ſingula ſeorſim remanent, ſed ſi aurum per argentum vivum ſolutum ſit, & in primam materiam redactum, hoc eſt, in Mercurium, tunc meritò poſſe & debere vocari Mercurium philoſophorum, qui in ſe contineret vim ſulphuris ſui intrinſeci, quo in argentum & aurum & poſtea in elixir converteretur. Exemplo ducto à maris & fœminæ ſpermatibus, quæ quamdiu ſeorſim locis ſuis aſſervantur, non poſſint dici aut eſſe materia animalis, ſed tum demum, ſi in matrice conjuncta fuerint, de potentia videlicet in actum jam deducta.

Teſt. c. 62.

Roſ. part. 1. cap. 10.

Part. 2. c. 2.

Error auctoris in delectu materia lapidis.

Cum præterea legerem in Turba: Miſce, coque, tere igne, non manibus. Et aſſirmarunt philoſophi uno vaſe, una fornace, unica diſpoſitione ſeu decoctione opus totum perfici, & tantum materiam ſemel in vas poni debere, ad inſtar fœtus qui in utero foveretur uſque ad ſuam perfectionem, & poſtea in lucem editus nutriretur primum lacte & pauco cibo, deinde auctis viribus majore & ſolidiore. Dicente inſuper Morieno opus hoc creationi hominis aſſimilari, non potui non credere opus eſſe facilimum. Securus itaque lapidis, non quærebam niſi tempus & commoditatem ut operi poſſem vacare, jamque ſecretum petebam & ſolitudinem, fugiens amicorum & ſodalium conſortia: quod cum diu ferre non poſſem, tandem juvenili fervore abreptus, & curioſus viden-

Roſarius & alij.

 di &

di & audiendi extera, peregrinationem inſtitui, & in Italiam profectus ſum. Ubi cum licuiſſet multorum familiaritate & converſatione uti, qui Chemica tractarent, omnes tamen ſedulò vitandos putabam, cum cenſerem me nihil a quoquam, alios è contra à me plurima diſcere poſſe. Cum Italiam fere totam quam longè lateque extenditur peragraſſem, poſt biennium in patriam redij, ubi nova impedimenta aliquamdiu me retardarunt, quo minus praxi incumbere poſſem. Tandem tamen incepi, & primò quidem, quoniam materialium purgationem deſiderari cogitabam, auri unciam per antimonium probe repurgati in folia juſſi deduci, Argentum verò vivum initio à ſale communi, mox cum nihil proficere me viderem, à ſale & vitriolo ſublimare, ſublimatum revivificare conatus ſum; ſed cum ne ſic quidem Mercurius mundior efficeretur, cogitavi tandem non poſſe eum melius purgari aut ſublimari quam ab auro cum quo maximam habere affinitatem dignoſcitur, dicente Gebro: Eligendam eſſe materiam cum qua maximè conveniunt ſpiritus ſublimandi, & cui permiſceantur profundius, quoniam illa materia cui magis uniuntur, potentior eſt in retentione fæcum, quam cui non. Huc accedebat teſtimonium ipſius Bernardi, cui plurimum deferebam. Is enim dicit quaſdam eſſe ſublimationes Mercurij ab ejus proprijs corporibus, quæ ſibi per intima amalgamando conjunguntur, & commiſcentur, à quibus pluries elevatus & conjunctus ſuperfluitates amittit, & non confunditur in natura, poſtea autem operi philoſophico convenit, & potens eſt in ſpeciebus metallicis ſolvendis. Propria ipſius corpora interpretabar aurum & argentum, quia maximè inter metalla argento vivo abundant. Putabam etiam Lullium id velle, cum dicit nullam humiditatem converti magis propriè & promte in ſubſtantiam ſulphuris quam illam, in qua qualitates ſuimet ſulphuris ſufficienter ſunt introductæ per ingenium naturale, quod fit per artificium. Cum itaque ab auri pulvere lima quæſito aliquoties argentum vivum ſublimaſſem, nec tamen id ſplendidius aut pulcrius, quinimò magis immundum invenirem, tum primum cœpi nonnihil diffidere, & ſecuritatem in ſolicitudinem convertere. Tandem reſumto animo cum Turba philoſoph. præciperet, non accipiendam materiam niſi crudam, amœnam, ſinceram; Item dicente Bernardo: opus fieri ex duabus ſubſtantijs mercurialibus crudis & tractis è minera, cœpi meditari: Si cruda materia accipienda ſit, nihil opus eſſe tempus terere, & animum fatigare in ſublimationibus nihil omninò profuturis. Aurum itaque in tenuiſſimas bracteolas diductum argento vivo per corium linteumque expreſſo paulatim impoſui, proportionem præſcribente Treverenſi, recordatus verſus vulgati.

Experimenta auctoris fruſtranea.

Sum. perfect. c. 41.

In epiſt. ad Th. de Bononia.

In teſt. & codicil.

In parabola

Mercu-

Mercurius Solem foliatum deſtruit omnem,
Hunc ſolvit, mollit, animam de corpore tollit.

Putabam autem maximè ad rem facere, ſi non excalefacta ſed frigida omnia miſcerentur, nam cogitabam nihil ſtultius poſſe fieri, quam vehementi igne in principio operis materiam adurere, quam lentiſſimo igne regendam, & ad inſtar nutritionis ovorum fovendam docent Sapientes: iisdem dicentibus, cavendum eſſe ne flores ejus comburantur in initio; credebamque in eo maximè ceſpitare hujus ævi artiſtas, qui ſumtibus parcentes aut aliis non fidentes aurum vulgato aurifabrorum more amalgamant. Conjunctis omnibus in vitro oblongo hermetice ſigillato, & athanori impoſito incepi lentum ſubminiſtrare ignem multis modis antea à me tentatum. Quid referam? omnia pro votis ſuccedunt. Primum admiratus ſum vim Mercurij attractivam non vulgarem, recolebamque dictum illud Pythagoræ in Turba. Res quam multifariam narrant philoſophi ſuum abſque igne ſocium conſequitur quemadmodum magnes ferrum: deinde in decoctione colores paulatim emergentes in ſuperficie Mercurij apparere cœperunt, ita ut duas materias agere pati inter ſe manifeſtè conſpicere viderer. Tertiò die majorem ſuperficiei partem occupari vidi tribus coloribus, viridi imprimis, rubeo & cinereo, non confuſis quidem ſed terminis ſuis diſtinctis & iridis alioqui coloribus non abſimilibus. Quoties ejus diei recordor Virgilij verſus in mentem venit.

Ludibriũ auctori oblatum à dæmone.

Vt vidi, ut perij, ut me malus abſtulit error.

Idque non ſine cauſa, cum error ille ſive ludibrium oculis oblatum multorum poſtea laborum & ſumtuum mihi cauſa fuerit. Si gaudio tunc temporis exultarem, cujusmodi adſpectu nemo dubitet, cum paulatim per medios iſtos colores ad nigredinem me perventurum ſperarem, & ulterius decoquendo albedinem & poſtremò rubedinem conſequuturum. Sed gaudium illud non fuit mihi diuturnum, paucis enim poſt diebus igne fortuito caſu nocte extincto, & vaſe refrigerato, nullam amplius alterationem videre contigit. Atque tum occurrebat illud Augurelli.

Libr. 3. Chryſopœ.

—— cum primum deſinet ignis,
Cuncta ruent, quæ non ulla reparaveris arte.

Nihil tamen hoc damno commotus, quod id facilè reſarciri poſſe ſperarem, cum multis premerer difficultatibus, præcipuè verò rei nummariæ, propter bellum non expectatum in Belgio exortum, & præter opinionem diuturnum, & quod auri folia deeſſent, quæ præcluſis itineribus Antuerpia adferri non poterant, tum quidem ceſſandum mihi, & meliora tempora expectanda exiſtimabam. Sed varijs diſtricto mihi curis & negotiis ſeptennium elapſum eſt, quo nihil tentare licuit. Tum verò valetudine proſpera, in ad-

Auctor prohibetur à reiteratione operis.

in adverſam commutata, cum nullum ex vulgari medicina auxilium ſentirem, me multâ experto & pejora timente, celebrem illam & tantoperè decantatam, & omnium morborum profligatricem & univerſalem deſiderare cœpi, quam ſi modo adniti vellem mihi non incognitam & facilem credebam. Itaque procuratione negotiorum meorum alijs demandata, ſecedens ab amicis, dum viâ ſuperius deſcripta procedo, primum attractivam illam vim, quam ante ſeptennium in argento vivo admiratus fueram deeſſe conſpicor, nullámque decoctione alterationem invenio; repeto ter, quater, imò ſæpius, nunc aurum culpando, nunc aliud, ſed fruſtra. Tandem árbitratus ſum argentum vivum quo prius uſus fuiſſem, diverſæ fuiſſe mineræ ab eo quod tunc haberem, dicente Morieno, hujus operis radicem eſſe in inquiſitione ſpecierum, quæ ſunt meliores ad hoc magiſterium, nam unamquamque mineram multorum eſſe generum. Putabam itaque hydrargyrum ab Hiſpaniæ mineris petitum cæteris præferendum, quod ſciebam aliquando in Belgiũ deportatum fuiſſe: præcipiente etiam D. Thoma recipere Mercurium mineralem ſive terram Hiſpanicam quæ nullo prius in opere poſita fuerit. Sed cum me imparem ſumtibus futurum timerem, fortunis meis in hac publica calamitate afflictis, rem ad amicum quendam meum quem ſciebam clam chemicis operationibus vacantem defero, acceptaque fide narro quæ mihi evenerint, dicoque rem nullius eſſe difficultatis, modo argentum vivum minerale Hiſpanicum haberi poſſit. Ille negotium ſuſcipit ſe ſuis impenſis id procuraturum; & poſt aliquot menſes quatuor libræ illi transmittuntur, pro duobus aureis cum dimidio ſingulæ, ita ut quatuor illæ libræ decem aureis Hiſpanicis illi conſtarent, ſed nihilo meliore eventu. Non tamen animo frangimur, nautis pluribus in diverſas orbis partes tendentibus negotium damus, ut undecunque nobis libram unam aut alteram adferant, dato pretio. Sed fruſtra tentatis omnibus per biennium, cum nihil proficeremus, eadem ſemper reperta argenti vivi natura, ego ipſe Germaniæ mineras adire, earumque differentias præſens agnoſcere, & ſi quid peculiare una ab altera haberet inveſtigare decrevi. Sed cùm Idriæ mineram in confinibus Carniæ unius diei itinere à Goritia diſtantem à fertilitate & abundantia maximè commendaret Matthiolus, illam mihi ante alias adeundam judicavi. Facto itaque per Lotharingiam, Elſatiam, Helvetiam & Lombardiam itinere Venetias uſque, inde Aquilegiam & Goritiam profectus in Idriæ montana perveni, ubi fortuitò tunc temporis argentum vivum, quod ſponte è minera profluxerat, ex præterlabentis rivuli aquis colligebatur. Cujus quindecim libras ſereniſſimi Archiducis Caroli, Piæ M. liberalitate gratis conſequutus, lætus per Carniam, Carinthiam & Bavariam domum repetebam,

Auctoris errores novi.

Ad frat. Raimald. c. 9.

Impenſa malè collocata.

Auctoris peregrinationes.

In Comment. ſuper Dioſcoridem.

petebam, exiſtimabam enim in eo ſi alio ullo inventurum me quod deſiderabam, ob cruditatem quæ nullo igne labefactata fuiſſet. Sed cum ex itinere Schonbach Miſniæ ſeu Voitlandiæ oppidum adire propoſuiſſem, ob cinnabaris naturalis & rubicundiſſimi mineram illic celebrem, ac Norimbergam divertiſſem, reperto ibidem ejusdem mineræ fruſto cinnabarino duarum ferè librarum, non proceſſi ulterius, ſed ad aliam mineram non procul à Cruitznach palatinatus opido diſtante iter meum converti, unde ſuperioribus annis maxima argenti vivi quantitas in Belgium delata fuerat. Atque cum ex ſingulis locis, quæ adire contigerat, argentum vivum aut cinnabarim mineralem retuliſſem, Coloniæ Agrippinæ de omnibus experimentum capere conſtitui transmiſſa ad amicum omnium mineralium parte. Ibi igitur fixa pro temporis ratione ſede multa tentavi, ſed ut brevibus abſolvam, nihil profeci. Amicus tamen meus ſimili arte dæmonum, ut credi par eſt, ludificatus, prout ex literis ad me datis, & in perpetuam rei memoriam reſervatis cuilibet non incurioſo patere poterit, cum compoſitum ſuum multis diebus alterari, & de colore in colorem verti vidiſſet, non tamen eodem modo, neque tam celeriter, aut tam manifeſtè atque ego quondam, & ſperaſſet aurum jam ex parte magna ſolutum, poſt vigeſimum primum diem nulla amplius colorum varietate animadverſa, frigore urgente opus dimiſit, aurumque ſuum liquefecit, ſed nihil pondere diminutum invenit. Ne autem quis exiſtimet colores imaginatorios fuiſſe, & ex repercuſſu luminis aut vitri in Athanore concluſi repræſentatos, ſciat vitrum tum amici quam meum fornaci exemptum & luci expoſitum eosdem colores retinuiſſe, nec diſparuiſſe, niſi poſt vehementem materialium motum. Id mirum, quod poſtea opus iterato repetere volenti nihil ſimile contigerit, aut alteratio ulla conſpecta ſit. Tamen cum adhuc toties facto periculo non ſaperemus, atque ille identidem Hungariam & Tranſilvaniam prædicaret, ego ut ſemel animum meum tam gravi cura exolverem, & certi aliquid ſtatuerem, num artem ulterius proſequi vellem, an in totum abdicare, illuc proficiſci conſtitui. Sed vix animi propoſitum amico perſcripſeram, cum is vita concedit. Nihilominus pergo, & per Auſtriam, Hungariam peto, inde Tranſilvaniam, ubi benigne atque perhumane acceptus à Clariſs. Viro D. Simone Genga Urbinate, quondam inviƈtiſs. Poloniæ Regis Stephani Bathorij, tunc vero Illuſtriſs. Tranſilvaniæ Principis Sigismundi ejusdem ex fratre nepotis architecto, ejusque opera adjutus in Tranſilvaniæ mineris perluſtrandis aliquamdiu hæſi; demum per Poloniam & Bohemiam Coloniam redij, conſumto in poſteriori peregrinatione triennio, & ex eo tempore quo Belgio diſceſſi fere ſexennio. Tandem cum viderem argentum vivum ubique fere

Socius auctoris pari arte dæmonum luditur.

Auctoris alia peregrinatio.

Reſipiſcentia.

idem, incepi ea quæ mihi evenerant attentius perpendere, & diaboli illuſiones timere, qui circa frivola & mendacia homines bonæ alioqui voluntatis detineri cupit, ut relicta ſemita rectiori tempus inutiliter terant, nec aliter veritatem perveſtigare curent, & tandem in deſperationis barathrum præcipitati opus Sophiſticum meditentur. Itaque cum ad libros meos recurriſſem quos a multis retro annis non videram, aucto nonnihil tot experimentorum eventibus judicio, & praxim qualemcunque lectioni conjungerem, tandem divina favente gratia, ſulphur philoſophorum agnoſcere incepi, & eorundem ſcripta de die in diem melius intelligere, vidique fruſtra me per tam longinqua & difficilia itinera quæſiviſſe, quod jam dudum domi haberem, cum auri appellatione non aurum crudum & vulgare, ſed ſuum intelligant Philoſophi; eſt enim aurum vulgare, corpus mortuum, & nihil operatur niſi quod induſtria hominis illi adminiſtratur: nihil etiam opus intrat, quod digeſtum non ſit & cœlum aëris petierit. Quare Lullius. Quidam cum Mercurio volunt ſolvere aurum & argentum, quæ res eſt inutilis, niſi eorum corpora ſint ex ſubtiliatione facta ſpiritualia ſicut eſt Mercurius, & poſt conjungere & tenere ſuper ignem graduatum. Item Arnald: Nullum corpus in natura ſua manens Mercurium coagulat, nec etiam ipſe Mercurius medetur corporibus, quoniam in examinatione ab illis recedit, nam groſſa ſimplicibus, & ſimplicia groſſis minus conveniunt. Hæc etſi fortaſſe diffuſius quam inſtituti operis labor brevitatis me admonens poſtulare videatur, non abſurde tamen neque abſque multorum commodo factum judicavi, qui alieno edocti exemplo poſthac cautiores erunt, cum non me ſolum & amicum, ſed etiam alios ejusmodi technis diabolicis illuſos fuiſſe compertum habeam. Qui quamvis circa inutilia operam impenderent, & experimenta tractarent etiam naturæ contraria, tamen principia aliquando felicia habuere, quæ fortuitò intermiſſa nunquam reſtaurari, aut ad eundem ſtatum reduci potuerunt. Proinde conſulo ut artem quiſq; dæmonis illuſionibus adeò obnoxiam vitet, vel ſaltem ne primis progreſſibus quos ſibi animo propoſuit nimium fidat, niſi ratio evidens appareat, & opus reiteratum feliciter ſuccedat; imò hunc caſum inter difficultates artis primarias enumeret.

De intent. Alc. c. 1.

Reſ. part. 1. c. 6.

PARS SECUNDA

IN QUA DE DIFFICILI LIBRORUM intellectu agitur.

ABſoluta priori operis, parte, quam de impedimentis artificem retardantibus inſcripſi, ad ſecundam devenio, quam difficultatis paulò plus habere cuilibet notum eſt. Si enim artificem quip-

quippiam remoretur, id fortè perpetuum non eſt, aut aliqua ratione & modo compenſari poteſt. At hic nihil ſimile; una quæpiam porta aut janua pateat neceſſe eſt, ſi quis in domum undique muratam & clauſam intrare cupiat, quæ niſi patuerit, fruſtra ſibi ad interiora conclavia aditum aut progreſſum pollicetur. Ita omnis luditur opera chemiſtis, qui, niſi per philoſophorum ſcripta benè examinata & intellecta, ex hac arte fructum aliquem percipere ſperant, niſi tam felici ſydere nati ſint, ut per vocem viventis, aut per revelationem divinam ejus ſcientiam adipiſcantur. Qui aliter lapidem tentat, & caſu ſe inventurum confidit, eum inſanire, & in Anticyram deportandum cenſeo. Quam autem arduum ſit & operoſum libros philoſophorum de hac conſcriptos intelligere, quis aptius declaret, quam ipſimet Sapientes? qui illius difficultatem experti ad poſteros more antiquorum recepto eandem transmiſerunt. Audiamus quid dicant. Roſinus. Philoſophi nil poſteris ſuis de hac arte palam facere voluerunt, ita quod ea quæ in libris ſuis figurativè poſuerunt ſciri nequeunt, niſi à Deo vel à docente oſtendantur. Geber. Artem inventã non niſi ſolis nobis ſcripſimus, & non alijs, veriſſimam tamen & omninò certam. Lilium: Noſtros libros non compoſuimus niſi nobis & filijs noſtris, & qui ad intelligendum eos venerit, è noſtris eſt; qui autem non intellexerit, nobis contrarius eſt. In eandem ſententiam loquitur Morienes. Sunt libri ſub figura de hac arte compoſiti, quorum pars major multum obſcura videtur nec niſi à ſuis compoſitoribus poteſt intelligi. Hortulanus dicit ſolum illum qui ſcit operationem lapidis, intelligere verba philoſophorum. Sic enim ille: O lector chariſſime, ſi ſcis operationem lapidis, tibi dixi veritatem, ſi verò tu neſcis eam, nihil tibi dixi. Sed ſi interroget, quare igitur ſcripſerint, audiat auctorem viæ univerſalis & Gebrum: Per hæc quæ dicemus, alliciemus te fili doctrinæ ad ipſam indagandam, & veraciter inveniendam. Sed inquiramus occultandi modos, & cauſam difficilis intellectus librorum chemicorum inveſtigemus. Ea magis innoteſcet, ſi rationem ob quam cæteræ ſcientiæ faciliores ſint perpendamus; contraria enim juxta ſe poſita magis eluceſcunt. Omnis igitur alia ars & ſcientia rhetoricè & ordine quodam in ſcriptis ſuis procedit per capitula, principia, & terminos, cum definitione & expoſitione nominum & inſtrumẽtorum, quibus pervenitur in cognitionem & notitiam concluſionum ipſius & ſui operis; docet & explanat quibuscunque poteſt modis: At hæc contrario planè modo abſque ulla notitia principiorum artis, terminorum & inſtrumentorum, tradit opus ſuum, immiſcendo falſa veris, & vera falſis, nunc diminutè nimium, nunc ſuperabundanter, & ſine ordine, & ſæpius præpoſtero ordine, & nititur omnia obſcurè tradere, & occultare quantum poteſt. Nec

Alchemiam non niſi per libros addiſce aut vocem docentis.

Libri intellectu difficiles.

Ad Euthychiam.

Sum. perfect. c. ult.

In expoſit. tab. Hermetis.

Cap. ultim. Sum. perf.

Artem occultandi varij modi.

id ipſum

Ad Eutychiam. id ipſum diffitentur Philoſophi. Sic enim Auctor viæ univerſ: Libri iſtius ſcientiæ non ſunt ſcripti ad doctrinam ipſius, ſicut libri aliarum ſcientiarum, ſed ſunt tantum quantum figuræ ipſius ſcientiæ. Roſinus. Scitote quod Philoſophi nunquam verum verbum poſuerunt, quin plurima cum eo falſa commiſcerent, totumque hoc ſecretum fictis nominibus appellaverunt. Geber. Non tradimus ſcientiam noſtram ſermonis commutatione, ſed eam ſparſimus in diverſis capitulis & eam ſimiliter occultavimus, ubi magis aperte loquuti ſumus non tamen ſub ænigmate, ſed ſub plana ſermonis ſerie. Et Bion in Turba. Mirum eſt, cur invidi finem ante principium poſuere. Et Auctor conjug. Solis & Lunæ: Philoſophi finem ante principium in ſuis tractatibus ſæpius poſuerunt, principium in fine interſerentes. Unde quandoque ſuppreſſerunt primum opus & locuti ſunt de ſecundo, quandoque primum opus pertractaverunt dimittentes ſecundum: Quandoque cum radicibus ſcientiæ, quandoque ſine numeris. Propter quod Hermes in lib. radicum qui eſt ſecundus de ſeptem dicit, quod ſapientia auctoris eſt major ſuo libro; poteſt enim auferre principium vel finem cum radice, vel ſine radice ſicut primus inventor; hæc ille. Non eſt itaque mirandum ſi in hac ſcientia ſtudētes & operantes errent valde, quia nemo aſſerere audet certam & determinatam fuiſſe intentionem philoſophorum hanc vel illam, niſi cum actu jam illam habet, aut juxta eſt.

Sum. perſ. cap. ult.

Quare obſcure ſcripſerint philoſophi rationes 12. Quid autem moverit philoſophos, ut hanc artem per ſimilitudines & allegorias obſcuras deſcriberent, una traditur paſſim ratio univerſalis, ne inſipientibus, indoctis, & impijs patefieret, & ne indigni in contemtu naturæ tanto theſauro potirentur; particulatim vero invenio cauſas duodecim: Primam adducit auctor viæ univerſ: Ne cognoſcatur & ſciatur quod hæc ſcientia ſit vera &
Ratio 1. omnino certa. Et profecto niſi ea incertitudine & dubitatione hominum animi coercerentur, multo plures ſeſe nexibus indiſſolubilibus hujus artis intricarent, avari præſertim & arrogantes,
2. quique dominandi libidine æſtuant. Secundam allegat Hamuel in Seniore: Ut attribuerent illam Deo glorioſo, ut revelaret illam cui vellet, & prohiberet à quo vellet. Hinc Geber. Ars noſtra in potentia divina ſervatur & cui vult elargitur, & ſubtrahit. Et Morienes. Scire te convenit, quod magiſterium nihil aliud eſt,
3. niſi ſecretum & arcanum Dei Glorioſ. Tertia deſcribitur ab Hermete, ne mali potentes fiant ad peccata perpetranda. Et à Roſino, ne quis malefactor hoc lapide habito illicita ageret, & ad
4. ſuum eſſet detrimentum. Quarta invenitur apud eundem Hermetem, ne videlicet philoſophi cogerentur reddere rationem il-
5. lorum, quæ mali inique agerent hujus artis fiducia. Quintam tradit Pythagoras in Turba. Hoc Deus à populo cælavit, ne mundus de-

Sum. perſ. cap. 7.

Tract. 1.

dus devaſtaretur. Et Alphidius. Quidam philoſophorum Deum timentes, non tam ſublime & pretioſum hoc arcanum habuerunt, imò opus ſuum manifeſtè ſcribere voluerunt, ſed expaveſcebant hoc agere, eo quod mundum deleret, & plantandi, ſerendi & arandi opus periret. Petierunt ergo à Deo, ut ex hoc mundo ſe extraheret impunitos, quos Deus docuit librum velatum componere, & ſapientum tractatus in eo ſcribere. Sextam reddit Rhaſis. 6.
Si omnia, inquit, prout ſe habent vellem enodare, nullus ultra *In lum. luminum.* prudentiæ locus eſſet, cùm inſipiens ſapienti æquaretur, & pauper diviti, nec ſub circulo lunari quiſpiam mortalium inediarum defleret anguſtias. Septima dari poteſt, ut unusquisque ſapiens 7.
cum ſumma diligentia & maximo ſtudio ſcientiam invenerit, magis eam diligat, & caram habeat, & abſcondat, & immortales gratias agat Deo creatori. Sic enim Auctor Dialogi naturæ & fil. phil. Multum obligamur philoſophis, qui hanc ſcientiam taliter nobis tradiderunt, ut eam acquirendo cautos atque ſubtiles, imò & Deo magis devotos redderent. Octava, quod timerent male- 8.
dictiones & anathemata veterum. Sic enim Miſeris: Philoſophi hoc cælaverunt, & nullo modo narrare præſumſerunt, qui præceptis, maledictionibus, & anathematizationibus id prohibuere, hoc itaque patentiſſima demonſtratione exponere prout creatura timeo. Et Jo. Rupeſciſſa. Philoſophi qui- *Lib. Lucis.*
bus magiſterium fuit revelatum conjurati ſunt horribili maledictione Dei, ne ulli hominum hoc divinum opus apertis verbis declararent, ne ad manus pravorum deveniret. Et Lullius. Illud *In Apertorio.*
ſecretum nulli hominum carnali revelare expedit, quia maledictus eris per tanti ſecreti manifeſtationem, quia nemini revelare licet niſi ſoli Deo. Ipſe enim cui vult, & quibus intereſt revelari, illis revelabit. Nona invenitur in fine Turbæ. Ubi ſic ait. Niſi nomina 9.
multiplicarentur in hac arte, ſapientiam noſtram pueri deriderent. Decima traditur ibidem. Si Reges & Principes eam ſci- 10.
rent, non permitterent ad pauperes devenire. Undecimam do- 11.
cet Mundus in eadem Turba. Si venditores hanc mineram agnoſcerent, non venderent eam tam vili pretio. Duodecima eſt 12.
invidia. Unde Roſinus. Dei judicium eſt hoc ſecretum invenien- *Ad Eutychiam.*
tes invidiam invenire. Idem. Nemo inveniens hoc arcanum caret invidia, nam factum vellet, quod nemo alius ſciret. Non quod invideant bonis & ſapientibus, verum ignaris & vitioſis, ut inquit Hermes. Et Geber. Si hanc ſcientiam palliavimus non miretur *Tract. 1. Sum. perf. 86.*
doctrinæ filius, non enim illi palliavimus, ſed malis & improbis; eam tali ſermone tradidimus, quem latere inſipientem neceſſario accidet, & eodem ad illius inventionis perquiſitionem prudentes allicio. Alioquin niſi rationibus & juſtis de cauſis philpſophi deterrerentur, licenter & aperte opus lapidis deſcriberent, cum ſa-

pientis

Philoſophi proprium docere. pientis proprium ſit docere poſſe & velle, prout ex Alphidio ſupra allegato patet, teſte etiam Hebnebes Hamech in fine quarti 2. Platonis. Non eſt aliquid, inquit, ex voluptatibus hujus mundi mihi dulcius, quam juvare inquiſitorem in qualibet ſpecie hujus ſcientiæ, in hoc quod quærit. Et Hamuel in Seniore. Si ſim magnæ rationis in ſcientia & aperti mihi fuerint tropi eorum occulti, & manifeſtum eſt mihi quod occultaverunt, & hoc apprehendi per ſcientiam, debeo hoc rectè appropinquare intellectui ſucceſſorum meorum ſermonibus in aperto velatis, ſignificantibus intellectum occultum, &c. Et alio loco. Deus ſit teſtis ſuper nos, & non prohibeatis eos qui ſunt digni ex fratribus noſtris, & non expandatis eos indignis. Non eſt itaque mirandum, ſi libros ſuos de hac arte obſcure ſcripſerint, aut multis ambagibus velatos, cum non niſi magna ratione id factum ab illis fuiſſe conſtet, & non eventu, aut ut multi opinantur, ut ipſi nimium creduli & decepti alios viciſſim deciperent, quod non cadit in virum probum & philoſophum, qui ſui memoriam nulla labe contaminatam ad poſteros transmittere conatur. Neque verò hic ſcribendi modus novus videri, aut improbari debet, niſi eadem ratione veterum omnium in philoſophando conſuetudinem damnamus. Ariſtoteles enim in quadam epiſtola ad Alexandum ita à ſe quædam edita eſſe ait, ut quaſi non edita eſſe videantur. Et Plato in epiſtola ad Dionyſium: Cave, inquit, ne excidant hæc unquam in aures hominum diſciplinæ eruditionisque expertium. Extat enim Lyſidis ad Hipparchum epiſtola, ex qua paucula in hunc locum transferam: Meminiſſe, inquit, divinorum præceptorum illius (Pythagoram intelligit) pium eſt, nec bona philoſophiæ cum illis communia facere, qui ne ſomniare quidem animi purificationem potuere: nec fas eſt ea omnibus porrigere, quæ nos cum tot laboribus adepti ſumus, quemadmodum nec profanis hominibus Eleuſinarum dearum licet arcana patefacere, æquè enim utrique iſta facientes injuſti atque impij habebuntur. Et infrà. Multi te publicè philoſophari nobis retulerunt, quod Pythagoras vetuit. Porphyrius quoque cum omnibus ſcripta ſua communicari vetat. Tu cave, inquit, ne aut lucri aut inanis gloriæ gratia ſceleſtis & indignis hominibus hæc tradas, non enim parvum tam tibi qui edes, quam mihi qui tibi credidi periculum imminet. His autem ſolummodò hæc communicanda ſunt, qui vitam ad animæ ſalutem duxerunt; nam & ipſi Dij non apertè ſed ænigmaticè hominibus iſta tradiderunt. Meminiſſe etiam verborum Salvatoris noſtri æquum eſt, margaritas ante porcos non projiciendas, & ſanctum non eſſe dandum canibus. Sed unde digreſſus ſum revertar. Cum philoſophi conſulto nunc ordinem in vertendo, nunc falſa veris commiſcendo, nunc addendo, nunc minuendo obſcu-

Philoſophorũ non eſſe decipere alios.

Philoſophi antiquiores caverunt ne ſcientia in vulgus dimanaret.

Initio lib. de reſponſis philoſ.

Matth. 7.

obſcuritatem affectarint, illam per ænigmata, tropos ſeu figuras, allegorias & ſimilitudines ſic auxerunt, ut Theſei filo opus habeat, qui ſe ex inextricabilibus hujus labyrinti ambagibus educi deſideret. De ænigmatibus quidem hoc Ariſtotelis chemici exemplum eſto: Fac de maſculo & fœmina circulum rotundum, & de eo extrahe quadrangulum, & de quadrangulo triangulum, & & de triangulo fac circulum rotundum, & habebis magiſterium. Item illud Lullij: Res cujus caput eſt rubeum, oculi nigri, & pedes albi, eſt magiſterium: & mille & alia ubique occurrentia. Tropum licet animadvertere in hoc Senioris. Accipite res à mineris ſuis, & exaltate eas ad cacumina montium ſuorum, & reducite ad radices ſuas. Allegoriæ paſſim apud auctores ſunt obviæ, qualis eſt Ariſtæi viſio, Comitis Bernardi de rege & fonte, Senioris de venatione leonis, Merlini de Rege expediente ſe ad bellum contra hoſtes ſuos, & Antonij de Viva petra de virgine dominandi cupida, & aliorum multorum figmenta, quæ in hunc locum conferre longum eſſet, & cum legentium tædio potius quam aliqua utilitate. In ſimilitudinibus & comparationibus ut diutius paulò immorer ratio ſuadet, cum ex earum infelici intellectu tot errores, & tot impoſturæ originem ducant, tantorumque ſumtuum & quod maximum eſt tam pretioſi temporis jactura fiat. Philoſophi itaque ut ab arte excluderent indignos, eandemque manifeſtè traderent doctis & prudentibus, lapidem ſuum comparaverunt omnibus rebus elementatis ſive eæ ſint corporales ſive in corporales, viſibiles aut inviſibiles, cœleſtes & terreſtres. Unde Mireris: Si ſpirituales nuncupes probabile quid agis, ſi corporale verum dicis, ſi cœleſte non mentiris, ſi terrenum verum refers: in ipſo etiam ſunt cæli, terræ, æſtatis, autumni, hyemis & veris figuræ, & maſculinitas & fœmininitas. Item Alph. Scito fili quod in ſapientum libris ſunt quatuor elementa, & cujuslibet vegetabilis figura, & cujuslibet animalis, & cujuslibet lapidis; in quo etiam maris, montium, fluminum, cœlorum, terrarumque, & omnium ſegetum, corporum & ſpirituum, ſubſtantiarum & colorum ſimilitudo. Si quis autem à me expectet omnium, quæ dixerint philoſophi rationes, is fallitur; neque enim hujus id eſt inſtitui neque laboris, cum ſingulari volumine indigeat, & difficilè admodum ſit mentem cujusque ſapientis ſemper aſſequi, cum non ſolum formas manifeſtas & proprietates rerum extrinſecas, quæ ſenſibus ſubjectæ ſunt, ſed etiam intrinſecas & occultas, donec arte manifeſtentur, ſæpenumero intelligant. Dicunt enim omne extrinſecum ſuo intrinſeco contrarium eſſe; unde quod in manifeſto frigidum & humidum eſt, in occulto calidum eſſe & ſiccum. Eodem modo de rerum coloribus judicandum, ſicut videre eſt in plumbo quod extrinſecus lividum & nigrum, intrinſecus eſt ru-

Ænigmata artis obſcuritatem augent.

Teſt. cap. 5.

Tropi.

Allegoria.

Similitudines.

Philoſophi lapidem comparant omnibus rebus elementatis.

Omne manifeſtum ſuo occulto contrarium.

eſt rubeum,quod patet ex calcinatione ejuſdem, dum in minium tranſit. Idem quoque conſpicitur in vitriolo, quod in manifeſto cæruleum,vel viride aut ad viriditatem declinans,per aſſationem in colchotar rubeum transmutatur, atque ita ejus profundum & intrinſecum viſui patefit antea occultum, & è contra, quod antea manifeſtum erat,occultatur. Quare cum à formis & rerum proprietatibus tam manifeſtis,quam occultis, & ſimiliter à coloribus, ſæpius à ſtatu & conditione operis aut à loco ubi generatur lapis, imò ab omnibus rebus elementatis, nomina mutuarint philoſophi,mirum non eſt ſi varient valdè,& diverſis nominibus eandem rem vocent: nec enim curant de verbis, ait Roſarius, ſed de natura & proprietatibus rerum deſcriptarum, & nomine unius ſæpè intelligunt aliud, nam res non ſunt verbis ſubjectæ, ſed è contra verba rebus. Et ſic ſemper de virtute intentionis verum dixerunt; ſed de virtute ſermonis non item. Unde Senior: Sapientes uſi ſunt diverſis tropis in aſſimilatione, & ſunt diverſi in nominibus, ſed intellectus, in quem innuunt eſt idem. & Alphid. Corda brutorum animalium, & fel, & ſiccos herbarum, & omne quod eſt in terra & ſuper terram multiplicaverunt ſapientes in hoc opere,parabolas,nomina & actiones,ut ab inſipientibus tollerent, & intelligentibus demonſtrarent. Scito quod non eges illis nominibus, ſed uno tantum nomine quod eſt aqua, & una actione quod eſt coquere. Et Mireris. Quilibet ſapiens eam proprio nomine nuncupavit, quodlibet tamen nomen verum eſt & directum. Hanc enim artem dicunt eſſe ad inſtar cœli & ſtellarum,& verum dixerunt, in eo namque ſunt ſeptem planetæ. Hujus autem rei quod ſurſum elevatur cœlis aſſerunt eſſe ſimile; quod verò deorſum deſcendit, terram dicunt; quod verò calidum, igni referunt; quod aëreũ,vento; quod humidum,marium nuncupant & aquarum nominibus, ac maris animalium; quod de colore ſuæ viriditatis, vegetabilibus referunt & arboribus; quod conjunctum & ſiccum,lapidibus; quod verò ſequeſtratum, arenæ referunt,& cinerem eſſe dicunt; quod mobile volatilibus; quod fluxibile & liquabile oleo comparant, quare ejus nomina multiplicata ſunt. Et Anaſtratus in Turba. Hoc ſecretum invidi aſſimilaverunt arboribus, metallis, volatilibus,& reptilibus, & quanto plus potuerunt,nomina variarunt. Hæc ſapientum dicta quanquam ſufficere deberent,tamen ad majorem legentium utilitatem exempla quædam in medium adducere non pigebit,& ab homine quidem incipientes,ad animalia,vegetabilia, metalla,media mineralia,colores,diſtinctionem humidi & ſicci,& ſi quæ ſunt ſimilia progrediemur. Primum itaque Lapis homini comparatur,quia non niſi ratione & ſcientia humana ad eum pervenitur, & quia non niſi ab homine perficitur aut propter animam lapi-

Sapiẽtes ſemper verum dicere utcunque lapidem nominent.

Lapis homini aſſimilatur,& quare.

ids

dis quam hominis animæ compararunt. Unde Auctor Conjugij Solis & Lunæ ex Turba majori ni fallor: Accipe hominem & tunde eum ſuper lapidem, trahendo donec moriatur, & corpus ſpirituale fiat, poſtea redde ei animam ſuam. Mirum eſt profecto idiotas & indoctos, qui verborum ſonum & intellectum occultum attendunt, cum iſtiusmodi legant, non eadem trahere ad ſimilia. Quis enim ita inſaniat, ut juxta literam hominem capiendum putaret, tundendum & occidendum, ut philoſophorum lapis ex eo producatur, & tandem anima ſemel exemta in eum denuo refundatur? Sic non majore pollent judicio, qui philoſophorum verbis inſiſtentes, ex animalibus, vegetabilibus, mediis mineralibus, & lapidibus Elixir conſtitui poſſe credunt. Quos merito ſubſannat Havel in Seniore. Hi inquit, dixerunt quod pater auri & argenti ſit animal terræ & maris, vel homo, vel pars hominis, ut capilli, ſanguis, menſtruum, ſecundina; & quidam dixerunt in arboribus, plantis & herbis; & quidam in lapidibus, arſenicis & alijs mineralibus, & alienati ſunt à veritate ſcientiæ. Sed pergamus ulterius. Interdum lapis homo galeatus & altus dicitur, cum nimirum humiditas ejus per cucurbitam & alembicum deſtillatione excipitur. Sic etiam lapidis compoſitum Rex & Regina dicuntur. Unde in Turba legimus. Veneramini regem & ejus uxorem, quoniam neſcitis quando indigetis his, quæ regem & ſuam uxorem emendant. Sic vir & mulier dicuntur, maſculus & femina propter copulam videlicet, & actionem & paſſionem. Roſinus Artis auri arcanum ex mare & femina conſiſtit. Pater item & mater, & filius, reſpectu generantium & generati. Hermes. Pater ejus eſt Sol, mater Luna. Et Roſarius. Ipſa ut pia mater fovet filium ſuum. Quandoque ſolum de muliere loquuntur ſubtracto nomine maſculi, ſicut Theophilus in Turba: Mulier ſuos fugiens generos illis per ſe quamvis coacta domeſtica fit; ubi mulier pro lapidis humiditate, quia inſtabilis & inconſtans fugiens ab igne. Quandoque ſolum de viro. Non opus eſt de ſingulis exempla adducere, cum ubique apud auctores occurrant. Sufficiat monuiſſe hæc omnia diverſo dici reſpectu, & nunc eos de lapidis principijs terra videlicet, aqua, & igne, ſeu corpore, ſpiritu & anima ſingulis & ſeparatis, nunc de omnibus & conjunctis loqui. Senem etiam & juvenem lapidem dixere. Unde Rhaſis, Lapis noſter primo ſenex, ultimo juvenis, quia albedo eſt initio, rubedo in fine. Et in Turba: Accipe arborem, & impone ei magnæ ætatis hominem, &c. Cum vero terra paulatim aquam ſuam ebibit, dicitur puer lactans. Unde Eminganus in Turba: Inſpicite lactantem puerum, & non impediatis eum, in eo enim manet arcanum. Vocantur eadem frater & ſoror, patruus, avunculus, ſocer, gener, fratres uterini, ſocij, ſervus rubicundus, virgo, puella, vir indutus

Lapis quandoq; dicitur Homo galeatus, Rex, regina.

Vir & mulier, mas & femina.

Pater & mater, filius.

Senex. Iuvenis.

Puer lactans.

 dutus

dutus pulcherrimis veſtimentis, Rex diademate rubeo coronatus, &c. Eodem modo animalibus lapidem aſſimilaverunt propter ſanguinem quo vivunt, nam anima cujusque animalis in ſanguine. Tincturam enim ſuam ſanguini comparaverunt propter rubedinem, & quia calorem & vitam dat corpori ſicut ſanguis animali, quo privatum privatur & vita. Lilium: Si animalia lento igne regantur, compoſitum ſuave fit. Et Aclubuſon in Turba: Accipite animal quod dicitur kenkel, & ejus humiditatem quam ejecit. Sed non ſolum nomine animalis generali uſi ſunt, ſed etiam ad ſpecies deſcenderunt, ſic Leonem vocarunt, gryphum, camelum, equum, canem, vitulum, propter rationem ſupradictam, aut proprietatem aliquam quam habent prædicta animalia & ſimilia communem cum lapide. Unde in Alleg. Sap. Hermes: Si camelorum tuorum tertiam partem conſumas, duabus tertiis reſiduis jam ad propoſitum perveniſti. Quæ ſimilitudo deſumta videtur à longitudine colli camelorum quod eſt inſtar cucurbitæ per quam aſcendit ſpiritus, de quo loquitur Haly in ſecretis. Accipe Canem coraſcenem maſculum, & caniculum Armeniæ, & junge ſimul, & parient canem coloris cæli. Avium etiam & inſectorum omniumq; volatilium nomina lapidi donarunt, eo quod ſurſum elevetur & quaſi volet, quamvis etiam propter alias rationes. Sic gallum, gallinam, corvum, aquilam dixere. Alphid. Nulla aqua fit quelles, niſi illa quæ fit de ſcarabeis aquæ noſtræ. Piſcibus item aſſimilarunt, unde Mundus in Turba: Recipe partem de felle piſcis, & de urina vituli partem, &c. Et in ænigmatibus Sapientum. Eſt in mari noſtro piſciculus rotundus, oſſibus & cruribus carens, &c. Animalium etiam partibus, Cordi, hepati, ſtomacho, capiti, cerebro, oculis, ventri, mammis, nervis & venis: Humoribus quoque eorundem, bili, ſanguini, pituitæ, melancholiæ. Unde Morienes. Accipite phlegmaticum, & cholericum, & terite ſanguinem cum eis. Omnibus etiam ex animalibus ortum habentibus, velut ſunt capilli, ſecundinæ, ungues, menſtruo item, ſemini & lacti; quia ſicut animalia ex ſeminibus maris & feminæ generantur, & menſtrui acceſſione creſcunt & augentur, & lacte quod nihil aliud eſt quam menſtruum aut ſanguis bis coctus nutriuntur, ita & lapis. Hinc, Arnal: Nutritur autem lacte ſuo, id eſt, ſpermate ex quo fuit ab initio. Excrementis item animalium, ſtercori, urinæ, & ſudori, propter fæces lapidis, & puri ab impuro ſeparationem, aut malum odorem, & evaporationē humiditatis ſuæ ſuperfluæ, quæ urina infantis Lullio vocatur. Poſſem hic & in plurib. alijs rationes aſſignare ab his diverſas ex ſtellicis Platonis & commentatore ejusdem Hebnabes Hamech, ſed nolo eſſe longior. Ovo etiā lapidem compararunt, quia ſicut in ovo eſt album & rubeum, videlicet albumen & vitellus, & cortex qui eſt loco terræ, ita

Animalibus cōparatur lapis.

Alb. ſecre. Alch.

Lapis avibus & volatilibus omnibus aſſimilatus.

Piſcibus.

Animalium partibus.

Humorib.

In libro qui flos florum inſcribitur.

Excrementis.

Ovo.

ræ, ita & in lapide. Unde Mireris: Nonne vides quod nutritionis gallinæ calore fit ex ovo gallus volatilis? ſimiliter hujus putrefactionis calore, fit ex ovo noſtro gallus volãs. Et Hermes: Inquiſita à philoſophis diſpoſitio una eſt, in uno noſtro ovo. Vocarunt etiã lapidem venenum, & compararunt baſiliſco, draconi, viperæ, ſalamandræ, ſerpenti, lacertis, & alijs reptilibus, & buſoni. Unde in ænig. Sap. legimus: Accipe viperam & priva eam capite & cauda, in ijs enim locis latet ejus venenum. Et Hermes: Tunc fit draco alas ſuas comedens, ſeque mortificans. Et Roſarius: Aquila volans in cælum, & buſo gradiens ſuper terram eſt magiſterium. Ratio hæc poteſt reddi, quia ſicut baſiliſcus, & vipera & ſimilia venenata interimunt animantia ſuo afflatu & contactu aut morſu, & venena naturam humanam pervertunt, ita & ſulphur philoſophorum Mercurium vivum vapore ſuo & tactu mortificat, & naturam ejus immutat. E diverſo dicitur quoque lapis theriaca, antidotum, medicina, medicamentum, quia ſicut theriaca & medicamentis arcetur à corde venenum, aut retunditur vis ejuſdem, & corpora ægrota ad ſanitatem reducuntur, ita per Elixir, Mercurio venenum ſuum aufertur, & dum in aurum tranſit, ſalubre temperamentum ei conciliatur, & alia metallorum corpora leproſa & impura mundantur, & in aurum vel argentum transmutantur. Idcirco Auctor perfecti magiſterij, ſive Rhaſis is fuerit, ſive alius: Elixir eſt compoſitum ex ſpeciebus limpidis antidotum, medicina & purgamentum omnium corporum purgandorum & curandorum & convertendorum in Lunificum & Solificum verum. Arboribus etiam, fruticibus, plantis, herbis, radicibus, floribus, omnibus vegetabilibus lapidem aſſimilarunt. Unde Balgus in Turba. Quidam fructus exeunt à perfectiſſima arbore primo vere & in exitus initio florent. Et Hermes Viris ſapientum: Succus in 150 diebus extrahitur. In ænig. quoque Sap. Radix eſt quæ cum ſuo ſtipite & ſucco teratur, &c. Sic paſſim legimus de roſis albis & rubeis, de Lunaria, mercuriali, portulaca marina, chelidonia & geldo alijsque compluribus. Et hoc quidem propter viridem colorem qui eſt proprie vegetabilium. Quare Mireris: Nullum vegetabile nec fructus ullus apparet germinando, quin ſit ibi viridis color, ſimiliter hujus rei germinatio viridis eſt, quãvis in quibuſdam aut nomenclaturam aut ſicci calorem ſequuti videantur philoſophi. Sed quoniam de reptilibus & vegetabilibus egi, potuerunt etiam præter rationes jam dictas lapidi nomina quædam impoſita fuiſſe, propter mirabilem varietatem figurarum quæ in ipſo opere apparent, coloribus aliquot ſimul emergentibus, ſicut in nubibus aut in igne formas miras animalium, reptilium, aut arborum quandoque imaginamur, prout in fragmento quodam libri Moyſi adſcripti inveni in hunc modum: Cum corpus fuerit ſolutum, apparebunt

Tract. 2.

Venenat. & reptilib.

Theriaca & medicina.

Vegetabilibus.

Tract. 1.

Imaginibus & figuris in opere apparentibus.

bunt aliquando rami duo, aliquando rami tres, aliquando plures, aliquando formæ reptilium, aliquando ac ſi ſederet homo ſuper cathedram cum capite & omnibus alijs membris, &c.

Gummis & reſinis.

Gummis etiam, reſinis & alijs liquoribus ex arboribus, fruticibus, aut plantis defluentibus lapidem compararunt. Unde Mundus in Turba. Gumma noſtra fortior eſt auro. Et Maria: Matrimonifica gummi cum gummi vero matrimonio. Partibus item arborum & plantarum, utpote folijs, radicibus, corticibus & lignis ſiccis.

Metallis.

Metallis quoque tam imperfectis quam perfectis, partim quia omnia metalla ſunt in lapide virtute & potentia, partim etiam ob alias diverſas rationes. In principio enim decoctionis dum lapis niger

Plumbo.

eſt & crudus admodum, plumbum nominatur, cum vero aliquantulum

Stanno.

nigredinem dimittit, & dealbari incipit, ſtannum dicitur: item cum corpus calcinatum privatum eſt humiditate ſua ut fluere non poſſit quemadmodum ſolebat,

Ferro.

ferrum vocaverunt, quod niſi difficulter admodum fluit. Unde Anaſtratus in Turba. Sumite ferrum & facite inde laminas tenues, & aſpergite illas veneno.

Aeri.

Similiter æs & latonem lapidem appellarunt. Unde in Turba. Non fit tinctura vera niſi ex ære noſtro, propter eandem cum ferro rationem, vel colorem æri ſimilem. Mireris. Æs philoſophorum non eſt æs, ſed propter colorem æs dixerunt.

Argento.

Argento quoque comparaverunt lapidem cum jam perfecte dealbatus eſt, & non eget niſi fermento Lunari.

Auro.

Auro vero cum perfecte rubet.

Arg. vivo.

Argento vivo cum lapis jam ſolutus eſt, & in argentum vivum converſus.

Nummis.

Lapidem ſuum etiam dixerunt nummos, pecuniam, domum theſaurariam. Aſtratus in Turba. Accipite ex ære philoſophorum partem & nummis miſcete. Ad prædictorum intellectum confert illud Roſini: Philoſophi quando dicunt æs noſtrum, pecuniam noſtram, aurum noſtrum, magneſiam noſtram, æs ſibi ipſis relatum dicere voluerunt, ſimiliter de auro, plumbo, magneſia, pecunia ipſis relata.

Mediis mineralibus.

Mediis item mineralibus auripigmento, arſenico, ſulphuri, marchaſitis, magneſiæ, thutiæ lapidem aſſimilaverunt: vel ob adſtrictionem; vel pondus; vel ſcintillas auri & argenti quibus micant, cum idem contingat in opere philoſophico, juxta illud Morieni: Terra fœtida cito recipit ſcintillas aureas; vel ratione unctuoſitatis, aut ſulphuris quod in ſe cōtinent; ſive alias ob cauſas quæ multæ ſunt: Exempli loco paucula erunt.

In clavi Sap. ma.

Parmenides in Turba. Accipite argentum vivum & in magneſiæ corpore coagulate, vel in ſulphure quod non comburitur. Senior. Niſi in auripigmento virtus eſſet congelandi Mercurium, nunquam perficeretur magiſterium.

Ad fratr. Rainald. ca. 2.

Et D. Thomas: Recipe Antimonium noſtrum, vel terram nigram oculoſam, &c.

Salibus.

Salibus item omnibus, aluminibus, atramentis. Et ſalibus quidem, quia aperiunt, incidunt, extenuant, corrodunt, humectant, ſolvunt, & metalla

metalla calcinant, & eadem fluere faciunt. Et quoniam eorum quædam volatilia ſunt, ea ſpiritui, fixa vero corpori compararunt. Alumina & atramenta adſtringunt, & cruda humore abundant, calcinata vero ſicca magis ſunt, & ignea, coloremq; rubeum aſſumunt, inſtar lapidis, qui primum ſolutus humiditate ſuperflua laborat, quæ diuturna coctione perit, & tandem in rubedinem convertitur. Aquis etiam corroſivis ſpiritum ſuum comparant philoſophi, quia ſicut aquæ compoſitæ ex ſalibus, atramentis, & alumine, corrodunt & ſolvunt metalla, & eadem dividunt, & ſeparant ab invicem, ita etiam ſpiritus ſeu aqua philoſophorum corpus ſuum ſolvit, & tincturam ab eo ſeparat. Unde Auctor Roſ. minoris aquæ fortis laudes & opera deſcribit. Reſolvit inquit ſolidum, & reddit liquidum, mundat immundum, corrodit ſuperfluum, omnia penetrat, durum mollificat, & eſt clavis totius artis, &c. Lullius etiam frequenter aquis fortibus utitur. Sed quoniam de medijs mineralibus, ſalibus item & atramentis, nec non aluminibus in tertia hujus libri parte aliquid etiam dicendum eſt, ad colores transibo, à quibus nomina infinita mutuarunt Philoſophi. A viridi enim omnium vegetabilium appellatione lapidem dictum fuiſſe ſuperius demonſtravi; ſed cum præter illum & alios intermedios tres præcipuos enumerent philoſophi, nigrum videlicet, album & rubeum, ab illis potiſſimum lapidem denominarunt. Propter nigredinem enim, ab omnium nigrarum rerum appellationibus nomina deſumpſerunt. Sic antimonium, pix, carbo, corvus, caput corvi, plumbum, æs uſtum, ebur uſtum dicitur. Hermes: Caput corvi artis eſt origo, id eſt, nigredo. Et Socrates in Turba. Absque plumbo nulla fit tinctura vera quæ vim habeat, id eſt, absque nigredine. Propter albedinem omnium alborum deominationes acceperunt, quare lapis dealbatus talcum dicitur, marmor, argentum, ebur, flos ſalis, oſſa, cryſtallus, lumina cryſtallina, margaritæ, calx, cortices ovorum, luna calcinata, nix, grando, cineres clavellati, terra alba, lapis candidus, pulvis albus ſtellatus, ſplendidus. Item ab omnibus rubeis, rubificantibus, & per artem rubificatis. Propterea lapis rubeus, crocus, cinnabrium, minium, lapis, hæmathites rubeus, ſanguis humanus combuſtus, vitellus ovorum, alumen calcinatum, coralli, aurum vocatur. Exempla non adduxi, quia infinita ubique occurrunt. Similiter quia in opere duabus egemus naturis ſeu qualitatibus, humidi videlicet & ſicci, Aquam ſuam omnis humidi nomine vocarunt, aceti, urinæ, ſudoris, lactis, ſyrupi, brodij & aliorum innumerorum. Baccon in Turba. Reddite ei ſudorem ſuum. Et Borates ibidem. Regite lapidem granatorum ſyrupo. Maris etiam & marium fluminumque; hinc Mireris tria maria nominavit tria argenta viva, ſive tres aquas quibus in opere ſuo egent philoſophi,

Aluminib. *Atramentis.* *Aquis forti-bus.* *Colorib.* *Humido omni* *Maris.*

 ſophi,

ſophi, mare nempe Ægypti, meridiei, & Indorum. Et Ariſthenes in Turba, Accipite corpus, & maris noſtri aquæ inponite. Senior: Sapientes nominaverunt lapidem ſuum mare, quia ex eo aſcendunt nubes eorum & pluviæ. Unde Lucas in Turba: Sumite nubem & cum ſuo coquite corpore donec ſtannum fiat. Fellis etiam & fellium nomine uſi ſunt. Hinc Roſin: Fella de quibus loquuti ſunt philoſophi, nihil aliud ſunt quam aqua ſulphuris. Forte propter colorem bilis flavum, aut quia amara, quæ calida ſunt & acuta & pungentia. Olei etiam, butyri, pinguedinis & unguenti appellationibus, tincturam ſuam intelligi volunt, quia ſicuti pinguia omnia tenacius adhærent, nec facile eluuntur è panno & veſtibus, aut alijs rebus quibus inciderunt, ita nec tinctura philoſophorum, cum ſemel corpus ſuum introiverit. Hinc illud Arnaldi: Aqua abluit & mundificat, oleum vero tingit & colorat. Hermes: Terræ noſtræ unguentum eſt ſulphur. Senior: Pinguedo & pinguedines ſunt nomina aquæ divinæ. Eodem modo terram ſuam omnis ſicci appellatione intelligunt, lapidis, arenæ, calcis, cineris, &c. Unde Attamanus in Turba: Accipite lapides marinos veteres. Et Dardaris ibidem: Accipite album humidum, coque arenam imbuite.

In libr. de fig. & ima. — *Oleo.* — *Ros. part. 2. c. 11.* — *Sicco omni.*

Nominibus item omnium ſiccantium, conſtringentium, coagulantium, aggregantium, attrahentium. Unde etiam aſſimilatur magneti & ferro, ſpermati & matrici. Hinc Pythagoras in Turba: Scitote quod res quam multipliciter narraverunt philoſophi, ſuum abſque igne ſocium conſequitur, ſicut magnes ferrum, nec ſine cauſa confertur ſpermati & vulvæ. Sic è diverſo aqua vocatur nominibus omnium rerum quæ ſolvunt, humectant, emolliunt, laxant, rarefaciunt, purgant, lavant, mundificant. Hinc illud: Aqua noſtra eſt ſapo ſapientum omnia immunda abluens. Sic eadem dicitur culter, incidorium, ſpata, gladius, quia dividit purum ab impuro, & ſeparat animam à corpore. A terreſtribus aſcenderunt ad cæleſtia philoſophi, & res ſuas comparant cælo. Unde Hermes: Cælum mas eſt feminæ, terra vero femina maſculi. Et Planetis, ſicut in Alleg. Sap. Opus noſtrum fit ex ſeptem Planetis. Primo ex Saturno, ſecundo ex Jove, tertio ex Marte, quarto ex Sole, quinto ex Venere, ſexto ex Mercurio, ſeptimo ex Luna. Loquuntur etiam de conjunctionibus Planetarum ſuorum, & oppoſitionibus, & eclipſibus luminarium, de cauda & capite draconis, quemadmodum Lullius in teſtamento. Et Anaſtratus in Turba: Luna ſolis lumini jungitur. Et Alius. Mercurius radijs ſolis occurrit. Similiter res ſuas reſolutas, fumo, vento, aëri, vapori comparaverunt. Hermes: Portavit eum ventus in ventre ſuo. Et Morienes: Si fumus albus non eſſet, aurum ethees non perageretur. Et Pythag. in Turba: Hujus artis ſcientia nihil eſt quam vapor & aqua.

Cælo. — *Terræ.* — *Planetis.* — *Cap. 24.* — *Vento.* — *Vapori.*

Imo &

Imò & ad ea quæ non ſunt tranſierunt, & lactis virginis,& lactis volatilium meminerunt. Hermes: Occulta apparebunt, & lac virginis dealbabitur. Apud eundem etiam & in Turba leginus de lacte volatilium. Et hactenus quidem de nominibus ipſius lapidis ſive lapidem componentium, ſed ex diverſitate operis & regiminis ejusdē non minor oritur varietas. Teſtis mihi erit Roſinus, cujus unicum exemplum adducam: Scias inquit quod contritio & dealbatio eſt neceſſaria, unde quibuscunque modis res dealbantur & conteruntur, vel ſubtiliantur, vel dividuntur, vel ſeparantur,vel quibus operationibus hæc fiunt, vel per quas res,ab illis modis, operationibus & rebus receperunt ſimilitudines. Et quia quædam res purificantur per diſtillationem, ut per alembicum aquæ; quædam per ſublimationem,ut ſpiritus; quædam per ſolutionem, ut ſales; quædam per ablutionem,ut panni;quædam per combuſtionem ut calx; quædam per diviſionem, ut metalla ab invicem per cineritium; quædam per colationem, ut per pannum & filtrum: cum dicitur ſublima vel aliquid iſtorum,intellige quod debes tunc dealbare, &c. Opus etiam comparant quatuor anni temporibus. Solutionem namque lapidis hyemi conferunt, quia hyems frigida,humida & pluvioſa. Coagulationem veri,quod calidum humidum flores producit & germinare facit cuncta vegetabilia. Rubefactionem æſtati,quæ calida eſt & ſicca, fixionem Autumno, quo fructus colliguntur. Sed ut his ſimilitudinibus finem imponam, breviter concludo, omnia quæ dici aut tractari poſſunt de elementis, & eorum qualitatibus, de eorum confuſione in materia prima, & eorū diſtinctione, & eorum proprietatibus & paſſionibus,de mundi creatione & ejus principio & fine,de corruptione & generatione, de materia & forma,de actu & potentia, de virtutibus & vitijs, pace & bello, victore & victo, perſequente & fugiente,amore & odio, de forti & debili, de ſano & ægro, de comburentibus & aduſtionem impedientibus,de unitate & multitudine, de conceptione & partu,de vita,morte, & reſurrectione, de paradiſo, ejus celſitudine & gloria, de inferno & abyſſo,& alia multo plura,de hoc lapide venerando dici. Hinc Senior: Lapis iſte eſt diverſus ab omnibus lapidibus in naturis ſuis & perfectione ſua,& ſuſceptione nutrimenti, & augmenti in præparationibus ſuis, quibus nihil noſtrarum operationum aſſimilatur, quia eſt de ſemine mundi (al. mundo) multam habens benedictionem. Et ſi eſſet ut opinantur de lapidibus ſive terris, aut vegetabilibus,non nominaretur ſapientia,cum nec mors,nec vita in ipſis ſit,nec deſponſatio, nec conceptio nec generatio prolis, nec nutritio,cum noſtræ præparationes quas novimus ex animalibus noſtris & lapidibus noſtris quos vidimus & fecimus ſuper eis,non ex vanitatibus & præparationibus illorū ſint. Hid itaq; eſt lapis ille

Ex operis diverſitate nomina variari.

Lib. de divinis interpretationibus.

Opus lapidis quatuor anni temporib. aſſimilatur.

Nihil in mundo lapidi poſſe aſſimilari.

mirabilis, cui nulla alia res totius mundi comparari poteſt, & in quem impingunt imprudentes. Hæc ſunt vincula plus quam vulcania, quibus involuti tenentur qui ſonum verborum ſequuntur, & non intellectum occultum ſub illis velatum. Unde idem Senior. Excœcata ſunt corda & oculi, & ſurdæ factæ ſunt aures ab his ſimilitudinibus & judiciis in omnibus hominibus: Legunt & non intelligunt, ſtudent & non percipiunt, ignorant veritatem & projiciunt illam: Qui autem erraverit à veritate, præcipitabitur in vanitate. Et alio loco. Homines non intelligunt verba ſapientum, nec percipiunt quod intenditur, unde falſificant veridicos, & rectificant falſidicos opinionibus ſuis, & ſibi debent imponere culpam, non ſapientibus. Error enim eorum eſt ex ignorantia intentionis eorum, quando audiunt diverſa verba, ſed ignota intellectui eorum, cum ſint intellectu occulto: ipſi vero ſaltem prout eſt litera & aſſignatio intelligunt, & ſic falluntur, cum ſit ſepultum in occulto.

In libr. de fig. & imaginibus

Error operantiũ unde procedat.

Æquivoca.

Declaratis ſimilitudinibus lapidis, & obſcuritate inde orta, transeamus ad æquivoca, quæ ſola, ſi nulla alia obſcuritatis cauſa ſubeſſet, non ſatis conſtantem animum à propoſito avertere poſſent. Eſt autem hæc occultandi ratio ſuperiori contraria; ibi ſiquidem una res pluribus & infinitis nominibus appellatur, at hic plures res & diverſæ ſub uno nomine comprehenduntur. Qui ſane tradendi modus altero multo obſcurior eſt, & difficultatis plus habet, cum tanta & tam inuſitata nominum varietas non omnino imprudenti ſcrupulum aliquem & ſuſpicionem laquei facile injiciat; at in æquivocis diſcernendis nemo niſi admodum in ſcriptis philoſophorum verſatus ſatis ingenij aut prudentiæ adferre poſſit. Exempla duo in medium adducam, nec longius progredior quam ad lapidis materiam, quam argento vivo & ſulphure conſtare omnes indifferenter aſſerunt, eaque potiſſimum aſſumam, ut tyrones aſſueſcant libris philoſophorum intelligendis, cum ſint principia artis, & totius operis, & fundamenta. Quotupliciter igitur philoſophis dicantur expendamus. Sed primum de Sulphure, quod pro butyrino & vulgari illo aduſtibili uſurpari notius eſt quam ut exemplo indigeat. Accipitur enim pro terra philoſophica. Unde Lullius: Proprium argenti vivi noſtri eſt, quod ex vapore ſulphuris ſui congeletur. Idem: Sulphur noſtrum eſt terra ſubtilis vel aqua ſicca, in ventre cujus ignis naturæ fortiter multiplicatus eſt. Pro arg. vivo etiam altera lapidjs parte. Morienes. Quando Laton cum ſulphure comburitur, & mollicies ſuper eum frequenter funditur, tunc omnis ejus obſcuritas atque nigredo ab eo aufertur. Hoc eſt, quando terra philoſophica aqua ſua ſeu argento vivo irrigatur. Et Roſinus. Nihil agit in Solem quam noſtrum ſulphur, quod Solem denigrat & conſumit.

Sulphuris æquivocationes.
1.
2.
In Codicillo.
In practica Teſt. c. 22.
3.

Hinc

Hinc etiam aqua ſulphuris nominatur argentum vivum. Unde Belus in Turba. Omnibus in argentum vivum verſis, ſulphuris aquam nominant. Et alius. Aqua ſulphuris eſt aqua viva ab ære extracta, quæ poſtquam extrahitur, potens eſt in decoctione ſolvere & congelare omnia. Capitur item pro anima & tinctura. 4.
Lullius. Anima ipſa eſt ſulphur ac virtus formans & ſigillans *In codicillo.*
ſpecies rerum. Et Hermes. Anima eſt unguentum & ſulphur occultum. *Tract. 2.* *Tract. 6.*
Idem tria ſupradicta, ſulphur videlicet, argentum vivum, & tincturam, unius ſulphuris appellatione complexus eſt. 5. *Roſ. part. 2. c. 16.*
Qui non diſcernit, inquit, duo ſulphura a ſulphure, nihil novit. Et pro elixiris materia immediata, lapide à ſordibus & fæcibus repurgato. Arnald. Pulvis aſcendens ſuperius eſt terra alba ſoliata, & ſulphur album. Pro lapide etiam perfecto, ſed nondum fixo. Arnald. Quartum operis regimen eſt figere ſulphur album & rubeum ſuper corpus fixum. Item pro lapide perfecto & fixo. Roſarius. Sulphur album & rubeum congelat argentum vivum in aurum & argentum. Pro auro etiam quandoque & argento.
Unde Plato, omne aurum ſulphur. Et Ariſt. Spiritus cum ſolverit 7.
corpus ſulphureum non figitur, niſi occupaveris ipſum cum ſul- 8.
phure novo de quo præparatum erat in principio, ſcil. auro vel argento. Lullius etiam voce ſulphuris pulverem intelligit dum ait. 9.
Per hanc intentionem potes habere verum pondus virtutum noſtri lapidis, nam quando dimittit argentum vivum in forma ſulphuris, tunc oſtendit quod magnæ ignitionis eſt. *In pract. teſt. c. 23.*
Quotupliciter ſulphur philoſophis dicatur oſtendi, reſtat demonſtrandum totidem fere modis argenti vivi appellationem uſurpari. *Arg. vivi æquivocationes.*
Primo quidem pro vulgari & ubique venali omnibus cognito, deinde pro 1. 2.
altera parte materiam lapidis conſtituente, videlicet humiditate lapidis, vel aqua philoſophorum. Arnaldus. Aquam diſtillatam ſerva ad partem, quoniam ipſa eſt Mercurius. Idem. Contere calcem & imbibe cum Mercurio, & decoque donec corpus unum fiat. *Roſ. part. 2. c. 8.* *Ibid. c. 18.* 3.
Pro ſulphure item & terra philoſophica, Conſtans in Turba: Nihil aliud curate quam hæc duo argenta viva, videlicet fixum in ære, & volatile fugiens in Mercurio, unum namque retinet aliud & à fuga cohibet. Hermes. Hoc eſt argentum vivum quod dicitur terra reſidua, quæ aquam ad ſe trahit & ebibit. Pro anima ſive tinctura lapidis. Hermes. Oportet nos duo argenta viva ſimul 4. *Tract. 3.*
mortificare: nempe argentum vivum auripigmenti, & argentum vivum orientale, id eſt, oportet humiditatem lapidis & tincturam in ſpiritu deportatam ſimul figere in corpore. Pro proxima lapidis materia omnimode purificata. Lullius. Collige quod in medio 5.
ſublimatum invenies, quoniam illud eſt quæſitum bonum, lapis noſter, & Mercurius. *In codicillo.*
Pro fermento etiam auri & argenti. Iximedrus in Turba. Sulphura tingunt, & fugiunt, niſi argento vivo ſui 6.

 generis

generis juncta ſint. Poſſem hoc loco multo plura adducere ſimilium exempla, niſi brevitatis cauſa omittenda judicarem. Progrediamur itaque ulterius, & alias quoq; occultandi rationes enumeremus, inter quas eſt Diverſitas; ſed quoniam de illa in tertia hujus tractatus parte diffuſius agetur, ubi de materiæ, & regiminum artis diverſitate ſermo erit, hic tantum de contradictione ei cognata & vicina aliquid effari viſum fuit, quæ in alijs ſcientijs probroſa foret, & vituperio digna, & earum veritatem in dubium vocare poſſet: in hac autem philoſophi id ſibi vitio non vertunt, imò conſulto non alijs tantum ſed ſibi ipſis contradicunt, ut videlicet legentem exerceant, & judicium ipſius explorent, num in delectu naturalium erret, & ea quæ contra naturam ſunt potius quam naturæ amica accipiat, an è converſo: adfirmante id ipſum Rhaſi. In Alchemicorum, inquit, libro perfectum inſinuavi fermentum annotatione planum, in inquirendo facile, quod non eſſe fermentum in eodem aſſerui: ſed qui diſcretione viget, & ſapientia floret, ſi noſtri ſermonis interiora perſcrutari voluerit, tam ipſius locum, quam exordium ſe inveniſſe gaudebit. Auctores alios citemus, & quid de ſulphure dicant recenſeamus; quòd marem feminæ ſcilicet argenti vivi quidam, alij è contra feminam maris appellant. Et marem quidem Lullius in practic. teſtamen. in hunc modum: Sulphur noſtrum habet virtutem ſigillandi & formandi ſimile ſibi, & ideo dicimus quod eſt pater & ſemen maſcul. Item Beatus Thomas Aquin. Puriſſima & ſubtiliſſima ſubſtantia ſulphuris in ipſis corporibus contenti eſt quaſi ſemen paternum, activum & formativum. Et Roſarius: Quamdiu durat nigredo, obſcura dominatur femina, quæ quidem prior vis eſt lapidis, quæ etiam acetum acerrimum nominatur. Per Acetum autem ſignificari aquam lapidis & argentum vivum ſupra demonſtratum, quod cum dicatur femina, neceſſario terra ſive ſulphur lapidis mas erit. Atque hi quidem conſenſu quodam ſulphur loco maris habent, alij econtra loco feminæ; inter quos eſt Arnaldus. Sic enim ait: Dum terra incipit aliquantulum retinere Mercurium ſecum, tunc agit maſculus in feminam, id eſt, Mercurius in terram. Et Lilium: Per lenem decoctionem maſculus, id eſt argentum vivum, è femina, id eſt, à ſulphure tingentem accipit ſpiritum. Cerus quoque in Turba: Accipite argentum vivum in quo eſt maſculina virtus. Quantum autem referat ſupradictorum notitia, ſcit diligens librorum lector, cui ubique maris & feminæ, viri & uxoris, agentis & patientis nomina occurrunt, quæ ſi diſtinguere neſciat fruſtra laborat. Sed poſſet quis dicere ſulphur & argentum vivum viciſſim agere & pati, proinde mirum non eſſe, ſi nunc maris nunc feminæ nomen ſortiantur juxta illud Lilij. Quod prius egit ſcilicet femina, tunc incipit pati à mare, & quod

primo

Contradictione.

In lumine luminum.

Sulphur mas dicitur.

Cap. 22.

In comment. ſuper Tab. Hermetis.

Sulphur femina.

In lib. qui flos flor.

primo trahebat ſcilicet femina, ſive ſulphur, nunc trahitur à mare ſive ab argento vivo. Adducam in medium alia exempla, in quæ non cadit iſtiusmodi ſuſpicio, nempe de lapidis materia, quam unicam eſſe, complures affirmant, prout Arnal. ad Reg. Neapoli. Omnia inquit quæ ſunt in lapide ſunt ei neceſſaria, & nullo alio indiget, eſt enim lapis unius naturæ & una res. Et Lilium: Pluribus rebus non indigetis ſed tantum una re, quæ in unoquoque gradu operum noſtrorum in aliam vertitur naturam. Et Roſinus: Certum habe quod una res ſit ex qua omne quod petis fit. Atque hi quidem unitatem, alij è contra pluralitatem commendant. Et inprimis Geb. Quærimus ait ſubſtantiam unam facere, tamen ex pluribus aggregatam. Idem: Unus lapis philoſophorum nuncupatur, quamvis à multis extrahatur corporibus ſive rebus. Et in Alleg. Sap. Labem aufer à corporibus, id autem non fit niſi in duabus aut tribus ſpeciebus, & in pluribus rebus, in una enim & ſimplici re minime fit. Et Philotis in Turba: Prima compoſitio ex pluribus fit rebus. Oſtendi contradictionem diverſorum auctorum, nunc quomodo idem auctor in eodem libro, & quandoque in eodem capitulo ſibi contradicat reſtat indicandum. Et primum quidem occurrit illud Pythagoræ in Turba: Aqua munda ex ſolo eſt ſulphure: & ſtatim in ſequenti ſermone ejusdem libri Belus contrarium aſſerit dicens: Aqua munda non eſt ex ſolo ſulphure, verum ex pluribus compoſita rebus, quæ unum ſulphur facta ſunt, ex pluribus ſulphuribus. Similiter Baceim in Turba: Philoſophi, inquit, opus varijs nominibus diviſerunt, dixerunt enim Commiſcere, coquere, ſublimare, dealbare, terere, aſſare, cogulare, rubiginem facere & tingere, hæc plura ſunt nomina, regimen tamen unum eſt. Et ſtatim cum videatur unam actionem continuam prætendere, ſcilicet decoctionem, ſubdit oppoſitum in hanc ſententiam. Et ſi ſcirent philoſophi unam decoctionem & contritionem ſufficere, non tantum eorum dicta reiterarent, quod ideo fecerunt, ut teratur compoſitum & coquatur jugiter, neque laboris vos tædeat. Arnaldus quoque cum dicat in roſario ſuo: Quod facis in albo, facis in rubeo, quoniam hæc medicina in eſſentia eſt una, & in modo agendi ſimiliter una. Item alio loco: Unus eſt lapis ad album & ad rubeum ſimul & ſemel faciendum. Item: Unum eſt opus ad album & rubeum, & repetat cap. decimo in principio opus auri & argenti per omnia convenire: tamen eodem cap. quaſi omnium ante dictorum oblitus, Opus inquit albi eſt ad albificandum, & opus rubei ad rubificandum: non ergo miſceas opus unius lapidis cum opere alterius, quia vehementer errares ſi ſecus faceres. Aliud exemplum ex eodem: Indiges quod in ſubtiliatione & ſolutione corporum labores, ſunt enim fortia, & indigent præparatione longinqua & operatione continua, ut

Aliud exemplum de materia lapidis.

Ad Eutychiam.

De Inveſtig. per c.3.

Ibid. c.12.

Aliud.

Aliud.

Aliud.

primo

primo calcinentur, & poſtea ſolvantur, quoniam cum calcinata fuerint facilius ſolvuntur, eo quod calor ignis penetrans partes corporis, facit aquam ingredi poſt ipſum, & ſic eſt magis ſolutionis ſuſceptivum. Eodem capite quaſi oſcitans & à ſomno expergefactus dicit expedire corpora ſolvi per aquam ſolam ſine calcinatione. Num cogitandum eſt tantum doctorem, & in alijs ſcientijs præclare verſatum memoria lapſum fuiſſe? nihil minus, imo ſtudio & quidem data opera id fecit, non hoc in loco ſolum, ſed multis præterea alijs, prout etiam Lullius & cæteri, quorum exempla non diſſimilia paſſim occurrunt, quæ huc conferre non eſt neceſſe, cum ad aliam velandæ doctrinæ artem mihi ſit transeundum. Ea eſt ut utantur nominibus inuſitatis & incognitis, aut ſi nota ſint ad aliam prorſus ſignificationem detortis, ita ut peculiari idiomate quo ſe mutuo intelligant loqui videantur. Sic præter metalla quæ planetarum nominibus inſignivere, ut videlicet aurum Sol, Argentum Luna, æs Venus, ferrum Mars, ſtannum Jupiter, plumbum Saturnus, argentum vivum Mercurius dicatur, infinita alia introduxere, veluti ſunt Laton, Azot, anima, Leo, Draco, terra foliata, Cambar, marteck, kahul, adkibrick, boritis, zandarich, muchal, Coriiphle, fermentum, menſtruum, coagulum, venenum, & ſimilia innumera. Præcipuè vero auri & argenti appellationibus ita omnia intricarunt, ut vix multorũ annorum ſtudio hujusmodi vocabulorum ſignificatio erui poſſit. Sic Morienes: Auri fermentum aurum eſt. Hermes: Seminate aurum veſtrum in terram foliatam. Roſinus: Niſi aurum in aurum ponas nihil habes, quoniam magnum non eſt in parvo. Item in Turba: Non tingit Sol niſi tingatur. Et Lullius, Scientia hæc eligit aurum pro patre, & argentum pro matre, quia de iſtis duobus corporibus in eodem ſulphure & arſenico præparatis noſtra medicina elicita eſt. Difficultatem ex vocibus incognitis aut non vulgaribus ortam non mediocriter augent incogniti characteres, cum præter planetarum omnibus fere notos, ſulphuri, ſalibus, atramentis, aluminibus & medijs mineralibus, imo elementis ipſis & calcinationi & ſublimationi aliisque artis operationibus peculiares donarint; aut literarum transpoſitione, aut numeris & notis occultis uſi ſint plurimi in libris ſuis ſcribendis. Sed nihil æque ſtudentibus obeſt atque imperitia eorum qui libros transſcribunt, dum voces non intellectas, & ut ipſi exiſtimant abſurdas omittunt, aut quod pejus eſt emendare volentes ſenſum omnem & auctoris ſententiam pervertunt, gloſſas etiam ſæpe imperitorum hominum in textum transferunt. Nec diſſimili vitio carent qui libros aliena lingua editos in aliam transferunt, ut in poſteriore editione latina Comitis Bernardi nonnullis locis videre licet, & in Morieno, qui ex Arabico in latinum ſermonem converſus à Roberto

Nomina inuſitata.

Characteres.

Transſcriptio.

Translatio.

berto Caſtrenſi tantum ab alia translatione differt, ut multis locis alius plane auctor videatur. Stylus etiam auctorum hujus ſcientiæ multiplex & varius non leve impedimentum legentibus adfert. Quidam enim phyſice ſeu naturaliter & ſecundum naturæ progreſſum ſermones ſuos inſtituunt, alij medicorum tradendi morem ſequuntur, nonnulli arithmetice ediſſerunt, quidam etiam Aſtronomiæ & Geometriæ normas ſectantur. Naturaliter & philoſophice de corruptione & generatione, de actione & paſſione, de elementis & eorum qualitatibus, de materia & forma, de facultatibus & potentijs animæ, de quatuor anni tēporibus, de vaporibus & pluvijs, de Iride & ejus cauſa, de viro & muliere, de conceptione & partu, de fœtu & alijs multis loquuntur. Medicorum vero ſtylum ſequuti de ſano & ægro diſſerunt, de mutatione complexionum, videlicet à frigida & humida in calidam & ſiccam, & è contra, de cruditate & digeſtione, de urinæ inſpectione, de Criſi nativitatis & ortus lapidis, quam criſibus acutorum morborum putridarumque febrium comparant, ut videlicet viſo motu primo ſuper finem atteſtari quis poſſit. Arithmetici quoque hanc ſcientiam ſuis numerorum diſtinctionibus in parte & in toto obſcurarunt, nam terminos & finem totius operis in numerorum diviſionibus occultarunt, quemadmodum & pondera, cum addant & diminuant ſummam radicis pro libito, integrantes interdum ipſum totum per partes, ne indocti capere poſſint. Exempli loco erit illud Senioris: Intellige principium numeri, primum & ſecundum, & dicis duo, & illa ſunt tria in numero, deinde dicis tria quæ ſunt numero ſex, deinde dicis quatuor & fiunt in numero decem numeri manifeſti, occulti autem quatuor. Et illud Eximeni in Turba: Jubeo vos argentum vivum coagulare ut duo tria fiant, & quatuor unum, & duo unum. Auctor etiam trium verborum dicit, quod à tribus oportet extrahere duo, cum à duobus non extrahuntur tria, ſed à tribus intelliguntur duo & ſeptem. Et Hermes in ſeptem tractatibus: Aqua eſt quæ dividit ipſam in alias quatuor, una ſcilicet duabus & trina uni, quarum colori tertia pars eſt, humori vero duæ tertiæ, quæ aquæ ſunt pondera ſapientum. Aſtronomice vero loquuntur philoſophi de zodiaco & ſignis zodiaci, de polis, de eorundē exaltatione & caſu, de conjunctionibus & oppoſitionibus, & eclipſibus luminarium, de infuſione luminis Solaris in Lunam & ſtellas, de Mercurij natura verſipelli, qui cum bonis planetis bonus eſt, & fortunatus, cum malis malus, & infortunatus, & de planetarum operationibus in hæc inferiora, & ſimilibus, Geometrice vero de terminis & angulis, de quadrato, triangulo & circulo, quomodo item quadratum & triangulū fieri debeat rotundum, & è contra. Hinc illud Roſarij: converte quadrangulum in rotundum, & habebis magiſterium. Ad furni item fabri-

Styli varietas *Stylus phyſicus.* *Medicus.* *Arithmeticus.* *Cap. 4.* *Aſtronomicus.* *Geometricus.*

Lib. Secret. Aich. in praſ. fabricam Geometriæ regulas neceſſarias ait Haly. Qui hunc librum inquit habuerit, legat aliquid Geometriæ, & ejus menſuras addiſcat, & clibanorum fabricam rectè componat, nec modum excedat.

Impoſſibilitas His ad poſtremum adde quod philoſophi impoſſibilia videantur præcipere. Unde non ſolum difficilis, ſed omninò fallax & impoſtorius videri poſſet de arte tractatus omnis, jubent enim diſtillari elementa, ablui, & mundari, & demum quod ridiculum videatur, certo pondere conjungi. Haly: oportet accipias lapidem, & ſepares ejus naturas, id eſt, quatuor elementa, terram, aquam, aërem & ignem. Arnald: Cum habueris elementa diviſa, ablue ea, ſcilicet aquam & aerem deſtillando, ignem vero & terram fortiter calcinando. Si vero quis ſimilitudinarie hic putet vocari elementa, veluti, exempla gratia, in ceræ aut mellis deſtillatione, ut quod primo egreditur phlegma, aqua vocetur, quod ſecundo loco oleum flavum, aëris nomen obtineat, tertio vero loco oleum rubrum ignis, fæces vero in fundo remanentes terræ nomen ſortiantur, is haud dubie errat, cum dicat præallegato loco Arnal. ignem calcinari debere, quod in oleo rubeo, & facilè inflammabili locum habere non poteſt. Deinde philoſophi non curant de elementis tangenti adhærentibus, ut dicitur in Turba. De pondere autem elementorum, idem Arnaldus: Cave tibi in commiſtione Elixiris, & operare ibi ſapienter, ut ſcias quantum debeas apponere de aqua, de aëre, de terra & de igne, alioqui ſi ſecus feceris, opus non valebit. At quis mathematicus ita ſubtilis unquam inventus fuit, qui elementa inviſibilia, aërem dico & ignem, & inpalpabilia menſura aut pondere complexus ſit? dicente præſertim Eximeno in Turba, Elementorum duo videntur, & eorum virtus & opus ſcitur, alia autem duo nec tanguntur nec videntur. Nec minus abſurdum videtur, quod dicant convertenda eſſe elementa, cum id videatur ſolius Dei & naturæ opus. Unde Ariſt. Chemicus: Converte elementa, & quod quæris invenies. Et ſane hac elementorum traditione philoſophi artem ita obſcurarunt, ut plurimi hac difficultate inſecta cum ipſorum mentem non capiant, à ſtudio librorum reſiliant, aut credant hæc omnia mera eſſe figmenta ad artis occultationem inventa, dicentibus præſertim philoſophis, una re, unica diſpoſitione totum opus terminari. E quorum numero me fuiſſe quondam non inficiabor, quanquam immerito, quãdo nunc cum Raymundo Lullio fatear ex elementorum diviſione & mundatione totam artem dependere. Sic enim ille: Totum magiſterium eſt dividere elementa à metallis, & ea purificare, & à metallis ſulphur naturæ dividere. Nam totus labor eſt in hoc, & tota magiſterij fatigatio in elementorum & ſulphuris diviſione. Et Arnal. Si non dividis elementa lapidis, non poteſt conjun-

Lib. Secret. c. 9.

Roſ. par. 2. c. 8.

Roſ. par. 2. c. 24.

Elementorum doctrina obſcuriſſima.

Totum magiſterium dependere ab elemẽ-

conjungi anima cum corpore. Et Aſtanus in Turba: Spiritus non *torum diviſione, & mundatione.* conjungitur cum corporibus, donec à ſuis immunditijs perfectè fuerint denudata. Sunt & aliæ ſapientum technæ quibus artem obvelant, quæ in progreſſu operis manifeſtabuntur, eas hic volens prætereo: Detexi etiam quaſdam in præcedenti hujus tractatus parte, quas repetere & in hunc locum congerere opus non eſt, ſufficiat hic præcipuas & difficilimas enumeraſſe, quum aliquid relinquendum quoque ſit ſtudioſorum inveſtigationi & labori.

PARS TERTIA

IN QUA DE DIFFICULTATE PRAXEOS AGITUR.

HActenus de impedimentis quæ ex parte artificis aut ex difficili librorum intellectu oriuntur dixi, conſequens eſt, ut de tertia hujus tractatus parte, quæ circa praxim verſabitur, ſermonem inſtituam. Quæ quamvis tota ex intellectu librorum dependere videatur, cum intellectis libris, materia, operis regimen & reliqua quæ ſequuntur cognoſci poſſe videantur; tamen cum aliud ſit artis rationem inveſtigare, quam attentare & manum operi adhibere, & multa ipſa experientia deprehendantur, quæ per *Experimentis multa deprehendi, quæ falſa aut impoſſibilia putantur.* ſolam theoriam comprehendi non poterant, plurima etiam quæ prima fronte facilia apparent, cum quis praxim aggreditur, difficilima reperiantur, & è contra, ſingulatim de ea agere potius viſum. Ego ſanè cuilibet certò affirmare poſſum me nunquam philoſophos de elementorum diviſione ratiocinantes intellecturum fuiſſe, niſi operando & experiendo ſulphur naturæ & artis deprehendiſſem. Neque tamen propterea me ſcientiæ hujus notitiam profiteri quiſquam exiſtimet, cum tentantem ſæpius luſerit experientia, & multorum cognitionem adhuc deſiderem, quam ne ſperare quidem audeo cum ob librorum defectum, quorum tamen exemplaria ſupra centum habeo, tum ob impedimenta plurima, quibus non nego me detineri.

Sed tertium hunc tractatum aggreſſuro imprimis occurrit materia, quæ totius operis philoſophici baſis eſt & fundamentum, quo *Materia lap. omnium rerũ nominibus appellata.* temere jacto, nihil quod ſolidum ſit ſuperſtrui poteſt: Hanc cum unam dicant Philoſophi, pluſquam mille legionum nominibus, ut ait Roſinus, nuncupaverunt, nomine videlicet omnis rei, quæ vel *Lib. ad Euthychiam.* in terra vel in mari vel aëre reperitur. Hanc omnibus rebus aſſimilaverunt, hanc monſtrum Hermaphroditum, maſculum & feminam, cœlum & terram, & corpoream & ſpiritualem, chaos, microcoſmum, maſſam confuſam, continentem in ſe omnes colores, & omnia metalla in potentia. & qua nihil ſit in mundo mirabilius,

rabilius, cum impræ gnet ſeipſam, concipiat ſeipſam, & parturiat ſeipſam. Hanc maximè occultant, nec nomine proprio nuncupant. Unde Roſar. Lapidem per deſcriptionem ſuarum radicum nominavimus, nec enim aliter nominare eum poſſumus. Et Alph. Hic lapis à loco glorioſiſſimo ſublimi maximi terroris, procedit, qui multos ſapientes neci dedit, qui cuilibet eſt ſimilis, cujus nomen dici non poteſt. Et alius: Qui lapidem nominat, ejus virtutem ignorat, nam qui virtutem novit, eum non nominat. Imò nec nomen proprium habere affirmant quidam. Sic enim Alph. Si lapis proprium nomen habet, vulgare non audent propter rationes ab ipſis traditas. Hinc Roſin. Non parum timui ne Deus amoveret à me gratiam ſuam, pro eo quod tibi de hac ſumma ſapientia expoſui, cum cuncti philoſophi citius mori vellent, quam proprijs nominibus eam nuncupare. Et innominatus. Nomen lapidis patefacere nemo poteſt ſub animæ ſuæ condemnatione, quia coram Deo rationem reddere non poſſet.

Materia lap. maximè occultatur. In cla. Phil. Lapis nomen proprium non habet. Nomen lapidis non vulgandum. In tract. de lap. philoſ.

Alius. Totius mundi periret ſtatus, ſi noſter in libris nominaretur lapis, vel ſi quandoque proprio nomine vocant, occultè id faciunt, & ſæpè ejus nomini aliquid ficti addunt. Unde Agmon in Turba. Ubi non prodeſt, ibi magnificè & ſignificanter nominatur, ubi prodeſt, ibi maximè celatur. Hanc inveniri in omni re, in omni loco, & tempore, quidam philoſophorum aſſeruere. Unde plurimi eluſi illam in vegetabilibus & animalibus, aut ortum & originem ex illis trahentibus, undè elementa ſeparari poſſe dijudicarent, quæſiverunt, ſed fruſtra, cum ſingula non proferant niſi ſibi ſimilia. Hos deridens Senior, Si talibus inquit, diceretur, Ovis peperit hominem, aut volatilia parturiunt piſces, aut palma portavit mala granata, reſponderent utique: Fabulam narraſti, non generant res niſi ſibi ſimilia, & non fert unaquæque arbor niſi fructus ſuos. Et tamen iſti ſtultis ſtultiores præparant quod non habet tincturam in ſe, ex omni re quæ tendit ad nihilum, & credunt benè facere, ſed nihil acquirunt præter laborem, quia in impoſſibilitate excœcati ſunt à veritate. Naturaliſſimum verò & perfectiſſimum opus eſt, unumquodque generare tale, quale ipſum eſt, ut planta plantam, capra capram, ut ait Philoſophus. Cum autem materialia iſta ſint à natura metallorum aliena, impoſſibile eſt ex eis fieri generationem in metallis, quia metalla non generantur niſi ex ſuis proprijs ſpermatibus. Ideò non ſine ratione perquirendum monet Arnald. quid ſit ſperma metallorum, qui non invenitur in re quod in ea non eſt, non ſunt autem metalla in animalibus & vegetabilibus, ſanguine, capillis, menſtruis & ſimilibus, quanquam philoſophi hujuſmodi nominibus aliquando ſimilitudinariè uſi ſint, prout ſuprà eſt declaratum. Ad generationem certè hominis vel animalis, non fit alicujus rei permiſtio niſi ſpermatis

In vegetabilibus & animalibus artem ſupponentium error. 2. de animâ. Metalla ex proprijs ſpermatibus generari. Inſt. ſtor.

matis maſculi & fœminæ in vaſe naturali nempe matrice, ubi convertitur de re in rem præparatione naturali, donec formetur inde homo & animal, ſine ingreſſione alterius rei niſi ſanguinis menſtruorum ei conſimilis. Et in vegetabilibus ſemen proprium cujusque arboris vel plantæ terræ committitur absque additione rei alterius, ubi ſuæ naturæ alimento enutritum & ſolis calore evocatum germinat & augmentatur. Ita & magiſterium philoſophorum commiſtione alicujus non eget extranei, ſed ex proprio ſemine metallico terræ philoſophicæ per artem præparatæ immiſſo, producit lapidem multiplicabilem in infinitum, ſi ſuo proprio menſtruo & humore connaturali alatur, & calore Solis philoſophorum de potentia ad actum excitetur. Alij in ſalibus, aluminibus, atramentis, & bauracibus lapidem philoſophorum inveniri crediderunt, aut per ea perfectiora metalla deduci poſſe ad eum ſtatum ut tingant in infinitum, eo quod per illorum cementationes ab alijs metallis impuris illa expurgari, & colorem vegetiorem & magis ſplendidum ijs cōcilinari viderent, & ſcirent inde aquas vi ignis prolectari, quas fortes, graduales, & regias vocant, quibus aurum & argentum ſolvi putant, aut ad altiorem coloris gradum promoveri. Sed de ſolutione iſtiusmodi non curant philoſophi, cum potius ſit corroſio & diſſipatio quædam totius in partes minutiſſimas, quæ denuò in argentum & aurum liquefactione redire poſſunt. Et ſi quis metallis perfectis color accedit, is reiterationibus fuſionum & attractione diuturna evaneſcit, quia non alterant intrinſecè, ſed tantum ſuperficialiter, nec ingrediuntur, cum incommiſcibilia ſint cum metallis, nec fuſionem metallicam præſtent, nec in ſe habeant alias proprietatum differentias, quas in lapide ſuo requirunt philoſophi. Meritò itaq; à non omninò inſulſis & fatuis rejiciuntur. Decipiuntur autem fortè ex eo quidam, quod Sapientes aquam ſiccam quandoque nominent, quod nullis rebus melius convenire arbitrantur quam ſalibus, aluminibus, & atramentis, quæ reſoluta facilè in aquam transeunt, & modico calore denuò ad priſtinam formam redeunt. Sed philoſophi per aquam ſiccam nihil aliud intelligunt, quàm argentum vivum, ea nempè de cauſa quod tangentem non madefaciat, cum tamen liquidum ſit & fluidum inſtar aquæ. Credant Gebro, qui lib. fornacum ſic ait. Studeas Solem & Lunam reſolvere in aquam ſuam ſiccam, quam vulgus Mercurium vocat. Falluntur etiam in eo quod Philoſophi paſſim de ſale loquantur. Veluti auctor ſoliloquij Qui ſine ſale operatur, eſt velut is, qui cum arcu ſine chorda ſagittat. Et in libro Salis & aluminis. Si Deus non creaſſet ſalem, non perficeretur Elixir, & vanum eſſet ſtudium alchemicum. Et in Allegorijs Sap. Qui ſine ſale operatur vel agit, corpora mortuorum non reſuſcitat. Item Alius. Sales ſunt radices tui

Naturā imitandam a ſimili.

In ſalibus aluminibus & atramentis artem ſupponentium error.

Erroris cauſa ſecunda.

Cap. 19. Tertia.

operis. Illi ſciant philoſophos non de ſale communi loqui, ſed de eo quem in opere ſuo requirunt minerali, ſimilitudine ducta à rebus calcinatis, à quibus omnibus cum poſſit extrahi ſal, meritò etiã ex calce metalli ſui ſalem extrahi dicunt, quo tamẽ aliud non ſignificant quam terram ſuam. Juxta illud Auctoris innominati: Quod inferius in cucurbita manet eſt ſal noſter, id eſt, terra noſtra. Et in Alleg. Sap: Nota quod hæc corpora alumina & ſalia ſunt, quæ à corporibus noſtris fluunt. Et Auctor Scalæ phil. Secundæ aquæ opus eſt exaltare terram in ſalem mirabilem ſola ſua virtute attractiva. Nonnulli in medijs mineralibus, tutia, magneſia, marchaſitis lapidis materiam quæſiverunt, & præſertim in antimonio. Cum enim philoſophi dicant metalla & ſuum lapidem conſtare ſulphure & argento vivo, & hæc facili artificio ex antimonio educi poſſint, nihil obſtare quo minus materia lapidis inde petenda ſit. Sed cum non ſufficiant philoſophis ſimpliciter ſulphur & argentum vivum, ſed eadem velint eſſe pura & munda, & omni coinquinatione carentia, homogenea, & non aduſtibilia, ſed perſeverantia ſuper ignem & fundentia, argentum verò vivum & ſulphur illius ſint in radicibus ſuis impura, & immunda, & quæ nullo artificio depurari poſſint, ad hæc heterogenea, & facilè ab igne recedentia, aut non fluentia, omnibus ſanis ſuſpecta erit antimonij & reliquarum marchaſitarum natura.

Elang. bus.

In mediis mineralibus & marchaſitis artem ſupponentium error

Quidam in lapidibus, gemmis, & cryſtallo artis principia inquirunt. Sed ſi ea quæ propius ad metallorum naturam accedunt, materiam Elixiris præſtare non poſſunt, profectò neque gemmæ aut cryſtallus neque lapides cæteri. Si enim id quod magis videtur eſſe tale non eſt tale, profectò neque id quod minus. Hæc itaq; cum alterationes in corporibus metallorum facere non poſſint, quia non ingrediuntur, nec enim quicquam alterat quod non ingreditur, nec fuſionem metallicam præſtent, ſed tantum vitrificatoriam, aut omninò nullam, ab arte ut omninò aliena repudiabuntur, id ipſum præcipiente Alphidio: Cave, inquit, fili, & à corporibus lapidibusque mortuis te ſepara, quoniam in eis nullum eſt iter, quia vita eorum non augetur, imò tendit ad nihilum, ſicut ſunt ſalia, auripigmenta, arſenicum, magneſia, marchaſita, thutia, & his ſimilia. Alij in ſulphure communi materiam lapidis præſupponunt. Cum enim philoſophi in materia Elixiris requirant homogeneitatem, fixionem, & tincturam, & hæc omnia in ſe contineat ſulphur, meritò lapidis materia aut pars illius cenſebitur, dicente Gebro: Sulphur habet homogeneam & fortiſſimam compoſitionem, & eſt uniformis ſubſtantiæ. Ibidem: Ipſum dat pondus completum unicuique metallorum, & ipſum fœditate depurat & illuſtrat. Et paulò poſt: Per Deum altiſſimum ipſum illuminat omne corpus, quoniam eſt lumen & tinctura. Item Pythagoras in

In lapidibus & gemmis.

In ſulphure.

Sum. perf.

ras in Turba: Aqua ſulphuris munda ex ſolo eſt ſulphure. Et Acſuboſon ibidem: Sulphura ſulphuribus continentur. Reſpondeo, Gebrum doctiſſime & acutiſſime, ut ſolet veritatem deſcribere, & miris verborum involucris eandem occultare, non ſecus ac is, qui ſub magno palearum acervo granum frumenti reconderet. Igitur non de communi & aduſtibili, ſed de philoſophorum ſulphure loquitur; Ideò addit ibidem, non utendum eo ſine magiſterio, quia ſine eo nihil horum præſtat, ſed corrumpit & denigrat. Et alibi, ubi de natura ſulphuris & arſenici loquitur, ſulphur habet in ſe duas cauſas corruptionis, inflammabilem ſubſtantiam & terream fæculentiam: per primam ipſius natura ſtare in igne non poteſt, quoniam comburit ſemper & comburitur, & nigredinem in omni opere præſtat. Per alteram verò neq; fuſionem habet neq; ingreſſionem, quoniam ſi fixum fuerit, prohibet fuſionē, & ipſum nunquam figitur, niſi prius calcinetur, cum verò calcinatur nullo modo funditur in artificio, quoniam in terrenam ſubſtantiam redigitur. Hæc Geber de ſulphure communi, ſicut etiam Arnald. & alij omnes, quod quantum à philoſophorum ſulphure diſtet, quilibet vel mediocriter in chemicis libris verſatus facilè conſiderat, cum illud argento vivo ſit planè extraneum; at iſtud ex intimis argenti vivi peſectorum corporum viſceribus petitum, nec eſt aliud quàm ignis ſimplex nec urens, vivus, vivificans alia corpora mortua, & ea maturans, & naturæ defectum ſupplens, cum ipſum ſit ſuperfluæ maturitatis, ſecundum quod in natura ſua eſt perfectum, ac per artificium magis depuratum. Senior: Satisfecerunt Sapientes hominibus cum dixerunt, ſulphur noſtrum non eſt ſulphur vulgi, quia ſulphur vulgi comburitur, ſed ſulphur ſapientum album comburit combuſtione albedinis & meliorationis.

Sum. perſ. cap. 85.

Reſ. part. 1. cap. 3.

Differentia ſulphuris vulgi & philoſophorum.

Cum igitur ex ſupra dictis omnibus lapidis materia elici non poſſit, conſequens videtur, ut argentum vivum, nobis eandem ſubminiſtret, quando ſola Mercurialis natura omnibus notis philoſophici lapidis materiæ reſpondeat. Argentum enim vivum ſolum cum ſit incombuſtibile & homogeneum, quia aut cum tota ſua ſubſtantia in igne manet, aut cum tota ſua ſubſtantia ab igne recedit, aduſtionis eſt ſalvativum, fuſionis effectivum, & corporum perfectivum; cum corpora illa minus comburantur, & majoris ſint perfectionis, quæ plus de ſua natura participant, & poſſident, quæ verò minus, minoris; affirmante etiam Avicenna: Ipſum ſolum recipere in ſe quod ſuæ naturæ eſt, & alienum reſpuere, & cum ſit metallicum, continere totum in ſe quo indigemus ad noſtrum magiſterium. Sed ne de argento vivo vulgari hæc intelligantur, obſtat illius fuga quæ ſiſti nō poteſt, niſi ſulphuris ſibi adjuncti virtute aut metallico vapore, dicentibus etiam Philoſophis, Mercurium ſuum non eſſe Mercurium vulgi. Adhuc cum imprimis

In argento vivo vulgari.

corpus ſolvendum aut calcinandum præcipiant philoſophi, neutrum in vulgare argentum vivum cadere poteſt, cum ſit totum aereum & ſpirituale. Igitur in corporibus Elixiris ſubſtantia quærenda: ſed ea ſunt aut perfecta aut imperfecta. Hæc autem cum perfectionem quam non habent, alijs dare non poſſint, cum ex ſulphure & argento vivo impuris, & parum aut nimium decoctis conſtent, & celeriter ab igne & alijs adurentibus comburantur, Elixir nobis ſubminiſtrare non poſſunt, ſubtilioris enim ſubſtantiæ & liquidioris fuſionis neceſſe eſt illud eſſe, quam ipſa corpora vulgi, & majoris fixionis, quam ſint in natura ſua. Impoſſibile etiam eſt, ut ait Arnald. non fixum figere, & immundum mundare, quia non invenitur in re quod in ea non fuit antea, nec aliquis dare poteſt quod non habet. Deinde ut ipſa Elixir fierent, oportet ea primum convertere in ſimilitudinem duorum corporum perfectorum, quod fruſtra fieret, cum habeamus duo corpora perfecta à natura facta. Nec obſtat quod philoſophi ſæpius corporis imperfecti aut immundi mentionem faciant. Veluti Morienes: Niſi corpus immundum mundaveris, & ipſum dealbatum reddideris, & animam in ipſum miſeris, nihil hujus magiſterij direxiſti. Item Aſtanus in Turba: Corpus imperfectum coloratur coloratione firma mediante fermento. Et Geber. Paſtam fermentandam extrahimus more ſolito ex imperfectis corporibus. Et ex hoc tradimus tibi regulam generalem, quod paſta alba extrahitur de Jove & Saturno, paſta verò rubea ex Venere, Saturno & Marte. Qui locus Gebri doctiſſimos viros multum torſit, ut exiſtimarent corpus ſive materiam lapidis ex imperfectis metallis petendam, formam verò ex auro & argento vulgaribus: cum tamen & materia & ejusdem forma ab una re ſola deſumenda ſint, materiam enim lapidis unicam & ſpecie & numero eſſe conſtat, quamvis poſtea in plures veluti rivulos ſpargatur, prout auctor eſt Morienes. Hoc magiſterium, inquit, ex una primum radice procedit, quæ poſtmodum in plures res expanditur, & iterum ad unum revertitur. Et Lilium: Anima, corpus, & ſpiritus ſimul ſunt, & una res eſt, in ſe habens omnia cui nihil extraneum introducitur. Haly: Unus eſt lapis ſuper quem non miſceas aliam rem; cum eo operantur ſapientes, & de eo exit cum quo medicatur, non commiſcetur cum eo aliud, nec in ejus parte, nec in toto. Quando igitur corporis imperfecti aut immundi meminerunt Philoſophi, aliud nihil quam terram ſuam intelligunt, cujus locuples teſtis mihi erit Arnaldus. Mercurius, inquit, cum terra conjungitur, id eſt, cum corpore imperfecto, quæ terra mater dicitur, ideo, quia terra eſt mater elementorum. Non quod ex corporibus vulgaribus, plumbo, ſtanno, ære aut ferro materiam fermentandam deſumi velint, ſed ex compoſito ſuo in terram verſo, quæ

In corporibus imperfectis.

Ros. part. 1. cap. 10.

Objectio.

Lib. fornacum cap. 9.

Lib. Sec. c. 9.

In fl. flor.

imper-

imperfecta adhuc eſt reſpectu perfectionis ultimæ ad quam illam perducere conantur philoſophi, & ratione tincturæ quæ illi ablata fuit, & poſtea redditur per artificium. Nec arguit è contra quod Geber expreſſe dicat paſtam albã extrahi debere ex Jove & Saturno, paſtam verò rubeam ex Venere, Saturno & Marte. Superius enim à me oſtenſum eſt, omnia metalla tam perfecta quam imperfecta in philoſophorum compoſito contineri, virtute & potentia & ſimilitudine quadam, prout etiam ex allegoria Comitis Bernardi patet. Cum itaque Elixir album non egrediatur terminos albedinis & fixionis lunaris, paſta ipſius ſive corpus dicitur extrahi ex metallis albis, & parum decoctis, Saturno videlicet & Jove, quæ fermentanda erit cum Luna, nam albedinem in opere cruditatis ſignum eſſe affirmant philoſophi. Unde Roſ. uſque ad albedinem non utimur igne forti, quia album crudum eſt, & ſemicoctum. Metallum autem crudum perfectum eſſe non poteſt. Arnald. Opus album eſt opus hyemis, rubeum verò æſtatis. Paſta verò rubea dicitur extrahi ex Venere, Saturno & Marte, quia rubedinem aut manifeſtam aut occultam in ſe habent hæc metalla, ad quam majore decoctionis calore compoſitum perducitur, quamvis adhuc imperfectum, quia nondum pervenit ad finem in quo completur, nec adeptum eſt formam qua perficitur, quæ eſt fermentum ſolare. Neque mirum cuiquam videri debet, ſi etiam de Saturno paſtam ſuam rubeam extrahi præcipiat Geber, quem rubedinem in ſe occultam habere demonſtrat minium quod ex ejus fit calce. Et Zenon in Turba: Hoc plumbum rubeum noſtri eſt operis. Sed hæc quidem dicta ſint ijs, qui Gebri auctoritatem ſalvam volunt, quem ego magis occultandæ veritatis ſtudio quam alia de cauſa talia ſcripſiſſe ſuſpicor, ſolitum pauculis veris plurima falſa immiſcere. Si verò extrahendi verbum hujusmodi interpretationem non admittere quiſpiam exiſtimet, is ſciat eadem ſignificatione id apud hujus artis doctores uſitatiſſimum eſſe. Regor. Signum bonitatis primæ decoctionis eſt ſui ruboris extractio, & in nigredinem converſio: non quod velit rubedinem extrahi, ſed tantum putrefieri & decoqui donec nigrum fiat. Et in Turba: In ventre nigredinis apparentis eſt albedo occulta, unde oportet albedinem illam ab ejus nigredine extrahere. Roſinus. Sapientes cum dicunt, accipite ſputum Lunæ gummamque ſimul liquefacite, cumque liquefiunt iſta, non juſſerunt rubea fieri, ſed flores tantummodo ex eorum ventribus extrahi. Cum igitur ex imperfectis metallis lapidis materia fruſtra petatur, ſupereſt ut ex perfectis ea proliciatur, hæc autem ſi de ſua perfectione alijs communicent, ipſa imperfecta manebunt, eo quod non poſſunt tingere niſi in quantum ſe extendunt. Si verò ea perficere velimus plus quam ſunt in natura ſua, neceſſe eſt ea in radice

In perfectu metallis.

magis mundari, cum oporteat elixir eſſe magis mundũ & purum, nec non ſubtilius, quam ſit ipſum aurum vel argentum. Sed ad eorum neceſſariam mundationem perveniri non poteſt propter fortiſſimã ipſorum compoſitionẽ naturalem, quæ niſi per corruptionem labefactari nõ poteſt. At quæ corruptio auro evenire poteſt, quod nec terra nec aqua alteratur, nec rebus comburentibus comburitur, cum in igne etiã melioretur, dicente Plinio: Auro omnium corporum nobiliſſimo nihil igne deperit, in incendijs rogisq; durante materia? Sed dicet aliquis: Cum nihil ſit ſub Lunari globo corruptionis expers, fieri non poteſt, quin etiam modus inveniatur aurum ipſum corrumpendi. Fateor, qui enim alioqui ſulphur & arg. vivum, & olea inde fieri poſſent, & ipſius deniq; color ſive tinctura, quam incomparabilis & ſummus arcanorum naturę ſcrutator Clariſs. Vir. D. Jo. Baptiſta Porta Neapolitanus noſtri ævi decus. in ſuo quem, de Magia naturali inſcripſit libro, quaſi digito demonſtravit? Sed aurum corrumpere ad generationem ſub conſervatione ſuæ formæ, hoc opus, hic labor eſt. Docent itaq; quidã ipſum cum argento vivo magno artis ſtudio elaborato commiſcere; eo namq; modo nec alio quopiam exaltari poteſt ultra perfectionem ſuam naturalem, ſed hoc non pervenit niſi ad artificem ſolertiſſimi ingenij. Quod tamen ſi fiat, jam plures res erunt, cum unitatem in ſuo opere commendent philoſophi. Deinde materiam ſuam vilem & parvi pretij eſſe affirmant, cum auro poſt gemmas pretium ſit maximum. Qui religioſiores paulò fuere in hac arte, docent aurum cum argento & Mercurio commiſcere, ut aurum ſit loco patris, argentum loco matris. Mercurius ſperma utriusque. Unde Hermes: Pater ejus eſt Sol, mater Luna, portavit eum ventus in ventre ſuo. Idem, Draco non moritur niſi cum fratre & ſorore ſua interficiatur, non per unum ſolum ſed per ambo ſimul, ſcilicet per Solem & Lunam. Et Avicenna: Conſulo ut non opereris niſi cum Mercurio, Sole, & Luna, iſtorum enim duorum corporum conjunctio eſt neceſſaria in hac arte ad album & ad rubeum. Et Morienes: Sine ſtultos quærere & quærendo errare circa quamlibet rem, quoniam ad propoſitum nõ pervenient donec Sol & Luna in unum corpus redigantur. Addunt etiam rationem: Quia ſi in lapide eſſet tantum alterum eorum, nunquam facilè flueret medicina, neque tincturam daret, & ſi daret, in fumum evolaret, quia non eſſet in eo receptaculum tincturæ. Sed qui manum operi adhibere volet, diligenter prius excutiat, quæ ſint illæ ſpecies & res quæ Sol & Luna a philoſophis nominantur, ne operam & oleum, ut eſt in proverbio, perdat.

Natural. hiſt. lib. 33. cap. 3.

Auri forma in opere corrumpi non debet.

In auro argento & Mercurio.

In tab. ſmaragd.

Hic locus me admonet, ut quoniam miranda quadam & non credenda de lapide ſuo prædicant philoſophi, quæ ſiniſtrè intellecta experientiæ deditum in varios & devios errores perducere poſſent,

Quare lapis omnis res dicatur.

poſſent, antequam ulterius progrediar, de ijs paucula interſeram, quæ non modo ſcitu jucunda, ſed & maximè utilia erunt omnibus veritatis ſtudioſis. Imprimis autem occurrit, philoſophos lapidem ſuum omnem rem dixiſſe, quod ideo fecerunt, ut ait Roſarius, quia omnia in ſe habet quibus indiget, & quæ ad ſui perfectionem neceſſaria ſunt. Quod verum eſſe teſtantur paſſim philoſophi, & imprimis Senior. Lapis Sapientum inquit in ipſo & ex ipſo perficitur, radix, & rami, & folia, & flores & fructus. Eſt enim ſicut arbor, cujus rami & folia & fructus ſunt ex ea, & per eam, & ad eam, & ipſe eſt totum, & ex ipſo eſt totum. Idem: Lapis ſapientum quem nominaverunt omnem rem, habet in ſe totum quo indiget ex corpore, ex ſole, ex aquis, ex ſpiritibus, ex animabus & tincturis. Omnibus etiam nominibus nominatur ut ait Roſarius ad ipſius occultationem, & propter naturæ ſuæ dignitatem, & propter diverſa ejus regimina, & mirabilem colorum varietatem in opere apparentium, & participationem omnium elementorum in eo exiſtentium. Pythagoras in Turba: Multis nominibus ipſum nuncupaverunt propter naturæ ſuæ excellentiam. Et Lilium: Quandoq; in lapidis operatione colores omnes quæ hodie in mundo ſunt & excogitari poſſunt apparent, & ſic ſecundum diverſos colores in opere apparentes diverſificantur ejus nomina per diverſos philoſophos. Eſt & alia ratio, quia ex omnibus quatuor elementis hic lapis perfectus eſt, quare cujuslibet rei elementatæ nomine appellatur. Eſt & tertia ratio ut inſipientes illum nō cognoſcant, hæc ille. Præterea dicunt philoſophi lapidem ſuum animalem, vegetabilem, & mineralem, non quod ex animalibus, vegetabilibus aut mineralibus indifferenter fieri poſſit, ut multi opinantur, & fruſtra in illis pecuniam & labores ſuos inſumunt. Sed animalem quidem propter animam quæ propriè homini animalium digniſſimo competit, ſi tamen fas eſt hominem inter animalia connumerari; quamvis anima à philpſophis his quoque ſicut & vegetabilibus tribuatur, ſed non eadem ratione. Bonellus in Turba: Æs noſtrum ſicut homo corpus habet & animam. Et propter ſanguinem, qui propriè in animalibus, quo ſubtracto moriuntur. Unde Lilium: Spiritus convertit corpus in ſpiritum tinctū, prout ſanguis eſt, quia quod ſpiritū habet, habet & ſanguinē Et Dardaris in Turba: Non utendum in toto regimine niſi aqua permanente, vis enim ejus eſt ſpiritualis ſanguis. Morienes: Quod corpora maximè coaptat, ſanguis eſt, nam illa vivificat atq; conjungit, & ex omnibus unum corpus efficit. Ariſt. Sanguis eſt anima, & anima eſt vita, & vita lapis noſter eſt. Non quod revera in eo ſit ſpiritus, anima, aut ſanguis, qualis in homine, ſed ſimilitudine quadam non ineleganti. Sicut enim homo per ſeparationē animæ à corpore mortuus dicitur, & remanet ipſius cadaver, ſtatuæ

In lib. de fig. & imaginib.

Cur omnibus nominib. vocetur rationes quinque.

Comparatio natura lapidis cum natura hominis.

potius ſimile quam homini: ita & in lapide ſeparata ipſius meliore & radicali eſſentia, quæ formam dat lapidi & tincturam, quæ eſt philoſophorum anima, remanebit materia quædam informis, quantum ad formam metallicam, quæ cum non ſit in cura naturæ nomen proprium non habet, dicente Moriene, omne corpus cum anima caruerit, tenebroſum & obſcurum erit. Et ſicut credimus in reſurrectione animam corpori reſtitutam iri, & corpora deinde perpetua fore & incorruptibilia: ita in hac arte, corpore per ignem & aquam regimine debito exanimato & purgato, anima ſua, id eſt, tinctura non aliunde ſed ex proprio corpore extracta illi redditur, ac tum primum induit colorem & formam metallicam, ſed illuſtiorem quam prius habuit. Quæ dixi communi ſapientum conſenſu vera eſſe productis eorundem ſententiis probabo. Hermes in Alleg. Sap. Spiritus è lapide extractus eſt albus, anima autem rubea, quibus ei redditis vivit & lætatur, quoniam decore, & lumine priſtino ornatur, hilaris eſt tunc maxime cum reſurrexit, quia non amplius moritur. Zion in Turba: Lapidis tinctura vita eſt quibus introit, detrimentum & mors à quibus extrahitur. Bonellus ibidem: Illa natura cui humiditas adempta eſt, cum per noctes dimittitur mortuo ſimilis videtur, & tunc illa natura igne indiget, quouſque corpus & illius ſpiritus in terram vertatur, & tunc fit pulvis mortuo ſimilis in ſuo tumulo. His peractis reddet ei Deus ſpiritum & animam, & omni infirmitate ablata confortatur illa res, & poſt corruptionem emendatur, quemadmodum homo poſt reſurrectionem fortior fit, & junior quam fuerat in hoc mundo. Roſinus: Spiritus & anima cum extrahuntur à corpore, corpus remanet mortuum, redde ſibi animam ſuam, & tunc vivit, & ſcias quod mortui reſuſcitati perpetui erunt. Et D. Thomas Aquinas. Superior pars lapidis eſt ſpiritus & anima quæ mortificatum lapidem vivificat & facit reſurgere. Senior Anima eſt præparator ſive rector corporis, & extractor, & ipſa eſt reductor ad corpus ſuum, quod vivificabit poſt mortem ſuam: Per hanc vitam poſtea nulla erit mors, propterea quod vita infunditur ſicut ſpiritus corpori. Quod autem anima ſive tinctura extrahatur non aliunde, ſed ex ſeipſo, & ex proprio corpore quamvis ex antedictis ſatis liqueat, tamen audiamus adhuc Menabadum in Turba: Corpus ait non poteſt tingere ſeipſum, niſi ſpiritus occultus extrahatur è ventre ejus, & fiat ſpiritualis tinctura. Lilium: Hoc ovum vitam quam habet ex ſe in generatione extrahit, non autem ab alio, vel ab alijs, ſed ex ejus ventre flores extrahuntur, & ſe ipſum germinare facit & quod eſt intus mittit foras, & quod eſt foris mittit intus. Idem: Natura naturam vincit mortificando corpus & vivificando, quoniam ex ipſo fuit, & in ipſum convertitur, & augmentatur. Comparatur etiam animalibus,

Ad Saratanam epiſcop.

In comment. ſuper tab. Her.

Nota maſculinum adjectivum propter actionem in materiam.

libus, propter aëris reſpirationem. Hinc Bonellus in Turba: Hominum inſpiratio ex aëre eſt, quæ ſibi poſt Deum vita eſt, ſimiliter æs humore inſpiratur, quo vitam ſuſcipiens multiplicatur & augmentatur ut cæteræ res. Atque hæc quidem de lapide animali. Vegetabilem vero dixerunt à ſimilitudine animæ vegetativæ, quæ tamen cum animalibus communis eſt, & dicitur vis quædam in viventibus convertens alimentum in ſubſtantiam aliti, ut ipſum in eſſe conſervet, ad quantitatem debitam provehat, & ſimilem in ſua ſpecie generare tribuat. Cum igitur hæ tres potentiæ: Nutritiva videlicet, augmentativa, & generativa, reperiantur in lapide, quamvis non plane eodem modo ſicut in vegetabilibus, non abſurda ratione vegetabilem nominarunt. Amplius, ſicut alendi vis ut ſuum munus obeat quatuor alijs ſubſervientibus facultatibus indiget, Attractiva videlicet, retentiva, digeſtiva & expulſiva, eadem in opere conſiderantur. Per attractivam enim, ſubſtantia lapidis de Mercurio attrahit id quo in artificio indiget, & quod ſibi familiare eſt, & hoc per virtutem elementativam implere cupiens vacuum. Per retentivam, ut coctionem retineat ratione vacui appetentis. Per digeſtivam retentum in ſimilitudinem ſubſtantiæ immutat, ut argentum vivum in ſubſtantiam ſulphuris coagulantis. Per expulſivam natura expellit quod ei convenit, non enim aqua, ut quidam ait in Turba, plus ponderis adjicit corpori, quam de humiditate metallina in ſe habet, quia humiditas aquæ tranſit, & metallina manet. Ne quis autem hæc mea putet eſſe figmenta, videat Raymundi Lullij codicillum, & teſtamentum ejuſdem cap. 32. Quod autem lapis creſcat & ſibi ſimile poſſit generare, quamvis probare non ſit neceſſe, cum is ſit finis & ſcopus totius ſtudij chemici, tamen aliquot philoſophorum dicta ea de re proponam, & imprimis Marſilij Ficini, qui in lib. ſuo de arte chemica ita loquitur: Lapidem partes innumeras poſſe tingere apud philoſophiæ conſultiſſimos ita decernitur: Quemcunque ſpiritum eſſe multiplicabilem, ſed nullum corpus; & cum lapis noſter factus ſit maxime volatilis, atque ut ita dicam ſpiritualis, totusque igneus, & per multijugas ſolutiones & coagulationes ſæpius repetitus, quidni crederes lapidem innumeras partes poſſe tingere? ſi emunctis naribus naturæ rationem ejusque dotes mirificas introrſum olfeceris; Quo plus enim ſolem ſolveris, & iterato coagulaveris, eo plus tinges. Quanto item plures feminas vir acceperit, eo plures habebit proles. Auctor quoque theſauri philoſ. ſic ait. Aqua ſapientum eſt ut granum tritici, nutritur enim & putrefit, & corrumpitur, deinde germinat, reſurgit & ſeipſum multiplicat. Et alius: Philoſophi volunt nutrire granum eorum metallicum donec vegetetur, & fructum adferat, tale quale ipſum eſt. Auctor etiam Dialogi Nat. & fil. phil. Lapis vel medicina quam

Quare lapis vegetabilis dicatur.

Quatuor facultates altrices in lapide.

Cap. 16.

Aurora conſurgens.

quæris pullulat & multiplicatur, quemadmodum granum fru-menti cadens in terram bonam, quum mortuum fuerit, multum fructum adfert: cum igitur corrumpitur multa alia grana inde producere poteris.

Cur lapis mineralis dicatur. Lapis mineralis dicitur ex eo quod materia ipſius aut res ex quibus componitur, & conſtituitur, ſint minerales & metallicæ, nec aliunde eſſe poſſunt, ſi metalla transmutata ſint. *Objectio.* Si quis allegat, eadem ratione lapidem vegetabilem aut animalem dici poſſe, quod ex vegetabilibus aut animalibus ejus ſit origo; *Solutio.* reſpondeo nullam ſubeſſe rationem, quinimo planè naturæ repugnare, ut metalla in animalibus aut vegetalibus inveniantur, cum illorum principio planè diverſa ſint & nullo modo ſimul miſceri queant, ut in igne perſeverent; & philoſophis ſufficiat ſimilitudo aliqua quamvis non in omnibus conveniens, ut quidvis lapidi ſuo attribuat. Nec eſt quod ſibi blanditur quiſpiam, eo quod argenti vivi fluxibilitas ſiſtatur ſuccis quarundam herbarum, & color quandoque illi coagulato & metallis imperfectis alius à naturali inducatur per res, quæ aut ab animalibus aut vegetabilibus ortum habent, cum extrinſece tantum agant, & non alte penetrent, nec inducant formam metallicam niſi corruptam, formam verò auri & argenti nunquam dare poſſunt. Veras autem eſſe rationes quas attuli cur lapis animalis, vegetabilis & mineralis dicatur, ipſimet Sapientes mihi teſtes erunt. Sic enim Roſinus: Recipe hunc lapidem animalem, id eſt, animam in ſe habentem, ſcilicet mercurialem, ſentientem præſentiam ac influentiam magneſiæ ſuæ, magnetis, & calaminarem, ac apicem per motum localem, proſequendo & fugando. Auctor quoque novi luminis: Oſtendit quaſdam animæ virtutes, movet & movetur, agit & patitur. Pergit Roſin: Vegetabilem, id eſt, vim ſuam in natura induam communicantem ſuo generi, multiplicantem virtutem influentiæ ſicut radix ſtipiti ſive herbis. *Cap. II.* Mineralem quia de minera extrahitur. Auctor viæ univerſalis. Philoſophi nominaverunt lapidem vegetabilem, quia vegetatur & creſcit. Animalem quia corpus habet, animam & ſpiritum, ut animalia. *Libr. de Nat. Solis & Lunæ.* Mineralem, quia res ex quibus componitur ſunt minerales, in natura ſua, Michael Scotus. Lapis dicitur mineralis, quia ex ſolis mineralibus fit, vegetabilis quia nutritur & augetur, quæ ſunt potentiæ vegetativæ, animalis quia odore reficitur, & fœtore corrumpitur, quod poſtremum tamen juxta verborum ſonum intelligendum non eſt. *Cap. I.* Auctor novi luminis. Hic eſt lapis qui in vertice montium invenitur & dicitur meritò mineralis. Animalis etiam fertur eſſe, quoniam animam habet, vegetabilis etiam dicitur quia vegetatur. *Philoſophis credendum.* Non eſt itaque quod alias rationes inquirant viri docti & alchemiæ ſectatores, credant Sapientibus & Magiſtris ſuis, ſi modo eorum diſcipuli eſſe deſide-

deſiderant. Nec timeant Elixir ex mineralibus compoſitum minus cōducere ſanitati, quam illud quod in vegetabilibus & mineralibus inquirunt, cum omnes tum philoſophi tum Medici eximias auri dotes & virtutes ſemper commendarint.

Elixir autem ſive lapis philoſophorum de quo nobis ſermo, nihil niſi aurum eſt, ſed millies auro vulgari pefectius: & ſi aurum non eſſet, alchemiæ ſtudium vanum eſſet, cum aurificandi principium ab auro procedere neceſſe ſit, ſicut ignificandi principium ab igne, neque enim imperfecta metalla in aurum transmutaret, niſi eſſet aurum; ſimile enim à ſuo ſimili generatur. Non nego quin ex melle, vino, & ſimilibus tam ex animalibus quam vegetabilibus deſumtis, Elixiria quædam fieri poſſint ad corpora humana præſervanda, & nonnunquam etiam ſananda; ſed ea nihil ad noſtrum Elixir de quo agimus, cui nullo modo comparanda ſunt, imò in metallica metamorphoſi etiam abdicanda, & pro inutilibus rejicienda. Si Philoſophi dicant aliquando lapidem ſuum recipere adjutorium ab alijs rebus, & nominent res extraneas, & à metalli natura alienas, tamen plerunque cum additione aliqua id faciunt, videlicet quædam eſſe magis propinqua quam alia. Et hoc eſt unum ex uſitatiſſimis ſophiſmatibus ſapientum in hac arte. Propterea tyronem Philoſophiæ profundæ rationis eſſe voluit Hermes. Exiſtimant præterea quidam lapidem ideò dici à philoſophis mineralem, animalem & vegetabilem, quod non ſolum humana corpora & metallica ad ſanitatem & verum temperamentum deducat, & in ea vim ac poteſtatem ſuam exerceat, ſed etiam in vegetabilia, quia ut ait Lullius, rectificat omnes plantas in tempore veris per ſuum magnum calorem. Nam ſi de ipſo grani milij quantitas in aqua diſſoluta fuerit, & poſita in circuitu ſtirpis vel vitis, vel in corde arboris, artificialiter naſcentur flores & folia, & fructificabunt menſe Majo. Quæ ratio quamvis non ſit inconveniens, tamen philoſophorum auctoritas majoris ſemper apud me ponderis erit, cum præſertim in ea aliquid plus energiæ & latentis doctrinæ deprehendatur, quam ut à quocunq; percipi poſſit. Cur vero lapidem ſuum in omni re & quocunq; loco inveniri dixerint, modo excutiamus. Oſtendi ſuperius ex varijs ſapientum dictis, lapidem philoſophorum conſtare Mercurio & ſulphure, ſive aqua & terra, quæ elementa in lapide maximè ſunt cōſpicua, utrumq; vero demonſtravi lapidem vocari. Cum itaq; nulla res corporea ſit quæ non conſtet aqua & terra, & nullus locus humido aut ſicco vacuus, meritò lapidem ſuum ubique reperibilem affirmant. Hermes: Ars noſtra duabus indiget naturis: Humido ſcilicet & ſicco. Et in Allegorijs Sap Duo lapides Sapientū in ripis ſunt, & cacumine montiū ventreq; fluminum, atque in parietibus domorum regalium, inveniuntur & in ſterçore ejecti; quibus

Elixir nil niſi aurum ſpirituale.

Sophiſma ſapientum.

Tract.

Pract. teſt. c. penult.

Cur lapis in omni re & ubiq; inveniri dicatur.

quibus verbis aliud nihil intelligi quam aquam & terram, ſive humidum & ſiccum, certum eſt. Sed quia ſpiritus ſive aqua prædominatur in opere, quoniam cum ea, & ex ea, & per eam totum magiſterium fit, hanc præcipuè hujus ſcientiæ doctores ubique inveniri dixerunt. Hinc Hermes: Secretum cujuslibet rei & vita in una eſt aqua, & hæc aqua eſt ſuſceptibilis nutrimenti, in hominibus & in alijs, & in aqua eſt maximum ſecretum: aqua enim eſt quæ fit in tritico frumentum, & in oliva oleum, & in quibusdam arboribus gummi & fructus diverſi, & principium generationis hominum eſt aqua. Hamuel in Seniore: Non eſt res in mundo quæ magis cognoſcitur quam lapis, unusquisque & omnis homo indiget eo, & eſt apud illum, non poteſt etiam eſſe ſine eo, intendit philoſophus, per omnia, quæ dicit, aquam; invenitur enim aqua omni loco, in vallibus, in montibus, & apud divitem & pauperem, robuſtum & debilem. Et Alphid: Cum dicit, Lapis noſter ex vili re eſt, in oculis hominum pretio carente, faſtidita, quam homines pedibus conculcant in vijs, & à qua ſe prolongant: quid aliud quam aquam intelligat? Auctor Conſ. conjugij maſſæ Solis & Lunæ, Lapis dicitur vilis quia nullius pretij in oculis ignorantis, & eſt cariſſimus, quia ſine eo non operatur natura, ſcilicet ſine humido, lapis enim philoſophorum aqueus & humidus eſt, humor autem viliſſimus. Et Rupeſciſſa: Natura ſeu materia lapidis eſt res vilis pretij ubique reperibilis, quia eſt aqua viſcoſa. Alij non aquam ſolam, ſed omnia elementa reſpexerunt, quæ in omnibus ſunt rebus. Hinc Comes Bernard: Cum Philoſophi dicunt quod lapis ex omni fit re, intelligunt ipſum fieri ex quatuor elementis, ex quibus fit omnis res generabilis, & corruptibilis. Et Roſarius: Ubique invenitur propter elementorum participationem. Roſinus: Ut homo ex quatuor elementis eſt compoſitus, ita & lapis, itaque lapis eſt in homine. Quidam humorem radicalem per hujusmodi dicta intelligi volunt, vel calorem omnibus rebus innatum: quælibet enim res mundi, id eſt, omne corpus elementatum habet in ſe calidum radicale ſeu formale cujus cauſſa perſiſtit, & non eſt res adeo frigida, quin foveatur ſub calido in ipſo incluſo tanquam radice. Nonnulli figurativè hæc interpretari malunt, inter quos eſt Marſ. Ficinus, ſed magis ut credo ingenij oſtentandi, aut velandæ veritatis ſtudio, quam quod ita ſentiant; ut cum dicatur lapis eſſe ubique, intelligatur eſſe in toto vitro, in omnibus rebus, id eſt in omnibus metallis, quæ res eorum ſunt, juxta illud Hermetis: Omnes res natæ ſunt ab una re; ubi D. Thomas & Hortulanus interpretantur res pro metallis; In omni tempore, ſcilicet ſui operis; In omni homine ſuæ complexionis. Lullius quodam loco voluit naturam conſiderari, ut videlicet lapis reperiatur in omni re in qua ſit per naturam, ſtultum enim eſt

In cla. phil.

Lib. Lucis.

Ad Thomam de Bononia.

Lib. de arte chem. c. 27.

In tab. ſmarag.

quærere aliquid quod in re non ſit. Et alius: Lapis philoſopho- *De intent.*
rum eſt in omnibus rebus in quibus nutritur. Et Senior: Hunc *Alch. c.3.*
lapidem dixerunt eſſe in omni re, & hoc eſt ex ſophiſmatibus ſa-
pientum. Certum eſt autem quod ſit in omni re præparationem
habente. Lullius quoque alibi dicit lapidem in omni loco inveniri *Teſt. c. 37.*
ratione ſuarum proprietatum. Quæ quamvis vera ſint, tamen
philoſophorum intentio non eſt alia quam in elementis, & præ-
ſertim aqua, prout dixi.

Enumeratis difficultatibus circa veræ materiæ cognitionem *Regiminis co-*
emergentibus, quæ totius artis clavis eſt, procedamus ad ejus præ- *gnitio neceſſa-*
parationem, & expendamus num in ea Sapientes ſint dilucidiores. *ria, ſed diffici-*
Nihil enim prodeſt ſcire unde conſtet lapis, niſi ſimiliter ejus præ- *lima.*
paratio innotuerit, quam difficilimam omnium rerum appella- *Lib. de fig. & imag.*
vit Senior: Et Baccen. in Turba dicit regimen ejus majus eſſe
quam ratione comprehendi queat. Mandinus ibid: Regendi i- *In cla. Sap.*
gnorantia plurimos errare fecit. Senior: Multi cognoſcunt lapi- *ma.*
dem noſtrum, & neſciunt virtutem ejus, ſed ſi virtutem ſcirent,
quid valeret niſi ſcirent operationem? Operationem autem ſci- *Teſt.cap.29.*
re non poſſunt, niſi per donum Dei, vel per doctrinam Magiſtri
qui eam doceat. Et Lullius: Nihil in hac ſcientia ſecretum, niſi
modus operis & operandi. Verum dixiſſe Lullium inveniemus, ſi
ſingulos præparationum modos & varietatem auctorum diligen-
tius excutiamus. Quidam enim ita ſuccincte lapidis regimen de- *Auctorũ va-*
ſcripſere, ut mera tradidiſſe ænigmata videantur. Sic enim Geber *rietas difficul-*
& Auctor perfecti magiſterij. Perfecta corporum & ſpirituum *tatem parit.*
præparatio eſt per ſuperflui remotionem & abſentis additionem.
Morienes: Opus nihil aliud eſt, quam exactio aquæ à terra, & ejus-
dem ſuper eam remiſſio. Lullius diverſos paſſim operationum
modos deſcribit, nam uno loco ſic ait: Duæ operationes ſunt *Teſt.c.33.*
tibi neceſſariæ, corruptio quæ facta ſit ſub ſuæ formæ conſerva-
tione, & generatio. Alibi ſic: Rarefactio & condenſatio eſt via *Teſt.c.26.*
originalis in elementorum transmutatione, in gradibus eorum.
Idem: De groſſo fac ſimplum, de ponderoſo leve, aſperum molli- *Ibi.c.24.*
fica, durum fac molle, amarum dulce, & habebis magiſterium.
Roſarius: Vivum occidite, & reſuſcitate mortuum. Alius: Sol-
ve, coagula, & tinge. Et Emiganus in Turba: Definitio artis eſt *Opus aureum.*
corporis liquefactio, & animæ à corpore ſeparatio, & animæ cor-
pori mundo conjunctio. Haly: Artificium majus fit per quatuor
magiſteria. Solvere, coagulare, albificare & rubificare. Philotis in *Libr. ſecret.*
Turba: Totum magiſterium eſt, ut ſuperius fiat inferius, & infe- *Aluh.c.4.*
rius ſuperius. Alius quidam præcipit dividere, mundare, & con-
gregare. Nonnulli diffuſius lapidis regimina deſcripſere, ſed non
clarius. Arnaldus enim & Lullius & alij quidam quatuor opera- *Efferarius Mo-*
torios modos aſſignant: Diſſolvere, abluere, congelare, fixare. *nachus.*

Auctor

Auctor Conſil conjug. Solis & Lunæ, vult calcinari, diſſolvi, coagulari, item calcinari, & incerari. Auctor perfecti magiſt. calcinari, ſolvi, deſtillari, & igne levi coagulari. Marſ. Ficinus primo componit, compoſitum putrefacit, putrefactum ſolvit, ſolutum dividit, diviſum mundat, mundatum unit, & ſic complet opus. Auct. Scalæ. P. & Riplæus Anglus, tradunt operationum modos duodecim: Calcinationem, ſolutionem, ſeparationem, conjunctionem, putrefactionem, congelationem, cibationem, ſublimationem, fermentationem, exaltationem, multiplicationem, projectionem. Geber. & Arnald. in flore fl. octo, ſublimationem, deſcenſionem, deſtillationem, calcinationem, ſolutionem, coagulationem, fixationem, creationem. Haly: Omnes operationes hujus artis ſub ſex continentur rebus, quæ ſunt fugare, fundere, incerare, dealbare, ſolvere, coagulare. Senior ſeptem docet diſpoſitiones, ſublimationem ſcilicet, calcinationem, ſolutionem, ablutionem, cerationem, coagulationem, fixionem. Avicenna totidem, ſed non eodem ordine, ſublimationem, ſolutionem, putrefactionem, ablutionem, coagulationem, calcinationem, fixionem. Alij alias, quas omnes non eſt opus in hunc locum conferre. Cum igitur auctores tantopere varient, & neceſſe ſit legentium animos diſtrahi tanta operum multitudine, quis confidat ſe lucem in tam denſis tenebris conſpecturum unquam? an non tanta diverſitas neceſſario difficultatem parit, dum unus ſolutionem primum operis gradum appellat, alter calcinationem, tertius ſublimationem dicit, & ſic in reliquis, ſi enim primus ordo variat, reliquos etiam variari neceſſe eſt. At ſi ſaltem in eiſdem regiminibus concordes eſſent, ſed ne id quidem, cum ſinguli ea definiant pro libito. Calcinatio enim cum dicatur rei per ignem pulveriſatio ex privatione ſuæ humiditatis partes conſolidantis: docent tamen nonnulli non igne, ſed aqua corpora ſua calcinare, inter quos Lullius. Sic enim ait: Calcinatio terræ non fit igne, ſicut Sophiſtæ credunt, ſed per proprium ſpiritum ſuum. Spiritus autem in hac arte appellatione nihil aliud quam aquam indicari ſupra dictum eſt. At qui poteſt eſſe diverſius, dum unus præcipit humiditate privari corpus, alius aquam jubeat addi? Idem de ſolutione judicandum, quæ cum definiatur rei ſiccæ in aquam reductio, quod non poteſt fieri niſi per unionem ſolventis & ſolvendi, ut videlicet corpus ſpiritus fiat, & ſpiritus corpus, tamen Arnaldus contrarium aſſerens, ſolvere inquit, eſt dividere corpora, quod nihil aliud eſt quam compoſiti partes ſeparare, & ex uno duo aut plura facere. Eadem ratione ſublimationem, quæ à Gebro & alijs definitur eſſe rei ſiccæ elevatio cum adhærentia ſui vaſis, & ab Avicenna, elevatio partium ſubtiliſſimarum à partibus fixis, alij affirmant nihil eſſe, niſi rei groſſæ ſubtiliationem to-

Sum. perf. cap. 38.

Libr. Secr. Alch. c. 13.

In clavi Sapma.

Diverſitas legentium animos confundit.

In apertorio.

Roſ. par. 1. cap. 1.

Lib. fl. flor.

nem totumque opus philoſophorum unica ſublimatione abſolvi. Sic enim Arnal. Aqua noſtra corpora ſublimat non ſublimatione vulgari, quam intelligunt phantaſtici, credentes, quod ſublimare ſit ſuperius aſcendere, vel elevare per ignem, ſed ſublimare philoſophis eſt ſubtiliare, mundare, defæcare. Sic in reliquis operationum modis maximè diſſentiunt, quos ſi diligentius examinare vellem prolixior fierem. Illud ſolum adjiciam, cum ex ſuperioribus pateat plura regimina operis deſcribi, nonnulli tamen repudiata in totum varietate unicam tantum decoctionem volunt, ad inſtar naturæ in locis minerarum, aut inſtar fœtus in utero; dicente Roſario: Quamvis ſæpè dicant philoſophi, impone vaſi ſuo & claude firmiter, tamen ſufficit ſemel imponere & claudere, donec totum magiſterium adimpleatur: quod amplius eſt à malo eſt. Lullius vero requirit tres graduales transmutationes, ſive potius digeſtiones, ad inſtar earum, quæ in humano corpore fiunt, quarum prima eſt in ſtomacho, ſecunda in hepate, tertia in venis, & partibus. Tanta igitur auctorum diverſitas non poteſt non niſi maximam caliginem operantium & ſtudentium oculis offundere. Sed tranſeamus ad pondera, & primo quantopere referat ea noviſſe audiamus ab ipſis magiſtris, quantumvis enim materia bene præparata fuerit, & bene miſta, niſi quantitates rerum ſint juſtæ, & ſecundum rationem, fruſtra laborat artifex. Auctor perfecti magiſt. Cave ne ad componendum accedas, antequam invenias componendorum pondera completa. Auctor dialogi Natu & fil. phil. Debita proportio eſt clavis omnium ſecretorum. Arnald. Omnia ſub termino definito & diſpoſitione certa ſubſiſtunt. Idcirco unicuique ponderi pondus, & omni menſuræ menſura opus eſt. Haly: Si quantitas ponderum diſconvenit in compoſito, partibus ejusdem naturæ tranſcendentibus per augmentum & diminutionem, deſtruitur cum ea proprietas compoſiti, & fit effectus ejus caſſus & vacuus. Chambar in Turba. Si conficias abſque pondere mora evenit, & malum putabitur. Rhaſis Qui ignoravit pondera non laboret in noſtris libris, philoſophi enim nihil ſuarum rerum poſuerunt, nec aliud occultaverunt niſi hoc. Vera dixiſſe Rhaſim deprehendent, qui in libris philoſophorum verſati ſunt; tantum enim in diverſa abeunt ut referre pudeat, & ſi non pudeat, tamen nō poſſim. Atqui ſi unicum tantum pondus ſolventis & ſolvendi dicerent, poſſemus utique conjectura aliqua id aſſequi, ſi non prima, ſaltem pluribus vicibus, ponendo tam varias partes in vitris, donec divina favente gratia id aſſequeremur, præſertim cum nihil referre videatur, ſi paulo plus aquæ addatur nec ne, exiſtimādum eſt enim ſi paulò plures aquæ partes addantur, corpus citius ſolvi, ſed tardius coagulari, at ſi pauciores, tardius quidem ſolvi, citius vero coagulari, ita

Teſt. c. 14.

Ponderum cognitio difficilima & imprimis neceſſaria.

Roſ. pars 2. cap. 24.

ut omnia in unum recidant; nec videntur philoſophi hac in parte duodecimam partem prætergredi. Geber enim & Marſ: Ficinus duodecim aquæ partes ſumunt, Comes Bernard. decem, Senior novem juxta numerum novem aquilarum. Hinc quidam: A novem uſque ad duodecim errare non potes. At Turba tres aquæ partes, unam corporis aſſumi affirmat. Alij plus minusve: Quidam ſuperfundi aquam jubent, ut tribus digitis ſupereemineat. Sed eſto, conſequutus ſit quiſpiam primum illud pondus, quod in corporis diſſolutione expetitur, quid de reliquis expectandum ſit, quæ in cōpoſitione depuratorū elementorum & tincturę additione requiruntur, non video; in ijs enim multo major varietas conſpicitur, nec enim ad duodecim aquæ aut terræ partes aſcendunt auctores, ſed ad quinquaginta & amplius. Dicit enim Arn. infunde aquam per vices conterendo, quoſque ipſa terra biberit de ſua aqua quinquageſimam ſui partem. Alij minus aquæ plus terræ aſſumunt, alij contra plus aquæ minus terræ capiendum aſſirmant, ita ut quis è tot & tantis ambagibus ſe extricare non valeat, præſertim ſi ad naturæ operationem reſpiciat, cujus arcana in combinatione ſulphuris & argenti vivi nulla inveſtigatione perquiri aut ſciri à nobis poſſunt. Huc accedit & alia difficultas, quod philoſophi non diſtinguant cum pondera præſcribunt, num ea in primo opere, ſecundo, tertio, & quarto aſſumi velint, ſed omnia confundentes, nunc de ſolutione corporis, nunc de elementorum conjunctione loquentes, aliquando vero de utroq; ſimul, partium proportiones debitas confundunt. Sed ſi ſaltem aquam & terram ponderandam dicerent quæ palpantur & videntur, jam cum velint etiam aërem & ignem librari, non poſſum non ponderum proportionem difficilimam judicare, & artificum multorum irritos labores & errores deflere. Proximum eſt ut de vaſe agamus in quo fit magiſterium, cujus notitia maxime neceſſaria eſt, cum ſit veluti matrix in animalibus, quæ in ea generantur & capiunt incrementum pariter & nutritionem; nihil enim materia aut ejusdem præparatio aut ponderum cognitio artificem juverint, niſi vas aptum habeat, in quo artis & naturæ operationes perficiat. Locus enim principium generationis, & locus generat locatum, nec refert, ut ait Albertus, utrum quid fiat in vaſis artificialibus, an in naturalibus; in utrisque enim, elementales & cæleſtes virtutes operantur, modo artificialia formentur ad modum naturalium. Unde Haly: Niſi res magiſterij inveniat vas ſibi idoneum, totum opus deſtruitur, & ejus operarij quæſitum non inveniunt, nec ipſa res prodit in effectum generationis, quia cum non invenerit cauſam ſuæ generationis ſive radicem, & ipſam caliditatem, contingit in operationibus caſus deſtructionis. Et Morienes: Si ſapientes antiqui & qui poſt eos fuere, ſuas expoſitiones de qualitate

Varietas Sap. in ponderibus.

Lib. fornacum cap. 19.

De arte che. cap. 19.

Roſ. part. 2. cap. 15.

Philoſophi cōfundunt pondera primi, ſecundi & tertij regiminis.

Vaſis cognitio quam ſit neceſſaria.

In præf. ſecre. Alch.

litate vaſis in quo conficitur magiſterium non inveniſſent, nunquam quisquam ad ejus perfectionem perveniſſet. Iſtud autem cum unicum dicant, ejus inventio non parum impedimenti inquirentibus adfert, neque veriſimile videtur in unico vaſe poſſe tam diverſa artis regimina exerceri, ſublimationem videlicet, calcinationem, deſtillationem, ſolutionem, incerationem & ſimilia. Aut igitur unicum eſſe non poteſt, aut tot rei præparationes nil niſi mera figmenta & verborum involucra merito cenſebuntur, niſi fortè aquam philoſophorum quis intelligat, quæ nonnunquam pro vaſe capitur. Unde Hermes: Vas philoſophorum eſt aqua eorum. Et Arnald. Lapis ut dicunt philoſophi fit in uno vaſe, & verum dicunt, nam totum magiſterium noſtrum fit cum aqua noſtra, & ex ea: nam ipſa corpora ſolvit, & calcinat, & in terram reducit, dealbat, & mundificat. Item alius: In aqua noſtra fiunt omnes modi operationum, ſcilicet ſublimatio, deſtillatio, ſolutio, calcinatio, fixio, in dicta aqua fiunt tanquam in vaſe artificiali. Sulphur item vas naturæ à Lullio quodam loco nominatur. Quamvis autem cum aqua fieri poſſe dicantur omnes operationes, tamen aquam ipſam vaſe quopiam cōtineri neceſſe eſt, in quo ſapientes plurimum diſcordant. A diverſis enim diverſa præſcribuntur, unus vitrum cum longo & ſtricto collo, ventre rotundo, alter cucurbitam cum alembico, tertius vas cum duabus cannis, quidam vas ſupra vas, nonnulli aludel ſive ſublimatorium præſcribunt & alia infinita. Plures non unum aliquod vas pro toto opere, ſed diverſa requirunt in ſingulis ejus regiminibus, ita ut tanta diverſitas maximæ difficultátis ſit index. Huc annumerandæ ſunt variæ etiam vaſorum formæ à ſimilitudine quadam tam rei quam ipſius operis deſumtæ. Sic enim vas ovum appellat Haly: Accipe inquit ovum, & igneo percute gladio, eſt enim ejus clauſura. Quidam etiam cribratorium & cribrum, quia in eo dividuntur partes, & mundantur, & in eo perficitur magiſterium. Senior: Cribra illud cribro & filo, id eſt, cucurbita & alembico. Et Mireris: Suo cribro ipſum ſepties cribrari oportet. Nonnulli marmor, quia in eo teritur philoſophorum materia, vas ſuum nominarunt. Dicitur etiam ſepulcrum. Unde in Turba: Effodiatur illi draconi ſepulcrum, & ſepeliatur illic mulier cum eo. Et id totum ad ejus occultationem, neque veriſimile eſt philoſophos id uſquam apertis verbis deſcripſiſſe, teſte Maria, quæ in hunc modum loquitur. Omnia docent philoſophi pręter vas Hermetis, quia illud eſt divum, & de ſapientia Domini gentibus occultatum: & illi qui illud ignorant, neſciunt regimen veritatis, propter vaſis Hermetis ignorantiam. Lilij auctor Senior dicit viſionem ejus magis quærendam quam ſcripturam. Non autem tantummodo à vaſis forma oritur difficultas, ſed etiam ab ejus quantitate, ne videlicet majus aut minus ſit

Aqua philoſophorum vas ipſorum. Lib. fl. flor.

Diverſitas Sap. in vaſe operis deſcribendo.

Difficultas in quantitate vaſis.

nus ſit quam æquum eſt. Si enim majus fuerit diſpergentur nimium lapidis vapores ſive ſpiritus ſubtiles, neque ad corpus ſuum revertentur. Sin minus fuerit, revolutio elementorum lapidis adimpleri non poterit, & germen ejus ſuffocabitur. Sicut enim per motum firmamenti fit revolutio elementorũ, per quam corpora ſubtilia nituntur ſuperius aſcendere, & quod ponderoſum eſt manet inferius, ſic quoque in opere peritorum chemicorum fieri aſſerunt philoſophi. In vaſis item clauſura non minima difficultas conſiſtit: ſunt enim in eo ſpiritus ſubtiliſſimi, qui ſi detenti non fuerint peribit magiſterium. Unde Roſarius. Conſerva vas & ligaturam ejus ut potens ſit in conſervatione ſpirituum. Certe ſi tantum unica eſſet in opere decoctio linearis & continua, ſufficere videretur vas oblongum, cujus collum ſtringi & candente ferro ſolidari poſſet, ſed cum ſublimari, deſtillari, & calcinari præcipiant, rationem non reperio, quomodo vapores aerei in vaſe contineri poſſint, quocumque etiam modo lutum aut colla præparetur, niſi vas poſt ſingulas operationes frangendum ſit, quod neceſſe non eſſe ſatis innuunt ſapientes, cum dicunt unico vaſe totum perfici magiſterium. Progrediamur ulterius ad ignem, ſine cujus cognitione omnis operatio artificum invalida eſt, cum commodum & incommodum hujus rei proveniat à commodo ignis, ut ait Haly. Et Plat. Ignis addit perfecto commodum & corrupto incommodum, ſeu corruptionem: unde cum fuerit ejus quantitas bona & idonea, perficiet, ſed cum multiplicaverit in rebus ultra modum, corrumpet ambo, ſc. perfectum & corruptum. Et Alphidius. Agens in hoc toto mundo eſt unum, ſcilicet calor, calore autem privato nullus eſt motus aut actus, ipſius enim diſpoſitionis radix calor eſt. Morienes: Maxima hujus operis efficacia in ſuo igne perpenditur, nam cum eo mineræ aptantur, & animæ in corporibus ſuis retinentur, ignis quoque eſt tota ejus natura, & perfecta probatio. Et: ſi ſciveris dare ignem, aqua & ignis tibi ſufficiunt. Maria. Totum regimen eſt in temperie ignis. Neceſſitatem cognitionis ignis recenſui; audiamus modo quam difficile ſit ignis regimen naturæ conveniens reperire, & perpendamus quid dicat Senior. Homines inquit qui operantur in iſta ſcientia, ſunt decepti magis in regimine ignis, quam in alia re, quia neſciverunt temperantiam ignis: multi enim ſciunt rem, ſed regimen ignis ignorant, in quo jacet tota perfectio. Hermes. Ignium ſcientia mirabile munus eſt. Sed interrogabit fortaſſe aliquis, quare ignoretur ignis regimen, cum ars naturam imitetur quantum poteſt; in mineralibus autem videmus viam quaſi linearem, calorem videlicet lentum & æqualem, quia metalla in penetralibus terræ excoquit, & ad perfectionem ducit, igitur cognita materia & ejus diſpoſitione & vaſe, ſi lento igne omnia regantur, philoſopho-

In clauſura.

Ignis cognitio neceſſaria.

Secr. Alch. cap. 8.

Quam difficilis ſit.

Tractat. 2.

ſophorum inde lapidem procreari neceſſe erit. Recte ſane quis ita ratiocinari poſſet, ſi ſemen lapidis purum & numeris omnibus abſolutum natura tradidiſſet, prout frumenti granum aut alterius vegetabilis ſemen, quod terræ commiſſum & ſolis calore fotum, cælique rore madefactum absque hominis adjutorio conſurgit in ſpeciem ſimilem ei unde habuit originem. Sed naturæ non eſt conceſſum à Deo, ut inquit Lullius, quod lapidem philoſophorum poſſit generare ſine ingenio & operatione manuũ humanarum. Ideo præcipiunt philoſophi lapidem corporea mole liberari, deinde mundari à ſuis ſuperfluitatibus, quod ut aſſequantur, varia deſcribunt regimina, quæ omnia igne tam lento fieri non poſſunt. Propterea nonnulli quatuor ignis gradus præcipuos tradunt, præteritis inter hos medijs. Et quamvis unico igne per omnia æquali Elixir perfici poſſet, difficile admodum judicare eſſet, unde ignis ille componi, & calor iſtiusmodi excitari poſſit, cum in eo maxime varient auctores: Quidam enim balnei calore, cinerum, aut arenæ, materiam ſuam continendam aſſerunt. Auctor Lilij ignem flammæ dicit adhibendum qui ſupra vas reverberet: Dracone, inquit, in vaſe poſito & ſepulto, ignis quinque fuſtium ſiccatorum in fovea fornacis accendatur, qui ſit continuus neque minuatur neque augeatur. Alphid. calorem fimi requirit. Sic enim ait: Igne coquere, eſt abſcondere in equorum ſtercore humido, quod eſt ſapientum ignis. Alij in vinaceis, ſerratura lignorum, ſtipulis, & carbonibus juniperinis calorem illum quærunt. Morienes ſtercus columbinum & folia olivarum laudat. Multi oleo, ſebo, butyro, aut aqua ardente ignem philoſophicum nutriendum putant. Hunc comparant calori hominis ſani, aut gallinæ ovis incubantis, aut calori Solis dum eſt in Ariete. Proinde Comes Bernardus æthereum quendam calorem deſcribit, vaporoſum, digerentem, continuum non violentum, ſubtilem, circundatum, aereum, clauſum, incomburentem, alterantem, penetrantem & vivum. Joan. Pontanus, cujus epiſtola practicæ Philippi de Rovillaſco præfixa eſt, mirabilem admodum ignem deſcribit, & qui vix à quopiam intelligatur, in hanc ſententiam. Mineralis eſt, æqualis eſt, continuus eſt, non vaporat, niſi nimium excitetur, de ſulphure participat, aliunde ſumitur quam à materia, omnia diruit, ſolvit & congelat, ſimiliter & calcinat & eſt artificialis ad inveniendum, eſt compendium ſine ſumtu aliquo, ſaltem parvo: & ignis ille eſt cum mediocri ignitione, qui omnes debitas ſublimationes facit, qui non comprehenditur niſi per ſolam & profundam cogitationem. Putarem ipſum aquam philoſophorum intelligere, quæ ſæpenumero ignis à ſapientibus nominatur. Sic enim Menardus & Dardaris in Turba, Argentum vivum eſt ignis corpora comburens & corpora mortificans magis quam

Teſt. c. 88.

Ignium varietas.

Aqua phi. ignis dicitur.

quam ignis. Et alius: Ignis quem tibi oſtendam eſt aqua. Sed obſtare videtur quod dicat aliunde ſumi quam à materia. Sic & terra Philoſophorum nonnunquam ignis dicitur. Unde auctor Scalæ philoſ. Scias quod aqua noſtra eſt oleum, & terra noſtra eſt ignis ſiccus. Quare cum ignoremus quem potiſſimum ex tot ignium generibus eligere debeamus, meritò tota ejus inquiſitio difficultatum pleniſſima erit: quas non mediocriter augent philoſophi dum de quatuor ignium generibus ſæpè loquuntur: Elementali videlicet, naturali, innaturali, & contra naturam, quorum cognitionem omnimodam artificem habere decet, antequam opus tenet De igne invenio hoc ænigma: Littus maris, non plenè combuſtus ſanguis hominis, & ſuccus uvæ rubeus eſt ignis noſter. Sub igne autem & furni ſecretum contineri manifeſtum eſt, cum ignis non niſi in furno idoneo fieri poſſit. Quod autem furnorum genera à philoſophis paſſim recenſeantur ex Gebro facilè colligi poteſt, qui ſolus ut alios auctores prætermittam, ſeptem enumerat, Calcinatorium videlicet, ſublimatorium, deſtillatorium, deſcenſorium, ſolutorium, & fixatorium; cum tamen unicam ſolam fornacem quærant, quam cum indicare volunt, proprio ipſius nomine cælato, furnum ſecretum appellant. Ex cujus augmento vel diminutione contingit ſimiliter artificem errare. Magna enim fornax magnum dat ignem, parvum vero parva, quemadmodum etiam ex ejus ſpiſſitudine vel tenuitate, ſpiſſa enim fornax condenſatum & fortem dat ignem, tenuis vero debilem. Spatioſa item reſpiracula clarum & magnum dant ignem, ſtricta debilem. Quapropter ut proportionem æqualem igni quem quærit inveniat, laborandum imprimis eſt artifici.

Quatuor ignium genera apud philoſophos.

Difficultas in fornace cognoſcenda.

Lib. fornacũ.

In temperatione fornacum.

Tempus nativitatis lapidis.

Supereſt, ut de ortu & nativitate lapidis aliquid dicam, & de ejus terminis, omnis enim actio naturalis cum ſuum habeat motum & tempus determinatum in quo perficiatur & terminetur majore vel minore temporis ſpatio, ut ait Philoſophus, neceſſario & lapis philoſophorum ſuum habebit tempus certum & determinatum intra quod oriatur & compleatur. Volunt autem Philoſophi ipſum naſci poſt accuratiſſimam elementorum ipſius mundationem, & ab omnibus inquinamentis depurationem in albedine quadam, quæ fulget candore admirabili vincens omnes mundi albedines, & ab igne fugiens & evaneſcens, niſi artifex decoctioni finem imponere ſciat, & in ipſa hora animam ei adjungere: exemplo fœtus in matrice, qui à principio conceptionis perficitur continuè uſque ad tempus partus, & tempore nativitatis perfectus eſt de ſe, & ſi tunc non egrediatur, ſuffocatur, & moritur, quia tunc eget auxilio expulſivæ virtutis: & cum ortus eſt, tunc eget ultimo perfici, quia motus ambulationis deficit ei, cognitio & loquela. Eodem modo lapis hic oritur perfectus per ſe, ſed

Quando naſci dicatur.

ſed deficit ei tinctura, & fixio ſtans, & conjunctio matrimonialis, ideo eget auxilio artificis extrahentis tunc ipſum ſtatim, & complentis eum, antequam evolet ab igne, aut antequam ſeneſcat & morbidus fiat. Hinc Morienes: Radix hujus ſcientiæ eſt in hora compoſitionis ſuæ. Et Alphidius. Omnis creatura poteſt augeri quouſque perficiatur, cum autem ad finem perfectionis devenerit, in detrimentum diminutionis tendit, vel deſcendit: per ejuſmodi viam iter ſuum dirigunt univerſa quæ in mundo ſunt. Simile etiam quippiam evenire videmus in ijs, quæ noſtræ ſubjacent voluntati, in coctione panis videlicet & confectionibus mellis & ſacchari, quæ cum fuerint in complemento ſuæ decoctionis, perfecta ſunt ab igne removenda, & ſi ulterius coquantur, comburuntur & deſtruuntur. *In cl. phil.*

Oportet itaque artificem attentum eſſe & vigilem, ut terminum in opere non tranſcendat, & ſequi conſilium auctoris Lilij, qui inquit, hoc opus teneas cum Hermete ut toties continuè iteretur, donec viſui pateſiat mutatio, ita quod operis viſio te doceat.

Hunc autem terminum nunquam niſi myſtice & obſcure admodum indicarunt philoſophi & conſulto variarunt, ne comprehendi aut cognoſci à quoquam verè poſſit, niſi per Dei gratiam & benignitatem, cum eo ignoto omnium prædictorū notitia nihil juvet. Quidam enim hunc terminum definiunt anno uno, juxta illud Platonis: Pauciores dies præparationis eſt circuitus luminaris majoris. Alij novem menſibus, quidam centum quinquaginta diebus, aut centum viginti, & etiam centum, nonnulli octuaginta aut ſeptuaginta, quin etiam quadraginta. Sunt & qui novem aut ſeptem diebus aut etiam tribus terminum hunc definiant, & alijs modis infinitis, cum tamen non ſit niſi unus terminus & dies, imò hora & momentum ut quidam volunt, in qua fiat totius operis perfectio aut annihilatio. Moyſes: Iſtud opus fit ita ſubito, ſicut veniunt nubes de cælo, ut inquit Hermes, & etiam in ictu oculi. Et Roſinus ſimiliter: Hoc opus fit in momento uno, & eſt ejus efficacia in purificatione lapidis ab unguentoſis ſuis, & alijs quæ impediunt virtutem ejus. Hujus termini cognoſcendi difficultatem & periculum innuens Mireris Mimenſidum ſic alloquitur: Si philoſophicè operaris, & terminum in ipſo opere non tranſcendis, benedictus bis eris, hoc ſi ſubito videris, admiratio, & terror & tremor tibi evenient, caute ergo operare. Et Plato: Cave ne in putrefactione pervenias ad terminum nocivum, ſi enim contraxerit opus in ſolutione moram, fortaſſe augmentabitur in corruptione, unde cave ab hoc. Et quidam in Turba: Omnibus à te ratione peractis, ſi dealbationem tamen ignoras, ſperatam amittis lætitiam. Et Alius ibidem: Si compoſitum

Terminorum in opere varietas.

In quartis ſive Stellicis.

Ad Eutychiam.

Libr. Secr. Alch. ca. 7.

ſitum pluſquam oportet regatur, lumen ejus à pelago ſumptum extinguitur. Item Haly. Lapis noſter eſt vita ei, qui ipſum ſcit & ejus factum: & qui neſciverit & non fecit, & non certificabitur quando naſcetur, aut putabit alium lapidem, jam paravit ſe morti, & pecuniam ſuam perditioni; quia niſi hunc lapidem honoratum cum germinaverit invenerit, non conſurget alius loco ſuo. Et Alphid. Cum iſte lapis dirigitur & ei forma perficitur, tunc eſt aptus operationi, antequam melancholia ſuper ipſum abundet, & antequam aër in eo gignatur & ſeneſcat. Hermes. Si ab anguſtia ipſum extraxeris, & in diebus tibi notis ratione rexeris, comes & conveniens tibi erit, tu vero dux eo decoraberis. At Arnaldus. Additamentum diſpoſitionis & præparamentum debent eſſe in magiſterio philoſophorum, & operantium, quia natura motum ſuum præterire non poterit. Certum namque tempus eſt quod ipſa habet ad imprægnandum, pariendum, nutriendum & operandum. Unde cum terram impregnatam habueris, expecta partum, cum vero peperit, nutrias eam quo uſque poſſit tolerare omnem ignem: Hanc difficultatem ortus lapidis non parum intendunt philoſophi, cum terminum hunc cum fine primæ & ultimæ decoctionis ſcienter confundunt, loquentes nunc de termino unius, nunc de fine alterius, ut legentium animos diſtrahant, & veram intentionem ipſorum non capiant. Unde bene nobis conſulit Parmenides in Turba, ut ad opus non accedamus niſi cognitis omnibus conditionibus lapidis & naturis, in hunc modum: Intendito noſcere imprimis, quid eſt quod naturam putrefaciat & renovet, & cujus ſit ſaporis, & quæ naturaliter habeat propinqua & longinqua, & quomodo ſe invicem diligant, & qualiter poſt amorem corruptio & inimicitia illis accidat, & qualiter illæ naturæ ſe complectantur invicem, & quomodo in igne lento concordes fiant: quibus notis & perceptis, manus veſtras operi applicate. Quod ſi dictas qualitates ignoratis, nolite huic operi appropinquare, quoniam totum eſt noxium, infortunium & triſtitia. Quare cum ea quæ ſupra diximus de lapidis materia, regimine, ponderibus, vaſe, & igne, ſint inventu & cognitu admodum difficilia, tempus autem præciſum nativitatis & ortus lapidis noſſe difficilimum, imo ut quidam volunt ſupernaturale & divinum, & merito tota ipſius praxis difficilima judicabitur. Habent autem & aliud ſecretum philoſophi, quod miris modis ab ipſis cælatum hic pertranſeo, cum nihil certi adhuc de eo compertum habeam, eo quod Lullius parciſſime de eo loquatur, alijs omnibus quos quidem ego legi tacentibus, excepto uno Seniore, aut interprete ejus Hamuele, qui idem arcanum unico verbo attingit. Videant igitur nunc & oculos tandem aperiant, & reſipiſcant, qui absq; librorum intellectu tam grave & difficile attentant opus. Valeant etiam

Clavi phi.

Tract. 2.

Natura lapidis cognoſcenda antequam artifex opus incipiat.

Secretum artis.

etiam qui lapidis opus ita leve & facile fingunt, ut quivis vel ruſticus & indoctus, modo fortunatus, ejus notitiam habere, aut fructum ex eo aliquem ſperare poſſit, cum intellectu præditis ſatis jam pateat illum neque caſu aut eventu, ſed nocturno diurnoque ſtudio & labore Dei gratia adjuto parari debere. Quocirca Lullius reddens rationem quare ita raro inveniatur, ſic ait. Homines ignorant naturam & naturalem illius commiſtionem & operationem, nec ſuccurrere poſſunt naturæ, ratione ſuæ ignorantiæ, quouſque per philoſophiam tranſierint univerſalem, quæ revelat eis res quæ illis erant abſconditæ atque ignotæ. Ideo lapis noſter eſt & non ruſticorum, & penitus noſtræ philoſophiæ, ſicut filius eſt patris qui illum genuit. Hactenus Lullius. *Quare tam raro perveniatur ad artem.*

QVARTA HVIVS LIBRI PARS ET VLTIMA, qua artem Chemicam cuique vitandam docet & concludit.

Satis ſuperque de tribus impedimentorum generibus ſcientiam hãc perdifficilem reddentibus ſuperius dixiſſe mihi videor, quibus tametſi maximis, ſi quiſpiam non moveatur, aut à propoſito revocetur, ſed ſuo confidens ingenio & judicio porro ire pergat, & ſperet per induſtriam ſuam obſtacula omnia removeri aut ſuperari poſſe, & ad intentionem ſuam pervenire, is aliorum exemplo cautior evadat, & tanquam è ſpecula adſpiciat irrita ſtudia doctiſſimorum hominum, qui libros hac de arte ediderunt. Pertractet Jo. Braceſchi opuſcula, & in eundem animadverſiones Tauladani, videat Laurentij Venturæ de arte Chemica librum, qui gloriatur ſe ducenta quinquaginta volumina hujus ſcientiæ in bibliothecam illuſtriſs. Comitis Palatini intuliſſe, & præter illa quinquaginta adhuc alia habere; & videbit pudendos & prodigioſos iſtorum errores, ut interim taceam de illis qui noſtra ætate Roſarium Arnoldi de Villa nova, & Chemicos Paracelſi libellos declarandos & elucidandos ſuſcepere, qui ſe paraphraſtas, & interpretes fateri non erubeſcunt eorum, quos non intelligunt. Sed ſicut iſtorum dementia riſum, ita aliorum fruſtrati labores miſericordiam demerentur, qui cum doctrina & eruditione claruerint, nec laborib. aut ſumtibus pepercerint in perſcrutandis metallorum arcanis, tamen ab ijs veritas abſcōdita fuit voluntate proculdubio omnipotentis Dei, qui hominum ſcrutatur corda & renes, magno ſane omnibus qui hanc artem inconſulte ſectantur exemplo. Si enim tam doctos & præclaros viros, quibus diverſorum auctorum libri nō defuere, hujus artis practica, imo ipſa materia latuit, quid mihi aut mei ſimilibus ſperandum eſt, qui ingenio & eruditione minus valemus, quibus etiam ne libri quidem, quod in hac maximū eſt, niſi pauciſſimi reſpectu eorum quos ſe dicit habuiſſe Ventura ad manum

Doctos multos viros non perveniſſe ad artis notitiam.

Exemplū ab aliis capiendum.

manum ſunt? Quid poſtremò exſpectandum illis, qui muſas ne à limine quidem ſalutarunt, qui neque radices mineralium neq; generationis modum callent? neque unquam naturæ abſcondita inveſtigare curarunt, ſed tantummodò avaritia vel ambitione, aut ſimilibus pravis affectibus inducti, ad has epulas illotis properant manibus tanquam pecudes ad pabulum. Profectò tam facilem illis artem judico, quam ſi manibus ſuis ſtellas cælo detrahere conarentur. Proinde mirum non eſt, ſi malis principijs innitentes, pejorem ſortiantur finem, cum decoctis bonis ſenectutem in mœrore & inopia agere cogantur, & metamorphoſim quam in metallis expectabant, in ſe ipſis experiantur, in quos non inſulſe illud detorqueri poſſet; Quod habuerunt, ſcilicet divitias, amiſerunt, quod non amiſerunt habent, paupertatem ſcilicet & miſeriam. Deinde cùm pauciſſimis hujus artis notitia contingat, idque ſolius Dei beneficiò & miſericordia, cujus voluntas nobis inexplorata eſt, & cujus potius judicia timere debemus, nec quicquam de nobis præſumere, cumque tempus quo in hoc ſeculo verſamur adeò breve ſit & precioſum ut nullis opibus reſarciri queat, malè admodum ſibi conſulit, qui incertos & ancipites eventus certis & ſecuris anteponit. Quin potius Theologiam, Jurisprudentiam, medicinam, architecturam, aut ſimilia ſectetur, in quibus vel mediocria ingenia ita proficere poſſunt, ut alios conſilio, opera vel re juvare, ſibi nomen & famam divitias & honores parare, aut ſaltem familiæ providere poſſint. Neque enim quispiam à Repub. aut munijs quibuscunq; obeundis arcetur, etiamſi ſummum ſuæ facultatis aut ſcientiæ apicem non attigerit, quod rariſſime evenit: neque enim omnes Theologi D. Auguſtino & Thomæ Aquinati, Jurisperiti Papiniano aut Bartholo, medici Hippocrati aut Galeno, Architecti Proclo vel Archimedi doctrina ſcientiave aut experimentis pares ſunt, nihilominus tamen & hodiè in precio ſunt quamplurimi diverſis inter ſe eruditionis gradibus diſtincti in eiſdem facultatibus, nec eſt quod eos temporis amiſſi ut male collocati pœniteat. At in Chemica arte planè contrarium venit, quam monti cuidam altiſſimo comparare ſoleo à parte ſeptentrionali præcipiti & prærupto, ab auſtrali leviter declivi, qui duas regiones diſcriminet, quarum altera borealis rariſſime illuſtrata, ſed nube plerunque opaca & denſa caligine operta, ventis validiſſimis perflata, ſylvis horrida, ſentibus & dumetis aſpera, ſemitam nullam ſed ſolum omne luto, aut nive glacieque impeditum habet, nihilq; producat quod vel ad ſolatium ſit hominis aut neceſſitatem. Altera contra meridionalis totos dies ſole illuſtretur, aura ſuaviſſima ventiletur, collibus vitiferis, arboribusque omnium pomorum feracibus diſtinguatur, fontibus & rivulis ſuaviter decurrentibus irrigetur, pratis longe viridantibus & mille florum

Indoctos ab arte omnino excludi.

Propter finem & eventū incertum, artē cuiq; vitandam.

Comparatio.

florum generibus diſtinctis, ædibusque pulcherrimis, & umbraculis adornata ſit, demum quicquid ad bene beateque in hoc mundo vivendum deſiderari poſſit, ibi cumulatiſſime reperiatur, ſed ad quam aditus non detur niſi per montem. Qui Chemica ſectari inſtituit, is imprudenter & ſine conſilio regionem ſeptentrioni expoſitam ingreditur, & in maximas difficultates ſeipſum præcipitat: cuperet oblectamentis alterius regionis auſtralis perfrui, ſed viam tritam non invenit, lutum veſtigia abſorbet, nix & glacies lubricitate fallunt, ſpinæ & vepres pungunt, tandem præruptus & ſaxoſus mons impedit, quo minus ad culmen aſcendat. Quid faciat? fruſtra cælum votis & ſuſpirijs fatiget, ni arrepta ſecuri vi & maximo labore arbores & dumeta excindat, ſaxa ferro & igni diſrumpat, viamque ſibi inter ea aperiat. Aut ſi Deus & aſtra illi faveant, e ſummo montis faſtigio ſcalam quiſpiam aut funem dimittat, quo ſurſum attractus, deſuper voluptatis hortum aſpiciat, & tandem plenis manibus fructus carpat, famem ſatiet, ſitimque reſtinguat, & poſt exantlatos duriſſimos labores, exoptatiſſima quiete potiatur. Sed quotus quiſque eſt qui aſtra ita benigna habeat, vel aliena opera montem aſcendat? quis enim audeat manum alteri porrigere, niſi fide, conſtantia, munificentia in pauperes, & vitæ ſanctimonia conſpicuo, quem non arrogantem, non ambitioſum, ſed humilem & manſuetum, non ſuæ ſed Dei gloriæ ſtudioſum jamdudum multis factis periculis ſit expertus. Opus eſt igitur ut quisquis illam regionem inconſulte ingreſſus eſt, retrorſum pedem moveat, aut ſi ulterius pergere volet, ſolitudinem ne timeat, adverſus ventum veſtigia firmet, frigora veſte duplici & pellibus ſuffulta, alijsq; fomentis arceat, ocreas tibijs propter lutum adaptet, baculo ferrata cuſpide greſſum in glacie fulciat, & tandem in monte gradus ſibi paret, ſuoque Marte ad ipſius cacumen aſcendat. Quod ni fecerit, omni fructu laborum ſuorum privabitur, timendumque eſt, ne vel per abrupta montis tandem cadat, & debilitatis artubus vel membris mutiletur, aut cœnoſa voragine hauriatur, vel profunda nive glacieque detineatur, aut ſentibus laceretur, aut fame, frigore & ſiti vitam miſere finiat In alijs facultatibus & ſcientijs nemo fruſtra laborat aut ingenium exercet, & ſi non ſummum ſaltem aliquem inter ſuos gradum meretur. Chemica vero qui tractat, niſi imperfectorum metallorum in aurum & argentum metamorphoſin vere calleat, qui artis eſt finis & totius ſtudij periodus, fruſtra ætatem ſuam trivit, temporiſque inconſulte amiſſi pœnitentiam aget. Quis igitur niſi imprudens, loquor autem non principibus & magnatibus, quibus parum decedit, ſi centenos aliquot aureos quotannis in re honeſtiſſima & pulcherrima jucundiſſimaque, ſi ratione & conſilio omnia fiant, impendant, ſed meæ conditionis hominibus, quis inquam dubia ſectetur, vnde nil niſi

Impedimenta Chemiſtarum.

Labore & ſtudio viam ad ſcientiam parari.

Rariſſime evenire ut aliena doctrina quis artem aſſequatur.

Artifici cito retrogradiendum aut conſtanter operi inſiſtendum.

Impedimenta omnia primũ removenda.

Chemiſtarum ſtudium omne inane, niſi plenam artem adipiſcantur.

temporis & operæ diſpendium, egeſtatem & inopiam ſperet & non potius ea unde certa præmia, honor, divitiæ, favor inter ſuos & admiratio expectantur? Quid ſtultius quàm ea inquirere, quæ poſtquam maximo labore & impenſis non vulgaribus adeptus ſis, ne audes quidem evulgare? quam miſeram vitam tuam fore exiſtimas cum in ſumma fortuna fortunam deſideres, & ne id poſſis quod velis, compedes tibi injectas ſenties, ut merito cum Horatio dicere poſſis.

Vita miſera eorum quibus felicitas damno cedit.

Quo mihi fortunam, ſi non conceditur uti?

At poteris alijs bene facere; ſplendidum id quidem & magnificum, ſed ne hoc quidẽ, niſi occulte. Deinde ut alijs ſis amicus, tibi inimicus eris, ut alios promoveas, teipſum deprimes, & ancipiti fortunæ committes, animo inter ſpem & metum ſemper ſuſpenſus, ut alijs dones, tua prius inſumes, floridam juventutem perdes, & in imum deſperationis barathrum te conjicies? cum ne gratia quidem ulla ab ingratis affinibus, conſanguineis & amicis expectanda ſit, exiſtimantibus te non ex amore ſed abundantia, & parca admodum manu largiri cum poſſis largiſſima, ſi tamen voto potitus ſis; ſin autem, nemo tibi vel teruntium reddet, etiamſi omnia tua inſumpſeris, quinimo rideberis & ludibriis omnium expoſitus contabeſces. Et cum ne unus quidem è decem millibus qui Chemica tractant propoſitum ſibi finem conſequatur, an non potius timendum eſt, ne cum decem millibus operam ludas, quam cum unico illo rem quæſitam obtineas? Quare omnes & ſingulos amice rogatos & monitos velim, ut Alchemiam tanquam peſtem & carcinoma aliquod evitent, ſerpit enim ubi ſemel admiſeris, & interiora hominis depaſcitur, rodit animum, nec quietem admittit ſpe ingentium bonorum, quæ non ſecus atque metus mali vitam humanam non ſolum difficilem & laborioſam reddit, ſed ſenectutem accelerat & mortem. Spes quæ differtur, inquit ſapiens, affligit animam; id ſi in alijs verum in hac certè arte veriſſimum. Quis jam enumeret morbos, quos fumi, fœtores, argenti vivi crudi & ſublimati exhalationes reliquorumq; venenatorum attractiones, diutinæ vigiliæ, labores quotidiani Chemiſtarũ corporibus adferunt? quis uſtiones ex aquis fortibus aut candentibus metallis, quis animi tædia referat, dum aliter atque præſumunt ſpes ſuas in irritum cadere proſpiciunt. Quis innumeros ſumptus breviter perſtringat, dum hinc vitra, illinc ollæ ferreæ, inde catini aut argilla igni valido reſiſtens, argentum vivum, marchaſitæ auri & argenti aliorumque metallorum, & ſimilia ex ipſis venis maximo terrarum ſpacio diſtantibus petuntur, nebulones, frugiperdæ & ſycophantæ ut fallant, ultro etiam ex aliis provincijs & transalpinis accerſuntur. Omitto infamiam quæ hos auripetas plerumq; comitatur, & dubia de illis hominum judicia, dum quiſ-

Sibi quiſque potius amicus ſit, quam cuivis.

Ingratis nihil quicquam ſatis.

Spes rariſſime contingentiũ fallax.

Cur Alchemiæ ſtudiũ vitandum.

Alchemia inquietum hominẽ reddit.

Proverb. 13.

Morbos creat & alia animi & corporis incommoda.

Magno conſtat.

Odioſum & infamem reddit.

quiſque ut ſentit de illis loquitur, hic impoſtorem, ille falſarium, & monetæ adulteratorem ſuſpicatur: qui minus male, ſuarum rerum prodigum & male ſibi conſulentem, & ad egeſtatem ſponte properantē affirmant, multi etiam miſerentur, tanquam de ipſius ſalute conclamatum eſſet. Sed ante dicta quanquam ab Alchimiæ veræ ſectatoribus tantum abſint, quantum cælum à terra, nec in philoſophantem & naturæ arcana callide perquirentem cadere poſſint, cum is nec multis nec etiam pretioſis indigeat, nec opus ſit ut aliunde petat quæ ubique venalia inveniuntur, neque illi periculum ſit à vaporibus aut fumis, tamen antequam eo perveniat, ut philoſophorum ſcripta intelligat, materiam artis & ejus regimen & cætera neceſſaria ſciat, multa dum tentare, plurima expendere contingit, neque omnino forte ab exhalationibus tutus eſſe poterit; neque vulgi judicia ſubterfugere, ut ſileam interim nonnullos probos & doctos alioqui viros, qui audito Alchemiſtæ nomine non ſecus atque viſa crudeli aliqua fera inhorreſcunt, & quodammodo contremiſcunt, & antequam norint impoſtorem judicant. Adeo hæc ars omnium digniſſima non ſine omnipotentis Dei judicio vilis & improba judicatur. Quod quamvis primum incipientibus difficile & injurium videatur, tamen procedente tempore cum philoſophorum dicta obſcura intelligere & deguſtare incipiunt, & nonnulli eorum quamvis pauciſſimi ad propoſitum perveniunt, tum demum in ſinu gaudent, non tam ob auri argentique ſpem aut copiam, quàm quod ars impoſſibilis & vana ab alijs judicetur, ridentque occulte pridem irriſi aliorum vecordiam & improbitatem, cum ſecure etiam ſi quæ ſuſpicio oborta ſit divinæ in eos collatæ gratiæ hominum loquacitatem contemnere poſſint, provocando ad majorem illorum partem. Quid? dicerent, putaſnè hunc ſi tantis divitijs afflueret, non hæc aut illa acturum? familiam numeroſam aleret, emeret, ædificaret, pompoſe veſtitus ſervorum cohorte comitatus incederet, & magnū quippiam moliretur. Rectè ſanè, ſi omnes eodem eſſent animo, niſi & olim & noſtra etiamnum hodie ferret ætas tales, qui moderate divitias ferre, nec propter illas ſeſe extollere, arrogantiam, pompas, & cætera mundi vana faſtidire, & ſecuram ſemper & ubique continentiam, humilitatemque nullis undarum fluctibus agitatam amplecti didiciſſent. Sciant hi qui tam diverſa meditantur, hanc artem à Deo non niſi pauperibus ſpiritu dari. Sic enim Alphidius. Hanc artem rationabilibus filijs Adæ, deinde pauperibus propriam tribuit Deus. Audiant Beatum Thomam dicentem, hæc ars invenit hominem ſanctum, aut reddit hominem ſanctum non quidem per ſe, ſed quod fieri non poſſit, quin ſe ante faciem Dei proſternat & humiliter, & ei immortales gratias agat, qui tantum theſaurum & ſapientiam pauciſſimis datam

Differentia veræ Alchemiæ à falſa.

Non ſine Dei judicio artem vilipendi.

Vana hominū judicia.

Ars quib. propria.

datam ſola Dei miſericordia conſequutus ſit. Itaque nihil mirum ſi ſeſe intra rationis limites contineat, & tantum meditetur ſui negligens quæ ad DEI gloriam, & proximorum charitatem ſpectant. Et quare tandem in vulgus efferat, quæ ſibi mox ſint obſutura.

Non vulganda quæ auctori ſuo noceri poſſunt.

Hiſtoria Bragadini.

Vulgo nota ſunt quæ pauciſſimis ab hinc annis Bragadino evenerunt, qui cum Venetijs metalla vilia in aurum transmutandi artem profeſſus eſſet, & à populo per excellentiam magnus Alchemiſta vocaretur, adijt eum Toparcha Picolomineus proſcriptus à quibusdam Italiæ principibus, petit mutuum triginta aureorum millia: & cupit imprudenter edoceri præterea artem, unde tantum ſibi paret poſthac quantum velit. Bragadinus pavore exanimis cum nec haberet quantum ille peteret, & multo minus artem calleret, nihil tamen ob ejus crudelitatam & temeritatem negare auſus, promittit utrunque: ſed cum differt & tergiverſatur, nunc hæc, nunc illa excuſando, alter acrius inſtare & mortem minari ni promiſſum exolvat, nec enim ſe rideri à quoquam velle aut parvipendi. Cogitur itaque ſtipatorum caterva ſe munire adverſus inſidiantis ferociam quod tamen ipſi parum profuiſſet, niſi ſui immemor dum alteri laqueum tradit Picolomineus ipſemet in caſſes incidiſſet, & captus fuiſſet. Evaſit tum Bragadinus pejori ſorti ſuæ reſervatus. Poſſet tamen contingere fortaſſe ut eadem ars ad indignos aliquãdo deveniret, quos ad aliorũ exemplum Deus non ſerus vindex atrociter puniat, qui æquè bonis & malis utitur ad nolninis ſui gloriam. Accepi à nobili quodam viro noſtra hac ætate monachum quendam Italum hac arte confiſum religioni & ordini ſuo renunciaſſe, & in Germaniam veniſſe ut liberius viveret, cucullam & aſpera monaſteriorum deteſtatum: ſed dum incautius ſe gerit, duos in intimam ipſius familiaritatem ſeſe inſinuaſſe, à quibus poſtea in ſylva quadam ex itinere maximo ſcelere trucidatus ſit, quorum alter pulverem apud monachum repertum pro ſuo diverſis principibus & magnatibus oſtenderit, & mille impoſturis ſub falſo ſcientiæ nomine homines illuſerit. Quis itaq; horum duorum exemplo non ſibi caveat, ſecretumque ſuum occultet, quod propalatum aut mortem aut ad minimum perpetuum metum, & ſpontaneum exilium procul à patria & ſuis adferat. Multis jam dudum controverſiis inter philoſophos antiquos agitatum fuit, quid eſſet ſummum bonum dum alius virtutem, alius gloriam, voluptatem, dolorum abſentiam, ſanitatem, fortitudinem, animi ſecuritatem, & ſimilia in cælum laudibus vehit. Non dubitandum ſane eſt, quin maxima eorum pars ſi lapidis philoſophici notitiam aliquam habuiſſent hunc omnibus antedictis, cæteriſque in mundo rebus prætuliſſent, cum eo divitiæ immenſæ, & omnia quæ auro & pecunia parantur haberi,

Aliorum periculo potius diſcendum quam ſuo.

Diſputatio antiquorum de ſummo bono.

beri, morbi propelli, & ſanitas conſervari poſſit. Si enim expertis & ſua cuique in arte credendum eſt, cum unanimiter auctores tradant elixir iſtud corpus humanum ad verum temperamentum reducere (intelligo in diſpoſitis) ſublimem memoriam, hilaritatem perpetuam, ſi violentiam externam excipias, prudentiam & audaciam conciliare; quid ni credendum ſit organum ita diſpoſitum virtutibus varijs, omnibusque fere ut ita dicam corporis & animi bonis efflorere poſſe? Sed quis ſummum bonum judicet id, cujus adeptio tam anceps, & poſtquam adeptus ſis, ne audeas quidem evulgare, niſi inſidijs undique peti, & mille periculis exponi velis, aut in perpetuo metu & terrore verſari. Qui antiquitus eximium quid conſecuti ſunt gaudebant videri & cognoſci, & fama ſui frui dum viverent; Hæc ſola ſcientia gaudet in tenebris, & latibula quærit, nec caput niſi poſt mortem audet exerere: nec id quidem niſi libello aliquo conſcripto, & apud amicos depoſito, quo fortunam ſuam poſteris, & præſertim Chemiæ ſtudioſis teſtatam volunt, quos eo munere dignatur ſummus Deus. Cum gloria in cæteris hominum actionibus & ſcientijs ſummum calcar ſit ad ardua aſpirantibus, in hac arte impedimentum potius adferre, animi vigorem retundere, & feliciter cœpto itinere quemcunque poſſet avocare. Ac ne divitias quidem ſummas probus quisque qui felicitatem ſuam cælo & Dei amore metitur, expetere deberet, cum difficillimum ſit animo temperare in ſumma fortuna, & ab injurijs aliorum abſtinere, aut ea non facere quæ reprehenſionem & culpam in hoc mundo, & in venturo ſeculo pœnam æternam mereantur. Cum igitur hæc ſcientia quamvis præcellens tantopere ſit incerta propter impedimenta & difficultates ſuperius enarratas, ut vix quispiam vel ſperare illam audeat niſi inconſulte admodum & temere, cum infiniti rem & tempus miſere perdant, & hominum ludibriis ſeſe opponant, morbos & egeſtatem ſibi ultro accerſant, & ſenium accelerent: denique cum ars adepta tantum periculorum ſecum vehat, iterum conſulo omnibus, juvenibus præſertim & mediocris fortunæ hominibus, ut quisque famæ ſuæ & ſalutis curam habeat, nec hanc ſemitam terat aut ingrediatur, aut ut ingreſſus mox pedem retrahat, ne ſero nimium cum multis ſapiat, & ſtultitiæ ſuæ tarde & nihil profutura pœnitentia pœnas luat.

Elixiris miræ proprietates.

Beatus eſſe in perpetuo timore nemo poteſt.

Alchemia incommoda.

Sed ut is qui conſilio meo nullo modo acquieſcere, ſed magis fortunam tentare maluerit, aliquam etiam utilitatem ex hoc libello referat, præcepta non inſalubria dabo. Primo ſemetipſum examinet, & conſideret num conditiones in artifice requiſitas habeat, & ante omnia rei familiari proſpiciat, ne ſi propoſito vacuus maneat, egeſtate poſtea laboret, aut opus inceptum dimittere cogatur. Diverſorum auctorum libros ſibi accumulet, quia alio-

Præcepta Chemiſtis omnibus maxime utilia.

1.

2.

qui

qui impoſſibilis eſt illorum intellectus, nec lectúm ſemel, bis, ter vel librum rejiciat, quamvis non intelligat, ſed relegat decies, vicies, & quinquagies etiam & amplius: deinde videat in quo maxime concordent auctores, ibi enim latet veritas, ſed naturæ poſſibilitatem imprimis ſpectet. Unde Philoſophus, ſecundum naturam ſit tua intentio. Radices præterea mineralium cognoſcat, ut ex ipſis faciat opus ſuum, alioqui in vanum laborabit. Ne aliena opera utatur, non enim eo animo alijs atque ſibi quisque operam navat. Deinde hæc ars non ſecus atque regnum aliquod eſt ſocietatis impatiens, niſi fide, innocentia & Dei præcipue amore animi juncti fuerint. Proinde Geber non temere inter artis impedimenta ponit membrorum truncationem. At quibus membra magis trunca videntur, quam ijs qui aliena opera artem quærunt, & ſeipſos naturalium rerum ſcrutatione indignos profitentur? Qui itaque otium non habet alijs negotijs diſtractus, ut librorum lectioni vel exercitationi artis vacare poſſit, potius ab ea abſtineat, quia nihil eſt quod votis ſuis ſecundum expectet. Aut ſi divitijs abundet, & expenſas non timeat, quærat ſibi virum aliquem probum & eruditum & linguarum aliquot maximè uſitatarum peritum, mediocriter in deſtillationibus, ſublimationibus & calcinationibus communibus verſatum, non quod eæ in hac arte admodum neceſſariæ ſint, ſed ut opera philoſophica à vulgaribus ſciat diſtinguere. Ei ſalarium annuum conſtituat, libros & inſtrumenta arti neceſſaria ſuppeditet, ſed eo animo ut jacturam pecuniæ ſuæ non ægre ferat, etiamſi per aliquot annos nec unde potiſſimum incipiat ſciat artifex. Neque enim lecto aliquo libro fortaſſe falſo & ab impoſtore quopiam compoſito, manum operi adhibendam quis putet, ſed poſt aliquot annorum ſpatia cum ſe auctores etiam probe intelligere exiſtimaverit. Sic enim legimus in Allegorijs Sapientum. Noli opus incipere antequam ipſum ſcias, quia ſi opus non noveris errabis, & opus tuum in vanum peribit. Semel receptum niſi magna de cauſa non mutet, etiamſi tardiuſculus videatur properanti. Circumforaneos & indoctos qui ſeſe Alchemiſtas profitentur procul à lumine arceat, neque enim quenquam docebunt quæ ipſi ignorent. Si quid ab ipſis diſci poſſit, id totum in varijs fornacibus & ignibus, eorumque gradibus conſiſtit, quod dato munuſculo ab ijs ſciri poterit, aut ſi ea de cauſa retinendi videntur, vas ſemper ſigillatum & exterius coopertum detineatur: Si materia aſpicienda, aut eximenda, aut miſcendum aliquid, domo amandentur. Caveat ſibi quisque à libris & chartis quæ varias receptas (ut vocant) continent, & albificationes aut rubificationes, auri argentiq; multiplicationes, aut auri ex ære & argento extractationes promittunt. Nec credat facile ijs qui operis abbreviationes pollicentur, aut Elixiris per-

Senior in clavi Sap. ma. 3. 4. *Ars impatiēs ſocietatis.* 5. 6. 7.

ris perfecti augmentationem, natura enim tempus ſuum completum habeat neceſſe eſt quo actionem ſuam perficiat, ſi quis motum illius turbet, non lucrum ſed damnum & incommodum ſibi accumulabit. Nemo etiam Elixiri augmentum dare, aut ejus virtutem intendere poteſt, qui artem integre non calleat, & opus per experientiæ viam antea ad complementum perduxerit. Fu- 8.
giat ſublimationes, calcinationes, & ſolutiones omnes vulgares, nihil enim utilitatis inde expectandum, cum philoſophorum regimen à vulgaribus ſit longè diverſum. Evitet omnia quæ ma- 9.
gno conſtant. Si in auro & argento artem ſitam exiſtimet parvam eorum quantitatem ſumat, utpote drachmam unam aut ad ſummum duas, ſi principia felicia fuerint, poſtea poterit majori pondere opus repetere. Vilipendat cementationes omnes, & o- 10.
lea, aquaſque graduales quibus miranda quædam ſe poſſe efficere jactant nonnulli, cum parum ſit in illis lucri, plus damni & periculi. Nam demus ut aliquid auri argentique ex metallis imperfectis exprimatur ea ratione, certe id exiguum erit, & ſumptibus & laboribus vix reſpondebit, nec augmentationem ullam admittet. Damnet vegetabilia omnia & animalia, aut quæ ortum ex eis ha- 11.
bent, media præterea mineralia, & non capiat niſi naturam metallicam, circa illam hæreat & operam ſuam impendat, alioqui laborem, impenſas & tempus ſuum deplorabit. Nec tamen pro- *Sum. perf. Cap. 7.*
pterea etiam ſibi proſperum eventum polliceatur ſi in debita materia operatus fuerit, cum teſte Gebro & alijs philoſophis hæc ars tota à Deo pendeat, qui cui vult etiam largitur & ſubtrahit, qui eſt ſublimis & glorioſus & omni juſtitia & bonitate repletus: ſi enim Deus ſciret in eo mentem fidelem, ut ait Lilium, utique ei veritatem intimaret. Proinde ſi quis votis ſuis fruſtratus fuerit, non *Concluſio.*
Deo maledicat, nec ignorantiæ ſuæ culpam philoſophis imponat, aut eos reprehendat, ſed ſeipſum, qui plus de ſe præſumpſerit quam æquum erat, & ſuadenti ut ab arte abſtineret, non obtemperaverit.

FINIS.

SUM-

SUMMARIUM HUIUS OPERIS.

PARS PRIMA *tres tractatus continet.*

Quorum primus tria Phyſices docet principia, quæ Chemiæ Theoriam indicant.

Secundus, tria Chemiæ praxis principia.

Tertius, manualem praxin, & applicationem ad opus habet.

SECUNDA PARS *ſeptem gradus philoſophicos docet, per quos ſtudioſorum animi, veritatis ac virtutum ejus apicem, & metam, hac in arte contingere valeant.*

Acceſſerunt:

Mundi fabrica.
Peregrinatio vitæ communis.
Erroris via
Veritatis quoque ſemita.

Præterea quædam recapitulationes ſingulis capitulis adjunctæ ſunt, & Colloquia, quibus Metaphyſica quædam, Phyſicis & Chemicis elucidantur.

Item, Artificium ſupernaturale.

PIIS AC ERUDITIS VIRIS MEDICIS, QVI THEOPHRASTI PARACELSI DOCTORIS MEDICI LIBRIS, aut eorum lectura fructum fecere, Gerardus Dorn.

S. P. D.

SCio vos non latere fratres, quanam ignominia per orbem aſſiciunt ignari præceptorem noſtrum Theophraſtum Paracelſum, vel quia vidēt ipſum facile

facile ſuperaſſe quosvis noſtri ſeculi Medicos, ac priſcos, tam experientia quam arte, vel quod ignaros in genere Medicos, Phyſicos, & chirurgos non immerito reprehenderit ab enormibus eorum erroribus. Nec vident iſti quam turpiter ſibi conſcij fateantur ignorantiam ſuam, cum ignaros non tam carpere, quam docere conetur, & doctos in arte ſua quosq́; ſummopere laudare ſtudeat & exhortari. Docti viri ſibi non attribuunt eam reprehenſionem, tanquam ipſos non concernentem, ſed admirandam ejus experientiam conati ſunt imitari potius quam vituperare. Contra qui ſibimet ſapiunt, nihil probare ſolent, cujus fuerint ignari: tales ruſtica nimium invidia moti, dentes acuunt in eos, qui ſuo labore prodeſſe conantur omnibus. Quapropter hortor vos fratres (ne tantum facinus maneat inultum) arripite calamum in eos, quos non pudet medicam artem depravare tantum, verum etiam eos perſequi, quorum omne ſtudium aſsidue verſatur circa ſepultam in hac arte veritatem recuperandam. Quod certè præceptor noſter præſtitit, dum infinitas regiones peregrinatus, Medicinam chemiſticam (non ſine maximis expenſis) noſtro ſeculo ſolus reſtituit. En præmium pro meritis, quod ab ingratis hominibus accipit, utpote calumnias poſt mortem. Ipſo vivente nullus oblatrare fuit auſus; mortuo jam bellum parant inermes. Euge viri boni reſiſtamus, ne cumulus iſte vilis per exemplum auctus ſi non jure, ſaltem injuria, bonas artes una cum earum Profeſſoribus piis ac veris proſternere præſumant. Non quod per ſe quidpiam præſtare poſſunt, verum quia ſe viribus omnino deſtitutos eſſe vident, ipſos ſe dant in prædam gigantibus: nam ſciunt hominum hæc monſtra nihil operis ardui vel præclari, quod non fecerint ipſi, ferre poſſe. Et ne tanto quod ſuſceperunt operi (nempe Iovem ipſum de ſede ſua dejicere) per aliud excellentius aliquando ſit in honore diminutum: cum ex eo ſummos honores ac divitias hauriant, catervam ſuam abjectis hominibus augere non verentur: ut quod ab ævo non

N potue-

potuerunt, arte nec ingenio, multitudine jam exequantur & ære. Solent attamen gigantum nonnulli, qui nectaris dulcedinem paulisper deguſtarunt, ejus allecti ſuavitate, viros accerſere, potiſſimum eos, quos Theophraſti doctrina reſciverunt imbutos fore: non quod eorum delectentur conſortio, ſed ut blandis verbis ac pollicitationibus venentur, ut ab eis intelligant ſcripta Paracelſi, eorum ingenia ſuperantia. His adhuc non contenti, petunt eorum quæ dicti viri practicarunt unquam, habere duplum: quod poſtquam obtinuerint, mox frivola quadam occaſione quæſita, ſimulabunt injuriam ab eis recepiſſe maximam, & rixoſis verbis conabuntur eos terrere, ne vix (ut putant) hiſcere ſint auſi, dicentes: hoc opus veſtrum eſt puerile, minus dignum auctoritate noſtra: quod ſi Theologiam tractaret, aut leges, gratum nobis foret opus: abite hinc, opera veſtra non indigemus. Sic ſolent bonos viros laboribus & arte fraudatos & inanes, impudenter dimittere. O pater omnipotens, qualem Theologiam quærunt hi, qui montem montibus accumulant, ut te cælis dejiciant? quales expoſtulant leges, qui juſtitiam tolerare non poſſunt? Si talibus imbuti non eſtis artibus, etiam vocati fratres non adeatis: niſi veſtro periculo velitis experientiam facere hujus hiſtoriæ. Expertus hortor, & moneo vos, ut præceptoris noſtri teneatis doctrinam, ſcribentis: Alterius non ſit, qui ſuus eſſe poteſt. Interim in Chriſto primum, tandem in Theophraſto, fratres chariſſimi valete, non immemores, quantum debeamus præceptori noſtro, licet mortuo, iterum iterumque valete.

AD

AD LECTOREM
PRÆFATIO.

HAbes hic, optime lector, Theoriam & Praxin totius artis Chemiſticæ, quam (niſi velis) ex lectura compendioli hujus ignorare non potes. Lege & relege pluries, cum tranquillæ mentis attentione, nil obiter aut inconſideratum pertranſiens. Quod ſi diſperſæ noſtræ mentis opinionem collegeris, nihil eorum quæ pulcra ſunt in hac arte, latere te potuerit unquam. Invenies hic ſub duro cortice veræ medicinæ laticem, quo te, nec non amicos & pauperes à languoribus corporis (auxilio Dei) ſublevare poſſis. Laboris te non pœniteat in exercendo practicam, quam tibi deſcripſimus: nam fabricando nos ipſi fabri facti ſumus in hac arte, non lectura ſola. Quod ſi forte contingat, primo vel ſecundo votum te non conſequi, ne deſponderis animum, ſed tertio & quarto rem ipſam repetas. Accidit erranti mihi ſæpius compotem illius me fieri, quod appetebat animus. Nihil prohibet hominem ad hanc artem pervenire magis, quam puſillanimitas & impatientia. Hoc ſolo nunc te monitum velim, quod medicinæ corporis humani limites in principio non excedas: nam ſi metallorum vulgarium metamorphoſin quæſieris, deplorabis errorem tuum. Vale, æqui bonique labores noſtros conſule.

Philoſophia Chemiſtica quid.
CAP. I.

CHemiſtica Philoſophia rerum latentes formas ſecundum rei veritatem, & non apparentiam, inveſtigare docet. Hujus veri diſcipuli duas ingrediuntur vias. Opinionem, & experimentum. Quibus contingit harum alteri duntaxat inniti, ſeſe nec nõ alios ſua doctrina vel opera falli neceſſe eſt. Quicunq; tamen utramque rimati judicarint alteram ex altera, hi ſuo labore non fruſtrabuntur, nec alij quibus opem ferent aut conſilium. Opinio quidem dubia præſupponit, philoſophicis tamen rationibus apparentia vera, quæ demum expe-

 rientia

rientia verificari debent. Quapropter & mihi viſum eſt, in hoc opuſculo compilando, viam utranque tenere tutiſſimum, ſolis mutatis nominibus in Theoriam & Praxin. Priusquam tamen ulterius progrediar, clavem tradere non gravabor, qua nihil iis qui vocati ſunt occluſum ſit, ſed naturæ ſecretorum ſcrinia ſint reſerata. Quod gratis ab Altiſſimo datur timentibus eum, gratis accipite timentes pariter & diligentes Dominum. Studio rerum comparatur notitia. Cognitionem ſubſequitur amor. Deſiderio ſeu delectatione datur aſſiduitas. Frequentia dat experientiam. Hæc virtutem, illa potentiam. Hac opus mirum perficitur in rerum natura, quæ talis eſt.

Natura quid.

CAP. II.

APud Chemiſtas natura dicitur, Cæli cum Elementis in generationem omnium quæ ſunt exercitatio. Quod artificium duplici perficitur inſtrumento, diſpoſitione videlicet, ac influxu. Natura, materiam corrumpendo, diſponit ad potentiam formæ receptivam, & cæleſtium influxuum: quæ tandem ſuo determinato tempore prorumpit in actum, & formam ſpecificam. Hoc ſibi vult dictum illud philoſophorum: Secundum diſpoſitionem materiæ agit forma.

Quid ſit forma.

CAP. III.

FOrma eſt æthereæ regionis in elementarem actus & potentia. Per elementorum ad invicem transmutationem, aptat natura materiam, illi formam tanquam matrici ſemen includens: hujus virtute prægnans, veluti mater fœtum producit in actum ſpecificum. Id ſibi volunt philoſophi dicentes: Forma deducitur de potentia materiæ. Potens eſt enim ipſa materia parere, quod à forma generatur in illa. Concludendum eſt igitur, quod forma, ſit agens in materiam patientem ejus actionem, inter quas natura magnetica ſe mediam præbet tanquam artificem. Hæc quidem ex univerſali totius forma, ſpecificas indies formas excitare non ceſſat, nec magis quam cælorum motus eſt otioſa.

Quid ſit Materia.

CAP. IV.

MAteria nobis eſt elementaris regio tota, quæ licet in quatuor partes (quas elementa vocamus) dividatur, ignem, aërem, aquam, & terram, duo tamen ſunt principalia, ſcilicet ignis & aqua: quia nihil aliud eſſe videtur aer, quam per calorem, in creatione mundi, perſiſtens aqua reſoluta, terra verò per calorem & ſiccitatem aqua denſata, vel potius exſiccata. Conatur ignis ex propria natura, dum poteſt, aquam in ſe convertere, quod ut facilius perficiat, duo quærit media, ſecundum ambas utriusq; qua-

litates:

litates: prius, ut calore ſuo frigiditatem, illo ſiccitateque [ſuis] humiditatem [aqueas] abſumat. Videmus nubes ignis calore ſuſpenſas, inter aquam & ignem tenere medium, quia ſi calor ignis, qui circa ſuperficiem remiſſior eſt, quam in ſuæ ſphæræ meditullio, vincatur aquæ frigiditate, medium hoc in alterum extremorum, utpote vincens, convertitur, & ignis (ſic diſponente natura) ſuo conatu fruſtratus, dum unum abſumere nititur, ex eo generat alterum, quod rurſus in id, ex quo generatum eſt redit. Hæc transmutationis circulatio, generationis eſt potiſſima cauſa. Non abſimile videmus ignem in corporibus à natura compoſitis exercere. Lignum exemplo ſit admotum igni, quod priusquam omne humidum aqueum in aerem ſit converſum, non flagrat ejus ſulphur, hoc tamen abſumto, pariter & ignis in aerem, & demum in ſeipſum tranſit, ligni partibus ſolidioribus in cinerem vel terram decidentibus: propterea non eſt dicendum elementa ligni talis conſumpta fuiſſe, ſed à ſuo ſeparata compoſito, quodlibet ad propriam ſphæram redijſſe. Hac de re facta fuit apud philoſophos quæſtio dubia, utrum plus abſumeret ignis quam generaret? Sanum videtur dicere quod ſint æquales operationes ignis ætherei & elementaris, quia ſi plus abſumeretur igne elementari, quam generaretur igne æthereo, poſſet aſſignari vacuum in rerum natura: quod omnino foret abſurdum. Si vero plus generaret ignis æthereus quam abſumeret elementaris, ſuperfluum non poſſet determinato jam ſuo loco contineri: ſic alvum naturæ ſolvi foret neceſſe. Brevius tamen reſpondebitur, nihil ab igne conſumi, ſed per transmutationis modum quod ab uno recedit, accedit ad aliud elementum. Sic natura ſagax indies ex elementis, adinvicem hoc modo transmutatis, & forma, novas excitare formas ſolicite procurat: ut per generationem reformetur, quod per corruptionem deformatum eſt: ſitque circularis operatio naturæ, ſicut & cæleſtis motus. Solent etiam plerique nimium curioſi phyſiologi nondum experti rerum, nobis hoc argumentum obtrudere, quo chemiſtarum quintam eſſentiam oppugnent, verum non expugnabunt, niſi validius adferant. Corpora (inquiunt) naturalia quatuor conſtant elementis, ubi quintum erit elementum? Reſpondemus, omnia naturalia corpora conſtare quatuor elementis ſimul & forma, quæ etiam aliquid eſt, & puriſſima pars cujusvis compoſiti: nec ſolum ex his omnibus, quia non poteſt fieri vera conjunctio niſi per aliquod vinculum: alias erit contractus, vel colliſio. Non poſſunt enim qualitates primæ propter earum inter ſe repugnantiam, in unum convenire. Quapropter neceſſarium fuit illas in elementa duas qualitates habentia componi, quo facilius conjungerentur. Hoc natura vinculo cuncta componit corpora. Philoſophi ſolent nobis

id ænigmate tradere, dicentes: Fac pacem inter inimicos, & totum habebis magiſterium, nempe chemiſticum. De elementis itaque concludendo dicimus, illa fore triplicia, nempe: Simplicia, Compoſita, & Decompoſita. Simplicia ſunt, quæ nec corrumpuntur, nec patiuntur compoſitionem: non ex his, ſed per hæc omnia alia inferiora elementa vires ſuas exercent: quas etiam ab illis ſortiuntur. Compoſita ſunt quæ componuntur, & corruptionem patiuntur. Decompoſita verò quæ jam in compoſitione per corruptionem conveniunt. Quicunque hæc in illa, impura, in pura, compoſita in ſimplicia noverit convertere, maximus erit chemiſta, & mirandorum bonus artifex.

De Corruptione.


CAP. V.

CОrruptio chemiſtica nihil aliud eſt, quam totius à natura compoſiti ſuas in partes reſolutio. Omne quidem compoſitum, ſi reſolvatur, in id ſolvi neceſſe eſt, ex quo compoſitum fuit prius. Idcirco naturalia corpora in elementa, & in quintam eſſentiam, ex quibus conſtant, reſolvuntur. Non eſt quod propterea putemus id opinioni repugnare Paracelſi dicentis: Omne corpus naturale per artem in tria ſolum reſolvi poſſe, ſcilicet in Sal, Sulphur, & Liquorem, quia ſemper aër liquori vel ſulphuri mixtus reperitur. Ita quod non ſit artis, aërem purum, & ab aliis elementis omnino ſecretum, aliquo vaſe concludere: licet natura nihil vacuum relinquat, ſed aere compoſito ab initio creationis impleat, tamen aër ille non eſt arte ſecretus ab elementis, ſed permixtus. Chemiſtis indies ob oculos verſatur, nihil à corporibus arte ſeparationis elici poſſe, præter aquam, oleum, & terram. Et licet oleum, in principio ſtillationis, clarius ſit quam in fine, nihilominus diverſum natura dici non poteſt, ſed accidente: hoc eſt, in fine magis aduſtum, quam in ipſo principio. Reſtat ut nunc dicamus, quod noſtra corruptio differt à naturali, per hoc, quod individua diſtrahit à ſuis ſpeciebus ad ſuum genus. Nullus artifex deſtructa rerum ſpecifica forma, rurſus eandem formam in illam poterit materiam introducere. Natura tamen ex elementis, à quibuſvis corporibus, quovis modo ſeparatis, indies ſimiles prioribus formas, & diverſas excitare poteſt, & ſummo conatu genera nititur in ſpecies, ad individuorum conſervationem dilatare. Sed quia corruptio unius, alterius eſt (ut loquuntur Academici) generatio, merito de generatione loquemur.

De Generatione:

CAP. VI.

GEneratio dicitur ex occultatione manifeſti, mox occulti manifeſtatio. Tribus enim dimenſionibus omnia corpora concluduntur, videlicet Altitudine manifeſta, Profunditate occulta, & Latitudine has inter media. Philoſophi nobis hoc occulte tradunt his verbis: Non fit tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium: hoc eſt, ex corporis alicujus manifeſta forma, non poteſt occulta nobis innoteſcere, niſi per manifeſti corruptionem; qua patefit occulti proprietas: quod geometricè demonſtrabitur, ut melius phyſicè queat intelligi. Obverſa nobis una facie, ſeu potius ſuperficie corporis alicujus ſolidi geometrici, quale per A. literam deſignatur, tali ſitu, quod reliqua plana non ſint omnino perſpicua, poſſumus lõgitudinem ejus ſuperficiei metiri, quæ nobis eſt manifeſta vel obverſa, quam 5. pedum fore ponamus: tanta etiam eſt altitudo reliquarum ſuperficierum ſibi invicem oppoſitarum, b. c. f. quarum plana non alias nobis innoteſcunt, quam per latitudinem 4. aut 6. profunditatem, quæ ducta in ſe 24. efficiunt, hæc rurſus in altitudinem 5. manifeſtam ducta, 120. pedes ſolidos patefaciunt, antea nobis occultos. Haud abſimili via ſolent Chemiſtæ corporum naturalium formas latentes inveſtigare, per medium, ſcilicet, verſionem formarum manifeſtarum in occultas. Quæ verſio fit corruptione formæ ſpecificæ, generationeque generalioris formæ videlicet elementorum decompoſitorum in compoſita, & impurorum in pura converſione.



De excellentia Ternarij.

CAP. VII.

SAcrato Ternario totus mundus ordine, numero, & menſura per unitatem conſtructus eſt. Unitas enim non eſt numerus, ſed concordiæ fœdus. Binarius vero primus numerus, diſcordiæ fons & origo, per aſſumtionem materiæ diſſectus eſt ab unitate, & rurſus in unum conjungi non poteſt, niſi vinculo plurimum indiſſolubili : quod ſolum unum eſt. Fruſtra certe laborat, qui paria paribus copulare nititur, ſed impare ſolo paria conveniunt in unum. Numero Deus impare gaudet. Unarius itaque binarium (hoc eſt unum & unum) per unitatis ſimplicitatem in ternarium vincit animatque, nexu quidem inſolubili : nam unum in aliquas partes dividi non poteſt. Non enim unum, atque unum, duobus conjungi poſſunt, cum duo, quæ nectere deberent, in unum atque alterum per ſe ſolubilia ſint. Rejiciatur itaque binarius, & ternarius reducibilis erit ad unitatis ſimplicitatem : ut ait Joannes Trithemius in epiſt. ad Germanum Gnaum, & ulterius. Non eſt humanus mi Germane hic aſcenſus, ſed ſolum his fami-

liaris,

liaris, quorum eſt in mente ternarius (id eſt) qui rejecto binario per aſſumtionem ternarij, ſunt ad unitatis ſimplicitatem aſſumti.

De mundo elementari.
CAP. VIII.

TRibus potiſſimum partibus cernitur elementaris mundus conſtare: Mineralibus, Vegetabilibus, & Animalibus. Præter hæc nihil in hoc mundo (quod ſub ſenſum cadat) eſt quod queamus invenire Quapropter è mineralibus, tanquã aliarũ partium baſi, faciens exordium, veniam ad reliqua corpora materialia. Terra quidem baſis eſt & retinaculũ omnium, tam cœleſtium influxuum, quàm ſolidorum corporum. Circum ejus centrum cœleſtes motus fiunt omnes. Ad ejus centrum gravia quæque feruntur, niſi ſoliditatis terræ beneficio retinerentur. Et ab ejus centro levia fugiunt omnia. Quod Hermes Triſmegiſtus in arcanorum ſecretiſſimo (quod ſmaragdinam tabulam nuncupant) ait: Terra nutrix, & paulo inferius, Aſcendit à terra in cœlum, & iterum deſcendit in terram: ſic recipit vim ſuperiorum & inferiorum. Ibidem videmus ipſum inferiorum vires, terræ potiſſimum adſcripſiſſe. Mirabilium enim eſt productrix ex cœli ſemine, ſororisque ſuæ menſtruo. Quod idem Hermes inquit: Rei unius pater eſt Sol, Luna vero mater, portavit ventus hanc rem in ventre ſuo (& rurſus quod prius) nutrix ejus terra eſt.

De Mineralibus.
CAP. IX.

MIneralia ſunt, quæ in viſceribus terræ, mixtione hujus & aquæ, ſecundum earum diverſam proportionem, in diverſas formas ac ſpecies concreta reperiuntur. Horum tria ſunt genera, lapidum videlicet, metallorum, & mediorum mineralium. Et licet hæc omnia generentur ex mixtione proportionali terræ & aquæ, nihilominus ex quatuor elementis conſtant, ſicut vegetabilia & animalia: nam ſupra dictum eſt capitulo quinto, quod omnis liquor, & ſulphur, aërem ſecum habent occultum. Lapides ex multa terra & aqua pauca, ſecundum magis aut minus à natura conflati ſunt, ideo non fuſibiles, ſed potius igne friabiles. Quod nonnulli cæteris lucidiores evadant, ac diaphani, fit propter majorem terræ depurationem, & clarificationem à natura factas: cum videamus & arte cineres aridiſſimos in vitrũ tranſire diaphanum, nec poteſt ars æmulatione curioſiſſima, minimum opus, quod naturæ fuerit facilimum, imitari. Metalla quidem, econtra conflantur ex aqua multa in argentum vivum transmutata, & pauca terra in ſulphur à natura converſa: quo fit ut liquabilia ſint potius quam friabilia. Diuturna decoctione denſatur aqua, modo non exhalet, è diverſo terra clareſcit: nam occulta ma-

nifeſtis,& hæc illis, ſemper & in omnibus contraria ſunt. Principia metallica triplici ſtatu differunt, aut ſunt remotiſſima, veluti terræ cum aqua mixtura, vel remota prout vitriolum, aut ſunt immediata, ſicut argentum vivum & ſulphur. Ex his duobus poſterioribus, ſecundum puritatem amborum, vel impuritatem alterius, aut utriusque, nobile vel minus, aut prorſus ignobile, natura calore ſubterraneo, vix annorum millibus generare dicitur metallum. Eo fit, ut quanto diuturniori ſub obedientia cœleſtium influxuum mineralia fuerint, tanto firmiori validiorique potentia, virtutes acquiſiviſſe cœleſtes efficaciſſimas, inter ea quæ corporeas vires habent reſtaurare conſervareque, non immerito putentur, & eo nobilius, quo metallica forma ſua materia minus fuerit oppreſſa. Metallorum forma generalis æqualis eſt omnibus, at propter materiæ variam diſpoſitionem (ut ſupra capitulo ſecundo dictum eſt) in varias prorumpit forma ſpecificas. Quod ſi univerſalis forma, jungatur materiæ coæquata proportione partium diſpoſitæ, in ſpeciem omnium nobiliſſimam, & in aurum prorumpat oportet: nam locus jam æquatas partes continet: natura quoque proportionatum calorem adhibere novit, ut inſtrumentum. Aurum itaque ſuo calido non eſt frigidius, nec frigido calidius, pariter humido ſuo non ſiccius, nec humidius arido, ſed undique temperatum, unitum, ac tanta perfectione compactum à natura, quod nulli penitus igni cedere putetur artificiali: Naturali tamē, ajunt philoſophi, primam in ſui materiam reſolvi poſſe: in quam niſi reſolvatur, impoſſibile fuerit ipſum in humano ſtomacho poſſe digeri, quod igne vehementiſſimo, reliqua metalla vincente, lapideſque conſumente, non uri dicitur, ſed purius ac perfectius reddi: donec ad ſummum ſuæ perfectionis gradum devenerit, tunc in igne tanquam Salamandram, jubilare tradunt philoſophi. Non de monetario, ſed per antimonium ita depurato, quod nihil alterius in eo mixti metalli relinquatur, ipſos intelligere puto. Quapropter fruſtra laborare videntur omnes, qui conantur aurum potabile facere (quod ait Marſilius Ficinus) niſi prius aurum in primam ſui materiam reſolverint (hoc eſt) in argentum vivum & ſulphur: quæ materia metallorum omnium eſt prima, proxima, & immediata. Hæc ſit igitur auri concluſio, quod à ſua perfectione, ſimilitudineque Solis cœleſtis, terreſtris Solis nomen ſortitum ſit à philoſophis: qui etiam terreſtrem Lunam argentum purum (quod cupellatum vocant aurifabri) nominarunt: colore, conſtantia, pondereque deficiente, deficit in ea pororum compactio, reſtrictioque, quibus metalla pondus acquirunt, ut argentum vivum. Omne decoctum naturaliter, primo nigrum, ſecundo quidem album, tertio rubeum efficitur: qui poſtremus color eſt exceſſivus, & à perfe-

ctione

ctione ſuperabundans. Ut omne corpus naturale perfectum ſit, requiritur ne in aliquo deficiat: vel perfectionis limites excedat: quæ perfectio medium tenet in omnibus. Medium autem inter nigrum & album, eſt pallidum, ſicut inter album & rubeum perfectum majus, eſt citrinum. Hinc eſt quod aurum inter album & rubeum tenens medium citrinum colorem habeat, non excedens nec diminutum. Nihil aliud eſt citrinum, quam determinata proportio, mediaque rubei coloris & albi. Hinc fit etiam quod omnes, quotquot putant argentum, & reliqua diminuta metalla vulgaria, in aurum auro tranſmutari poſſe decipi contingit, nec non illos quibus libenter audiuntur. Nam aurum non plus coloris habet, quam indiget ad colorandum ſuum argentum vivum. Experientia doctos docuit viros, medicinam ex auro fieri poſſe, quæ poſſit argentum purum, vel aliud rite depuratum aliquod metallum, in colorem auri tingere perfectum: verum non plus auri factum eſt hac arte, quam fuit illud auri pondus, ex quo talis medicina tracta eſt. Fatuum ergo videtur conſilium eorum, qui ſuadent in aliquo quærendum eſſe loco id, quod in eo non continetur naturaliter: ut ſuperabundantem in auro colorem, & pondus ſuperfluum, quæ tribuat alijs: quæ etiam ſi haberet, non eſſet aurum, ſed coloratius auro quid, & non metallum perfectum. Quod ſi in auro non ſit hæc tranſmutationis perfectio, rationibus jam allegatis, nec in aliquo alio minerali [nam quod in perfecto non fuerit perfectionis, in imperfectiore quærendum non eſt] nec in vegetabilibus erit, minus etiam in animalibus, quæ natura magis ab auro diſtant, & in auri generatione minus conveniunt, quam aurum ipſum: natura quoque ſibi ſimili natura gaudet, ac tranſmutatur in ipſa facilius, quam in aliena. Sed cum in tranſmutatione corporis imperfecti, requiratur ſumma perfectio ſive medicina perfecta, quæ propinquius etiam elici non poteſt, quam à ſumme perfecto, quod ſuæ ſit naturæ: nam potiora, propinquioraque ſemper & in omnibus eligenda ſunt, propter faciliorem tranſitum: cum etiam omnis perfectio corporum à temperamento ſuarum in compoſitione partium dependeat, temperatius auro nihil erit, aut ad rem iſtam propinquius. Quapropter ab auro, vel à nullo petenda venit hæc tranſmutationis perfectio. Procul dubio philoſophi viri nullius auri foſſilis, aut vulgaris avidi vel ſitibundi, tranſmutationes deſcribunt, non vulgarium foſſiliumve metallorum, ſed ſuorum, & philoſophicorum: Hi ſuo ſeculo conſulentes, & poſteritati, ſummis laboribus conati ſunt, ex conſideratione temperamenti foſſilis auri, temperamentum auri fictitij reperire: quod non ſolum ex uno corpore, ſed ex diverſis, tam vegetabilibus, quam mineralibus, & animalibus extraxerunt. Eſt itaque philoſophorum aurum, quædam

quædam arte compilata medicina temperata, quæ tanquam forma ſeparata à ſuo corpore, tantam ad ſubtilitatem redacta eſt, ut in quodvis ſibi objectum, inſtar formæ cœleſtis, in præparatam à natura materiam operetur. Forma quidem univerſalis, quæ ſemel ſpecificam induit, cum ab individuo ſeparatur, vim retinet activam, quam rurſus in alienum corpus imprimere poteſt, unitatis virtute, cujus vires jam induit, & tunc omnia ſecum unum facit: licet etiam hæc medicina tracta ſit ab individuo non temperato. Nam arte, quævis & quorumvis elementa, poſſunt ad temperamentum in unum reduci temperatum. Nunc de reliquis inferioribus metallis dicendum eſt, utpote Stanno, quod Jovi calido & humido: Cupro vel ære, quod Veneri frigidæ, licet parum calidæ, humidæque: Plumbo, quod Saturno frigido & ſicco: Ferro, quod Marti calido & ſicco, propter dictarum qualitatum ſimilitudinem dedicaverunt philoſophi. Quæ pariter quatuor complexionibus, non humoribus, in corpore non phyſico medicorum, ſed elementato, non in concione quadrare videntur, ob qualitates dictas. Quoties igitur Cholericus, Melancholicus, Phlegmaticus, vel Sanguineus ad temperiem per medicinam temperatiſſimam reduci potuerunt, exiſtimatum eſt à philoſophis, Cuprum, Ferrum, Stannum aut Plumbum in aurum tranſmutata fuiſſe. Sub metallis itaque vulgaribus occultârunt ſapientes, medicinas, phyſicas & philoſophicas: quas etiam ex metallis vulgaribus præparaverunt in tranſmutationem ſuorum, hoc eſt, philoſophicorum metallorum: ut ſub æquivocatione, tantus medicinæ theſaurus ignarum lateret vulgus. Interim tamen vix docti medici, qui philoſophiæ profeſſionem faciebant non exiguam, id potuerunt intelligere: donec Aureolus Theophraſtus Paracelſus, Doctor utriuſque medicinæ, vir Helvetius & nobilis, divino magis quam humano ingenio, tum longinquis peregrinationibus, doctorum etiam ubique locorum conſortio, rem omnem detexiſſet: eamque libris innumeris in gratiam doctorum virorum, & utilitatem communem propalaſſet, Germanicè potiſſimum, ut & illis copiam faceret, qui Latini ſermonis expertes erant. Hujus ego libertatem ſequutus præceptoris, apertius fortaſſis de hac re tractare volui. Cuperem enim alios per me tantum proficere quantum ego per ipſum. Nunc reſtat, ut de medijs mineralibus, ſuis correſpondentibus extremis, loquar, veluti ſunt omnes marchaſitæ. Reperitur aurea marchaſita, argentea, ſtannea, plumbeaque (hanc antimonium vel Stibium puto) quas vidi, reliquæ mihi adhuc ignotæ ſunt, ut cuprea, ferreaque. Sunt & magneſia, tutia, auripigmentum, arſenicum, ſalia multa, alumina, ſulphura, & reliqua id genus ſimilia, quæ magis in tranſmutationem phyſicam faciunt, quam ad vulgarem illam metamorphoſin philoſophis ſi non ignotam,

ſaltem

ſaltem neglectam. Idcirco media dicuntur mineralia, quod non omnino metallum, nec lapidem omni ex parte referant, ſed cum his affinitatis plurimum habeant. De alterò extremorum, nempe lapide, ſpecialiter tractare ſupervacaneum foret, cum de hoc apud Plin. Albert. Magnum, ac reliquos probatiſſimos auctores, abunde ſatis tractatum ſit. Hoc ſolum decet pro inſtituto me dicere, quid inter metallum & lapidem ſit differentiæ: hic ſcil. nec liqueſcit, nec malleo ductilis exiſtit, illud vero ſub malleo tractabile eſt, & igne liquabile. Media tamen liqueſcunt, & non producuntur, ſed diſſiliunt in fragmenta, quo lapidē referunt, liqueſcentia vero metallum.

De Vegetabilibus.
CAP. X.

VEgetabilia dicuntur, quæ per fixam radicem à terra nutrimentum ſumunt. Hæc ſunt triplicia, nempe herbalia, quæ vegetabilia ſunt, ultra annum vel paulo plus in terra non aſſervata, ſed arefactis folijs, ac ſtipitibus, per ſeminis in terram demiſſi putrefactionem, à natura propagantur. Arboralia vegetabilia ſunt maxima, quæ per ſolidas radices in truncos ramosque ſolidos aſſurgunt, & in plurimos annos aſſervantur. Plantalia vegetabilia ſunt inter hæc media, herbis majora, ſed arboribus valde minora, formam tamen utriusque referentia: diutius herbis vireſcunt, & aſſervantur, citius quidem arboribus intereunt. Sed quia hæc philoſophis omnibus quantumvis mediocribus nota ſunt, obiter pertranseunda putavi: hoc ſolo notato, quod prout animantibus alimentum, non ſecus à ſua corrumpente materia per artem repurgata, medicamentum exhibent. Nam impeditur potentia formæ, per materiam illius actionem cohibentem. Melius erit hanc extra ſtomachum ſeparare, quam in ægrotantis ſtomacho, jam ſatis ad hanc ſeparationem facicendum debili. Verum ſi alimenta debeant eſſe, cum corpore ſunt exhibenda: nam partes corporis generaliores, utpote liquor, ſulphur, & balſamum, naturalia, quodlibet ſuo ſimili nutriri debet. Exceſſus enim & defectus intemperiem cauſantes, oportet ſuo contrario, temperato ſcilicet, ad æqualitatem reduci: quod medico diligentiſſime conſiderandum eſt, tam in præparandis vegerabilibus medicamentis, quam ex animantium partibus tractis.

De Animalibus.
CAP. XI.

ANimantia ſunt corpora, quæ per ſe mota naturaliter; ore nutrimentum ſumunt. Chemici non fruſtra motum in naturalibus triplicem conſiderant. Corrumpentem, generantem, animantem. Philoſophi motum aut per ſe, aut per accidens dicunt fieri. Qui per ſe fit, eſt naturalis, cauſans, ut primi mobilis, & Zodiaci,

diaci, vel cauſatus, ut rerum ad generationem & corruptionem. Qui per accidens ſive localiter fit motus, eſt rectilineus vel curvilineus. Rectilineus, eſt perpendicularis, obliquus, vel tranſverſus. Perpendicularis, ſurſum, vel deorſum latus. Curvilineus, circularis eſt, vel flexus. Circularis, volvens, vel rotatus. Non eſt inanis motuum in hac arte cognitio, ſed quia hæc ad Philoſophum pertinent, ac Geometram, qualem oportet Chemiſtam fore, de his hactenus dictum ſit. Cum vegetabilibus hoc habent animalia commune, quod alimentum in vegetationem utraq; ſumant, hæc ore, radice quidem illa, quæ ſenſibus rurſus inferiora ſunt animantibus. Animantium tria ſunt genera, reptilium in terra, volatilium in aëre, & natatilium ſub aquis. Brutorum animalium duplex eſt animæ motus: vegetativus, & ſenſitivus. Hominis animæ triplex motus habetur, nam ad præcedentes duos accedit motus animæ rationalis, qui perpetuus eſt.

LIBER SECUNDUS.

De Chemiſtica praxi.

CAP. I.

POſtquam theoricè de Chemiſtica tractatum eſt arte, quantum fas eſt, reſtat nunc experimento probare, vel ſenſu, quod imaginatione ſive intellectu Chemiſta poteſt aſſequi. Praxis Chemiſtarum, eſt eorum quæ philoſophus certis notisque philoſophiæ rationibus, & intellectu, circa rerum naturalium latentes formas fuit aſſequutus, ex occultis manifeſta demonſtratio ſenſualiter facta. Solis enim Auctorum ſcriptis ita ſtandum eſſe non exiſtimo, quin ſi quid potioris experimentum docuerit, anteponendum non ſit opinionibus eorum, quos ſæpenumero de rebus penitus non introſpectis aſſerere judicareque contingit ea, quæ ſibimet minime conſtant. Artificium Chemiſticum circa tria potiſſimum verſatur, utpote locum, inſtrumentum, & operationem. Locus duplex eſt, fornacum ſcilicet, ac vaſorum continentium ipſam materiam. Inſtrumentum etiam duplum, ut ignis corrumpens, & ignis generans. Pariter & operatio dupla ſolutio & congelatio.

De loco Chemiſtico.

CAP. II.

FOrnax ipſa, vel vas materiam continens, Chemiſtis habetur proprius locus. Fornaces diverſis artificibus variæ ſunt, & vaſa pro cuiusvis arbitrio diverſimode formata. Verum ſecundum tres motus perpendiculares, nempe ſurſum, deorſum, & lateraliter latum, triplicem & unicam priori loco ponemus fornacem nunquam ante hac viſam: qua tres operationes diverſæ fieri poſſunt,

poſſunt, unico tantum igne corrumpente ſcil. deinceps alteram (quam acediæ vocârunt) ponemus, hac etiam operationes quatuor abſolvuntur, igne pariter uno generante.

De fornacis triplicis ſtructura.

CAP III.

OPeræ precium fuerit, hujuſmodi fornacis egregiæ ſtructuram demonſtrare, priuſquam ad operationes ventum ſit. Erigantur muri duo, lateribus conſtructi jacentibus, ab invicem intervallo cubitali diſtantes, ſeſquipedalis altitudinis & ejuſdem latitudinis: quales litera B. notatos videre licet. Ab uno ad alterum murum, quatuor ferramenta protendantur per tranſverſum, quibus lateres primum ſolarium conficientes ſuſtentati ſint, quod R. litera deſignatum eſt. In medio dicti ſolarij foramen relinquatur apertum, & rotundum, latitudine 4. digitorum, per quod inferius promineat collum inverſæ cucurbitæ terreæ ſine fundo, baſim in collo foratam habentis, &c. ſignatæ per literam E. quæ poſſit obſtrui cooperculo acuminato, litera F. notato. Super hujuſmodi baſim, tres muri vel oppoſiti duo lateribus lateraliter erectis, vel jacentibus extruendi ſunt, altitudine cubitali, ſe mutuo contingentes aut reſpicientes ad angulos rectos. Super hos muros alia ferramenta ſeriatim collocanda ſunt, ut ab uno ad aliud latitudo digitalis ſit intermedia, hæc vicem ſupplebunt craticulæ fornaci mediæ, prout litera notatur V. Jam fornacem habemus extructam deſcenſoriam, & vas etiam dicetur deſcenſorium. Super hanc craticulam alios tres muros prioribus ſimiles oportet erigere, hoc ſolo mutato, quod poſtquam muri pro media parte fuerint erecti, curvum ferramentum oppoſitis muris inſerendum eſt, quod cucurbitam terream ſupra craticulam teneat ſuſpenſam, & in muro medio foramen, per quod collum cucurbitæ promineat, relinquendum, quod charactere Z. notatum videtur. Poſtquam cucurbita fuerit in fornace collocata, latus quod apertum manſerat ad imponendum cucurbitam, obſtrui poterit uno atque altero foramine relicto, vel pluribus, per quæ carbones rude ferrea moveri poſſint. Super hos muros iterum quatuor alia ferramenta locanda ſunt, ſuper quæ lateres baſim conficiant in medio foratam ore rotundo, per quod carbones immitti poſſint, & dinceps debet illud foramen obſtrui latere tamen amovibili: dicta baſis per literam X. nobis deſignatur, & foramen per I. lit. Iterum ſuper eam baſim, murum unius lateris latitudine ſurgentem ædificato, relicto tamen oſtiolo H. lit. ſignato, per quod carbones in dictũ foramen immittantur. Super hunc murũ aliam baſim perforatam priori ſimilem omnino conſtruere decet. Sic fornax reverberatoria perficitur, A. lit. & arcu notata. Poſtremo, ſuper hanc baſim, iterum 4 muros altitudine cubitali ſurgentes ex-

tes extruemus, relicto tamen oſtiolo, per quod later à ſupremæ baſis foramine poſſit auferri, pariter & admoveri cum libuerit. Super hos muros in orificio fornacis, argilla fingemus rotundum labium, quod vas terreum vel cupreum excipiat (hoc cupellam vocant nonnulli) per K. lit. ſignatum, & quatuor conis, quatuor digito foramina facienda ſunt, quæ poſſint obſtrui reſerarique: ſic habetur fornax aſcenſoria lit. B. & arcu notata, per quam temperabimus nobis calores neceſſarios.




De alterius furni ſtructura, quem acedia vocant.

CAP. IV.

QUatuor lateres lateraliter erigendi ſunt in quadrum, ut ſe mutuo non contingant, ad intervallum quatuor digitorum, ſed ab uno latere duo fragmenta ſufficiant ad angulos ita poſita, quod inter illa vacuus ſit locus oſtiolo, per quod cineres eximi queant. Super hoc ſtructum, bacillos ferreos collocabimus, in modum craticulæ, ſic primam concamerationem extruxerimus per A. notatam. Super hanc craticulam ſimiles ſtruemus muros, ſed

ſed altitudine duplices, hoc eſt, duobus lapidibus altos, relicto oſtiolo, per quod carbones ferro commoveri poſſint: quod litera B. notatum eſt. Inferioris cameræ quatuor anguli claudendi ſunt, ſuperioris vero concamerationis relinquendi ſunt aperti, per quæ foramina calor furnos laterales ſubintrare valeat. Oſtiola quatuor hæc ferreæ claudēt ſpatulæ, literis AA. ſignatæ; quæ ſublevari poſſint ac deprimi. Super hunc furnum, turriculam terream, vel cupream potius, latiorem inferius quam ſuperius, litera C. notatam, erigemus, quæ cooperculo terreo poſſit occludi litera D. ſignato, poſtquam carbonibus ad ſummum fuerit impleta turris. In ſuperiorem concamerationem prunas aliquot accenſas ponemus, quibus & recentes accendantur carbones, ſic fiet ut ſucceſſive tota turricula per integrum diem vacuetur, & interim tamen ignem nobis continuum ſubminiſtret. Cum viderimus carbones deficere, turrim iterum replebimus ut prius. Hoc artificio poterit ignis extrui continuus ad aliquot horas. Ad quatuor dicti furni latera, quatuor alij furni coaptentur, E H. G. & F. deſignati, qui duabus ſinguli conchis fictilibus inverſis, & ad labia ſe mutuo contingentibus, ſtructi ſint, ita quod ſuperiorum concharum tres fundum habeant perforatum rotundis foraminibus ſex aut ſeptem digitos per diametrum latis. Quarti furni concha ſuperior F. notata, fundum exciſſum omnino habeat, ut balneum maris cum cucurbita per K. & L. ſignata literas, intret. Conchæ ſuperiores omnes foraminibus, per quæ cicer intrare valeat, perforentur, ut A.B. notatum eſt literis. Concharum inferiorum quælibet habeat à latere prope fundum oſtiolum exciſſum, quatuor digitorum latitudine, ſed altitudine ſex aut ſeptem. Quatuor hæc oſtiola, quatuor inferioris fornacis mediæ foraminibus reſpondeant ex diametro, ita quod ſpatulæ ferreæ ſupradictæ poſſint inter hæc inſeri, liberi tamen, ut ſublevari queant ac dimitti, cum claudere vel aperire fuerit opus, ad ignem temperandum. Nunc furnum habemus completum, quem acediæ ſolemus appellare, tum quia tardus eſt in operando, propter lentum ignem, vel quod fortaſſis pigris arrideat ea de cauſa, quod poſtquam turricula C. repleta fuerit carbonibus, non eſt curandus ignis per aliquot horas: quod pro turris altitudine metiri potes.



De vaſis.

CAP. V.

VAſa non inſtrumenta chemiſtica,ſed materiæ ſubſtantiæque locum alterum, poſt fornaces,exiſtimo : non ſecus ac natura terræ globo & cavernis loco vaſorum fruitur in decoctione vel generatione mineralium : pariter & in animalibus matrice , vaſis inſtar,& utero vice fornacis. Sunt enim vaſa Chemiſtarum,partim ex vitro,vel figulorum compactiſſima terra , partim ex cupro vel alijs purioribus confecta metallis , quorum formam ſupra videre licet,ubi fornaces delineavimus.

De Chemiſtarum inſtrumento.

CAP. VI.

CHemiſtarum,,ut etiam naturæ,proprium inſtrumentum eſt , ignis, qui penes artifices conſideratur. Eſt enim ignis externus aut internus. Externus ignis eſt aut violentus , aut per tres gradus temperatus , vel naturali ſimilis remiſiſſimus, qualem ſibi

natura

natura in generatione rerum uſurpat. Internus ignis, cuilibet ſubſtantiæ proprius eſt, & naturaliter inſitus, cujus etiam Chemiſta rationem habeat oportet. Utuntur igne violento Chemiſtæ, vel inter calcinandum, vel ſicciora ſublimandum, aut metalla liquandum. Igne temperato per gradus inter deſtillandum, tam aſcenſorie, quam deſcenſorie. Naturali ſimili, dum putrefaciunt, digerunt, congelant, vel circulatorie fixant. Operationes iſtæ ſequenti capitulo definiuntur.

De operatione.
CAP. VII.

OPeratio dicitur manuum & inſtrumentorum, ad rem chemicam exſequendam, applicatio. Chemiſticum opus duplum eſt, utpote, Solutio, & congelatio. Solutio corporis eſt calcinatio. Congelatio, ſpiritus eſt in vaporem acti condenſatio. Solutio varijs modis, pro ipſius artificis arbitrio, ſolet fieri, per ſe, vel cum ſibi ſocia ſpecie, congelatione ſcilicet. Per ſe fit, quando corpus aliquod in vas fictile reconditum, per ſui ſpiritus exhalationem non retentam, friatur in calcem aridiſſimam. Solet etiam hæc fieri jacente in olla teſtacea, ſemper agitata materia, donec ſiccetur in pulverem. Solutio quidem & congelatio ſimul fiunt, cum aliquod corpus in terrea cucurbita fictili poſitum, aut vitrea, ſiccatur, vapore per galeam roſtratam vitream ſic retento, quod ſpiritus in aërem ſolutus, ac iterum in aqueum corpus congelatus, ſubmiſſo vaſe recipiatur etiam vitreo. Hac ratione ſolvitur corpus terreum in calcem, & aqueum in ſpiritum aëreum, qui rurſus in aqueum corpus congelatur, unica tantum operatione, quam vulgus deſtillationem vocat: Philoſophus proprie ſeparationem dicit. Poteſt etiam fieri ſolutio ſimul una cum congelatione, per clauſum vas reverberatorium, duobus vaſis fictilibus ingenti luto conglutinatis, ne reſpirare valeat materia: per fornacem reverberatoriam id ſublimationem appellare ſolent. Eſt & alia ſolutionis ſpecies per ſe facta quam putrefactionem vocant, quando corpus ſiccum ſua rurſus aſperſum aqua plurima, duplice cucurbita clauditur, & in acediæ furno ponitur. Quod ſi corpus aqua pauca fuerit imbutum, vel ſaltem pauciore, per idem artificium congelabitur: humidum vincente ſicco, tunc dicetur congelatio per ſe facta. In balneo Mariæ vel maris fit ſolutio, quæ putrefactio dici poteſt, in vaſe duplice ſuper vaporem ſuſpenſo, vel in aqua tantum ad medietatem ejus merſo, circumquaque tamen in vapore clauſo. Poſtrema ſolutionis per ſe factæ ſpecies, & pulcerrima; fit, dum humidum ſæpius deſtillatione rectificatum, & rarefactum, in duplici vaſe vitreo, vel pellicano reconditum, ſuprema parte vaſis extra furnum eminente, lento quidem igne, tamdiu ſollicitatur, donec amplius non aſcendat aliquis vapor, ſed in

ſundo maneat fixus, quam operationem ſolent circulationem, ſpiritusque fixationem appellare. Rectificatio nihil aliud eſt (ut ſupra patet) quam deſtillationum iteratio, vitreis organis facta. Sunt etiam quæ nullo fiunt igne ſolutiones, ut calcinatorum pulverum, ſalium, & aliorum ſuper marmor vel tabulam vitream in penario plurimum humido, vel in manica Hippocratis linea poſitorum ſubjecto vaſe liquorem excipiente.

LIBER TERTIUS.

De Chemiſtico operatorio.

CAP. I.

PRæcedenti tractatu definivimus operationes Chemiſtarum, hoc autem illas deducemus in actum: in quantum venerint in uſum rei medicæ. Non eſt enim inſtitutum noſtrum, ſingulatim ea tractare quæ ab alijs olim ſcripta ſunt: potius conabimur quaſdam generales operandi vias proponere ſtudioſis, quibus omnes præparationes phyſicarum medicinarū facilime poſſint apprehendere. Quapropter uſum triplicis fornacis demōſtrantes, docebimus tres mundi partes, utpote vegetabilem, mineralem, & animalem, deſtillare, nec non in medicinam phyſicam præparare. Pro parte minerali ſumemus vitriolum Romanum, quod in oleum præparabimus, in fornace media reverberatoria, & eodem igne deſtillabitur vinum in quintam eſſentiam ſuprema fornace, infima deſcenſoria ſolidiores animalium partes in oleum & aquam vertentur. Has tres operationes quicunque rite noverit, ex demonſtratione quam facimus, imitari: nihil eſt quod veniat in ejus mentem, de quo deſpondeat animum ſe præparare non poſſe phyſica ratione, non empirica. Hoc dico, ut videatur ab omnibus quænam ſit differentia inter phyſicas præparationes & empiricas. Decet enim vere phyſicum hominem ſua præparare individua (pharmacopolis Simplicia dicta) ſine cujusvis alterius rei mixtura vel additione quæ præparandæ rei naturam immutet: Demum poterit hujusmodi ſuccos vel pulveres, ita per ſe prius repurgatos, in medicinam, ſi velit, miſcere vel temperare: ſed quanto ſimplicior medicina fuerit, tanto vehementior. Nec eſt quod nos terreat, aliquos medicos olim ſcripſiſſe, medicinas ſimplices interimere, cum ipſi aliter utantur illo vocabulo (ſimplex) quam Chemiſtæ. Dicunt medici Reubarbarum fore ſimplex, Chemici autem aſſerunt eſſe compoſitum, quod etiam arte docent & experimento, non ſolis verbis. Empirici vero dum phyſicos imitari conantur abſq; notitia phyſices non

ces non poſſunt aſſequi plerunque quod optant: quapropter coguntur corpora miſcere corporibus ante præparationem, & illa præparare ſimul. Non tamen inficias ibo, chemiſtas corpora phyſico modo miſcere Spiritibus, ut ſimilia ſimilibus alliciant, quo facto, corpora tanquam inepta prorſus ad medicinam, rejiciunt. Excellentius quid faciunt, dum ſpiritus hac ratione mixtos ab invicem ſubtiliſſima via ſeparant. Nunc ad rem deveniamus, & vitriolum in oleum ita vertamus, ut medicamentum ſit optimum ac ſimpliciſſimum.

De Vitrioli præparatione in oleum.

CAP. II.

VItrioli Romani vel Hungarici pondera ſumito terna, vel quaterna, quæ in olla fictili, fortem ignem ſuſtinente, recondita, prunis ardentibus crementur, donec quicquid humoris continuerit, exhalet Seu potius deſtillabis omnem humorem, ad ſervandum ſpiritum, ut infra dicetur. Cum videris duram maſſam in fundo vaſis, prunas accenſas in & circum ollam injicias: hoc modo calcinabis illud in maſſam valde rubicundam. Tandem eximatur ab igne, frangatur olla, maſſaque contundatur in pulverem, quem in cucurbitam longi colli fictilem ea terra compactam, qua ſolent aurifabrorum urceoli fuſorij confici, ponito, duabus tertijs vaſis vacuis remanentibus. Ollam prius tamen luto munitam transverſo locabis ſitu, prout in media fornace reverberatoria delineatum videtur, & litera G. notatur. Collo prominenti coaptetur vas vitreum O. litera deſignatum, (quod retortam vocant) in aqua frigida ſitum & annulo plumbeo merſum, ne vacuum ſublevetur aqua. Commiſſuræ luto forti muniendæ ſunt, ne reſpirent. Deinceps excitandus eſt ignis ſub cucurbita, ſenſim etiam augendus per gradus quatuor, quorum quilibet ſit horarum 2. donec prunis ardentibus omnino ſit ſepulta. Tamdiu continuandus eſt ignis ille violentus, donec retorta, quæ prius repleta ſpiritibus obſcura fuerat, nunc ſenſim clareſcat, ut intus videatur quid contineat. Hoc percepto, ceſſandum eſt, & igne per ſe conſumto, ſeparetur vas recipiens, & quicquid olei continuerit eximatur, vitro ſolido reconditum, optimaque cera factitia clauſum ſervetur ad uſum. Hujusmodi ceram conficiendi modum habebis à Philippo Ulſtadio, libro quem Cœlum Philoſophorum inſcripſit. Notandum eſt, ne cucurbitæ terreæ lædantur igne, vel fiſſuram quantumvis exiguam contrahant, alias oleum perdetur ac opera, quapropter curandum eſt, eas ex optima terra confici. Exſiccandum eſt etiam calch...itum, aut vitriolum peroptime priuſquam deſtilletur aliter oleum erit multo phlegmate perfuſum: hoc tamen balneo Mariæ poterit auferri per deſtillationem, ſic remanebit oleum purum in fundo vaſis,

aqua ſurſum aſcendente. Hoc oleum paucis adhuc eſt notum, quia veteres illud præparandi modum celaverunt multis ænigmatibus, & tanquam arcanum ſecretiſſimum ſummo ſilentio devoverunt. Summis laudibus vires ejus, etiam ſupra vini quintam eſſentiam, extollunt, non ſecus ac iſtam, dicunt illud omnium tum corporum, tum ſpirituum, quibus adjunctum fuerit, vires ad ſe trahere. Hinc fit quod ab his, qui generalem ejus potentiam ſunt experti, ſoleat in curam ad omnes morbos aſſumi: reſtricta quidem ejus univerſalitate, per alicujus particularem formam, ut aquæ deſtillatæ, vel olei corporum, quæ ſcribunt medici morbis mederi poſſe. Verum, ne quippiam ad hujus excellentiſſimi medicaminis revelationem omiſiſſe videar, aliquot ejus vires narrabo: poterit inde quivis, qui medicinæ gnarus fuerit, alias ejus excogitare virtutes. Cum aqua ſampſuchi, bugloſſi, vel meliſſæ capitis dolores, & vertiginem curat. Cum aqua roſacea febrim continuam. Cum aqua fumariæ, myrobolanis quoque conditis, malam ſcabiem. Cum aqua acori, vel fœniculi, reſtituit memoriam labilem. Cum aqua endiviæ, renovat hominem alteratum. Cum vino malvatico, per octo dies adhibitum, obſtructionibus prodeſt. Calculum pellit, & ſanguinem purificat. Cum aqua plantaginis, fluxum reſtringit ventris. Cum aqua agreſtæ, curat omnes morbos, poſt evacuatum corpus. Cum aqua vitæ, corpus purgat. Cum ſemine lactucæ, ſomnum excitat, vel cum ſemine papaveris. Cum aqua nympheæ, rabiem & inſaniam. Cum aqua abſynthij, venenoſos morſus. Cum aqua bugloſſi vel boraginis, melancholiam pellit. Cum aqua abſynthij, ſanat apoſtemata & hydropem. Cum aqua mentaſtri, ſalviæ, vel hyſſopi, paralyſin curat. Cum aqua cynodiorum, vomitum reſtringit. Cum aqua rutæ agreſtis, lethargiam. Cum aqua raphani, & tribuli marini, pellit calculum, & obſtructos renes aperit. Cum aqua rutæ, colicam curat. Cum aqua fœniculi, omnem oculorum debilitatem corroborat. Cum aqua trifolij, diverſos morbos internos. Cum aqua plantaginis vel burſæ paſtoris, vomitum in phlegmatico reſtringit. Cum aqua ſalviæ ſpaſmum ſanat. Cum aqua adianti & hyſſopi, catharrum, & tuſſim. Cum aqua baſiliconis, tremulos. Cum aqua plantaginis, morbum lateralem. Cum aqua capillorum Veneris, pleureſin. Cum aqua menthæ, ſtomachi debilitatem. Cum tamarindis, lieni prodeſt. Si cum felle bovis illinatur, confert membris reſolutis: & generaliter omnibus morbis, dum illis adjungantur ea quæ morbum ejuſmodi pellunt. Doſis ejus eſt, ut robuſtis octo guttæ, quatuor mediocribus, debilibus vero tres adminiſtres cum prædictis, imperando ſudorem, & quod ad quatuor horas poſtea non edatur, nec bibatur, niſi debilitatis cauſa fiat.

De præ-

De præparatione quintæ eſſentiæ vini.

CAP. III.

CUcurbitam cupream L.L. vino rubeo fortiſſimo, vel albo uſque ad tertiam vel mediam partem imbutam, galeaque ſua roſtrata cuprea coopertam, atque lutatam, tripodi ſuperimponas in fornacem aſcenſoriam. Roſtro galeæ ſerpentinam cum refrigerio K.K. coaptabis ut in ſerpentinæ tubum galeæ tubus intret. Commiſſuram cura, ne reſpiret vini ſpiritus. Extremitati ſerpentinæ vas applicabis vitreum excipiens aquam. Eodem igne quo deſtillatur oleum vitrioli, deſtillabitur in fornace ſuprema: hoc ſolo notato, quod ſi calor æquo fuerit vehementior, occludatur foramen ſub tripode fruſto lateritio: quod ſi adhuc ſit calor vehemens, luto muniatur later occludens ad commiſſuras: ſi forte juſto ſit violentior ignis, ponatur cucurbita cuprea vinum continens in cupellam terream K. cineribus plenam, ſi leviorem calorem velis, duas cupellas unam in alteram ponito, leviſſimum habebis ignem, cum in fundo fornacis aſcenſoriæ cineres ad duos digitos latos poſueris: hac via tibi poteris calorem adminiſtrare pro arbitrio temperatum. Cum vini bona pars in vas ſubmiſſum per ſerpentinam tranſierit, amove, ſubjecto novo recipiente vacuo: ubi jam parum acceperis aquæ, guſta num adhuc ardens ſit ſpiritus, ſin minus, ſerpentinam à galea ſeparabis, & cucurbitam extrahes de fornace, galeam à corpore cucurbitæ ſemovendo: fæces in cucurbita manentes evacuato, recensque vinum imponito. Demum cucurbitæ ſerpentinam ut prius applicato, refrigeratorium quoque recenti aqua frigida repleto, in omnibus & per omnia ſicut prius facito, donec magnam copiam ardentis aquæ congregaveris: de qua non aliter facies, quam de vino feciſti, deſtillando per ſerpentinam bis, & demum per organa vitrea ter, hoc modo. Poſtquam ardens aqua tota per cupreum vas tranſierit, illam in cucurbitam vitream L. cum galea ſua M. & in ſuo recipiente N, in cupellam terream, cineribus plenam K. ponito, deſtillatoque ter vel quater, ac toties, donec accenſa comburatur omnino, phlegmate nullo relicto. Aquam ardentem eo modo rectificatam in pellicano, vel duplice vaſe, poteris in quintam eſſentiam convertere circulando, prout oſtendetur cum uſum acedioſi furni demonſtrabimus.

De oleorum deſtillatione per deſcenſum, ex animalium partibus; & ſolidioribus, ut lignis aliisque.

CAP. IV.

QUorumvis animalium oſſa, lignorum, ut guajaci, juniperi, & baccarum ejus, hederæ, fraxini, reliquorum quoque ſolidorum fragmenta ponas in cucurbitam terream inverſam E. ſuo

cooperculo F. etiam terreo clauſam, atque lutatam, cineribusque ſepultam, ut non videatur: ſed cineres duobus digitis latis ſupereemineant. Subjecto vaſe D. liquorem excipias eodem igne fornacis mediæ. Quod ſi minus vehemens calor ille fuerit, cinerum plus addas ſuper cucurbitam, ſi minor ſit calor quam deceat, detegatur olla, cineres amovendo rude ferrea. Ecce jam habes omnes deſtillationes, quæ hac in arte chemiſtica requiruntur, & unica fornace tres diverſas operationes, etiam unico tantum igne perfeciſti. Quod ſi velis, poteris quamlibet fornacem ſeorſim extruere, ſub eadem forma, quam in triplici fornace vides.

Vſus acedsoſi furni.

CAP. V.

PRimo laterali furno E, quemcunque liquorem deſtillatum & rectificatum circulare poſſumus, & in quintam eſſentiam convertere, & nunc de vini quinta dicetur eſſentia. Rectificatam aquam ardentem in duplici vaſe M. N ad medietatem, vel tertiam partem pleno, reconde, tum vaſorum prius commiſſura lutata, cucurbitam hanc in balneo maris, vaſe cupreo ſcilicet aqua pleno, pones, & calore medij furni, permitte vapores toties aſcendere deſcendereque, donec quieſcant, & fixetur ſpiritus ille, nullisq; vaporibus amplius galeam impleat, ſed in fundo maneat mirum in modum clarus & odorus, omnem odoris ſuavitatem excedens.

Secundo furno laterali, deſtillari poteſt quicquid indiguerit igne lento, cucurbita vitrea K. cooperta ſua galea L. roſtrata ſigillataque, balneo Mariæ, vel cupella cuprea cineribus impleta T.

In tertio laterali furno G. poterimus putrefacere materiam aliquam, ut deſtillationi operationique ſit obedientior, cucurbita vitrea I. luto forti (quod ſapientiæ dicunt) obſtructa ſuper tria pinnacidia terrea ſicca locata ſic, ut fundum non attingat, ſed tribus vel quatuor digitis latis ab eo ſuſtentetur in altum.

Quarto laterali furno H. poterimus vel ſpiritus paucos in ſuam terram figere, vel congelare, vel terram paucam multo liquore ſolvere, phiala longi colli ſuper pinnacidia terrea locata O. ſicut prius de tertio dictum eſt furno. Hoc ſolo notato, quod tertius furnus & quartus his operationibus aſſumti, ſuperius tegi debeant, & etiam hoſtiola V. X. exterius obſtrui, relicto foramine A. B parvo ſuperius à latere furni, vaſaque ſint omnino concluſa. Alterum nunc habes furnum, quo poterint operationes quatuor abſolvi, per unicum ignem continuum, & pro tuo arbitrio temperatum regiſtris, hoc eſt, ſpatulis ferreis AA. quibus inſtruuntur hoſtiola interiora, ſublevando vel deprimendo, jam ad tertiam hoſtiolorum partem, nunc ad duas tertias, ultimo totum aperitur ho-

tur hoſtiolum: ſic habebis ignem in temperamento primi, ſecundi, tertijque graduum.

De quinta eſſentiæ viribus in genere.

CAP. VI.

MIrum eſt & incredibile vulgo, quod vini ſpiritus à ſuo corpore tractus, & ſeparatus omnino, per continuum circulationis motum, poteſtatem habeat extrahendi quoſvis alios ſpiritus à ſuis corporibus, tam vegetabilibus, quam mineralibus ac animalibus, per ſolam infuſionem. Verum Philoſophi chemiſtæ nihil verius, & experimento magis comprobatum habent, quam quod activa ſeparata à ſuis paſſivis agunt in quodvis compoſitum, & illud per ſpiritus agentis acuitatem ſolvunt, ab eoque ſpiritum ſegregant per ſymboliſationem: quoniam ſimilia ſimilibus attrahuntur non impeditis, & ſpiritus appetit natura propria liberari à vinculis corporis, & ad ſuam originem redire, vel ſibi ſimili copulari. Quapropter mirandum non eſt, ſi quinta vini virtus & eſſentia prima, rerum omnium infuſarum in ea, vires attrahat, & ab elementis diſgreget, ſolutione vinculi naturalis, ſpiritibus per appetitum & actionem paſſiva ſuperantibus. Quod igitur ſuperius de chalcanti ſpiritu dictum eſt, hic etiam convenire peroptime videtur. Quid igitur aliud medico reſtat, præterquam ſimplicium (ut dicunt) naturam conſiderare, pariter & mineralium ac animalium vires & poteſtates, & eas à ſuis corporibus ſeparare, patientibusque pro morbi ratione cujuſvis adminiſtrare? Non eſt quod hic medicinam doceam, ſed chemiſticam artem, eos qui melioribus delectantur artibus quàm de medicamentorum præparationibus à nonnullis traditæ ſunt.

De metallorum deſtillatione ſimplici.

CAP. VII.

OMnes fere Chemiſtæ docent metalla deſtillare, nonnulli cum aceto ſæpius deſtillato, vel acuto lixivio: plerique cum aquis vel ſuccis ex acuentibus tractis. Verum ego nunc modum oſtendam, quævis deſtillandi metalla ſine mixtione, ſed per ſe, quod à nullo huc uſque traditum fuiſſe puto, vel ſaltem ſi fuerit, me nuſquam legiſſe memini. Omne quod igne conſumitur metallum, evaporatione deſtillabitur, ſi per ſe poſitum fuerit in bocia, vel cucurbita terrea, galea roſtrata, lutoque forti concluſa, per ignem liquefactionis, modo longiſſimo tempore teneatur in eadem liquefactione: vapor omnis per galeam retentus congelabitur in ea, hinc demittetur in vas ſubjectum humorem recipiens, corpore metalli friato. Quod campanarum, & tormentorum bellicorum fuſoribus evenire ſolet, nobis teſtatur metallum evapora-

tione conſumi: nam poſtquam liquefactum eſt, ſi longam traxerint moram priuſquam affundatur, quandoque pondere diminuetur, ut non ſufficiat operi medio, quod prius tamen ſuperabundârat, ſi mox fuiſſet effuſum. Non eſt aſp[er]nenda metallorum hæc deſtillandi ratio, ſed diligentiſſime notanda [q]uia ad aliud melius opus uſui poteſt aliquando venire, ſi ſapis.

De eorum deſtillatione quæ ſucco plurimum abundant.

CAP. VIII.

SUperius diximus qui debeant arida, minuſque ſuccoſa per deſcenſum deſtillari; nunc de his quæ ſucci plena ſunt diſſeremus. Hæc enim contrario modo (quia facilius alijs attolluntur) per aſcenſum deſtillanda ſunt, organis vitreis, vel ſaltem terreis intus vitreatis, & non cupreis vel plumbeis, niſi poſtea vitreis rectificentur ſæpius, ut de vino deſtillato ſupra dictum eſt. Quicunque liquores metallicis vaſis deſtillati ſunt, noxam ex metallo contrahunt, tanto majorem quanto metallum fuerit minus perfectum. Loquimur de his liquoribus, quæ intra corpus adminiſtrari debent ægris. Non eſt quod cavillator obtrudat, nos nunc laudare, nunc improbare metalla. Reprobamus enim venenum exiſtens in imperfectione metalli, ſed balſamum quo metallum diutiſſimo conſervatur illæſum ab interno & externo veneno, comprobamus. Quid ſi malignis aliud maſticatu durius adferam? utpote balſamo veneni venenum pelli, non veneno, quia betæ ſunt labijs eorum inſuetæ, naſum & linguam in me torquebunt? propterea non deterrebunt animum ab inſtituto, quin probos viros, & ſtudioſos participes faciam eorum, quæ dedit altiſſimus luminum diſpenſator. Sed quia de metallis abunde ſatis dictum eſt ijs, qui mentem habent & ingenium, ad ea revertar, quæ præſenti capitulo tractare propoſui. Radices igitur, frondes, flores, fructus, & id genus ſimilia, quæ molliora ſunt, item animalium ſanguis, & carnes, minutim conſciſſa, vel contuſa (& ſi velis, eorum ſuccus expreſſus) in cucurbita vitrea poſita, cum galea roſtrata, recipienteque, deſtillentur in balneo Mariæ, vel in cineribus, lento prius igne primi gradus, ut inter unam atque alteram guttulas, viginti quatuor calculos numerare queas. Ignem hunc continuabis, donec tuo judicio videbitur decimam totius liquoris partem aſcendiſſe; tum amovebis recipiens, & evacuatum iterum admovebis: nam ſolet quod phlegmoſum eſt, & nullius valoris in omnibus, præterquam in vino, prius aſcendere. Mox inde urgebis ignem, donec ad ſecundum gradum pervenerit, ut intervallum duarum guttarum ſit numerus duodenarius. Hoc igne quinquies tantum liquoris accipies, quantum prius abſtuliſti phlegmatis, id

ſeorſum

ſeorſum tanquam rei medicæ magis idoneum, ſerva: nam quod fuerit in cucurbita reliqui, ſolet ignearum virium quid ſecum, & aduſtionis non parum adſerre. Tamen ut curioſis rerum indagatoribus ſatisfactum ſit, progrediar ad extractionem olei ſimplicis ex quacunque materia. Cucurbitam extrahe de balneo Mariæ prius infrigidato, ne frangatur vitrum, & panno prius ſiccata reponatur in cineres. Tandem igne tertij gradus, ut intervallum ſit numerus ternarius, totam aquam attrahe, donec videris eodem igne numerum augeri tunc igne ad ſummum aucto, videbis liquorem nigrum, in modum olei ſpiſſi, plurimum aſcendere, qui ſapiet aduſtionem. Poteſt enim hic fœtor, quem ab igne contraxit, per digeſtionem corrigi, hoc modo: Aquas primam & ultimam ad illud oleum affunde, vel ſi velis aquam fontis prius tamen deſtillatam, & in vaſe putrefactorio I. furno G. ut vas ſit in balneo Mariæ vel maris poſitum, & concluſum, digeratur per aliquot dies, demum deſtilletur aqua tota in cucurbita galeata per balneum Mariæ. Rurſus affundatur alia aqua fontis deſtillata, digeratur, & redeſtilletur: hoc toties reiterari poterit, donec fœtorem amittat oleum, quod ſemper in fundo cucurbitæ reſidet, niſi balneum effervere facias vehementer, tum aſcendet olei purior ſubſtantia, quam inſolabis in ampulla vitrea papyro perſorata clauſa, vel hyeme per calorem acedioſi furni minimum. Hac via poterit oleum elici ſimpliciſſimum ex qualibet materia. Si vero quidpiam in cucurbitæ reſtiterit, quod per balneum non queat aſcendere, per cineres urgeatur, & per tubum in refrigeratorio aqua frigida pleno.

De ſeminum, & ſiccorum quorumcunq; deſtillatione.

CAP. IX.

POſſunt à ſeminibus recentibus aqua, ſimul & oleum elici, eo modo quem in ſuperiori cap. deſcripſimus. Verum à ſiccis oleum extrahitur per vehiculum, id eſt, per aſperſionem alicujus humoris extranei. Solent nonnulli vinum, alij ardentem aquam in vehiculum aſſumere, ſed cum hæc rei ſubſtantiam immutare videntur, laudo fontanam aquam ad minus bis deſtillatam. Poſtquam ſemina ſicca fuerint in pulverem contuſa, pulvis aliquantulum aſpergatur, ut moderate madefiat in cucurbita vitrea, galea ſua roſtrata cooperta, non lutata, ut recenti ſemper vehiculo, cum opus fuerit, aſpergi poſſit. Hæc in furno G. vel H. ſuper pinnacidia terrea collocetur, ut galea ſola promineat extra furni cooperculum, & igne lento deſtilletur aqua cum oleo mixta, donec areſiat pulvis, tunc iterum madefiat: ſi vero cum aqua non fluxerit oleum, augeatur ignis, hoc ſæpius repetatur, donec cum aqua

aqua nihil fluxerit olei. Separabis aquam ab oleo per balneum Mariæ, aſcendet aqua tota, remanente tantum oleo inferius in fundo cucurbitæ, quod rectificari poterit per inſolationem vel digeſtionem, ut dictum eſt ſuperius. Conſultum erit, oleum per refrigeratorium aqueum recipere, ad evitandam aduſtionem. Solent etiam aliqui retortis uti vitreis, ut ſpiritus facilius effluat: quoniam non attollitur in illis ad tantam altitudinem, quam in erectis cucurbitis.

Liquorum concretorum deſtillatio.

CAP. X.

Liquores concreti, qui liqueſcunt igne, per ſe deſtillari poſſunt. In genere duplici reperiuntur, aut vegetabiles, ut gummi ſunt omnis generis, vel minerales, ut gagates & carbo ſubterraneus: vegetabiles, ut thus, myrrha, ladanum, ſtyrax, calamita, maſtix, gummi juniperi, camphora. Trita ponuntur in aquam deſtillatam ſimplicem ad infuſionem; ſub terra, loco perquam humido per aliquot dies, & cum reſoluta fuerint, deſtillentur prout ſupra de ſeminibus ſiccis narratum eſt. Aliqui vinum addunt vel ardentem aquam, ſed meo judicio naturam eorum immutant. Minerales, ut gagates, bitumen, & carbo ſubterraneus, per ſe deſtillari poſſunt in retorta vitrea, luto forti munita ſuper lentum ignem primo, tandem aucto recipiatur liquor. Poſſunt etiam hæc olea per deſcenſum extrahi.

Liquidorum ebullientium deſtillatio.

CAP. XI.

QUædam ſunt deſtillatu difficillima, propter ebullitionem, oportet igitur modum invenire, quo retineri poſſint horum corpora, ne ſimul cum ſuis ſpiritibus in galeam ſe recipiant. Hujus generis ſunt, mel, cera, terebinthina, & reſinæ, quibus in cucurbitam altam poſitis, ſuperimponendi ſunt calculi fluviales parvi, qui ſpumam detineant, & ſic igne mediocri procedendum eſt, donec liquores effluant. Solet primus albeſcere, quia phlegmate quodammodo permixtus eſt: ſecundus flaveſcere. Tertius autem rubet, ideo quod vires habet magis igneas quam ſecundus. Aliqui fragmenta laterum vel tegularum imponunt, ſed dum oleum ſimplex feciſſe putant compoſitum habent, & laterinum magis quam ejus, à quo denominatur. Alij frondes arborum injiciunt, & lignorum fragmenta, ſed hæc omnia de ſuo videntur quicquam tribuere, quod calculi dicti non faciunt. Hactenus omnes præparationes ad rem medicam neceſſarias poſuimus tam exacte, ut neminem ingenio præditũ latere poſſit ars præparandi medici-

medicinas phyſicas, ex quibusvis corporibus mixtis, hoc eſt elementatis, quæ ſimplicia ſolita ſunt appellari. Nunc autem, ut unuſquiſque promtior evadat ex lectura hujus opuſculi, tædioſum non erit, philoſophorum tres potiſſimos lapides adjicere, nempe mineralem, vegetabilem, & animalem. Quod ſub ænigmate titulos eorum poſuerim, factum eſt, non ut lateant, imo potius ut ingenioſi lectores, per exercitium aſſueſcant obſcuris philoſophorum ſcriptis, & ſic in hoc opuſculo reſpondeant ultima primis. Læto igitur animo ſuſcipite lectores optimi, legite, relegite, fiet ut labore veſtro non fruſtremini.

Ænigma facilimum, per quod revelatus eſt lapis ille medicinalis, & mineralis.

CAP. XII.


VIſitabis interiora terræ, rectificando, invenies occultum lapidem veram medicinam.

Præparationis modus.

HUjus lapidis jam nobis manifeſti libras ſex, in olla fictili hunc in modum calcinabimus. Fornacem ex lateribus coctis ſe mutuo non contingentibus, uno ſuper alterum collocatis, circum ollam extruemus, cujus in medio ſuper fragmentum laterinum collocetur olla ſuperius aperta, carbonibus quoque circum ollam accenſis, & ſucceſſu temporis auctis ad ſupremum uſque fornacis, exſiccetur lapis, donec amplius non fumet: quod media poteſt horula fieri. Quo facto carbones accenſos in ollam injiciamus, quibus & in medio, ſicut à lateribus calcinetur optime quicquid in olla materiæ fuerit. Poſt quartam horæ partem carbones amovendi ſunt, ſi res accelerationem exigat: ſin minus per ſe conſumi, donec olla frigeſcat, tandem exemta frangatur. Si non ſatis rubuerit lapis, vel quidpiam albi relictum ſit in eo, conteratur in mortario, & pulvis in alia olla priori ſimili, jacenteque ſuper prunas accenſas in fornace pauliſper immutata (prout videbitur) cocleari, vel rude ferrea ſemper moveatur, donec pro arbitrio ſatis rubeat. Ollarum ſitus, & fornacum formæ ſequuntur infra.

Hæc vero calcinatio ſolum fit, ubi res, ad oleum hoc habendum, accelerationem exigit; alioquin longe majori fructu deſtillatur vitriolum crudum, in novem cucurbitis totidemque galeis vitreis, reſervando ſpiritum ejus in phlegmate deliteſcentem Hoc fit cohobationibus, ut paſſim habetur in omnibus ferme libris Paracelſi. Poteſt nihilominus oleum ſimul, aut ſeparatim, ex capite mortuo ad multas ægritudines elici.

Deinde





Deinde cucurbitam ex terra fictili habeamus oportet, materia tali compactam, ut ignem vehementiſſimum, fuſionis metallorum inſtar, per aliquot horas circa læſionem ſuſtinere valeat, quales apud Coloniam Agrippinam, & Haganoam in Germania fieri poſſent, ratione terræ his in locis optimæ. Quod ſi tales haberi nequeant, ſaltem videamus, ut figuli miſceant uni tertiæ parti ſuæ terræ, duas tertias pulveris, è crucibulorũ aurifabrilium fragmentis contuſi. Sint hæc vaſa ſtricti admodum orificii, ut collum retortæ vitreæ ſubintrare poſſint, quorum formam in triplicis fornacis delineamento videre licet. Talem cucurbitam dicto pulvere fartam uſque ad medietatem, vel paulo minus, in triplicis fornacis media reverberatoria, transverſo quidem ſitu, collocamus, ut prius de vittiolo diximus. Collum oblongum cucurbitæ promineat per foramen ad latus fornacis, pro quantitate 5. vel 6. digitorum latorum, quod in retortam magnam vitream (qualem pro vitriolo ſumſimus) intret. Commiſſura, pultibus ex ovorum albumine farinaque ſubactis, obſtruatur, & fornacis foramen circum cu-

cum cucurbitæ collum prominens, argilla munitum ſit, ne calor expiret inde. Mox carbones accenſos in fornacem ponamus oportet, primo paucos, & ſic igne lento phlegma totum eliciamus. Poſtquam viderimus vas recipiens impletum eſſe ſpiritibus albis, ut introſpici non poſſit (quod potiſſimum in calcinatorum deſtillationibus fieri ſolet) amovemus illud vas recipiens, & altero ſtatim admoto, majorem excitabimus ignem: ſenſim carbones imponendo, per foramen medio ſolarij fornacis factum, quod poſtea latere venit obſtruendum. Hoc continuabimus, donec tota cucurbita carbonibus cooperta ſit & accenſa candeat omnino. Vulcanicum ignem hunc exercebimus tamdiu, quouſque retorta recipiens jam optime clareſcat, nullisve nebulis amplius imbuta nobis patefaciat quid ſudoris & laboris ſit præmium. Hoc opus octo ſæpius horis perfeci, quod vix ſeptuaginta duabus, hoc eſt, tribus diebus, ac totidem noctibus, perfici poſſe ſcribunt nonnulli docti viri. Liquor exemtus debet ſæpius rectificari, nec non ad ſummam ſubtilitatem redigi, velut ſupra dictum eſt de alijs. Quo facto poterit ægris adminiſtrari cum theriaca, vel mithridate, contra quoſcunque morbos.

Aliud ænigma, per quod ſecundus lapis & vegetabilis ad medicinam detegitur. Unum poſt quinque, nihil enim poſt quinq; millenum colloca.

CAP. XIII.

HUjus partes 16. æquales in cucurbita vitrea vel cuprea deſtillabimus, aut terrea vitreata fornace, quam aſcenſoriam nuncupamus, & igne temperato, donec viſum fuerit harum partium unam aſcendiſſe, quam ſeorſum ponemus. Admoto tandem alio recipiente continuabimus, quouſque aliam ſimilem extraxerimus partem: quam etiam ab altera ſemotam ſeparabimus. Tot extrahendæ ſunt partes tales, donec guſtu perceperimus, nihil aut parum liquori ſtillatitio virium ſulphurearum ineſſe: quod optime probabitur, ſi liquor admotus igni flammam conceperit tanquam ſulphur: ſi non, ceſſandum eſt, & quod reſiduum fuerit in fundo cucurbitæ fæcum, & phlegmatis, prorſus evacuabimus. Recentes iterum partes ſexdecim ut prius deſtillabimus. Toties hoc repetendum eſt, quouſque liquoris hujus maximam partem habuerimus tam primæ, quam ſecundæ, tertiæ, quartæque (ſi tot ſunt) deſtillationum. Deinceps cucurbitam ad medietatem, ut prius, implebimus deſtillatione prima: cujus mediam partem cum extraxerimus, amoto recipiente, reliqua medietas altero vaſe recipietur. Quod jam de prima deſtillatione factum eſt, de ſecunda, tertia, reliquiſq; fiat oportet. Sic primæ deſtillationis prima & ſecunda ſeorſum deſtillationes habebuntur, ité & ſecundæ ac tertiæ

prima

prima & ſecunda, & ſic de reliquis. Poterit etiam tertio reiterari hæc deſtillatio vaſe cupreo, vel terreo vitreato, ſicut prius, unicam lagenam ſimponendo, ſi primæ primam accipias: ex ea medietas cum aſcenderit, ponatur ſeorſum, & vocabitur ex prima primæ prima. Cum ſecundam receperimus medietatem, hanc inſcribemus ex ſecunda ſecundæ ſecundam. Neceſſarium erit ad hoc opus multas habere lagenas, & ordine ſuo quæque locanda eſt, ut dignoſcatur, vel ſingulis deſtillationibus (quod potius fuerit) ſcheda pultibus affixa notanda venit. Erunt ex qualibet deſtillatione repetita ter tribus in quatuor, duodecim lagenæ. Quæ ſeparatim poterint rectificari vitreis organis, ut de ſuperioribus dictum eſt. In æthercam ſubſtantiam prima, ſecunda & tertia lagenæ redactæ, poterunt contra quoſcunque morbos adminiſtrari. Doſis erit pro diſcretione medici.

Tertium ænigma per quod lapis ad medicinam potiſſimus, & animalis à philoſophis dictus, revelatur.

CAP. XIV.

PRecium vile carum draconi caducifero, pro ſexta ſui parte, devorandum exhibemus. Quo deguſtato, mox inquietus ille ſerpens gradum ſiſtit, & in ſoporem actus, aquis è duobus fontibus, albo viridique manantibus abſorbendus datur: donec redeat æſtas proxima, quæ ſuo vehementi calore ſiccet aquas, & cadaver in profundo maris appareat mortuum. Quod in ignem projectum, reviviſcit, aliſque ſibi reaſſumptis evolat in auras in igne tamen relicto fœtu quem parit ex conceptione precij. Fœtus hic quia in igne natus, ut Salamādra nutriendus eſt igne, quouſq; jam adoleſcens factus, valde rubicundus, & ſanguineus evadat. Tum felicioribus undis, quam illæ quibus mater, lavandus eſt & ſubmergendus, ut ex morte ſua languentes vivant felicius. A corpore jam pallido facto ſeparatur anima cum ſanguine: quæ precium nobis eſt, corpora cuncta vilibus valeant. Animam hanc undiquaque ſanam, in ægrum corpus ſuſam, illud ab omni labe mundum, ſuæ virtutis ſimplicitate, reddere, compertum habent philoſophi. Hæc eſt omnium medicinarum medicina perfectiſſima ſimpliciſſimaque, nihil in humano corpore corrupti relinquens: ſed omnia languida refocillans, & in temperiem transmutans quicquid intemperati fuerit, ac imperfecti. Unionis ſimplicitate ſua, pacem facit inter inimicos mortales, & concordiā, vitam in hoc ſeculo (Deo dante) ſemimortuis tribuit, ac ſanitatem largitur ægris corporibus.

Concluſio prioris operis.

CAP. XV.

SOlent omnes, quotquot ſunt hujus artis ignari, licet ex Univerſitatibus doctiſſimi ſint, eam improbare: quid mirum? cum tale quid nunquam audiverint, vel experti ſint. Ex eo non ſequitur artem fore damnandam, quam ignorarunt docti viri. Multa quidem noſtro ſeculo prodierunt in lucem, quæ priſcis ignota fuerunt, non ſecus ac plurima jam delituerunt nobis, quæ patribus antiquis erant familiariſſima. Quid non temporis injuria, nec non hominum ignavia tranſit in oblivionem? propterea non deperit res ipſa cum memoria, ſed poſtquam aliquandiu ſepulta jacuerit illis eo tempore, eiſdem hoc ſeculo, vel alijs emerget nutu Dei: cujus in pectore quieſcunt ab æterno cum ejus ſapientia, cunctæ laudabiles artes, ac bonæ. Diſtribuit Deus omnipotens dona ſua quibus vult, & aufert ab ingratis qui abutuntur illis. Dubium non eſt, quin Deus antiquis patribus medicinam aliquam revelaverit, per Spiritum Sanctum ſuum, qua tuerentur carnis corruptionem, & potiſſimum ijs, cum quibus loquutus eſt, & fœdus inivit. Sed poſtquam hominum per ſe ſapiendi vanus appetitus induxit eos ad quærendum ſalutem à ſeipſis, & in alijs rebus, quam in eo, in quo ſalus eſt & redemptio, cæcutivit mens eorum, & in labyrinthum ducta, nunc hanc, nunc illam herbam, cras iſtam & aliam radicem, poſtridie mixtum quid, & ſic indies experientes, nunquam ad ſcopum devenerunt, nec ſuæ doctrinæ certitudinem veram habent, ſemper in eo dubioſo hærentibus labyrintho, nnuquam contingit adire Corinthum. Et quod magis abſurdum eſſe videtur, homines ſua ſorte nunquam ſunt contenti. Dedit Deus unicuique nationi quod voluit eam poſſidere, tam in alimentum, quam in medicamentum. Quid inde? noſtra nos docet inimicus contemnere, alienaque ſemper appetere. Habemus apud nos, & fortius in nobis ipſis, non à nobis, quæcunque extra nos quærimus, vel ab alijs. Videamus qui Gentiles Pagani hoc in loco nos arguant Chriſtianos. Inquiunt enim, natura naturam ſibi ſimilem appetit, & congaudet ſuæ naturæ; ſi alienæ jungatur, deſtruitur opus naturæ: mirabile dictum iis, qui non bene conſiderant quid ſit natura, ſed his qui naturam norunt, nihil verius eſſe poteſt. Natura triplex eſt, ſcilicet: Univerſalis, particularis, & mixta. Univerſalis natura convenit omnibus & per omnia. Particularis ſibi ſimili convenit, & triplex eſt ratione ſuarum partium. Mixta natura magis materiæ, ſpirituique minus convenit, quapropter impedite dici poteſt agere. Ex hac tota medicina ſeculi noſtri dependet. Igitur ſecundum hanc, minus probamus ea quæ fuerint extra climatis naturam ad medicinam aſ-

ſumpta, quam illa quæ ſunt ejuſdem climatis. Pari modo minus convenit particularis natura diverſi climatis, quam ejuſdem. Univerſalis natura diverſi climatis, quandoque magis, aliquando minus, operatur, ſecundum cæli diverſas influentias: attamen plus conducit, quam particularis aut mixta natura proprij climatis. Et ſecundum hanc rationem, triplex erit medicina, ſcilicet unarij metaphyſica, ternarij phyſica, & binarij vulgaris: quæ poſtrema ſimplicis nomen hoc ſeculo ſortita eſt, quod tamen duobus prioribus olim inditum erat, ac magis congruum. Hinc fit, quod hi, qui medicinæ mixtorum duntaxat operam dederunt, ingenio licet ſint acuto, non poſſunt aſſequi notitiam illius medicinæ tam univerſalis, quæ poſſit indifferenter omnibus mederi morbis, hac inducti ratione: nulla medicina (inquiunt) poteſt aſſignari, quæ non ſit calida & ſicca, vel calida & humida: qui poterit igitur calida & ſicca medicina morbum calidum & ſiccum pellere ſuperflua? cum hoc frigido humidoque medicamento fieri debeat: nam contraria contrarijs curantur? At major eorum neganda eſt, quia in omni mixto vel individuo, reperitur aliud quam calidum, frigidum, ſiccum, vel humidum elementum. Quod ab his omnibus arte noſtra ſeparatur, hoc non eſt humidum, neque ſiccum, nec frigidum, & minus calidum, ſed æthereum quid, ut cælum ab inferioribus ſegregatum elementis: quapropter à philoſophis cælum nominatur hæc medicina, quia non alias agit in corpora noſtra, quam cælum in inferiora, tum etiã quod incorruptibilis naturæ ſit reſpectu corporis, à quo ſumta eſt, ſicut cælum reſpectu elementorum. Sunt enim elementa per ſe mortua, quæ niſi vivificentur ab anima vel ſpiritu mundi, nihil producunt: veluti terra quæ ſub dio non fuerit, quantumvis pinguis ſit, nihil producit: Sed ſub nudam auram poſita, ſuas herbas, & animalcula profert, nihil tamen tam ſolidum in globo terræ, quod impedire poſſit, quin hæc anima penetret in ejus centrum uſque: docet nos hoc generatio metallorum, in viſceribus terræ hiatum aut ſpiraculum non habentibus. Videmus ergo differentiam inter generationem vegetabilium, & animalium, quæ non fit niſi per medium aeris liberi, & inter metallorum generationem, quæ fieri non poteſt, niſi vaſis undique clauſis: nam ſi pateret vaporibus metallicis exitus, nunquam congelarentur in metallum, ſed evaneſcerent in auras. Inde judicium facimus, animam in metallis eſſe magis penetrativam, quam in animalibus & vegetabilibus: quoniam vaſa perquam ſolida penetravit lapidea, quæ ſpiritus aliorum acutiſſimi penetrare non poſſunt. Qui putaret elementa per ſe generare, Philoſophus non cenſeretur magis quam fatuus, qui vellet aſſerere mulierem abſque viro naturaliter imprægnari. Quamvis elementum vel ignis ſubterraneus terram in ſulphur comburat, &

aquam

aquam in vaporem aëreum excitet, nihilominus animari non poſſunt, niſi per animam penetrantem, de qua ſupra dictum eſt. Habet ignis elementaris potentiam activam ad corrumpendum, non ad generandum, ut ſupra. Rurſus, qui negaverit ignem elementarem in centro terræ habere primam originem, unde naturaliter aſſurgit ad concavitatem ſuæ ſphæræ, philoſophi non eſt dignus appellatione, quia fatetur ignorare, quod ignis corruptionis, magiſterium exercet in reliquis elementis. Generationis vero beneficium cælo debetur, non elementis: per hoc poſſumus concludere generationem omnem inter cælum & elementa fieri. Nunc videndum eſt, quisnam ſit fœtus hujusmodi partus, certe finis eſt generationis, ut corruptionis finis, eſt generatio. Sed ut apertius loquar, fœtus eſt mixtum ex utriuſque parentis ſubſtantia productum ad ſui perfectionem. Omne individuum eſt mixtum perfectum, quia licet aliquando fuerit aliqua ex parte deforme, non eſt hoc adſcribendum naturæ nec formæ, (quas non contingit errare) ſed materiæ (ut ſuperius dictum eſt) indiſpoſitæ. Videntur ergo plurimum errare, qui ſimplicia vocant individua & potiſſimum vegetabilia: niſi fortaſſis hoc faciant reſpectu medicinarum ex pluribus mixtis & individuis compoſitarum, & ſic quodlibet mixtum unicum ſimplex eſſe ſomniant: hinc venit appellatio Simpliciſtarum his applicata, qui vegetabilibus dignoſcendis operam dant. Nunc ad ſimplicem illam medicinam revertamur. Quicunque talem negat medicinam dari poſſe, quæ valeat incorruptibilitate ſua quamvis corruptionem indifferenter corrigere, cælum inferiora ſuſtentare vel gubernare negat. Sed ne videamur naturæ ſecreta lenocinio proſtituere velle, pauca de his ſapientiæ filijs ſufficiant: hi facile quid per hæc velimus intelligunt. Qui vero noſtram ignorant artem & rident, fugiant hinc procul, quoniam illis in ruinam eſt poſita: ut quærentes non inveniant, & audientes non intelligant. Non eſt projiciendum roſas & margaritas ante porcos, ne pedibus eas, tanquam betas labiis eorum inſuetas, conculcent. Sapientiæ filij ſpiritu non ore hauriunt alimentum, ut mente magis quam corpore vivant. Interim tamen ut ſit mens ſana in corpore ſano cupiunt, donec à naturæ vinculo ſoluta tria hæc in unum rurſus unita vivant in æternum.

Finis prioris partis Clavis Philoſophiæ Chemiſticæ.

SECVNDA PARS

SPECULATIVÆ PHILOSOPHIAE GRADUS SEPTEM VEL DECEM CONTINENS, PER QVOS AD ſublimia patet aditus.

Acceſſit hujus mundi Fabrica, Pereregrinatioq́, vitæ communis, quarum cognitione vitatur erroris via, veritatisq́ ſemita demonſtratur.

Colloquiis, & comparativis recapitulationibus ſingula illuſtrata.

AD BENIGNUM LECTOREM Auctoris Præfatio.

Poſtquam Chemiſticæ Philoſophiæ clavem, hoc artificio compilatam, ut quodlibet capitulum peculiarem tractatum requireret, abſolviſſem, facere non potui, quin explicationem primi capitis hujus philoſophiæ ſtudioſis amatoribus darem: ut qua facie labores noſtros recepturi ſint, experirer. Quod ſi hos illis gratos & acceptos fore perceperim, quandoque majora videre licebit, quàm hucusq́ de meis lucubratiunculis proceſſerunt: ſin minus, aliis hac in re ſuum ut experiantur ingenium, ſi quid utilius excellentiusq́ præſtare velint, relinquo: feciſſe me ſatis, dum cunctis per clavis traditionem, & graduum demonſtrationem, viam aperuerim, exiſtimabo. Sat ſcio, plurimos ex his, qui nihil præterquam ea, quæ vel ſua ſunt, aut ſaltem ſibi cognita, vel in Vniverſitatibus audita, probare ſolent, dentes in eos acuere, qui ſecretiora natu-

naturæ ſcrutantur myſteria. Verum hoc non admiror, cum tales animadvertam peſſime habere, quod poſt eorum longo labore ſumtibusque non exiguis parta ſtudia, quibus jam ſibi canos contraxere capillos, nova ſibi quædam, ſi non inaudita, ſaltem parum aut nihil intellecta prodeant in lucem, ſuis longe præſtantiora: antiquiſſimis etiam auctoritatibus & experientia recenti ſic probata quibusvis judicio ſanioribus ut nullis argumentis labefactari queant. Senio confectos diſcere pudet, eos maxime qui docere ſolent alios, ruſtico potius, quam philoſophico pudore motos. Nunquid & nos ætatis, laborum & ſumtuum in Academiis jacturam fecimus? nec veremur tamen à minoribus pedem, quem in ſtabiliora figamus, retrahere. Non propterea (ut noſtra ii) ſpernimus ea quæ docentur in univerſitatibus omninoque rejicimus, tanquam nulla forent, hoc ſolum dicimus, nos experientia longe meliora didiciſſe, quam lectionum frequentationibus. Nec dubito, multos futuros, qui dum rem ipſam carpere non poterint, occaſionem vel minimam quærant, aut ſermonis inculti, vel ordinis in tractatione, qua quod lacerare non valent, rodant. Verum ut pro utraque reſponſum ſit his, certum eſt, eos qui rebus ipſis intenti ſunt maxime, rerum inutiles circumſtantias minime curare, tum quod videant, ad rem vere cognoſcendam hominis ætatem longiſſimam deficere, tum etiam in veritatis profeſſione locum non eſſe pallio: veraque minus ſermonis elegantia, vel multiloquio colorari ſolere. Ne videar etiam alicui de phyſicis in mea Clave poſitis principiis in moralem philoſophiam incidiſſe, doctis hoc revelabo ſecretum. Ea quæ videntur phyſica quandoque, licet non ſemper, moralia ſunt philoſophis, tum occulta legentibus manifeſtiſſima ſibi, quæ non minus aliis pro occultiſſimis reputantur. Hac arte velarunt artem iis, qui rident omne quod aſſequi non valent ingenio. Hinc etiam factum à me putetis, quod poſt traditionem

artis ejusq; Clavis, mox inde gradus ut media proponam, quibus veſtra ſtudia de gradu in gradum ad altiora promoveantur. Impoßibile foret quempiam literatum, vel quantumvis doctum, ad hanc artem naturæ ſecretiſsimam pervenire poſſe, niſi per hos gradus philoſophicos omnes moraliter, vel ſaltem phyſice, tranſitum fecerit: licet utroque modo felicius. Alios defuturos non puto, qui dum accuſare philoſophos tautologiæ, vel ſuperfluæ repetitionis audebunt, ſuam in hac arte prodent ignorantiam: cum huic philoſophiæ proprium ſit, ea prius obiter diſcurrere, quæ poſtea latius explicantur, & poſtremo recapitulatione quadam repetere, qua legentium animi, rei frequentia potius confirmentur, quam cogantur ea multiloquio credere, quæ ſibi coacte non ſunt obtruſa. Philoſophi omnes amore quodam ſtudioſo pervenerunt ad artem, hoc etiam alios ad hanc admonent, non cogunt tamen. Nec eſt etiam quod exiſtimetis, hic aureos latere montes: aut tantopere jactatum illum philoſophorum lapidem, qui cuncta (ut aſſerunt nonnulli) in aurum monetarium inferiora quæque metalla transmutare queat, ſed phyſicum vobis lapidem propono quærendum, quo corporis humani phyſica metalla minus perfecta (morbos putato) per metaphyſica perfectiſsima permutari valeant metalla, quæ vocantur Eleyſiria, medicinæque omnium ſimpliciſsimæ. Qua de re tot locis philoſophi hortantur omnes, quotquot ad hæc ſtudia ſe converterint, ne philoſophorum ſcriptis per literam fidem adhibeant, ſed ut allegorice potius interpretentur ea. Summas in ſanitate mentis & corporis divitias antiqui repoſuerunt: ex eo patet, quod plerique horum qui hanc artem nobis tradiderunt, ſtrictiſsimam paupertatem libenter obſervarunt, ut Raymundus Lullius. Alii vel mediocriter vixerunt, ut Hermes Triſmegiſtus, vel ſplendide bonis quæ non ex hac arte, ſed paterno ſucceſſu habuerunt antea, potiti ſunt, ut Geber Arabum opibus paternis

ternis rex ditiſſimus. Quicquid ſit, hoc ſcio, dum adhuc artis diſcipulus minor eſſem, una cum cæteris ditari cupiens hoc magiſterio, poſt multos labores fœtidos, valetudinique noxios halitus hauſtos, ſumtusque non exiguos, oleum & operam perdidiſſe me. Nec tamen illud animum ab iſta philoſophiæ parte meum retrahere potuit: imo potius, tum quod tantorum virorum graves admodum legerem auctoritates, tum quod experiendo mirabiles viderem operationes naturales: perſuaſum eſt aliò mihi navis hujus proram eſſe divertendam. Et cum animadvertiſſem medicinas metallicas non transmutare metalla, ſed tingere tantum & illuſtrare: de philoſophicis tincturis philoſophos artem ſcripſiſſe judicavi, voluique pariter eas, quæ circa humanum corpus applicari poſſent, experiri tincturas: maxime quod olim rei medicæ non hac, ſed alia (quod ajunt) Minerva dediſſem operam. Tandem Aureoli Theophraſti Paracelſi doctrina provectus, quidquid deſiderari poteſt, divino conſequi poſſe medicum auxilio, circa corporis humani curationem ex Alchemia haud amplius dubito. Hæc ſunt ſtudioſe lector, quæ de meis laboribus tibi polliceri poſſum, nempe quæ plurimum acuent ingenium tuum ad eorum intellectum conſequendum, quæ ſcribuntur à Philoſophis in arte transmutatoria. Si quæ plura tamen de hoc ſtudio ſperanda putes, ab eis qui feliciori ſunt ingenio petere poteris: interim ea quæ ſtudioſorum in utilitatem libenter adfero, boni conſule, valeque.

De ſpeculativa Philoſophia.

CAPUT I.

SPECULATIVA Philoſophia dicitur benè compoſitæ mentis à corpore voluntaria diſtractio: qua facilius circa veritatis cognitionem verſari queat animus. Ad benè vereque ſpeculandum, requiritur bona corporis diſpoſitio, quæ mentem non impediat: Hæc dupliciter acquiri poteſt, natura ſcilicet vel arte. Quæ naturalis eſt; arte juvari poteſt, nec non id adipiſci, quod à natura hac in parte negatum fuerit: præcipuè rationis uſu, tandem ſobrietate victus, & medicinis Philoſophicis: horum unico vel omnibus ſimul adhibitis remedijs. Verum ut melius intelligatur quid hæc ſibi velint, ab omnibus definitionis terminis, ad ultimum uſque veniendum eſt. Mens benè compoſita dicitur, quoties animus cum anima tali vinculo junctus eſt, ut corporis appetitus frænare valeat. Corporis bona diſpoſitio, cum ſuis corruptis appetitibus minus fuerit obnoxium, intelligatur: & optima cum partium ejus componentium excellentiorem temperaturam acquiſierit, tunc minus quæ ſua ſunt appetit, mentique fit obedientius. Quicquid corpus appetit, corruptum eſt. Verum nihil appetere poteſt niſi per faculutatem animæ, quæ corporis eſt motrix: hæc ſimpliciter movet absque boni vel mali conceptione: Corpus hujusmodi motum ſuſcipit, ac per ſui corruptam naturam in malum appetit exſequi niſi reſiſtat animus, qui nil niſi bonum ſuadet. Eſt igitur anima bonum & malum inter ſita; ſuámque boni habet opinionem per bonum, & mali per malum: permittente bono (non alias) tale malum fieri; propter continuam reſiſtentiam boni moti, quæ propriè pertinacia mali contra ſpiritum ſuadentem omne bonum dici poteſt. Ut hæc melius intelligi queant, ſciendum eſt, hominem tribus potiſſimis conſtare partibus, Animo ſcilicet, Anima, & Corpore. Dicitur Animus ſpiraculum vitæ. Anima quidem organum eſt animi, id eſt, ſpiritus, veluti Corpus organum animæ: quæ vita corporis eſt, & ſubſtantia media inter animum & corpus. Hæc ſi magis adhæſerit animo quam corpori, Mens exſurgit ac internus homo: ſi contra corpori magis quam ſpiritui, non fit mens, ac externus homo dicitur, & tenebrarum abyſſus. Tribus etiam delectatur animus: Ratione, Intellectu, & Memoria. Ratio ſpeculationis imaginem intellectui repræſentat, hic eam arcanis conſervandam exhibet memoriæ. Ratio prima Mentis eſt æternæ perpetuus & inviolabilis ordo: cujus homo [illegible] eſt particeps ex dono Dei. ſimul & intellectus, qui ra-

tionis

tionis eſt apprehenſio: Non ſecus ac Memoriæ,quæ quidem amborum conſervatio dici poteſt. Anima duobus conſtat. Motu videlicet,ac ſenſu. Motus eſt aut naturalis vel accidentalis; ſed quia de hoc in Clave noſtra tractavi, hic obiter pertranſeo. Senſus eſt,vel viſæ, vel auditæ, deguſtatæ, olfactæ, vel tactæ rei perceptio: Nam corporis membra, per quæ ſenſus ab anima percipiuntur, ſenſuum propriè vocamus organa. Senſuum perceptio rerum præteritarum notitiam,præſentium repræſentatione revocat in memoriam. Hanc animalia bruta cum hominibus communem habent: nam illa ſolum præſentibus oblatis,eadem ſenſu recolunt. Eſt & alia radix memoriæ perquam excellens, quæ nulla repræſentatione media,ſed ſpiritus nunquam otioſi ſedula tantum agitatione dictam colit memoriam, virereque perpetuò facit: hæc memoriæ continuatio rationis cultum ſubſequitur, & eſt homini ſoli contingens. Ergo ſenſus eſt communiter animalis,ratio particulariter intellectualis: quia non intelligunt bruta, niſi per ſenſum præſentem: Animalia rationalia per intellectum à ratione motum, & ſenſum; poſteriore ſive, vel medio. Iterum animus & corpus in rationibus oppoſita ſunt contraria,quæ nunquam poſſunt conjungi niſi per mediam animam de utroque participantem inimico; ſed quia alterum extremorum eſt perfectum, & alterum imperfectum, ſi motus fiat à perfecto, per medium, tranſit in imperfecti perfectionem, & è contra. Hac ratione Deus omnia condidit,ex tribus in unum ut conveniant:ipſe nempe pacis auctor eſt & unionis. Duo & unum ſunt inimici. Rejiciatur binarius, ut in unum ternarius convenire poſſit, quod in Clave latius dictum eſt: copioſius hic non repetam. Animus omnibus eſt æqualis,mens verò non omnibus æqua. Pauciſſimi ſunt qui cum animo conjunctam habent animam: multi qui ſecundum magis & minus de mente quid participant: plurimi qui corpus in anima colentes,& hanc in corpore,non agnoſcunt animum, quibus nulla mens eſt, ſed inſania. Mens itaque benè recipitur, quoties animus & anima convenientia ſimul, à corpore ſunt ita recepta, quod ex his tribus unum fiat conſonum & inſeparabile: ſed hæc amicitia nullo modo fieri poteſt,niſi per ſeparationem,ſine qua non fit conjunctio metaphyſica. Unum eſt ſolum,quod ſi ſolum manet,impoſſibile eſt cum altero jungi: ſi tamen cum altero conjungendum ſit, hoc alterum ex illo uno ſeparari neceſſe eſt; cum nihil ſit præter id unum. Et quia partes unius ex uno ſymboliſant, vel ſympathiam habent,in unum de facili conveniunt: ſed eo facilius,quò minus per intervalla ſeparatæ ſunt ab uno. Quapropter mentis à corpore diſtractio neceſſaria eſt, ut ejus & alterius fiat unio. Sed cum unio perfectionem requirat: ab extremo perfecto(ſicut ſupra dixi) per medium facit
 tranſi-

tranſitum ad imperfectum, ut illud perficiat. Per hujuſmodi mentis à corpore diſtractionem (quam voluntariam nonnulli mortem vocant) acquirunt animus & anima ſimul juncta, potentiam ac dominium in ſuum corpus, quod ſolus animus nõ habebat antea, propter medium renitens, per quod naturalis tranſitus fieri debet: quia non conveniunt inimici, niſi per ſequeſtrem neutrum ex parte diſcordiæ: ſed participem ex parte reconciliationis utriuſque. Hoc poſtremo labeſit aſtronomia judiciaria, quæ diſpoſitionem aſtrorum inclinare, ſed non neceſſitare docet: nam aſtra mentibus hominum longè ſunt inferiora, pariter ignobile parum aut nihil penitus in ſe nobilius poteſt. Verum ſi corpora humana vincant animam, eamque reducant in corruptibilis corporis ſervitutem, inficias non iero, quia corpora aſtrorum tunc nobiliora ſunt hominum, ſimilibus corporibus ſuas in humana corpora paſſiones imprimere poſſe. Breviter, ſapiens dominabitur aſtris, inſipiens nedum his ſubjicitur, verumetiam inferioribus & ærumnis quibuſcumque: ſapiens eſt qui mentem adeptus eam excolit: inſipiens verò, qui corpus in anima, vel hanc in corpore, diligit, animo neglecto: quod etiam ex verbo divino comprobatur. Qui diligit animam ſuam (intellige in corpore) perdet eam, & qui odit eam (ut ſupra) in æternum cuſtodit eam. Diligere dicitur is animam in corpore, qui ſuos appetitus pravos exequitur, è contra qui non exequitur, ſed vanitatum cogitationibus delectatur, corpus in anima videtur diligere. Odit animam ſuam in corpore, qui corporis frænat appetitus, & corpus in anima, qui vanis reſiſtit ſpeculationibus. Viſum eſt & hoc adjicere, quod apud probatiſſimos auctores, & præcipuè theologos, anima nonnunquam pro ſpiritu, & hic pro anima, ſumitur indifferenter: per hoc non eſt inferendum, quod ſpiritus & anima ſint unum & idem ante mentis compoſitionem, ſed poſt, & in eo conveniunt philoſophi cum theologis, nam ſive mentem vocemus ſpiritum ſive animam, appellatione unius non excludimus alterum: propter unionem jam factam. Non dicitur unio vera, niſi fuerit inſeparabilis: non poſſunt tamen unionis initia jaci, quæ non conſequuntur effectum: per hoc non ſtat, quin mens adhuc imperfecta magis vel minus appelletur. Qui perfectam conſequuntur mentem, ſunt pauciſſimi, qui inchoatam habent, multi, qui nullam verò, plurimi. Nunc ad corporis anatomiam veniens (ut ſupra) dico bonam corporis diſpoſitionem ad veram ſpeculationem eſſe neceſſariam (nimirum) quia corpus ex ſui corrupta natura plurimum aggravat animam & impedit, quo minus ſpiritus actiones percipere poſſit. Nonnullis à natura datum eſt, magis idoneos eſſe cæteris, ad hanc ſeparationem faciendam, utpote quibus ad naturalem corruptionem in eorum formatione, per accidens,

dens,nulla prorſus vel pauca ſaltem,acceſſit corruptio. Minus apti ſunt,qui præter ortivam corruptionem & acceſſoriam,ex propria petulantia,victusque diſſoluta ſerie, rationem impediunt: ut ſunt hi,qui mundanis agitati curis, ea quæ extra mundum perpetua ſunt,negligunt, & qui largius utuntur eis quæ natura dedit in neceſſitatem, quam par ſit. Quapropter uti per acceſſionem alicujus quid impeditur, ita per amotionem ejusdem juvari poteſt. Sunt itaque medicinæ philoſophicæ per Alchemicam artem, præ cæteris excellentiſſimam,à proprijs ſemotæ corporibus, quæ per naturalem vim agendi,quam habent in proprium corpus & poſt remotionem ſuæ partis patientis retinent,id idem in alienum corpus objectum exequi poſſunt & excellentius, quàm à natura datum illis erat in propria corpora perficere. Nunc quicquid eſt in rerum natura,formam habens & materiam, deſiderat in ſuo genere perfici: quod naturale deſiderium, perfectionis omnium eſt potiſſima cauſa. Et cum natura ſibi ſimili naturæ jungi gaudeat, ac delectetur in ea, vincente mente, per ſibi ſimile medicamentum adjuta, corpus in eandem condeſcendere naturam cogitur: ſicut vincente corpore ſibi ſimilibus corroborato corrumpentibus,anima cogebatur prius. Quod,ne cuipiam abſurdum videatur,adjiciam: Quodvis nutrimentum in ſanguinem nutriti mutatur ejusdem naturæ, cujus fuerit nutrimentum: exemplum natura docet in his, qui ferocium animalium carnibus aluntur, aſſiduè ferociſſimos fieri. Nihil aſſumitur in nutrimentum à natura, præter id quod eſt ſubtilius; craſſum & fæculentum rejicitur in excrementum, & iterum nutrimenti ſuperflui quodvis excrementum,natura per poros in ſudorem,vel per veſicam, aut lacrymas ejicit. Hoc movit præceptorem noſtrum Theophraſtum Paracelſum dicere, quodvis corporis membrum ſtomachum habere proprium,in quo decoquitur nutrimentum,& fit in eo ſeparatio ſuperflui à neceſſario. Si per membri cujuſpiam ſtomachi debilitatem, hujuſmodi ſuperfluitas non ſeparatur, ob malam digeſtionem, ſuperfluum hoc nutrimentum, vel carnes in tali membro cogit in tumorem corruptum excreſcere, quod apoſtema vocarunt: vel oſſa præter naturam extendi. Hujus exemplum in multis vidi,nempe coſtas omnes ab uno latere, hac de cauſa, præter naturalem ordinem extenſas fuiſſe, gibbumque ſub ſcapulis excitaſſe præter dolorem: quia non potuit hæc ſuperfluitas in apoſtema purgari,propter oſſium ſoliditatem, & in excreſcentiam eſt dilatata ſinę purgatione, doloreque: nam oppreſſa non fuit amplius. In medicamento philoſophico nihil groſſi relinquitur,nec ſuperflui quid: quapropter incorrupta natura totum hoc medicamentum aſſumit, ac ſine ſeparatione tranſmutat in ſibi ſimilem naturam, utpote ſuperfluitatis expertem. Incor-

rupta

rupta natura, dicitur balſamum naturale, quibuſvis corporibus naturaliter inſitum, per quod eorum color & humor etiam naturalia, quantum fieri poteſt, à corruptione præſervantur, quo deficiente, corpus humanum efficitur leproſum, & eo convaleſcente per augmentum, quod jam corruptum eſt, propter ejuſdem balſami paucitatem, in excrementum ejicitur. Differt in hoc medicamentum philoſophicum à phyſico, quod hoc una cum ſuo corpore trajectum in ſtomachum, non aliter quam cibus in triplex alimentum, & duplex ſeparatur excrementum, illud in balſamum, Mercurium, aut Vulcanum tranſmittatur, oportet enim tres corporis phyſici partes potiſſimas, ſanguinem, ſal, & ſulphur, ſibi ſimilibus nutriri. Hinc fit, quod cibi potusque quotidiani cum ſuis ſumuntur corporibus: nam quodvis elementum ſuſtentatur elemento; ſed omnia ſimul conveniunt, & in temperatura conſervantur ab æthereo, cui noſtrum balſamum, & ſocios quantum poſſumus conformia reddimus, quoniam eſt in corpore humano quædam ſubſtantia conformis æthereæ, quæ reliquas elementares partes in eo præſervat, ac pro ſuis viribus continuare facit. Spiritus itaque medicamenti philoſophici cum anima ſua junctus, & à corpore ſuo ſeparatus, mentales partes in ſibi ſimilem ſubſtantiam tranſmutat, corpus quóque phyſicum à corruptione præſervat, corruptumque corrigit: Metaphyſicum habere poſſe corpus noſtram non negamus medicinam, tunc ſcilicet, quando corpus ejus factum fuerit ſpirituale, ſpiritusque corpus hoc induerit quod philoſophi dicunt, fixum fieri volatile, tandem volatile fixum. Phyſicum certe corpus excellentiori corpore curari non poteſt, quam metaphyſico, nec humana mens componi melius quàm diſpoſitione metaphyſica, poſt divinæ gratiæ donum tamen. Ex his omnibus concludimus, ſpeculativam philoſophiam in ſeparatione corporis, unione mentali facta, conſiſtere. Sed hæc unio prima nondum facit Sophum, at mentalem Sophiæ diſcipulum tantum: mentis cum corpore ſecunda Sophum efficit, completam illam & beatam unionem tertiam cum unitate prima ſperantem & expectantem. Faxit omnipotens Deus, ut tales efficiamur omnes, & ſit in omnibus unus, cujus auxilio nunc ad hujus feliciſſimæ philoſophiæ primum gradum veritatis, quod ſtudium eſſe verum compertum eſt à ſincerioribus philoſophis, non prius tamen, quam recapitulatione quadam ea quæ præceſſerunt, clarius explicentur.

Recapitulatio primæ cap.

MEns ut etiam fides, eſt verè donum Dei gratuitum, ſic & virtutes omnes. Hinc non ſequitur, ut aliqui putant, ad eas acquirendas non eſſe laborandum, quia Deus ignavos & ſegnes

non

non exaudit, imò potius earum orationes tanquam blaſphemias rejicit. Magna certè foret hominum inſania, panem à Deo petere, arare quidem & ſerere nolle: non minor eſt, deſiderare mentem, & expectare, nulla prorſus ad eam acquirendum adhibita diligentia. Maxima verò, ſi quis tam ignarus foret, ut putaret labore ſolo, gratia Dei non implorata prius, hanc acquiri poſſe. Diligentes benedictione ſua replet, dum ſalutaria petunt, negligentes Deus non exaudit, etiamſi petant. Petere verè dicitur quis non ſolum ore, ſed corde, vel cum affectu quid cùm exigit. Quapropter antequam ad primum Philoſophiæ gradum pergamus, admonendos fore diſcipulos putavi auxilij divini implorationis, deinceps accuratiſſimæ diligentiæ, in diſponendo ſeipſos ad hujusmodi gratiam recipiendam: De hac diſpoſitione tantum tractatus iſte diſſerit: gratia verò petenda eſt deſuper à datore luminum D. O. M. Nec putet quiſpiam, ſupra me definiiſſe mentem, non magis quam Paulus eiſdem verbis, fidem à ſolo Deo petendam eſſe docet, non à proprijs viribus, nec aliunde quam ab ipſo Deo. Et quia hujus artificiariæ diſpoſitionis tres ſunt potiſſimæ partes, utpote phyſica, moralis, & metaphyſica: neceſſarium fuit qualibet, hac in tractatione, via progredi, quod legentibus poſtea liquebit amplius. Impoſſibile eſt, malæ vitæ hominem poſſidere theſaurum, ſapientiæ filiis reconditum, & malè ſanum ad illum inquirendum, quanto minus ad inveniendum, aptum eſſe. Hæc eſt ratio quare de moralibus, & phyſicis corrupptis, per metaphyſica medicamina corrigendis, loquamur. In corpore humano latet quædam ſubſtantia metaphyſica, pauciſſimis nota, quæ nullo penitus indiget medicamento, ſed ipſa medicamentum eſt incorruptum. Verum quia phyſicorum corporum corruptionibus obruitur, & impeditur quo minus vim perficiendi ſuas actiones exerceat, philoſophi divino quodam afflatu cognoverunt hanc virtutem, cœleſtemque vigorem à ſuis compedibus liberari poſſe: non contrario, veluti docet phyſica medicina, ſed ſuo ſimili. Cum igitur tale quid, ſive in homine ſive extra ipſum inveniatur, quod huic eſt conforme ſubſtantiæ, concluſerunt ſapientes, ſimilia ſimilibus eſſe corroboranda, pace potius, quam bello, & contrariis eſſe pellenda contraria. Ex his triplicem patet eſſe medicinam labilium, utpote metaphyſicam, phyſicam atque moralem. Ad phyſici corporis diſpoſitionem artificiatam utimur metaphyſico remedio, quo corruptionem ejus ad naturalem digeſtionem & expulſionem arceamus, hoc operante natura per formam intrinſecus roboratam. Hæc eſt præparatio corporis noſtri phyſici metaphyſico modo facta, per quam ad ſeparationem facilius pervenimus abſque corrumpentium impedimento. Inde colliget ſtudioſus lector, quod à metaphyſica per alchemiam ad phyſicā debet

bet fieri tranſitus, operando philoſophicè. Quid enim artes in Univerſitatibus vel audiviſſe vel privatim legiſſe, niſi de potentia deducantur in actum, magis quam pſittaco ſuum χαῖρε, prodeſt? certè nihil: quia omnis ſcientia, quæ non probatur experientia, non eſt ars, at hærens ignorantia. Nunc ad ſeparationem voluntariam progrediamur, quę morali philoſophia perficitur. Completa corporis præparatione, facilè ſeparabitur à reliquis partibus, cum eidem, quicquid præter philoſophicam neceſſitatem appetierit, ab anima, ſuaſu quidem animi vel ſpiritus, denegatum fuerit: quid philoſophica ſit neceſſitas, dicetur poſtea. Ex hac ſeparatione reſultat unio prima, ſpiritus ſcilicet cum anima, per ſtudium philoſophiæ moralis continuatum. Erant hæc ſtudioſis proponenda prius, ut cognoſcerent, qua ratione metaphyſica cum phyſicis & moralibus hic miſcuerim, & quando moralia metaphyſicis, & hæc illis comparanda ſunt ac phyſicis: ne forte ſub labyrintho hærentibus, introitum ad rem capeſſendam (ut ſolent plurimi) præſtruxiſſe videar lectoribus.

De ſtudio philoſophico, primoque gradu.

CAP. II.

STudium philoſophorum eſt inquiſitio ſedula veri & neceſſarij. Verum eſt, à quo nihil abeſſe, cuique nil abeſſe, multoque minus obeſſe poteſt. Neceſſarium, id omne quo carere non poſſumus. Veritas itaque ſumma virtus eſt, ac inexpugnabile caſtrum, pauciſſimis inhærentibus amicis, at innumeris obſeſſum inimicis, paulò minus quam toti mundo nunc inviſum, ſed inſuperabile pignus ijs, qui poſſident illud. Hac in arce verus & indubitatus philoſophorum lapis & theſaurus continetur, qui non eroſus à tineis, nec perfoſſus à furibus, manet in æternum cæteris diſſolutis omnibus, multis in ruinam poſitus, alijs ad ſalutem. Hæc eſt res vulgò viliſſima, ſpreta plurimum, & exoſa, non tamen odibilis, at amabilis, & precioſa philoſophis ſupra gemmas, & aurum obrizon: omnium amatrix, omnibus ferme inimica, ubique reperibilis, & à pauciſſimis quaſi nullis inventa, per vicos acclamans omnibus: Venite ad me omnes qui quæritis, & ego vos ducam in veram ſemitam. Hæc eſt res illa tantum à veris prædicata philoſophis, quæ vincit omnia, nec ab ulla re vincitur, corpus & cor omne durum & ſolidum penetrans, ac omne molle conſolidans, & omni duro reſiſtendum confirmans. Nobis omnibus ſe facit obviam, & non videmus eam, vociferans & alta voce dicens: Ego ſum via veritatis, tranſite per me: quia non eſt alius ad vitam tranſitus, & nolumus eam audire. Odorem ſuavitatis emittit, ſed non percipimus eum. Dapibus ſeſe nobis liberaliter in ſuavitatem offert indies, & non deguſtamus eam. Blande nos ad ſalutem

lutem trahit,& ejus tractui reſiſtentes,ſentire nolumus. Quoniam facti ſumus ſicut lapides, oculos habentes & non videntes, aures habentes & non audientes, nares non olfacientes habentes, ore linguaque muniti non deguſtantes neque loquentes, manibus & pedibus nil operantes nec ambulantes. O miſerum tale genus hominum, quod lapidibus non eſt præſtantius, imò longè inferius eo, quod hoc non illi, rationem daturi ſunt operationum ſuarum! Tranſmutemini (inquit) tranſmutemini de lapidibus mortuis in vivos lapides philoſophicos. Ego ſum medicina, corrigens & tranſmutans id, quod non eſt amplius, in id quod fuit ante corruptionem, ac in melius, & id quod non eſt, in id quod eſſe debet. Ecce præ foribus conſcientiæ veſtræ ſum noctes ac dies pulſans, & non aperitis mihi? tamen expecto mitis, nec à vobis irata recedo, ſed patiens injurias ſuſtineo veſtras, cupiens per patientiam ad eam exhortando vos ducere. Venite iterum, atque ſæpius iterum venite, qui ſapientiam quæritis, & emite gratis, non auro nec argento, minus laboribus proprijs, quod offertur vobis ultro. Sonora vox, ſuavis & grata philoſophantium auribus. O fons divitiarum inexhauſtibilis veritatem & juſtitiam ſitientibus! O deſolatorum imperfectioni ſolatium! Quid ultra quæritis mortales anxij? cur infinitis animos veſtros curis exagitatis miſeri? quæ veſtra vos excœcat dementia quæſo? cum in vobis, non ex vobis, ſit omne quod extra vos, non apud vos quæritis. Proprium hoc ſolet eſſe vulgi vitium, ut propria contemnens, aliena quæ ſunt, ſemper appetat: proprium hic pro nobis appropriato ſumimus, nam ex nobis ipſis nihil habemus boni, ſed ſi quid habere boni poſſumus, ab eo qui ſolus eſt bonus, ferimus acceptum: è contra quod habemus mali, nobis ipſi nos appropriavimus ex alieno malo, per inobedientiam. Proprium ergo nihil homini ex ſuo, præterquam malum quod poſſidet: quod ex bono bonum habet, non ex ſeipſo, ſed contribute proprium habet, ex bono, cum recipit tamen. Lucet in nobis (licet obſcurè) vita lux hominum tanquam in tenebris, quæ non ex nobis eſt, & tamen quærenda eſt in, & non à nobis, ſed ab eo cujus eſt: Hic illam plantavit in nobis, ut in ejus lumine, qui lucem inhabitat inacceſſibilem, videremus lumen; & hoc cæteras ejus præcelleremus creaturas: illi ſimiles hac ratione facti, quod ſcintillam ſui luminis dederit nobis. Eſt igitur veritas non in nobis quærenda, ſed in imagine Dei quæ in nobis eſt. Ulterius, ut definitioni veri faciamus ſatis, dicimus eſſe, vero nihil adeſſe, nam uni quid adeſt quæſo, quid etiam deeſt, aut quid contra niti poteſt? cum nihil verè præter illud unum exiſtit. Quis ignorat perfectum eſſe nihil præter id unum, quod nec in aliquo diminutum eſt, nec ſuperflui quid admittit: ſed abundans eſt potentia & virtute, ſic ut ex abundan-

tia tribuere poſſit deficientibus, & ſemper æqualiter abundare. Quid enim tale poteſt eſſe, præter id ſolum quod omni dat eſſe quod eſt, & eſſe non recipit ab alio? ſed ipſum eſſe totum eſt, quod eſſe poteſt, cui nihil obeſt, quia præter ipſum nihil eſt. Quod nihil eſt, verè non eſt, & è contra, quod verè non eſt, nihil eſt. Quicquid extra veritatem eſt, verè non eſt: quia veritas illud unum eſt omne verè quod eſt. Falſitas igitur quæ non eſt, niſi quod eſſe vero contrarium eſt, & eſſe non debet, nec niſi per eſſentiæ veræ privationem eſt, nihil eſt: quia verè non eſt. Unde concludunt veri philoſophi, peccatum & mortem nihil eſſe, quia non procedunt ab eſſe vero, ſed ab eſſentiæ veræ privatione. Peccatum igitur eſt privatio boni, quæ cauſa mortis efficiens eſt: quia mors eſt privatio vitæ, quæ vita boni finis eſt. Ex bono quidem veritatis ſtimulus reſultat, cui non prævalebunt aculei mortis, & contra quem, cuique quantumcunque duro durum eſt calcitrare. Quicunque veritati quidpiam adjicere vellet, falſum pro vero palliatione quadam ſubſtituere cogeretur, ideo quod veritas perfectionis amictu ſolo circumfulta non veretur. Quod ſi noſter primus ille parens amictum hunc juſtitiæ non exuiſſet, veritus non fuiſſet videri nudus, qualis antea non videbatur, nec erat, ſed omni decore munitus. Privatus igitur Adam veritatis amictu perenni, falſum quæſivit pallium à frondibus arborum, quo faſſus in ſeipſo ſuum errorem, & coram Domino dixit: Nudus ſum Domine, cujus miſertus Deus, quod veritatem amiſiſſe vereretur & fateretur pro terrenæ felicitatis amictu perdito, perennis gloriæ veſtem nuptialem gratis illi reſtituere ſtatuit, per proprium filium: qui veritatis viam ſe nobis ac vitam eſſe dixit, & oſtendit, cum ſua morte, mortem à nobis perpetuam, qua digne plecti debebamus omnes, abſtulit. Videte fratres igitur, quantus ſit veritatis effectus, ut erga ſuos inimicos, modo recognoſcant eam, ſit benefica placidaque. Cum Adamo peccavimus omnes, at pauciſſimi ſunt, & ferè nulli, qui cum eo nuditatem ſuam apertè fateantur, imò potius quiſque quoque cupit videri nedum, ſed eſſe perfectior, licet omnium ipſe ſit perfectiſſimus, & byſſo purpuraque palliatus maximè nudus. Vitium hoc hæreditavimus à primi parentis appetitu primo, quod caro noſtra præ cæteris maximè, jure vel injuria ſapere, poſſidere, vel honorari deſideret, quod potiſſimum hoc ſeculo hominum eſt ſtudium exitioſiſſimum. Veritas iterum nulli potentiæ ſubjicitur, vel mundanæ fortitudini; quapropter ei nihil obeſt, nam ipſamet eſt fortitudo vera, potentiam totius mundi ſuperans. Quod ſi corpus veritatem poſſidentis in mille fruſtra ſeceretur, nil patitur animus ejus: at in eo martyrio gaudet. Hæc eſt veritatis potentia, quam pauci ſunt adepti, ſed infra latius audietis ejus excellentiam. Nunc dicemus

cemus ulterius, quas proprietates habeat veritas, pietatem ſcilicet cum juſtitia junctam inſeparabili nexu. Eſt enim pietas gratia divinitus data, quæ docet unumquemque ſeverè cognoſcere. Juſtitia quidem retributio cujusque cuique quod ſuum eſt, eſſe dicitur: quicunque virtutes has poſſidet, omnium eſt ditiſſimus. Sciendum eſt etiam hoc loco, pietatem operari pacem & miſericordiam, de quibus ſuo loco dicetur. Reſtat nunc ut philoſophici ſtudij partem alteram intueamur, quæ neceſſitas eſt. Victu quidem & amictu carere non poſſumus, ergo nobis ſunt neceſſarij. Delicijs in cibo potuque, veſtium quoque luxu byſſino, coccineo, purpureove carere quivis (etiam qui habet) poteſt, ergo non ſunt hæc neceſſaria. Pauci ſunt qui neceſſitatem obſervant philoſophicam, vulgarem quis non, vel idiota quivis, invitè ſuſtinet, eoque ſolo carere cupit, quod aſſequi non poteſt? Judicat omnia vulgus ſuperficialiter ſecundum apparentiam, ſecundum profunditatem ſunt qui judicant ferè nulli: hinc fit quod veritas exoſa ſit, cum ſub lacero cortice prodit in lucem. Plus poſſunt nunc ſplendida veſtis, & armillæ, torques & monilia, quam ipſa veritas & ſapientia. Quid mirum, cum ſapientia ſumma mundo ſtultitia facta ſit, hæc vero ſapientia: teſtantur ſcripturæ ſacræ. Veritas ipſa Chriſtus ac ſapientia tollitur à mundi ſapientibus: qui ex mundo non eſt, attamen ſuperat mundum; Barrabas verò latro potius eligitur, quia fuit ex mundo vitioſus. Cur miramur itaque, ſi mundus verarum artium profeſſores (cum veritatem ipſam ſit perſecutus) tanquam venenum abhorret? quod ipſi gentiles mundi ſequaces apertè fatentur, cum veritatem odium, & obſequium amicos parere dicunt: hac ſua doctrina videntur hominibus ambitionem perſuadere velle magis, quam virtutem & veritatem. Hæc dico, quia ſi nunc in lucem adferatur hoc ferreo ſeculo quid, ex veris & indubitatis philoſophiæ veræ fontibus, quod in utilitatem faciat reipublicæ: ſi non ſit Ethnicorum ac gentilium doctrinæ conſonum, ab his rejicitur, qui ſuccum illius hauſere ſtudij, quod inanis illa philoſophorum ſchola commenta eſt. Dicite quæſo viri judicioſi, qui poteſt fieri, ut Gentilis carens omninò lumine vero, lumen adferat alijs. Humanam habuerunt ſapientiam & mundanam, quæ ſtultitia reputatur apud DEUM, quia ex DEO non eſt, & tamen parens omnis filium torquet ad eam addiſcendum per mediam ætatem. Poſtmodum ſi talem contingat philoſophum ementitum cum vero ſpeculativo conferre Sopho, mox erumpit in convitia, contemnens omne bonum ac verum quod à ſuo pædagogo non audiverit: tanquam nihil boni verique foret præter id quod a Gentilibus veritatem ignorantibus proceſſiſſet. Plus enim poteſt ſpeculativa Mens adjuta vero lumine veritatis, video, tantùm anno vel momento conſequi,

quàm aſſiduus & improbus labor totius ævi hominis, abſque lumine quærentis lumen ab his, qui luce carent omni. Sed videamus quænam ſit doctrina gentilium philoſophorum. Summum bonum ponunt benè vivere, quod in honeſtum patiuntur & utile. Honorum ambitionem & laudes maximè reputant honeſtas: denique divitiarum partum & conſervationem quocunque jure vel injuria, bello, vel ſudore facta, vocant utilia: ex quibus poſt mortem aliud nihil expectant, quam poſteritati memoriam ſui, famamque reliquiſſe: Reſurrectionem partim ita negantes, partim ignorantes, poëmatum mille nugas præter veritatem, cujus quidem expertes fuerunt, effingunt in hominum & ſui ipſius perpetuum exitium. Ecce propter quam doctrinam oportet verarum artium profeſſores his exoſos eſſe maximè, qui de quibuſvis artibus & facultatibus plus reportaſſe nomen gerunt. Tametſi veritatem ob oculos ponat experientia, niſi per inexpertas opiniones eorum, qui veritatem nunquam ſunt experti, ſit comprobatum, pro falſo verum objicitur, & maximo clamore fatuus æſtimatur, qui veritatem profiteri velit. Quod ſi quis etiam varios auctores meritò deteſtetur, mox eorū diſcipuli minantur in univerſitatibus, tales vel afficere ſupplicio, vel dedecore ſummo, quod equitationem aſini vocant: interim non vident ipſi, quod eorum ſit ſolatium per vicos indies aſinos equitare, quibus alios dedecore conantur afficere. Quid tandem ſubticebitur veritas, quia, ſicuti docent gentiles, odium parit? minimè, ſed potius obire mortem philoſophum decet, quam negare veritatem. In omnibus eſt obſervanda veritas, ut ſummum apud Chriſtianos bonum: beati quibus datum eſt cœlitus in ea perſeverare in finem uſque, quod pauciſſimis (hei miſerum) contingit. Rogemus Deum, ut hujus ſolius nos faciat participes. Concludendum igitur, ſolam veritatem expetendam, ſolliciteque fore quærendam in omnibus: ad cujus faſtigium ulterius qui ſaliendum ſit, audite.

Recapitulatio primi gradus & ſecundi capituli.

PHiloſophi ſtudium ſuum in inquiſitione veritatis, per opiniones rationi conſonas, dirigunt, in his quæ ſenſum fugiunt: at Chemiſtarum ſtudium eſt, in ſenſualibus inſenſualem veritatem à ſuis compedibus liberare, per quam cœleſtes virtutes ſubtili admodum venentur ingenio. Quicunque Chemicam artem addiſcere vult, philoſophiam, non Ariſtotelicam, ſed eam quæ veritatem docet addiſcat oportet. Dicet quiſpiam Ariſtotelis diſcipulus, an Ariſtotelem faciam mendacem? non ego, ſed ipſe ſe: nam ejus doctrina tota conſiſtit in amphibologia, quæ mendaciorum optimum eſt pallium. Cum ipſe Platonem & reliquos reprehendiſſet, quærendæ famæ gratia, nullum potuit commodius in-

ſtrumentum reperiſſe, quam idem, quo in reprehendendo fuerat uſus, amphibologico ſermone ſcilicet, ſcripta ſua contra ſiniſtram oppugnantem, dextro ſubterfugio ſalvans, & è contra: quod ſophiſmatis genus in omnibus ejus ſcriptis videre licet: quæ etiam à quovis mediocriter docto in utramque partem interpretari poſſunt. Hoc ſemper fuit Sophiſtarum ſtudium, ut quædam ſubterfugia molirentur, quibus jam victi, ſuas tegere falſitates poſſent, ad eaque tanquam ad ſacram anchoram periclitantes confugerent, ut eſt aſinorum ille clypeus: Contra negantem principia (inquiunt) non eſt diſputandum, non ſine cauſa propugnaculum hoc extruxerunt; nam artes eorum ex falſis conſtabant principijs. Non melius contra Sophiſtas agendum eſt, quam principia perſpicaciſſimè num falſa ſint, examinando: hoc retilitio quemvis malè cautum irretire conantur. Sed miſſa faciamus hæc, donec diſputandum ſit, ſcriptiſq; probandum ulterius: ad ſtudium Chemicum redeamus. Veritas in arte Chemica per manualem practicam & pyromantiam, ſeparatione partium à ſuo toto facta, quæritur, quod ſtudium Alchemiſtarum eſt.

De ſecundo gradu philoſophorum, qui dicitur Cognitio.

CAP. III.

Cognitio eſt opinionum de veritate quorumvis conceptarum, per experientiam certa & indubitata reſolutio. Opinio veritatis eſt in animo hærens & dubia præſumptio. Experientia veritatis eſt manifeſta demonſtratio. Reſolutio quidem eſt dubij depoſitio. Non poſſumus de quovis dubio aliter certi fieri quam experiendo, nec melius quàm in nobis ipſis. Quapropter id quod de veritate ſupra diximus verificemus, à nobis facientes exordium. Diximus ſupra, pietatem in cognitione ſuipſius conſiſtere. hinc fit ut ab ipſa cognitionem philoſophicam incipiam. Nemo verò poteſt cognoſcere ſe, niſi ſciat quid, & non quis ipſe ſit, à quo dependeat, vel cujus ſit (nam ſui juris ſecundum veritatis legem eſt nemo) & in quem finem factus ſit. His cognitis incipit pietas, quæ circa duo verſatur, utpote Creatorem, & creaturam ſui ſimilem: impoſſibile eſt creaturam à ſeipſa ſe cognoſcere, niſi prius cognito ſuo Creatore. Qui poteſt effectus ante cauſam cognoſci, nonne præcedit omne principium ſua medium & finem, vel à fine rem aggredietur quiſpiam?

Deus eſt ſine principio & fine, per ſe exiſtens, omni repletus gloria, quam ſolus ex propria liberalitate poſſidere noluit, ſed ejus nos facere participes, quos ad imaginem ſuam condidit, primum liberalitatis ejus exemplar, & myſterium. Qui fit igitur ut admirandum illud arcanum ignoremus ex veritate? Audi frater, ſicut à precioſiſſimo de viliſſimo creati ſumus, ita propter materiam

ex qua facti,ſumus ad vile quodvis proni magis, quam ad id quod nos de vili precioſiſſimos poſt ſe fecit: imo potiores angelis, ſi manſiſſemus in tali dignitatis gradu. Admiremini quotquot mecum eſtis mortales miſeri, quod ſummus rerum artifex viliſſimam de limo terræ materiam contrectare manibus voluerit,& ex ea precioſiſſimam excitare creaturam: non abs re factum putemus,ſed ut agnoſcamus quidnam ſimus, & ab elationis ſuperbia nos contineamus: quod ſecus facientes,nemo noſtrum non pauperem quē Deus elegit,odit,cum tamen ex eadem maſſa, ex quâ facti ſumus omnes,conſtet: hinc fit, ut perſonarum non ſit acceptor Deus,ſed paupertatis & humilitatis amator, & inimicus elatæ ſuperbiæ. Nemo creatorem poterit melius cognoſcere,quam ex opere noſcitur artifex. Videmus igitur quis ille ſit, qui de viliſſimo poteſt excitare precioſiſſimum, nullus certè præter eum qui creavit utrumque. Nullo modo pincerna poteſt vinum in aquam permutare, tamen id poteſt qui vinum & aquam creavit: majus, cum terram in animam viventem transmutavit fecit, & quod maximum eſt, ſupremo beatitudinis dono, ſcilicet imagine ſimilitudineque ſuis, dotavit: per eas datum eſt omnibus ſalvos fieri,qui donum hoc recipiunt,ſed nolentibus accipere gratis quid dabitur? certè nihil: habeant igitur illi quod ſuum eſt,ut ſervetur juſtitiæ locus. Proprium cuique ſuum eſt, quod elegit à principio, damnatio ſcilicet. Gratuitum eſt æternæ ſalutis donum, his qui gratiarum actione recipiunt illud. Cum itaque precium vile carumque ſimus,videat quiſque noſtrum, quid potius optet: res intelligentibus per ſe clarior eſt, quam illius elucidatione ſit opus. Scimus vile quod ſumus, & præſtantiſſimum à quo proceſſimus: reſtat in hoc negotio perpendamus,quare,vel in quem finem facti fuerimus. Creavit omnipotens Deus primum hominem Adamum ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ut ipſi Deo foret in æternum ad gloriam, & immortalis eſſet, non anxius, nullius indigus, ſemper in Deo gaudens, terrenis paſſionibus non ſubjectus. Verum quia tantum munus non agnovit, vili fecit; cognovit tamen quod perfectus factus eſſet & ſapiens, at in ea cognitione non permanſit. Conſideremus ergo quantum boni cognitio, quantumque mali hujus muneris & verbi Dei vilipendium attulerit, cum ex immortali perpetuo reddiderit moribundum,nam qui moritur in æternum, & ſemper in agone mortis degit, & nunquam deſinit mori: hinc fit,ut perpetua dicatur illa mors, veluti vita dicitur æterna, qua Deo vivemus in æternum, & nunquam ſinemus vivere. Cum igitur primus parens una ſecum nos omnes Deo rebelles feciſſet,ac inimicos, miſericordia motus omnipotens Deus, pacem inire nobiſcum induratis voluit,qui pacis eſt auctor. Quis erit lapideus ille, qui cum divinæ

vinæ bonitatis hoc myſterium animo revolverit, cum inimico ſuo, licet injuriam ab eo receperit, non reconcilietur? Qui tandem fit, quod inimicorum inter mortales neuter offendens, vel offenſam paſſus, alterum aggredi velit reconciliationis ergo. Certè non alia de cauſa, quam quod nemo ſeipſum, & per conſequens, nec Deum creatorem ſuum, nec proximum æquipollentem creaturam cognovit: quo fit, ut pacem non amplectatur is qui eam ignorat. Eſt enim pax miſericordiæ radix. Nam qui pacem non habet, miſericordiam non exercebit, nec etiam aſſequetur, donec habeat. Non eſt quod hoc loco pacem & miſericordiam confundamus; quia pax eſt miſericordiæ cauſa, veluti pacis eſt ipſa pietas. Pacem ergo ſi cum Deo habuerimus per pietatis cognitonem, pariter eam cum proximo, tam inimico quam amico, neceſſariò ſumus habituri. Maximè cum conſiderabimus, quod ſummus ille rerum artifex vermiculo diaboli mancipio, per pacis amplexum ſuæ miſericordiam fecerit. O miſeri mortales, quotquot miſericordiam expectamus à Deo, coram quo miſeriam non agnoſcimus? Unde quæſo Miſericordia, quam ex miſeriæ confeſſione, per cordis contritionem in emendationem facta? Quod ſi demum noſtram fratrumque noſtrorum miſeriam non ignorabimus, at pari compenſabimus pondere, ſeculi bonis hujus opimiores facti, divitiarum æternarum nos abundantiores non exiſtimabimus illis, qui prorſus opibus mundi deſtitui ſunt. Quis mortales inter hoc verè conſiderat, bonorumque ſibi ſolum in hoc mundo concreditorum communione, fratrem egenum non ſolabitur? da tu conſiderantem, & ego tibi mox oſtendam qui tale divinum arcanum agnoſcat. In his omnibus Deus ſuum erga nos amorem ſatis adhuc explicuiſſe noluit. Verum ſua nos accuſante juſtitia, cui nihil diminutum eſſe poteſt unquam, non magis quam ejus miſericordiæ, nobis potius quàm proprio filio parcere voluit, in quo Pax & Juſtitia ſimul ſe oſculatæ ſunt? Quare igitur non oſculamur nos in Chriſto fratres facti pares, cum nos miſeros vermiculos ſummus rerum oſculetur artifex, & in filio ſuo unigenito præſtantiſſimas facit creaturas de viliſſimis proprio malo factis? Quotquot Deum agnoſcunt in filio, pariter & filium in patre per Spiritum Sanctum [cui non reluctantur] fratrem etiam agnoſcunt, & non alij. Hæc ſunt vera & indubitata veræ philoſophiæ fundamenta: ſed quia nondum ab omnibus cognita ſunt, licet audita multis, adhuc in aliquorum non benè reſolutorum animis poſſet hærere dubium, an imaginatio prædictorum veritatis amorem in nobis excitare queat: operæ pretium illis fuerit, ambiguitatem hanc, experimento per ſe ipſos & in ſeipſis facto, deponere hunc in modum, qui ſequitur. Conſideret unuſquiſque penes ſe diligenter ea quæ ſuperius dicta ſunt, degustata-

que ſæpius ruminet animo ſincero: ſic paulatim ſcintillas aliquot magis ac magis indies perlucere ſuis oculis mentalibus percipiet, ac in tantam excreſcere lucem, ut ſucceſſivo tempore quævis innoteſcant, quæ ſibi neceſſaria fuerint, nec amplius in veritate quovis hærebit modo: ſed pietatis exercitio, juſtitiæque paulatim aſſueſcens, ritu viaque præmiſſis, animi tranquillitatem ſentiet, qua tandem allectus intelliget, majorem in animo delectationem eſſe, quam in corpore. Non prius incipit vera cognitio, quam perennium & labilium, cum vitæ, tum interitus oblata comparatione, ſeligat Anima cum animo jungi delectatione majori tractus hujus, quam Corporis. Ex ea cognitione Mens oritur, & corporis voluntaria ſeparatio ſumit exordium, cum anima reſpiciens ex una corporis fœditatem & interitum, ex altera parte præſtantiam & felicitatem animi perpetuam, cum iſta (divino ſic diſponente flatu) connecti cupit, altero penitus neglecto, ut hoc ſolum appetat, quod à DEO concluſum eſſe videt in ſalutem & gloriam: Corpus in amborum jam unitorum unionem condeſcendere cogitur. Hæc eſt admirabilis illa philoſophorum transmutatio corporis in ſpiritum, & hujus in corpus, de qua dictum nobis relinquitur à Sapientibus: fac fixum volatile, & volatile fac fixum, ut habeas magiſterium noſtrum (intellige) fac de pertinaci corpore tractabile, quod animi præſtantia cum anima conveniente conſtantiſſimum fiat corpus ad omnia ſuſtinendum examina. Probatur enim aurum igne, quo reprobatur omne quod aurum non eſt. O præſtantiſſimum philoſophorum aurum, quo ditantur ſapientiæ filij, non illo quod cupitur! Adeſte qui theſaurum philoſophorum tam vario conatu quæritis, reprobatum à vobis lapidem cognoſcite prius quis ille ſit, antequam quæratis. Mirum eſt ſuper omne miraculum, quod quiſpiam appetat ignotum ſibi: fatuum certe videtur id ab hominibus quæri, cujus veritatem non norunt inveſtigantes, quia nihil in eo ſpei relinquitur. Suadeo quibusvis ergo perquirentibus, ut cognoſcant prius ejus quod quærunt veram exiſtentiam, antequam quærant: ſic eos laboribus fruſtrari non continget. Sapiens quærit quod amat, nec amare poteſt quod non cognoſcit, alioquin inſipiens eſſet. Ex cognitione igitur natus eſt amor omnium veritas, quæ ſola viget in omnibus veris philoſophis.

Recapitulatio ſecundi gradus.
CAP III.

NOn eſt quod quiſpiam putet, me theologica tractare velle, ſed talia quæ ruſticum & pueros latere non debent: ex quibus tamen altius quam litera ſonat repetitis, omnem ſcientiam & artem in omnibus, tam cæleſtibus quam profanis rebus hau-

riunt

riunt ſapientiæ filij. Fruſtra laboratis omnes abditorum naturæ ſecretorum indagatores, cum aliam ingreſſi viam, terrenorum virtutes per terrena detegere conamini. Diſcite igitur cælum per cælum, non per terram, ſed hujus, per illius, virtutes cognoſcere. Nemo enim aſcēdit in cælū quod quæritis, niſi qui de cælo (quod nō quęritis) deſcendit, illuminet eū. Incorruptibilē quęritis medicinam, quæ corpora nedum à corruptione transmutet in verum temperamentum, ſed etiam temperata diutiſſimè conſervet: talem alibi quam in cælo reperire non poteritis unquam. Cælum, virtute ſua, per inviſibiles radios in terræ centrum undique concurrentes, omnia penetrat elementa, & elementata generat fovetque. Nemo in ſeipſo, ſed in ſui ſimili, quod etiam ex ipſo ſit, generare poteſt. Fœtus etiam promiſcuus utriusque parentis in ſe naturam ita retinet, ut in eo parens uterque potentia & actu ſit reperibilis. Quis hærebit amplius, niſi lapis, in generatione philoſophica. Si cognitio hæc adhuc tibi non ſuffecerit amice lector, cum ea quæ data eſt in Clave noſtra, non eſt quod tecum agam latius. Verum ne tibi de me conquerendi maneat anſa, dicam ulterius. Diſce ex te ipſo, quicquid eſt & in cœlo & in terra cognoſcere, ut ſapiens fias in omnibus. Ignoras cælum & elementa prius unum fuiſſe, divino quoque ab invicem artificio ſeparata, ut & te & omnia generare poſſent? Si hoc noſti, reliquum & te fugere non poteſt, aut ingenio cares omni. Rurſus in omni generatione, ſeparatio talis eſt neceſſaria, qualem de te ſupra dixi fiendam, antequam ad veræ philoſophiæ ſtudia velum applices. Ex alijs nunquam unum facies quod quæris, niſi prius ex te ipſo fiat unum quod audiſti, latiusque audies in ſequentibus: nam talis eſt voluntas Dei, ut pij pium conſequantur opus quod quærunt, & perfecti perficiant aliud cui fuerint intenti. Malæ voluntatis hominibus nihil præter quod ſeminaverint datur metere: imo quod magis eſt, perſæpe bonum eorum ſemen in lolium, propter eorum malitiam, convertitur. Fac igitur ut talis evadas, quale tuum eſſe vis quod quæſieris opus,

De tertio gradu philoſophico.

CAP. IV.

AMor philoſophicus dicitur ſecretorum ab uno rurſus in unum per pacem unio. Pax vero per unionem partium in toto concordia. Unionē apprime diligit Deus, quia unus eſt & quicquid creavit unquam, ſub unione concluſit. Ab uno determinato, per unum indefinitum facto, procedunt omnia quæ finita ſunt, ac rurſus ad unum ſuum inſtinctu naturali quæque tendunt: à quo ſi quæpiam declinarint, à philoſophis ſub ſecreto binario contineri cenſentur, & per ternarium ad unionem reduci debere. Creavit

Deus cælum & terram: ac omnia quæ in eis ſunt, occulto modo ſimul unita, manifeſto ſecreta. Sub appellatione terræ concluduntur Elementa, quæ continentur à cælo, taliq; fœderis ſe complectuntur amore, qualem inter alias creaturas vix videre licet. Animalia bruta quæque bina ſeſe divino prorſus ordine conjungentia videmus ſinceriori vinculo, quæ purioribus conſtant elementis, ut ſunt volatilia, reliqua minus conveniunt pro materiæ de qua ſunt conflata puritate minori, tamen conjunguntur, licet promiſcue magis. Ad præſtantiſſimam creaturam deveniamus ex viliſſimo creatam, utpote hominem, quem de limo terræ creavit Deus; animal per ſe mobile, quod inde mox ſpiritu rationali unum fecit: occaſione qua movetur ſola, cæteris animantibus irregularius eſſe quis non percipit? qua quidem verum eſt & rationale factū, excellentius inter opera Dei nullum eſſe poteſt. Ab hoc ſcilicet homine, cum adhuc in excellentiſſimo ſtatu foret ante lapſum, ſecrevit Deus feminam, os ab oſſibus ejus, & de carne carnem ejus, ut firmius cæteris animantibus unirentur: non dicuntur uniri, niſi quæ fuerint ab uno ſemoti prius, ſed conjungi tantum. Cum igitur in ſeipſo non poſſet, in altero gignere fuit neceſſe. Hac de cauſa præ cæteris humana generatio reverenda eſt, quia fit inter duos qui prius unum fuerunt, & iterum unum divino matrimonio facti ſunt: teſtante ſcriptura: Et erunt duo in carne una; quorum uterque propter alterum relinquet patrem & matrem, & adhærebit alteri ſuæ parti. Non eſt aliter exiſtimandum, quam uxoris maritum, & hujus illam eſſe alteram corporis ſui partem inſeparabilem: cum viderimus eos aliter ſe gerentes, judicabimus illos non unitos, ſed conjunctos tantum eſſe, non amore vero, ſed vel turpis lucri, vel illiciti potius appetitus exſtinguendi cauſa, cujus ignis cum refrixerit, frigent omnia ſimul. Non talis eſt amor philoſophicus: nam inexſtinguibili prorſus accenſus igne, non exſtinguitur, quicunque per ſpiritum uniuntur ſpiritus in unione manent; quæ vero per corpus juncta ſunt, de facili ſolvuntur corpora. Eſt & parentum erga natos, & horum erga parentes proprius amor, quę philoſophico nullo modo cōparari poteſt: nam pro gnato pater, nec pro parente filius, minus pro fratre vel ſorore ſoror aut frater, vel quiſpiam amicus, vel minimæ ſuæ juncturæ pati jacturam nollet. Quis ille qui pro ſeipſo mortem obire libenter, quanto minus pro quopiam alio velit? Ubi tandem quærendus? Certe non alibi quam unde proceſſit amor. Sic Deus dilexit mundum (intellige hominem) ut proprium filium naſci voluerit hominem, qui pro hominibus mori, morteque ſua, juſtitiæ, qua nos plecti debebamus mortem perſolvere poſſet. Non potuit enim filius Dei mori, ſed homo factus, mortuus eſt perfectus homo filius hominis, juſtusque juſtitiam comple-

complevit. O admirandus amor Dei erga homines! Non ex Ariſtotelis inani philoſophia, nec reliquorum mundi Sapientum hujus, tam felices undæ manant, quas (dum nos illa vanis attentos ſtudijs detinet) prætcrimus ô miſeri ſodales: ad aliam animos noſtros philoſophiam vocat amor iſte divinus.

Colloquium quo conatur Animus Animam & Corpus ad ſe trahere. Interlocutores ſunt Spiritus, Anima, Corpus, & Philoſophia amoris, his literis deſignati: S. A. C. & Ph.

S. AGitedum igitur anima mea, corpusque meum, fugite nunc, animum ſequimini veſtrum, aſcendamus in montem excelſum hunc nobis oppoſitum, de cujus cacumine vobis oſtendam iter hoc bivium de quo per nubem & ſine lumine loquutus eſt Pythagoras. Nobis aperti ſunt oculi, tum prælucet Sol pietatis & juſtitiæ, quò duce non poſſumus à via veritatis deflectere. Volvite primum oculos ad dextram, ne videant vanitatem, antequam ſapientiam perceperint. Videtisne relucens illud & inexpugnabile caſtrum? A. & C. Videmus. S. In eo ſe continet Philoſophicus amor, de cuius fonte fluunt aquæ vivæ, quas qui deguſtarit ſemel, non ſitiet vanitatem amplius. Ab eo loco tam amœno ſuavique, recta progrediendum eſt ad amœniorem, in quo Sophia moram trahit: de cujus etiam fonte ſcaturiunt aquæ primis longe feliciores, quas qui guſtarint inimici, pacem eos inire neceſſe eſt: eorum qui deveniunt eo, plerique ſolent altius tendere, ſed non omnes optatum aſſequuntur. Eſt locus ultra dictos, quem adire vix licet mortalibus, niſi per divinum numen ad immortalitatis gradum aſſumti ſint: at antequam introducantur, mundum coguntur exuere, caducæ vitæ ſpolio retento: non eſt eo cum pervenerint, quod amplius mortem timeant, imo potius eam indies amplectantur ſuavius, quam in mundo quid unquam ſuave judicatum eſt eis amplexu dignum. Ultra hæc tria loca quicunque progrediuntur, ab hominum oculis evaneſcunt. Quod ſi ſecundum & tertium locos videre lubet, aſcendamus altius. En ſupra cryſtallinam primam arcem, aliam argenteam videtis, ultra quam & tertiam adamantinam, quarta vero non cadit ſub ſenſum, donec ultra tertiam deventum ſit. Hic aureus perpetuæ felicitatis locus, ſolicitudinis expers, & omni repletus gaudio perenni. Nunc ad ſiniſtram deflectamus oculos. En videtis mundum voluptatibus & divitijs plenum, in quo nihil oculo caduco diſplicere poteſt, at hujus peregrinationis videamus exitum. Vallem obſcuram fuliginoſa repletam caligine, ſub finem horizontis cernitis perſpicue. A. & C. Cernimus quidem. S. Cum ij qui latam hanc ingrediuntur viam eo pervenerint, horum ſolatia vertuntur

libenter deſererem,tacui tamen donec utriusque rationes audiverim,placent quæ Spiritus loquitur,quæ tu,nihil præter moram adferunt auribus meis. C. Video me nunc victum iri miſerum. S. Vere miſerum,ſequere nos, quo felix nobiſcum fias.C.Utinam,at ego ſolus quid contra duos? S. Tace,poſt paucos dies ſola cum ſolo ages. C. Quid hic audio, tu forte nos qui dux noſter es,avios deſeres? S. Abſit,vobiscum ero dum eritis. C. Aperias igitur quid hoc ænigmatis velit. S. Prout oculi, ſic intellectus, & omnia quæ poſſides carnea ſunt. C. Fac ſaltem intelligam. S. Quid ſi quæ tibi ſunt ob oculos non percipis, ea quæ non vides cum dixero,qui percipies? C. Supra quod miſeris me torquet modis lapidoſum, ſtrictum,& ſpinoſum iter hoc, verbis tuis maſſam hanc per ſe gravem aggravas. S. Non niſi ſublevare conor. C. Sic non feceris. S. Qui factum velis? C. Aperta loquendo.S.non didici quæ tua ſunt. C. Nihil tecum ſolum efficiam. Heus anima mea, quam ſemper charam habui,non loqueris? auxilium non præſtas amico tibi fidiſſimo? A. Dubia ſum inter vos, alterutrius partem æqualiter gero. C. tamen ſpiritum quam me ſequeris libentius. A. Deliras omnino. C. Utinam ego manſiſſem in itinere bivio. A. id feciſſes. C. Non potui præter te, qua ſine nihil poſſum exequi. A. Nec ego præter Spiritum valeo gradum ſiſtere: ſine quo, te ſine ſim neceſſe eſt.C.Et tu parabolice loqui tam brevi didiciſti tempore? S. Non niſi ſimpliciter? Sed quæ nuda eſt oratio,ſicuti tenebris involutum es,amphibologica, vel allegorica tibi videtur. C. Vobiſcum nil effecero, tacebo, ſicut ipſa tu dudum, ut hæc in poſterum reſervares mihi. A. Nil niſi bonum. C. Spiritus te ſeduxit. S. Minimè verè, at ego ipſam & te huc ad ſalutem duco. C. Dicis tamen. S. Credes non antea quam videas. C. An tu me cæcum ducis? S. Optimè,nec verius unquam loquutum es C. Væ intolerabile ſcelus, oculis mihi tu meis carere perſuadebis? S. Imo docebo. C. Audiam quæſo. S. Vidiſti nos in radice montis Domini tractus bibere de fluvio fontis amoris? C. Non bibiſtis? S. Ecce jam ipſum tu cæcitatem tuam aperte faſſus es.C.Cur non juſſiſtis me vobiſcum bibere? S. Quia non poteris donec nobiſcum videas. C. Quando tandem id fiet? S. Cum tu nobiſcum uniendis unum fueris. C. Rurſus quando? S. Cum ad veritatis arcem adamantinam ſimul devenerimus. C. Acceleremus ergo ne diutius videns cæcum dicar.En ad arcem primam appulimus pulſabo. C. Quid opus eſt, porta caret foribus? S. Non decet peregrinum advenam alienos ingredi lares,non petita prius venia. Introduci nos jube quiſquis hic imperas. Ph. Quis rarus admodum hoſpes acclamat? S. Tres philoſophiæ diſcipuli. Ph. Quid hic quæritis? S. Philoſophiam addiſcere. Ph. Ea quæ didiciſtis, iterum diſcere quid opus eſt? S. Carduos hucuſque pavimus, ad feliciores betas anhela-

anhelamus. Ph. Betis implere ventrem cupitis? S. Quovis meliori quam antea pabulo: nam quas pavimus herbas, pungentes nunc à ſiniſtris, mox à dextris, inter dentes ſpinas reliquerunt aſperrimas, quæ nobis eſcæ talis præbent nauſeam. Ph. Audio vos rudioribus, quam ſchola noſtra ferat, imbutos eſſe: verum quia non ſolemus recuſare quotquot ad nos veniunt, introducemini, non prius tamen quam ante portam deponatis cornua. S. Præſto ſumus juſſis obtemperare tuis. Ph. Moris eſt apud nos recentiores diſcipulos examinari. S. Eſto. Ph. Quid philoſophia? S. Amor eſt Sophiæ. Ph. Sophia quid. S. Veritatis omnium ſapientia ſumma eſt. Ph. Quid amor? S. Cognitæ veritatis eſt deſiderium inſatiabile. Ph. Unde hęc habes? S. A Domini tractu. Ph. Per quos? S. Per eos quos docuit prius ut doceret alios. Ph. In Univerſitatibus quid audiſtis? S. Ariſtotelis philoſophiam. Ph. Quid hæc docet? S. Contentioſe rixari, pro & contra (ut ajunt) pertinaciter argumentari. Ph. Pro & contra, quæ Chimæra beſtia eſt hæc? S. Sophiſmatum neſcio quod genus, hoc nunc ad dextram, modo ſiniſtram in partem, inſtar hominis cereum habentis naſum detorquere licet, à naſutulo forte quopiam, qui cum iſto retilicio cæteros immerito reprehendiſſet, ut aliorum evaderet manus, excogitatum. Ph. In quem uſum? S. Oſtentationis doctrinæ cauſa. Ph. Eſt igitur doctrina fallax? S. Saltem illa quam audivimus, qua qui magis imbuti ſunt, ſapientiæ minus habent. Ph. In eo vere ſapis, eos maxime ſapientes eſſe qui circa perceptibilia minus intelligunt. Antequam intretis huc, oportet in album Scholæ noſtræ deſcribi nomina veſtra. S. Spiritus vel animus mihi nomen eſt, huic Anima, tertio vero Corpus. Ph. Satis affines ſocij. S. Imo tres unico partu nati fratres. Ph. Invocato prius vero lumine ſic mecum loquamini: O Pater omnipotens, æterne Deus, Creator omnium quæ in cælo & in terra ſunt, qui nos ad imaginem & ſimilitudinem tuam creaſti, non ut in nihilum nos redigeres, ſed ut eſſemus tibi ad gloriam, da nobis gratiam Spiritus Sancti tui, qua poſſimus intelligere & ſcire quænam ſit tua voluntas, ut auxilio tuo faciamus eam, in tuoque lumine videamus lumen, & veritatem amore vero proſequentes aſſequamur. Amen. Ingredimini jam ad gloriam Dei, veſtrique ſalutem, Amoris philoſphici portas, & gymnaſium, in quo docetur amor perpetuus. Aſſidete dapibus, ut quiſque ſuis potu ciboq; reficiatur. In primis Deum oremus: Oculi omnium in te ſperant Domine, & tu das eis cibum in ſuo tempore, manum tuam aperis, & reples omne quod vivit benedictione. Non ex ſolo pane vivit homo, ſed ex omni verbo quod procedit ex ore Domini. Corpus ede bibeque tibi quæ ſunt appoſita corporea, tui ſodales cibum non ore, ſed auribus hauriunt; eorum ego nunc habebo curam. Spiritus animaque benignas aures adhibete,

bere. Quanquam à tractu Domini primo vos per ejus angelum audiſſe non dubito ſtudij cognitionisque philoſophicorum efficaciam, tamen corporis mole tunc graviores quam ſuturi modo, vix potuiſtis omnia ferre, precium operæ fuerit antequam ad amoris fontem veniatis, obiter ea repetere, quæ hic neceſſaria videbuntur. Ante lapſum Adæ nec lata ſiniſtraque via, nec miſeriæ vallis extiterunt, ſed undique patebat aditus omnibus ad hæc feliciſſima loca. Poſt primam hominis inobedientiam, Dominus viam hanc ampliſſimam in callem ſtrictiſſimam difficilimamque (ut videtis) reſtrinxit, in cujus oſtio collocavit Cherubin angelum, ancipitem gladium manu tenentem, quo quidem arceret omnes ab introitu felicis patriæ: hinc deflectentes Adæ filij propter peccatum primi ſui parentis, in ſiniſtram latam ſibimet viam conſtruxerunt, quam evitaſtis. Longo poſtea temporis intervallo D.O.M. ſecreta ſecretorum ſuorum introivit, in quibus amore miſerente, accuſanteque juſtitia, concluſit angelo gladium iræ ſuæ de manibus eripere, cujus loco tridentem hamum ſubſtituit aureum, gladio ad arborem ſuſpenſo: & ſic mutata eſt ira Dei in amorem, ſervata juſtitia: quod antequam fieret, fluvius iſte non erat, ut jam, in ſe collectus, ſed ante lapſum per totum orbem terrarum roris inſtar expanſus æqualiter: poſt verò rediit unde proceſſerat, tandem ut pax & juſtitia ſunt oſculatæ ſe, deſcendit affluentius ab alto manans aqua gratiæ, totum nunc mundum alluens. In ſiniſtram partem qui deflectunt, partim ſuſpenſum in arbore gladium videntes, ejusque noſcentes hiſtoriam, quia mundo nimium ſunt inſiti, prætereunt: nonnulli videntes ejus efficaciam perquirere negligunt, alij nec vident, nec vidiſſe volunt: hi recta peregrinationem ſuam ad vallem dirigunt omnes, niſi per hamos reſipiſcentiæ, vel pœnitentiæ nonnulli retrahantur ad montem Sion. Noſtro jam ſæculo (quod gratiæ eſt) mutatus eſt gladius in Chriſtum ſalvatorem noſtrum, qui crucis arborem pro peccatis noſtris aſcendit. Hæc omnia legum naturæ, divinæque, tum gratiæ tempora denotant. Nunc audite quis errorum viæ ſtatus exiſtat.

Mundi fabrica.

Ph. Dixit Deus Adamo poſt lapſum: In ſudore vultus tui veſceris pane tuo, & in dolore pariet uxor tua, maledixitque terræ propter hominem, & ſterilis facta fuit, quæ nullo cultu prius, ſed affluentia cæleſti tantum producebat fructum abundatiſſimum: at licet humanis nunc agitata ſit laboribus, tribulos & ſpinas vix ferre videtur. Ab eo tempore quo veritatem exuit homo: de victu & amictu quærendis, eum anxium reddidit ipſa neceſſitas, quæ ſtudiorum mater eſt altera primarum etiam artium inventrix, ut agriculturę, pariter & paſtoralis exercitij. Cœperunt itaque

primi

primi ſincerique homines quærere, quibus carere non poterant: impuri non ſolum ea,ſed per fas & nefas uſurparunt omnia, quæ ſuis viribus inferiora fuerunt. Nuditas docuit primum hominem carnes frondibus tegere nudas, tandem induſtria paulatim (ut moris eſt) propter neceſſitatem aucta, pellibus animalium operire: mox inde fames fodere, ſerere, ſuoque tempore meſſem colligere, gregis, armentorum, pecudum & paſcuorum habere curam,& alendæ familiæ, moribus naturæque legibus inſtruendæ conſervandæque pacis, ab imbrium & temporis injuria caſis tectisque ſeſe,nec non armenta tueri: tota primæ fuit hæc neceſſitatis anxietas. His artibus primi patres ævi contenti lætique vixere pacis temporibus. Poſtquam terra fuit repleta, ſufficere non potuit,ut quisque portionem haberet ejus,& agricolæ forent omnes,vel paſtores: at oportuit alijs alios inſervire diverſimode qui non habuerunt. Amictus & fabricæ diverſa genera produxit curioſitas, inde ſartores, ſutores, & fabri, quos acus & malleus comprehendunt, ſumſerunt originem. Horum divitiæ labore partæ quæſierunt otium apud nonnullos, qui ſibi tantum agri compararunt,quantum victui ſupplere potuit,amictuique: penes reliquos augmentum: hi conſiderantes rerum penuriam,unius & alterius abundantiam loci, mercimonium exercuerunt: hinc vectores,& animalium bajulantium actores prodierunt, nec victus ratio caruit ſuis artibus: nam piſtores,furnarios,laniones,coquos, & œnopolas excogitavit in peregrinantium ſubſidium. Hæc ab initio bona fide tantisper adminiſtrata ſunt omnia, donec proprium commodum,odiumque fraternum irruperunt, à quo tempore mutata ſunt hominum ingenia, tantumque habendi fames, quantum opulentia crevit in hunc uſque diem,quo nemini nemo, nec ſibi fidere cœpit. Commodo quiſque ſuo caſas in ſplendidas mutavit domos,quæ tandem in pagos, oppida,caſtra,civitates,& ſuburbia in urbes excreverunt, ab odio non immunia tamen, poſtea temporis injuria homines ignavos, qui non proprio, ſed alieno labore victitare volunt, ſimul & bellum peperit inter vicinos potiſſimum. Hoc iterum foſſis,mœnibus,aggeribus, & propugnaculis in defenſionem injuriarum dedit initia. Contra vitiorum quorumvis paſta, quam otium eſſe ſcitur, bombardarum & tormentorum execrabile genus diabolicum attulit ab inferis,quo totius humani generis, niſi divino cautum eſſet auxilio, corrueret ſocietas:quæ quidem novarum artium ultima, concluſit mundi fabricam. Et propter dictorum varietatem pulcrum appellant mundum, qui diligunt eum: at vos auditores judicate quænam ſit eorum pulcritudo, quæ quantò magis abundant, tanto minus quieta ſunt ac magis anxia. Quæ mundum ut audiſtis concernunt,omnia labilia ſunt,nec eſt qui pilum horum pauper vel dives

poſt

poſt mortem ſecum deferat. Videte igitur in quibus ſpem ſibi reponunt miſeri mortales,& quanta cura ſibi comparant nihil quod eos perdit, qui ſua ſorte contenti nolunt eſſe. Nunc audite quæſo ſeculi tranſitorij peregrinationem hujus.

Mundi peregrinatio, quam erroris viam appellamus.

ÆTatis anno ter ſepteno peracto, bivium electionis maxima pars aggreditur, omniumque curſus per angelum Domini tractus hamo retardatur. Verum plerique ſub eo repentes, alij tranſilientes,& maxima pars, dum pauciſſimi trahuntur, inter hamum & introitum erumpens viæ, ſalutem fugiunt omnes, quotquot hunc evadere tractum conantur; nulloque fræno mundum ingrediuntur. Horum pars maxima delicijs, & mundanis abuſi voluptatibus, in paupertatem à Domino Deo noſtro miſericordiæ ſinuntur incidere, qua retrahantur ad priorem reſipiſcentiæ viam: ſed inutile prorſus humanum genus, cui Deo reſiſtere jam innatum eſt, non deſiſtit media non quærere, quibus proprio conatu laqueos evadat quos ſibimet poſuit, ab eo non petens auxilium, à quo ſolo dependet omnis miſericordiæ munus. Hinc factum eſt, ut in ſiniſtram viæ partem officinam ſibi maximam extruxerint, in qua quidem officiorum genus exercetur omne: huic domui præeſt induſtria, quæ cunctos præter ignavos pigroſque recipit. Ab una parte quorumvis ſtudiorum officinæ literariæ poſitæ ſunt, ad quas ſe recipiunt illi, qui ſua literas incuria reliquerant: iſti plerunque ſe conferunt in officinas manuales ab altera parte ſitas, in quibus experiuntur ea quæ literis à ſapientioribus olim commiſſa ſunt, ne ſicut prius inexperti rerum litera ſola ducantur in opiniones fallaces. Alij qui ſuo damno mercaturam exercuerunt, ac illi qui manualibus incumbentes artibus in pauperiem lapſi ſunt, novas rerum formas inauditaque dies ac noctes ſomniant, quæ mercatoribus mercatores,& mechanici precio quibusvis paſſim exponunt, ut damna ſua reſarciant, tum ad opimiora perveniant. Quod poſtquam adepti fuerint, ab induſtria recedentes in ſecundam mundi regionem tendunt: per infirmitatis pontem facientes tranſitum, ante quem, ſecundus Domini tractus oves perditas ad ovile verum reducere conatur, ex quibus pauciſſimæ reſipiſcentiæ viam ingrediuntur: cæteræ pontem pertinaciter tranſeuntes, bonis jam induſtria partis, liberius utuntur quam prioribus. At quia bonus Deus retrahere vellet, infirmitates in ipſos dominari permittit, tum rurſus ut prius remedium à ſe quærentes, ad xenodochium etiam à ſiniſtris conſtructum & per maximum confluunt, cui medicina præeſt. Ibi pharmacopolarum, chirurgorum & phyſicorum ingens eſt copia, quodque quiſque ſuum exercet officium. Sanitate jam recuperatata,

rata, non ſicut antea ditiores facti, ſed diminuti bonis abeunt, ponæmque ſenectutis maxima pars eorum invito tractu Domini præterit, uno vix aut altero viam ingrediente poſtremam, quæ pœnitentiæ dicitur. Ubi jam ad tertiam mundi regionem deventum eſt, nil præter incurvata ſenum videre dorſa, facierum rugas, claudicationes, lamentationes, ſuſpiria, reliquorum etiam id genus tædiorum acervum audire licet, quæque quemque ſua fata manent, donec mortis poſtremum hoſpitium appulerit; in quo ſeverus admodum hoſpes nullius parca manu, ſeparationis aculeum corporis ab anima laxat ex arcu mortifero. Quid inde fiat ignoro libenter, judicium (cujus eſt) relinquens Deo. Mundi jam fabricæ, peregrinationisque ſtatu cognito, videamus quis veritatis viæ ſit exitus, ut oppoſitorum debita comparatione facta cognoſcatis, utra vel erroris, vel veritatis via ſit ſalutis.

Via Veritatis.

Philoſophia. Audiſtis antea, gladium angeli primi tractus arbori ſupra fluminis ripam ſuſpenſum fuiſſe, cujus (nunc gratiæ tempore) loco pendet ob oculos nobis Deus Deique filius, generis humani reſtaurator Chriſtus. Is efficacius prætereuntes amore ſuo manifeſto, nullis velato figuris, quam magnes ferrum attrahit, ni forte mundi fæx & allium obſtet. Quicunque per amnis (ut dictum eſt) eminus apparentis admirationem & amoris inexhauſti cominus oblatum exemplum tracti ſunt, huc ad nos ſe conferunt, nec minus ac vos, quotquot veritatis miniſtræ ſumus, erudiendos libenter ſuſcipimus, ut in poſterum audietis latius. Priuſquam tamen id fiat, ſumtis jam cibo ac potu, gratias agamus Deo, qui dedit omnia quæ neceſſaria ſunt omnibus. Agimus tibi Deo Patri gratias immortales, quod nos cum verbo creaturiſque tuis alere, tum in hunc locum uſq; perducere dignatus ſis, in ſpem melioris vitæ, fiat voluntas tua, qua perficiatur in nobis, quod per te ſolum inchoatum eſt. Amen. Nunc ad amoris fontem nos conferamus, ut bibatis. En ſitim extinguite veſtram: non amplius Animus vel Spiritus, nec Anima, nec duo deinceps, ſed Mens una vocabimini, fortior ut facta, tuo poſſis inimico reſiſtere Corpori, quo cum tibi luctandum erit viriliter, donec ipſum naturæ curſum perficiens à te ſeparatum actu fuerit: poſtmodum eſt quod idem ad purius defæcatiusque tibi divino myſterio conjungendum iterum ſperes, ad gloriam ejus qui cuncta condidit. Quinam tibi pugnandum ſit, audies à ſequenti gradu quarto, Frequentia videlicet, quam vos adeuntes modo comitabor in primum uſque lapidem: interim totius viæ Veritatis progreſſum obiter vobis ob oculos depingam. A Frequentia recedentes & inſtructi, pervenietis ad Sophiæ caſtra, quibus excepti, longe vehementiori quam antea cibo reficiemini. Huc uſque lac ſolum deguſtatis,

nam(donec robuſtiora,facti robuſtiores,ferre valeatis)adhuc eſtis parvuli. Virtus enim docebit quantus ſit amoris veri fructus, quantamque menti delectationem corporis adferat ſuccubitus, porro non minorem quam pro palma certanti de ſuis inimicis militi victoriaque. Ulterius ad Potentiam,ſextum gradum, tranſibitis, à qua virtutum diſcetis exercitia nedum cognoſcere,verum etiam exequi. Hæc poſtremo ducet vos ad ſeptimum & ultimum philoſophiæ gradum, utpote miraculum, in quo mundi martyria fiunt gaudia. Breviter, hujus viæ finis æternæ vitæ gaudiique perpetui primum eſt initium, ad quæ vos ducat ulterius qui huc-uſque vox duxit omnipotens & miſericors Dominus,hic vobis inde ſit comes reliquus. Ite feliciterque valete fratres.

Dialogus, in quo Mens & Corpus interlocutores ſunt.

C. HUi, quis mihi nunc factus eſt comes, ubinam es anima mea? M.En adſum,quid me vis? C.Non video.M.Jam iterum ut prius te cæcum eſſe fateris. C.Ubi ergo eſt Spiritus? M. Et me tibi præſentem quæris? C. Deus bone, unico nunc ambo vos ore loquimini?M.Quid mirum? An ejus es immemor quod ſupra dixeram,te ſolum cum unica rem habiturum, dum conqueſtum eſſes, cum duobus agere te debere? C. quid audio, nunquid oculos faſcinaſti meos? M.Abſit à me faſcinum: Verum hauſtu ſimul in amoris fonte facto, reducti ſumus in unum, ut non amplius cum duobus tibi præliandum fore putes,ſed cum unica mente C. Mens plurimis dat initia, menſæ,menſuræ, menſibusque.M.Utinam & menſam menſurare didiciſſes, menſiumque tuorum futurum eſſe finem recordareris. C. Mirum dicis: abſque cibo me vivere ſcis impoſſibile.M hoc & aliud ſcio, non ex ſolo pane vivere hominem,quod ignoras? C. Ex quo tu vivis,non adhuc te comedentem vidi? M. Rurſus tuam cæcitatem adfers in medium. C. Qui ſic? M. Ex omni verbo quod procedit ex ore Domini vivo. C. Utinam & mihi ſic vivere liceret. M. In poſterum & tibi (non antequam moriaris tamen) licebit. C. Durum nimis commemoras. M. Nonniſi jucundum. C. Mortem jucundam facis? M.Imo his qui noverunt eam. C. Noviſtine? M. Maxime novi. C. Depinge mihi precor eam quæ ſe timendam præbet omnibus.M. Libentiſſime tibi hac in re nunc obſequar, nemo hanc metuit præter te.C.Tu non? M. Nihil minus.C.Inſanis præ nimia ſapientia plus dictu M. Tu. C. Scio tamen omnes hanc abhorrere. M. Rere. C.Ut intelligaris loquere. M. E re dicam ut intelligas: mens hominis immortalis eſt; ideo mortem non timet, imo viriliter illam ſuperat,corpus morti ſubjectum eſt omne, quapropter eam apprime formidat. C. Qui ſcis quod morti mens non ſubjicitur.

M. Scitur

M. Scitur ex eo ſcilicet: Omne quod ex morte ſumſit originem, eſt mortale; quod ex vita primordium ducit, non moritur, nec id quod inter vitam & mortem eſt medium adhærens vitæ. C. Obſcura nimium loqueris. M. Non niſi clara. C. Quid eſt vita? M Eſt corporis anima. C. Quid ergo mors? M. Eſt vitæ privatio. C. Hoc non evaſi doctius M. Audi, quam tu mortem exiſtimas, hæc mihi vitæ eſt initium æternæ, jucundiusque nihil nobis accidere poteſt, modo tibi moleſta non foret: verum tu deteſtaris eam, quod ſcias hac te mundanis privari delicijs; at ignoras inter has & æterna gaudia minorem comparationem ſimilitudnemque eſſe, qualem inter fel & mel aliquando ſciam deguſtaſſe te. Tandem ut melius hanc differentiam cognoſcas, eſt quod conſideres id quod ſcis, omnium nempe quæ tibi poſſunt unquam accidere voluptatum mundi continuationem, tædium (ut potius dicam) nauſeam, & quod longe deterius eſt, infirmitatem, & nonnunquam mortem inferre. Si nunc cibum appetas, poſtquam aliquoties ventrem eo repleveris, alium quæres; quo cum ſatiatus fueris, iterum alium, nec ceſſabis unquam in hoc mundo quærere, quod non invenias votis non ſatisfeciſſe tuis. De potu quid? interim, dum per gulæ canalem tranſit, delectat; eo dum amplius intrare non valet, plurimum torquet; nec ab eo poteſt abſtinere quod occidit: mortem tamen quam tibimet infers metuis. O miſerum & inſatiabile corpus, quod ab eo cavere neſcit quod nocet, idque timet quod ipſum eſt! Vides ergo brutis humanum Corpus menti ſuæ diſſonum infelicius eſſe, cum irrationalia nihil præter ſibi neceſſarium appetant. Rationalia vero minime quod opus eſt, at magis quod necat ſollicite procurant. Ad ea nunc deveniamus, quæ in corporis uſum extra ipſum expetuntur, ut ſunt omnis generis divitiæ, propter quas indies miris diverſiſque modis torquentur hominum corpora mentem non aſſequuta. Quid non moliuntur, quæ non humana pectora ſubeunt pericula, quibus animam in exitium, & corpus miſerum diſtrahant ab animo: non alia de cauſa, quam ut ſibi de proprio corpore fingant idolum, quod byſſo purpureo coccinoque, torquibus & armillis adornatum, ſupra Deum tacite non verentur adorare. Majorem ſui ipſius quam alterius idololatriam hanc eſſe quis ibit inficias, aut mortem horum eſſe finem omnium? O corpus ignarum, nihil præterquam te ipſum formidas: nam ex te mors per appetitum initium ſumſit; nil etiam appetis, quam quod ex te eſt, utpote corruptionem, quæ mortem inducit quam times. Vide igitur quam tu tibimet minime conſtes, quamque alijs, cum tibi non poſſis, reſiſtere valeas. Reſipiſce quæſo dum potes, nobis adhære, nec tarde nimis cupias. Ad Frequentiæ nunc hortos devenimus, ibi tibi plura de hac relicebit audire.

Recapitulatio quarti Capituli, graduſque tertii.

SCitote fratres, omnia quæ ſuperius dicta ſunt, & dicentur in poſterum, intelligi poſſe de præparationibus alchemicis. Non aliter enim quam partium hominis, per ſpeculativam Philoſophiam, ſeparationem fieri diximus, de reliquorum corporum ſeparationibus igne factis intelligendum eſt. Et niſi talis fiat ſeparatio, fruſtra laborant Alchemiſtæ medicinam univerſalem quærentes, quæ poſſit omnibus indifferenter mederi morbis. Conſideranda ſunt omnia diligentiſſime, quæ de homine dicta ſunt in hoc libro, nam unicum non eſt verbulum in eo, quod ad artem non referatur chemicam, & in ejus declarationem poſitum non ſit. Talis eſt amor philoſophicus inter inanimatorum partes, & inimicitia, qualis in partibus hominis. Verum in illis, non magis quam in his, unio vera fieri non poteſt, corruptione dictarum partium non ablata prius ante conjunctionem: quapropter pacem inter inimicos eſt quod facias, ut amici conveniant in unum. In omnibus corporibus imperfectis, & ab ultima ſua perfectione deficientibus, ſunt amicitia & inimicitia ſimul innatæ: hæc ſi tollatur hominis ingenio vel induſtria, neceſſe eſt alteram ad perfectionem ſuam ultimatam redire partem, quam in hominis unione declaravimus. Separa per ignem igitur ab unoquoque corpore partes ſuas, impuras mundifica, quæ puræ ſunt, mundatione non indigent. Puris pura miſce, levioribus tamen graviora ſublimato prius; ſic fiet quod ſupra dictum eſt fixum volatile, corporeum quoque ſpirituale. Hactenus alchemiæ phyſicæ comparationem tetigimus, quare ſuperſedendum eſt hic, donec ea quæ reliqua ſunt in alchemia metaphyſica proſequuti fuerimus. Erit hic tamen admonendus lector, ut ea quæ dicta ſunt intelligat ex comparatione diſcreta, vel aliter ipſum confundi neceſſum eſt, quare differentiam eorum, circa quæ dubitari poſſet, ponere non pigebit. Quoties in poſterum inanimatorum fecero mentionem, de vegetabilibus & mineralibus intelligi cupio, quæ licet animam ſuam habeant vegetabilem, ad differentiam tamen ſenſibilium id faciendum eſt; & ſic ſupra de corporibus inanimatis loquutus fui, ne putet quiſpiam, alchemiſtis me contradicere velle, qui cunctis corporibus naturalibus ſpiritum, animam, & corpus modo ſuo tribuunt: quod etiam negantibus ad oculum demonſtrare poſſunt quoties opus fuerit. Item pro brutis irrationalibus ſenſitiva pono, nec de rationalibus intelligo, quæ licet animam ſenſitivam cum rationali habeant, potiorem tamen, utpote rationalem, accipiam in eorum ſignificatione. Demum circa prædicta non ignorandum eſt, ſeparationem rationalem eſſe duplicem, utpote voluntariam, de qua ſuperius loquuti fuimus, & naturalem,

quæ

quæ ad chemiſtas non pertinet: ſenſibilium & inanimatorum etiam duplicem, ut naturalem & artificiatam, quæ poſterior chemiam concernit. Voluntaria ſeparatio fit partibus in toto manentibus, naturalis & artificiata non. Inſtrumentum ſeparationis voluntariæ, ſpiritus eſt & ſpiraculum vitæ: naturalis, mors: & ignis, artificiatæ. Nihil obſtabit jam, quin rationalium alchemiam, illi, quę de ſenſibilium inanimatorum fieri poteſt ſeparationibus & unionibus, in poſterum æquiparare valeas. Quod verò præpoſuerim Alchemiam rationalem, non fruſtra factum putes, quia hac & naturali non intellectis, artificialem neceſſariò te continget ignorare. Sed ne tibi videar in Alchemia naturali defeciſſe de hac nunc tantum audies, quantum ad reliquorum intelligentiam tibi ſufficiat: à ſeparatione faciam exordium. Scis, hominem peracto ſibi à natura conſtituto termino; ſuas in partes reſolvi (quas ſupra Spiritum, Animam, & Corpus eſſe diximus) hoc operante mortis corruptione: per ignis naturalis extinctionem, humore deficiente radicali, recedunt Spiritus & Anima relicto corpore; quod iterum in ſuas partes ſeparatur elementales, per putrefactionem in terra factam: quodlibet elementum ad ſuum redit, terreum terra devorat, aqueum aqua, ſic de reliquis. Spiritus & anima redeunt unde proceſſerant: non ut à corpore ſemper ſeparata ſint, ſed ut meliori compoſitione jungantur in unum artificio divino poſt quam unionem non ſeparabuntur amplius. Hæc eſt unionis maxima virtus inſeparabilis, & partium in unum compactio. Rurſus, niſi elementa rationalium corporum elementis nutriantur, ſpiritum & animam retinere non poſſunt. Cibus & potus in ſtomachum projecti coquuntur in digeſtionem (aliter partium ſeparatio fieri non poteſt corporum, quam per corruptionem aut putrefactionem) & artificio naturæ purum ab impuro ſeparatur, ut potiore ſubſtantia cibi potusque terræ, aquæ, aëris, & Ignis, humani corporis terra, aqua, aër, & ignis alantur, impuriore materia terræ, aquæ, aëris & ignis, ciborum & potuum per alvum aut alia emunctoria, ejecta: quæ groſſæ materiæ rurſus pars quælibet ſuum (ut diximus) elementum petit. Ignis in homine eſt elementum vorax, reliqua puriora conſumens elementa: quapropter neceſſarium eſt alimentum, aliter ſeipſum conſumit, abſumto quo, locus animæ non relinquitur nec ſpiritui. Talis ignis, eſt ignis, & aliorum elementorum unio ſeu anima, ſine qua nulla componuntur elementa, ſed ſeparantur. In elemenmentis amor eſt philoſophicus: hunc amplectere ſolum, ſi phyſicus vel naturalis philoſophus eſſe cupis, aliter non phyſicus, ſed naturæ vaſtator potius evades.

De Frequentia, quarto gradu philoſophico. Capitulum V. In quo Mens, Corpus, & Frequentia colloquuntur.

M. SAlve plurimum ô Frequentia. F. Vos quoque ſalvere jubeo gratiſſimos advenas ac hoſpites: unde quæſo? M. Ab amoris philoſophia hac ad virtutis caſtra facimus iter. F. Rectè moram apud me faciatis rogo tantiſper, donec peregrinationis veſtræ ſuſcepti labores, aliqua refecti quiete, ſubleventur. M. Libentiſſimè tibi hac in re quidem obſequemur. F. Intrate igitur aſſiduos hortos, & his quæ in eis ſunt prò veſtris liberè fruimini. M. Gratias ingentes agimus tibi. F. Non mihi, ſed ipſi quorum ſunt omnia, Deo videlicet. Accumbite, parata ſunt ea, quibus vos excipere poſſum, Deum oremus: Alere nos digneris ô Pater omnipotens benedictione tua. Amen. Cura teipſum ô Corpus, interim dum ego Mentem cibavero. Audi Mens: Cum Frequentia ſit concepti circa veritatis amorem perſeverantia, non eſt alius quam per aſſiduitatem ad virtutes aditus. In hoc loco nulla requies: hinc fit ut nullus hic corpori locus extractus videatur, ſed ſub dio vigiles colonos horti virtutum expetant. Videſne terram hanc, niſi continuè repurgaretur, pro ſuavitatis floribus & herbis quæ producit, nil præter carduos & urticas reddere: non aliter de Corpore quod circumducis eveniet, ſi torpueris. Hoc tibi datum eſt in coloniam, ut horti diu noctuque mihi commiſſi ſunt. Quicquid in eo lolij ſupercreverit, auferendum eſt tibi. Non melius illud evincere poteris, quam cum crapulam abſtuleris: ea nimirum eſt, quæ ſomnolentiam inducit & pigritiam. Otium quoque tolles, ut vitiorum potiſſima radix pereat. Nihil præter neceſſarium corpori conceſſeris, quicquid ſuperabundaverit, excreſcit in vitium. Audiſti ſuperius quid corpori ſit neceſſarium; quid ſalutare nunc ſit audias & tibi. Corpus corrigere ſi neglexeris, malè tibi propter illud erit, & illi: quia tua, non illius, jam eſt facta ratio, quam abjecit, tibi commiſſam (ut etiam eſt) Dei cognitionem putes: quapropter nec tu propter illud excuſaberis, cum illi pædagogi loco ſis, nec illud propter te, quia prius è libero ſervum ſe fecit. Vide igitur qui cum hortis agam; duobus modis eos curo, videlicet eradicatione, & irrigatione: priore ſupercreſcentes herbas inutiles radicitus evello, ne bonas augmento ſupprimant: itidem cum tuo corpore facias oportet, malas cogitationes, & inimicitiam à te rejiciens prius, ab omni opere malo coërcebis illud: non decet unum docere præceptorem, & aliud facere; nam ſi peccandi dederis occaſionem corpori, cur illud deprehenderis quæſo? Corpus nihil ſpeculatur, animus eſt qui tacitas imaginationum operationes exercet, quas demum corpus conatur exequi: conce-

ptio

ptio mentis eſt, corporis autem executio. Quid ſi lolium herbam evellerem,& interim ſeminarem zizaniam, aliud quàm id ipſum quod ipſamet commiſi, correxero? Vide igitur ne corpori plus quàm valeat, adſcripſeris. Verum eſt quod ipſum ad pravos conceptus exequendos magis pronum ſit, eisque plus quàm bonis delectatur, ſed malos à te cogitatus omnes abjice, bonos in eorum locum ſubſtitue, nil niſi bonum operari poterit, vel ab omni malo deſiſtere: Hæc eſt una corpus vincendi ratio, alteram audi modo. Si hortos meos ab inutilibus duntaxat vindicarem, certè parum aut nihil eſſem operata, cum alia longè plus neceſſaria cura ſit eis quæ ſata ſunt adhibenda, ſcilicet irrigatio, totius herbarum alimenti pars altera, qua ſine vegetare non poſſunt. Sic etiam aqua viva Corpus rigabis tuum, quæ DEI verbum eſt; hoc noctu diuque meditare, præterque hoc nihil, ut corpus aliud quam idipſum nec loqui, nec facere valeat. Vides jam agris vel hortis optimè comparari poſſe corpora, quod etiam feciſſe Chriſtum Salvatorem noſtrum in Evangelio legimus. Semen (ait) bonum quod in bene cultam terram cadit, fructum bonum adfert, non aliter DEI verbum quod ſuper cor molle ceciderit, corpus alet ejus, cujus contritum & humiliatum fuerit. Certum eſt, à primi lapſus tempore indurata ſicut lapides eſſe hominum corda, quæ niſi verbo DEI mollificentur, dura manent in æternum: Pharaonis cor à ventre matris (ut omnium corda ſunt) durum fuit: at quia verbo DEI mollificatum non fuit, induratum remanſit. Rebelles & inimici DEO naſcimur omnes, talesque manemus, donec eradicetur inimicitia, per ſummum agricolam, cujus te miniſtram ô Mens exhibe. Semen habes, agrum, & aquam, nil amplius deficit quam labor aſſiduus, non interruptus: nunquam ceſſes oportet ea revolvere, quæ jam audiviſti, tum audies, aliter per intermiſſionem inimico tuo locum dabis. Hæc ſunt quæ tibi dicenda commiſit hera virtus, à qua latius doceberis. Ingentes Deo gratias agimus, qui corda noſtra ſuo lumine dignatur illuſtrare, verboque ſuo reddere molliora. Amen. Feliciter itote fratres, & Virtutem petite.

Recapitulatio quinti capituli gradusq́ quarti.

IMpoſſibile eſt artificem aliquem in arte ſua promtum idoneumque fieri poſſe, niſi per frequentiam & aſſiduitatem operis habitum ſibi contrahat: quid piſtori piſtorem operantem ſæpius ac ſæpiſſimè vidiſſe profuiſſet: niſi manum in paſtam ipſe mittens, toties id repetiiſſet, ut jam habituatus piſtor factus alium docere valeret? Quod quibuſdam artem Chemicam addiſcere cupientibus evenire ſolet, ut nonnulli putent eam ſe lectura tantum aſſequi poſſe: cæteri, paucis admodum operationibus: quæ tamen

inter omnes quas Natura dederit artes unquam, difficilima, notaque minus habetur: Herculeus certè labor, Mentem, Corpus, & ætatem hominum ſuperans, niſi myriadum inter centena datum ſit uni vincere, hoc eſt, perfectum artis ſcopum attingere. Poſſunt nonnulli naturæ ſecreta multa ſummo ſtudio laboreque detegere, quæ faciunt in rem medicam, plus quam aliæ quævis olim extraordinariam artem inventa. Sed univerſalem illam reperire medicinam, de qua ſupra dictum eſt, hucuſque pauciſſimis contingit: ſolum his qui ſe Dei miſericordiæ gratia prius, in id ipſum quod optant, reddere certè potuerunt; hoc eſt, qui corpora ſua repurgarunt ab immunditiis, naturalium etiam corporum nubes abſtulerunt. Suadeo quibuſvis artis hujus inveſtigatoribus, ut aſſiduè Deum orent, ſtudeant & operentur, non poterit fieri, quin aſſequatur id, quod in Jeſu nomine petierunt à datore luminum. Sed primum conſiderent, quid ſit petere Patrem in filio, non aliud eſt certè quam id ſolum exigere quod ſit ad gloriam Dei patris & filij: Solent multi, quod eis utile videtur, optare, ſed non niſi quod verè utile eſt conſequuntur à Deo. Brevibus hoc dico multis, diligentes frequentesque conatus Deus adjuvat, negligentes deſpicit: Diligimus Bonum, ut malum non appetamus.

Dialogus, in quo Mens & Corpus ſimul agunt.

M. AUdiſtin' quidnam Frequentia dixerit? C. Audivi quidem. M. Quinam arriſit? C. non uſque adeò M. Qui ſic? C. Omnia de me dicta ſunt, in quem verò finem tendant neſcio. M. In tuam utilitatem felicitatemque. C. Faxit Deus. M. Dic quæſo, ſciſnè poſt hanc aliam futuram eſſe vitam? C Scio quidem. M. Scis etiam poſt mortem corporis perpetuam eſſe mortem? C. Non ignoro. M. Vivendum eſt in hoc mundo tibi, ut in æternum vivere poſſis. C. Quid aliud facio? M Indies moreris magis. C. Inſanis. M. Audi, vivit in hoc mundo, qui moritur, & Chriſto vivit. C. Quis hoc intelligit? M. Non audiviſti in Evangelio, quod niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipſum ſolum manet? C. Quid ad rem? M. Tu granum illud es quod in terram cecidit, quia tu nil niſi terra es. C. At audivi, Frequentiam ad verbum DEI granum in Evangelio retuliſſe. M. Jam audio animadvertiſſe te. C. Equidem. M. Non es bonus theologus. C. Sis tu mihi M. Verbum hoc, mortuum fuerit, ſignificationem habet activam, ſi granum frumenti pro verbo DEI ſumptum ſit, id eſt, mortificaverit: & talis erit ſenſus, niſi verbum Dei cadens in cor hominis illud mortificaverit. Et paſſivè ſic intelligi poteſt, niſi corpus & cor hominis, quæ in terra ſeminata ſunt, id eſt, terrena facta, mortificata, mortuaque fuerint, & verbum Dei granum receperint, & in utilitatem ac ædificationem vel potius multiplicationem converte-

verterint, ipſum ſolum manet, fructumque non adferet. Vel Chriſtianè magis, niſi granum conjunctum ſit per unionem cum corpore mortuo, manent ambo ſeparata ſine fructu. C. Et tu Grammaticæ facis naſum cereum? M. Adhuc es rebelle Corpus, ad Virtutem accelerandum eſſe video. Sed opportunè jam appulimus.

De Virtute gradu philoſophiæ quinto.

CAP. VI.

M. O Sacra jube tuas nobis portas aperiri. V. Quis es qui nos adire cupis? M. Duo ſumus philoſophiæ tyrunculi. V. Quid quæritis? M. Virtutem addiſcere. V. Juſtam rem petitis, quæ nullo modo vobis negari debet. Quos antea præceptores habuiſtis? M. Amorem philoſophicum, & Frequentiam. V. Gaudeo tales initia dediſſe vobis. Quid vos ad hæc ſtudia capeſſenda movit? M. Deſiderium cognoſcendæ veritatis. V. Radix eſt, & mater omnium quæ Deus inſtituit, veritatis cognitio. Sed in quem finem cupitis eam cognoſcere? M. Ut eam exercere valeamus. V. Erga quem? M. Deum & proximum. V. Bona quidem intentio, cui Deus felicem exitum det precor. Quæ ſunt vobis nomina? M. Mens mihi, Corpus huic nomen eſt. V. A quo accepiſtis ea? M. Ab amore philoſophico Mens vocata ſum, à vulgo Corpus nomen retinet. V. Quid menti cum Corpore convenit? M. Nihil omninò, ſed omnia nobis in controverſia ſunt. V. Quid audio? M. Mundum ægrè fert Corpus relinquere. V. Salutem refugit omne quod mundum ſemel induit, & non niſi maximo labore poteſt ab eo retrahi. Ingredimini fratres, & quod in veſtri gratiam præſtare poſſum, æqui boníque conſulite precor. Corpus accumbe tuis, ventremque cura. Mens à me cibabitur. O Pater cœleſtis qui cunctos reficis, verbo tuo veritatis nos in vitam æternam alere digneris. Amen. Audi Mens, Rerum virtus eſt uniuſcujusque rei veritas, & veritas eſt efficacia per experiētiam nota, & efficacia cœleſtis influentia. Quicquid ex cœlo non eſt, virtus dici non poteſt, ſed ejus ſimulacrum falſum. Depinxerunt olim nobis virtutes philoſophi, qui Deum ignorarunt, quia filium ejus, in quo Dei virtutes omnes factæ ſunt, non intellexerunt. Solent etiam recentiores dividere virtutes in Theologicas, & Ethicas, quo quidem inter doctos viros abſurdius eſſe nihil poteſt: quia virtus omnis eſt à Deo, ergò theologica: quæ dicitur ethica, niſi ex Deo ſit, virtus eſſe non poteſt. Romanorum in hoſtes fortitudo, pertinacia: magnanimitas, ſuperbia: prudentia, fraus, & dolus: abſtinentia, honoris ambitio (ſic de cæteris) vitia potius quam virtutes fuerunt: quia non ad gloriam Dei, ſed hominum & propriam patrata ſunt. Chriſtiani philoſophi veritatem ſolam habent pro

virtute,quam in Fidem, Spem, & Charitatem dividunt. Ex his tribus,& in his tota conſiſtit veritas,& quicquid in his non reperitur,falſum eſt, tam in rationalibus,& ſenſibilibus,quam inanimatis. Eſt enim fides eorum certitudo quæ audiuntur,& non videntur: hac ratione dictum eſt fidem ex auditu eſſe, quia quod videtur, fides non eſt, ſed ſcientia certa per oculorum demonſtrata: ejus teſtimonium præbet ſcriptura ſacra: Credidiſti quia vidiſti. Beati qui non viderunt, & crediderunt. Eſt in rebus naturalibus veritas quædam quæ non videtur oculis externis,ſed mente ſola percipitur,cujus experientiam fecerunt Philoſophi,ejusque talem eſſe virtutem compererunt, ut miracula fecerit: quapropter mirandum eſt, homines fide feciſſe miracula, cùm inanimata etiam idem virtute ſibi contributa præſtare poſſint. In ea tota conſiſtit ars, ut à ſuis compedibus hujusmodi ſpiritus liberetur, non ſecus ac jam ſuperius dictum eſt, mentem à corpore liberam fieri debere. Corpus igitur carcer eſt, quo virtutes impediuntur animæ, ſpiritusque rerum naturalium ſuas vires exercere non poſſunt. Talis & ejusdem eſt efficaciæ ſpiritus hujusmodi rerum inanimatarum,pro ſui ſubjecti ratione,qualis eſt in homine fides indubia. Eſt igitur hominum virtus fides vera, cæterorum omnium eorum eſt efficaciæ veritas. Exempli gratia,credere nollet inexpertus rerum naturæ phyſicus, cadaver animalis venenoſi cuiuſvis,etiam ſiccum & aridum omninò, infecto veneno vulneri,& apoſtemati peſtifero ſuperpoſitum, virus omne penitus ad ſe trahere,quod chemicis naturæ virtutum ſcrutatoribus eſt notiſſimum, & ex vi magnetica naturæ compertum habent. Cum igitur tales non credant, id præſtare poſſe naturam quod poteſt, indigni virtutibus ejus,aſſequi non merentur ex ipſius naturæ ſcrinijs arcanum vel minimum. Si experimentum aliquod viderint alicujus,non perquirent ulterius, qua tandem ratione ſimile quid fiat, ſed experimento contenti, ſolum utentur eo: hac in ignorantia maxima Phyſicorum pars ignara hæret, dicens, hoc habet, nec eſt curioſius perſcrutandum à quo: verum chemiſta phyſicus non contentus experimento ſolum, nec quod à cœlo habeat, ſed à qua parte cœli, perquirit, anatomiam creaturæ magnæ,cum ea quæ de microcoſmo fieri poteſt, comparationem faciens. Quod quatuor modis & inſtrumentis efficere nititur,utpote,Geometria,Hydromantia,Pyromantia, & Aſtronomia. Geometria terrarum in rebus naturalibus: aquarum Hydromantia: ignium Pyromantia: cœleſtiumque virtutum Aſtronomia, ſunt inquiſitiones,quas artifex amore percitus philoſophico, libenter aggreditur,ſpe fretus (qua etiam alitur) ad eam rei pervenire veritatem,de qua ſibi fides eſt inſita: patet igitur, Spem fidei ſtimulum eſſe, vel futuræ certitudinem veritatis. Niſi quis certo ſciat

acqui-

acquiſiturum ſe quod proſequitur, friget in eo conatus,ſed ubi fide ſuam opinionem confirmarit, frequentia nimirum adjutus & ingenio,nihil non aſſequitur. Verum hoc loco fidem per charitatem comprobari non eſt ignorandum,ſicut etiam bonum vel malum motum, benè vel malè poteſt operari. Eſt igitur charitas actu fides perfecta: quis de vera fide judicare poterit aliter,quam docuit is qui fides eſt,ab operibus eam eſſe cognoſcendam?Nonnulli rem intelligentes, à ſeipſa dixerunt incipiendam eſſe charitatem, quod ſic intelligendum eſſe puto, hominem oportet Chriſtianum per frequentiam ſibi virtutis habitum contrahere prius, antequam illam in alios exercere valeat actu. Diſce mens igitur in proprium corpus exercere charitatem, vanos ejus appetitus coercendo,ſic ad omnia tecum promtum erit: quod ut fiat operam dabo,de fonte virtutis una tecum ut bibat, & ambo tunc unum facti,pacem habeatis in unione. Accede Corpus ad fontem hunc, ut cum tua Mente bibas ad ſacietatem & in poſterum non ſitias amplius vanitates. O admiranda fontis efficacia, quæ de duobus unum, & pacem inter inimicos facit! Poteſt amoris fons de ſpiritu & anima mentem facere, ſed hic de mente & corpore virum unum efficit. Gratias agimus tibi Pater, quod filios tuos inexhauſti virtutum fontis tui participes facere dignatus ſis. Amen. I nunc vir prudens factus ad Potentiam, à qua Conſtantiam addiſces,& feliciter vale.

Recapitulatio capituli ſexti, quintique gradus.

Cuique rei ſua virtus ineſt, & cœleſtis influentia, quæ tamen externis oculis minimè videri poteſt, ſed ejus effectus. Videmus attractionem ferri factam à Magnete, vim verò magneticam latentem in ipſo lapide videre non poſſumus, quia ſpiritus eſt, & ſub ſenſum non cadit; ſic de alijs. Vinum in ſe diverſas vires habet, quæ per experimentum artis chemicæ cognitæ fuerunt à philoſophis in ejus ſeparatione: Spiritus ejus calefacit & exſiccat, Corpus tamen omninò contrarium efficit; nam humectat cum refrigerio, quorum experientiam in aqua (quam ardentem vocant) & in aceto videre licet: hæ facultates omninò contrariæ ſunt propter ſeparationem, ut ante eam non ita diverſæ,quia tunc de mixtione per unionem naturalem plus participant. In omnibus alijs corporibus naturalibus tales ineſſe virtutes ſecundum majus & minus, quis (niſi mente captus) ibit inficias? Non erit philoſophus, quicunque negaverit panem vel frumentum habere ſpiritum in ſe non minus efficacem, quam ſit vini ſpiritus, licet non ſit in pane tam abundans ac in vino: tamen pro pari ſpiritus ſui quantitate æquè efficax. Si talis poteſt à pane vinoque

ſepa-

ſeparari ſpiritus artificialiter, quantò magis naturaliter ejus fit in homine ſeparatio? Ex his poſſunt philoſophicæ transmutationes intelligi: nonne ſcimus & panis & vini puriorem ſubſtantiam in carnem & ſanguinem transmutari: & de vegetabili forma non viſibili, formam viſibilem animalem fieri? Non propterea mutantur ſpecies rerum, ſed formæ. Quis adhuc dubitabit, tranſmutationes philoſophicas fieri poſſe per artem in homine longè meliores, quam faciat ipſa natura per panis & vini tranſmutationem, cum alia corpora ſint in rerum natura, quæ majorem virtutem naturalem, & cœleſtem influentiam habent, à quibus non aliter quam à vino paneque ſpiritus ſeparari, & in hominis ſubſtantiam, carnem & ſanguinem, tranſmutari poſſunt, & excellentius per artem, quam naturam fieri valeat. Sed cur ea ſæpius repetam, quæ luce clariora ſunt philoſophis? qui fidem adhibere noluerit, experiatur per artem chemicam, quam ſi ignoraverit, addiſcat priuſquam experiatur: nam ſi per communem artem deſtillatoriam talia facere conabitur, oleum & operam perdet. Nemo pro ſuo commodo cogendus eſt, ſed admonendus tantum, quod ſi contemnat, proprio non admonentis damno fecerit.

DE POTENTIA, SEXTO GRADU.

CAP. VII.

Dialogus in quo Potentia, & Vir interlocutores ſunt.

V. APeri quæſo diva Potentia. P. Quis huc introduci vult? V. Vir. P. Unde huc ades? V. A virtute miſſus ſum. P. Cujus gratia? V. Confirmationis in virtutibus, quas à miniſtra veritatis recepi. P. Rectè, ſed qua ratione id fieri poſſe credis? V. Potentia. P, Cujus tandem? V. Veritatis. P. In quò veritatem eſſe putas? V. In altiſſimi ſolius virtute ſitam eſſe veritatem omnem non dubito. P. Jam confirmatione dignum exhibuiſti te: quapropter animadverte ad ea quæ tibi ſum expoſitura. Potentia eſt acceptæ virtutis à domino Conſtantia. Non eſt quod quiſpiam putet ſe vel minimam virtutis ſcintillam aliunde, quam à Deo habere poſſe. Quod ſi quis à ſeipſo, vel ab alio quam dictum eſt quærat, loco virtutis vitium in ſui perniciem conſequetur. Sic ſoliti ſunt Gentiles olim operibus heroicis (ut vocarunt) virtutes non alia de cauſa venari, quam ut poſteritati famam de ſe relinquerent, in ea ſummum bonum, & felicitatem ſibi miſerè ponentes. Verum quinam eis ſucceſſerit, hujuſmodi memorabilium exitus apertè nos docuit. Regnum eorum quod in arena fundatum eſſet, & non ſuper petram, ruere fuit neceſſe cujus ruinæ quidem non ma-

jus veſti-

jus veſtigium relinquitur, quam ut poſteris horum ſtultitia pateat. Quod ſi ſuper veritatis petram Gentiles ædificaſſent, ſtabile fuiſſet regnum eorum. Non ſunt hominum ſequenda veſtigia, ſed veritatis, in qua ſtabilia ſunt omnia. Melius non poteris confirmari frater, quam per virtutem ipſam, quæ nihil aliud eſt quam veritas: hanc ſi in omnibus operibus tuis & verbis obſervare conatus fueris totis viribus, ipſa te confirmabit indies magis, donec in prælio potens factus ut leo, mundi vires omnes evincere valeas, mortem non timeas, nec quicquid diabolica tyrannis excogitare poſſit violentiæ: ut aurum purum in igne ſemper purius, & glorioſius abſque diminutione diutiſſimè jubilat, non aliter in omni matyrio veritatis confirmari profeſſores gaudent, quod infra latius audies. Sed hoc eſt notatu dignum, quod non aliter quam ex frequentia omnium artium & operum habitus & promtitudo datur, etiam ex obſervatione ſedula veritatis, tam in factis quam dictis. Conſtantia virtutum cœlitus infunditur ad potentiam, quæ tandem obſervatione non intermiſſa tranſiit in miraculum, ad quod nunc anhelandum eſt tibi, hac iter facito. Vale.

Recapitulatio capituli ſeptimi, ſextique gradus.

LIcet à corporibus naturalibus, etiam inanimatis, virtutes (ut dictum eſt) extrahuntur, niſi tamen ulterius per artem Chemicam deducantur ad extremam ſuam potentiam, ad aliquod excellens opus non erunt idoneæ: ſed quanto magis depurantur & ſubtiliantur, per ſedulam obſervationem Chemicam, ad ſuam primam cœleſtem influentiam plus accedunt, & per conſequens efficacius penetrant ac operantur: ita ut pro miraculo verè ſit reputandum opus, quod in Medicina quarumvis infirmitatum efficiunt.

De miraculo ſeptimo, & ultimo gradu Philoſophico.

CAP. VIII.

MIraculum eſt conſtantiæ Veritatis effectus. In cujus declarationem, unico tantum utemur exemplo, qua patebit apertè miraculum. Quidam Philoſophus ab Imperatore tyranno, propter veritatis profeſſionem exceptus hoc martyrio, ſcilicet, ut in exſciſſo lapide ferreo vivus piſtillo contunderetur, ait: Tunde tyranne, tunde corpuſculum hoc, mentem nunquam contundes meam. Quod cum Imperatorem malè haberet, ne veritatem loqueretur amplius, quam audire non poterat, tortori commiſit, ut linguam truncaret philoſopho: verum proprijs dentibus abſciſſam in Imperatoris faciem expuit, ante quam corpus ejus in pultes contuſum eſſet. O admiranda viri conſtantia, quæ

tanto

tanto non perterrita martyrio, mortem ſummo cum gaudio ſuſtinens, mundi tyrannidem vicit?

Recapitulatio ſeptimi gradus, octavi capituli, totiusque prioris operis concluſio.

UTi ſeptem gradus philoſophici, per quos ad ſublimia menti patet aditus, ſeptem ſunt etiam operationes chemicæ, per quas artifex ad arcanum illud medicinæ præſtantiſſimum pervenire poteſt. Studio philoſophorum comparatur putrefactio chemica, quia ſicuti philoſophi per ſtudium ad cognitionem diſponuntur, ita res naturales per putrefactionem ad ſolutionem: cui comparatur cognitio philoſophica, nam ut per ſolutionem corpora ſolvuntur, ita per cognitionem reſolvuntur philoſophorum dubia. Non aliter quam ex amore philoſophico ſtudiorum frequentatio ſequitur, ex congelatione chemiſtarum unio prima fit per aſſiduitatem, & operationum reiterationes: ſicut etiam ſi equentia philoſophorum acuuntur ingenia, ita ablutione chemica ſubtiliantur corporum partes. Eo modo quo per virtutem uniuntur philoſophi, per compoſitionem, elementa per minima componuntur, per potentiam philoſophicæ virtutes confirmantur, ita per fixionem ſpiritus in ſuis corporibus figuntur, ut non amplius fugiant. Non ſecus ac per miraculum opera philoſophica ſuam virtutem oſtendunt, per projectionem Chemiſticæ medicinæ ſuam perfectionem patefaciunt. Jam habes optime lector operis noſtri totam intentionem, ex qua niſi profeceris tam in vera philoſophia metaphyſica, quam in naturali & chemica, non eſt quod de me conqueraris, quia quicquid ab aliis obſcuratum fuit, apertiſſimè tibi declaravi. Feliciter vale, bonique qualecunque ſit opuſculum iſtud conſule.

TINCTURÆ PHILOSOPHICÆ

JAm finem facerem, niſi me philoſophicus amor erga ſtudioſos detineret admoneretque, Theophraſti Paracelſi præceptoris noſtri tincturas philoſophicas addere, quibus curæ, tam extrinſecus, quam intrinſecus, per ſanguinis renovationem fieri poſſunt. Hæ ſunt omnium ſimpliciſſimæ, potiſſimæque per alchemicam artem tractæ medicinæ, quarum præparationis modum, una cum adminiſtrationibus, ex dicti Paracelſi Chirurgia magna deſcripſi, quo facilius intelligantur ea, quæ de philoſophicis medicinis ſuperius dicta ſunt.

De tinctura Solis, id eſt, Auri.

EXtracta tinctura Solis, corpus ejus remanet album, tinctura verò pura eſt, & ſeparatur ab impuro, id eſt, à ſuo corpore: quæ

quæ ſepatatio neceſſaria eſt. Tinctura debet clarificari, vel exaltari in ſuo gradu, qui duplatur quinquies bis 24. altius non progreditur: tunc poteſt adminiſtrari quibusvis, ad renovationem ſanguinis in priſtinum ſtatum, ut dicetur in adminiſtratione.

Extractio talis eſt.

CORpus corrumpendum eſt de natura ſua metallica, malleationeque per aquam Salis, demum reſidentia debet ablui per aquam dulcem, poſt modum extrahitur tinctura per ſpiritum vini. Poſtremò elevatur à tinctura, tunc manet in fundo.

Extractio aquæ ſalis.

AQua ſalis fit ex ſale, quod mundiſſimum & albiſſimum ex ſua natura ſit, abſque decoctione vel artificiali præparatione qua ſal fieri ſolet, liqueſiat aliquot vicibus, deinceps pulveratum ſucco radicum raphani commiſceatur, & agitetur in eo, tum deſtilletur poſt ſuam ſolutionem, & cum ſanguineo viridi, partibus æqualibus miſceantur, & deſtillentur omnia quinquies, & in eo liquore lamina Solis per antimonium purgati ſolvitur in pulverem. Abluatur aqua pura deſtillata ſubtiliter, donec ſalſedo recedat; nam ſal ablui ſeſe permittit, nec miſcetur in profundo cum ſubſtantia, ſed ſeparatur.

Spiritus vini fit hoc modo.

OPtimi vini puri non mixti, rubei vel albi menſuram unam, in circulatorium vas optimè lutatum obſtructumque recondito, & in balneo maris ad profunditatem vini merſum vas, per decem dies naturales bullire facito: demum infrigidatum deſtilletur in cucurbita vel phiala frigide tamdiu, donec ſpiritus aſcendit, cum verò ſignum ſuum dederit, ceſſabis mox: nam quod ſequitur eſt aqua vitæ, non ſpiritus. Hunc vini ſpiritum infunde ſuper ipſam reſidentiam, quæ eſt velut Alcool, ut ſex digitis ſupernatet, optimeque lutatum vas ponatur in balneum calidum, in quo maneat per menſem, tunc in ſpiritum aſcendet Solis tinctura, manebitque pulvis albus in fundo vaſis, quæ duo ſeparanda ſunt ad invicem. Liquefac pulverem, & fiet ex eo metallum album. Spiritum evaporare permitte, ut artis eſt, manebit ſuccus in fundo tanquam liquor: quem graduabis quinquies in retorta ſatis magna, pro liquoris quantitate. Talis graduatio ſolummodo, per elevationem, quæ materiam ſubtiliat, ſed non permittitur ultra quintam eſſentiam ſubtiliari ſe, hoc eſt, 2.4.0. aliter comburitur ulterius procedendo.

Uſus adminiſtrationis eſt.

HUjus drachmam unã, cum uncia una theriacæ Venetæ mixtam dabis jejuno ſtomacho, qualibet vice ſcrupulum unum.

Poſtea

Poſtea cooperiatur in lecto patiens, & ſudet: continuetur 10. vel 12. diebus.

Eſt etiam in corallo tinctura perquam excellens ad purgandum ſanguinem.

CORpus ejus teratur ſubtiliter in alcool, & extrahatur ejus tinctura ſicut ex auro, per ſpiritum vini, ſimulque decies & ſexies aſcendant, poſtmodum ſeparentur per deſtillationem: aſcenſio fieri debet igne prorſus nudo, deinceps in balneo Mariæ ſeparari debet liquor ſexies, & iterum ſuper feces rejici. Hoc oleum adminiſtretur cum aqua theriacali, nempe ſcrupulum unum olei, cum ejuſdem aquæ drachma una propinando.

Aqua theriacalis fit, cum uncijs quinque ſpiritus vini, theriacæ duabus uncijs cum dimidia, myrrhæ Romanæ uncia una drachmisque duabus, croci orientalis drachmis duabus; miſceantur omnia, diſtillenturque ſimul & ſemel, adminiſtrentur ea ſicuti dictum eſt.

Doſis adminiſtrationis eſt.

UT ejus uncia una drachmæque duæ cum decem uncijs aquæ cichoreæ, vel gamandræ miſceatur, & ejus mixti dentur drachmæ duæ, mane & ſero: jejunet poſtmodum æger quinque poſt ſumtionem horis, & totidem poſt cœnam: continuetur hoc ſex vel ſeptem diebus: dentur etiam aquæ deſtillatæ ex fumo terræ, vel cichorea ſimilibusque.

Tinctura Balſami.

REcipe balſami unciam ſemis, & ſpiritus vini uncias viginti, ponantur ſimul in pellicanum vel duplex vas, & circulentur in Sole per menſem, quo facto permittit ſe deſtillari ſimul cum ſpiritu per alembicum, quæ deſtillatio melior eſt, quam per retortam hoc loco, ſi manet hæc mixtura ſimul in una compoſitione: cui addes unciam ſemis alterius balſami, clauſumque vas digeri permittatur, ut cum alijs permiſceri queat balſamum quod adjunctum fuit, ac perficiatur id quod exit ex ſuo corpore. Nam quicquid graduari debet, ſuam ſubſtantiam in unum corpus terminet oportet. Et cum hoc ut ſupra volatile factum fuerit, addatur iterum uncia ſemis alterius balſami, quod exaltabis ut prius, uſque ad duas uncias addendo graduandoque. Hæc eſt Balſami præparatio potiſſima, quæ renovat, curatque quidquid aliæ præparationes non poſſunt: conſervationis gratia ſuæ, virtutem hanc cœlitus acquiſivit ſupra cætera quæque.

Admi-

Adminiſtratio eſt.

UT ex iſto per ſe præparato balſamo, des ad pondus quinque granorum hordei, cum albo veterique vino bis in die tam diu, donec viſum fuerit ſanguinem emendatum eſſe.

Antimonij tinctura.

COmpertum eſt in hoc mundo, nil aurum purgare melius, quam antimonium, quapropter & in homine, ſi præparetur in potum, idem præſtare poterit, ac melius. Nec eſt quod mirentur literati, præceptorem noſtrum comparationem hanc facere. Diſcant prius Anatomiam creaturæ magnæ primæque cum ultima cognoſcere comparareque, quam judicent. Veluti ſol inter ſtellas, & aurum inter metalla, non aliter inter animalia homo primatum obtinet: cujus perfectionis cauſa metaphyſicè conveniunt hæc omnia ſimul in unum. Sicut igitur Antimonium aurum penitus mundat, aliaque metalla conſumit: ita hominem, ex ratione quam diximus, repurget abſque exoneratione alvi, ſed purgatione radicali, qua ſpiritualiter omne ſuperfluum eradicat: hoc eſt excellentiſſimum arcanum, cujus ſtructura talis eſt: Recipe antimonij optimi in alcool facti, quod reverberabis in reverberatorio bene clauſo per menſem, ex eo fiet volatile, primo album, deinde flavum, poſtremo rubeum aut croceum leve, quod extrahes de eſſe ſuo ex lili per ſpiritum vini, ſic ut ſupernatet viginti digitis, & permitte ſic donec coloretur bene clauſum, ut ſcis: hæc eſt altiſſima præpatatio lili, quæ hominem radicitus purgat intrinſecus & extrinſecus.

Adminiſtratio ejus eſt.

UT in dolium vini recentis in Septembri vel Octobri, ſemper ad viginti menſuras iſtius tincturæ ponatur uncia ſemis, & ſimul digeri purificarique permittantur ambo. De vino hoc bibant patientes ad tres vel quatuor ſeptimanas, aut diutius, præ omnibus alijs hauſtibus, vel abſque alijs.

Tinctura ſalis philoſophorum.

REcipe ſalis auri, ſalis Antimonij, ſalis meliſſæ, ana unciam ſemis, ſalis communis puri petroſique uncias octo, miſce ſimul, & ſuper fruſtum panis ſtratum edatur jejuno ſtomacho. Nec mireris quod hic ponamus ſal auri, ſal antimonij, quæ ſalia vulgaria non ſunt, ſed philoſophica: poſtquam ſciveris ea quæ ſcire te convenit in hac arte, non miraberis amplius.

Aliud ſal philoſophicum.

REcipe ſalis gamandreæ, ſalis cichoreæ, ſalis valerianæ ana unciam unam, ſalis abſinthij unciam ſemis, ſalis vitrioli drachmam unam, communis ſalis puri petroſique libram unam: miſce ſimul, & edatur ut ſuperius.

Arcanum per quod ea quæ ſupra poſita ſunt elucidantur.

COElum & terra per hominem generant hominem; qui filius eorum eſt, ac filia prolesque: à cælo habet intellectum, à terra vero corpus: & quia ex terra, in ſuo corpore eſt, in quod revertetur: ex cælo tamen quod eſt in ipſo, eſt ex firmamento: præterea quidem adhuc unum poſſidet ex dono Dei, per quod aſtris dominari poteſt, cum ex Deo didicerit. Cælum & terra ſimul ſunt, ſic etiam cœlum & homo, ſed ſicut homo ex terra eſt, ea ratione ſecundum terram, & ex ea cognoſci debet: at quatenus ex cœlo, ſecúndum cælum etiam judicandus eſt: igitur homo, cælum, & terra unum ſunt, etiam aër & aqua. Si homo res in majori mundo tranſmutare novit (ut in ſal omnia) quantò magis id in microcoſmo, hoc eſt in ſeipſo noverit, quod extra ſe poteſt, modo cognoſcat hominis in homine theſaurum exiſtere maximum, & non extra ipſum. Ab ipſo procedit interius (licet mediatè) per quod operatur extrinſecus id, quod oculariter videt. Ergò niſi mente cœcus fuerit, videbit (id eſt) intelliget quis & qualis ſit intrinſecus, luceque naturæ ſeipſum cognoſcet per exteriora. Certum eſt, ex hominis ſanguine generari Sal naturale balſamum ejus corporis, quod in ſeipſo corruptionem & præſervationem à corruptione habet: nam in rerum natura nihil eſt, quod non in ſe mali tantum quantum boni contineat. Pariter ex oſſibus & carne generatur naturale ſulphur, quod propter liquoris naturalis exiccationem incenditur, totumq; corpus & ſeipſum cōſumit aliquando: hujus incendij cauſa eſt, quod homo fuit à principio ſulphur, hoc tranſmutatum eſt in carnem & ſanguinem, quæ media materia ſunt hominis, quamque prima natura vel materia plurimum odit, ac eam ad ſe reducere conatur: quod cum fecerit, terra cinisque reſultat, materiæque hominis primæ reliquum, ultimæque ſubjectum. Quia homo eſt in corruptione generatus, odio proſequitur eam ſua propria ſubſtantia. Hinc fit quod ſulphur naturale hominis, à creatione media recedat in primam ad quam út appropinquat, ejus naturam aſſumens, in elementarem operationem tranſit: qui quidem elementaris ignis, corruptionis eſt cauſa, quique per inviſibilem ſolem plurimis incognitum accenditur, hic eſt ſol philoſophorum. Tales ſunt in homine virtutes, ut per corruptionis potentiam liquorem exſiccare valeant, & hac via ſalia hominis reducunt in calcis naturam, per quam corpus in eſſe tranſit ſulphureum. Corpus itaque reducitur in materiam primam, ad quam proximum eſt habile factum ad receptionem ignis hominem ad primam ſuam eſſentiam corrumpentis: velut in alijs creationibus videmus, in terra vel montibus. Et licet non eadem ſint corpora, tamen eædem; ſunt operationes: non eſt idem

idem ignis in accidente, ſed idem in ſubſtantia. Sol eſt inviſibilis in hominibus, in terra verò viſibilis, tamen ex uno & eodem ſole ſunt ambo. Homo quidem eſt eſca, in quam per cotem, ſcilicet Mercurium, & chalybem Cœlum, ignis hujuſmodi ſcintillæ excuſſæ fomentum accipiunt, viresque ſuas exerunt. Chemicam artem naturaliter exercet Archeus in homine, tanquam artificialis in fuſina ſua Chemiſta minerarum corruptor, qui tria, ſcilicet realgar chemicum, & Aurum à minera ſeparat: quia tam diu ac iſta ſimul permanent, quodlibet per ſe nullam vim habet, ſed cum ſeparata ſunt unumquodque ſuas agendi vires exprimit in homine: talis eſt in ipſo orizon, non in viribus, at in perfecta creatione. Ars itaque naturalis in microcoſmum agit ut homo ſeparetur in aurum, agente per ſe fulmine: Chemicum ſuo loco ſeparat in loppam, & realgar in fumum, vaporem, vel corpus ſublimatum: quod Archeus dictus Vulcanicis artibus perficit in homine, donec ad ſuam ultimam perducatur materiam. Eſt enim ultima rerum materia, quæ jubilat in exaltatione ſua, ſicut aurum ab alijs duobus ſeparatum gloriatur in igne, vitrumque.

Nec ſubticere poſſum, quid Theophraſtus Paracelſus præceptor noſter, de Solis terreſtris arcanis ulterius ſcripſerit, utpote differentiam inter quintam eſſentiam auri, aurum potabile, & oleum ejusdem. Eſt enim quinta ſolis eſſentia, tinctura per vini ſpiritum extracta, cujus modum ſupra poſuimus. Aurum vero potabile eſt, cum id una cum alijs ſpiritibus & liquoribus in potionem reſolvitur. At oleum auri eſt, cum ex auri ſola ſubſtantia per ſe fit oleum purum.

Auri potabilis deſcriptio.

Recipe auri foliati, vel pulveriſati unam unciam, hoc in ſuccum reſolvatur, addes aceti deſtillati quantum ſufficit, deſtilla poſtmodum, & ab invicem ſeparato, tamdiu hoc facito, donec adjunctorum nihil ſaporis maneat: deinceps in aquæ vitæ quinque uncijs immergantur omnia ſimul, & in pellicano per menſem digerantur.

Ejus aquæ vitæ deſcriptio talis eſt.

Recipe vini ardentis libras decem, roſarum, meliſſæ, rorismarini anthos, cheiri, foliorum utriuſque hellebori, majoranæ ana manipulum unum, cinnamomi, maceris, nucis muſcatæ, caryophyllorum, granorum paradiſi, piperum omnium, cubebarum ana duas uncias, ſucci chelidoniæ, tapſi, meliſſæ, ana ſex uncias, cinerum fabarum uncias quinque: commiſce, permitteque digeri per pellicanum 12. diebus, ſepara tandem, & uſui reſervabis quem ſupra ponimus.

Olei Solis deſcriptio.

POſtquam, ut ſupra dictum eſt, aurum in ſuccum per acetum reductum fuerit, bulliat per quindecim dies in ſequenti digeſtione, poſtea ſeparetur in balneo Mariæ volatile, manebit in fundo fixum oleum auri purum.

Corpus digeſtionis hoc eſt.

REcipe ſucci chelidoniæ libram unam, & aquæ vitæ circulatæ partem æqualem, vel paulo plus, reſolvantur in ſpiritum, quibus auri miſce tres uncias, deinceps fac ut ſupra dictum eſt.

Concluſio philoſophicæ clavis.

CLave prius tradita, mox ejus uſum & arcas, in diſſolutionem iſtarũ & à ſuis contentis philoſophicam ſeparationem tradere, quibusvis naturæ diligentibus arcanorum ſcriniorum ſcrutatoribus, minime gravabor: eoq; hac, præter alios qualescunq; meos labores, ac modò ſupernaturali quodam artificio, Clavem dictam elucidante, fidem facere, me ſibi magis, quam ipſi mihi vixiſſe hactenus: quod quidem res ipſa docet, atteſtabunturq; omnes, qui me viderunt. Æquum igitur eſſet quieſcere me tantiſper, donec tandem alius noſtræ profeſſionis accederet, qui ſublevaret onus. Non quod cedam, ſed potius ad reaſſumendas reſpirem vires, contra debellare (fruſtra tamen) conantes naturæ veritatem, quam profitetur Paracelſus. Nec otij mihi multum eſſe video; nam propinquus eſt Dux ille magnus inimicorum ejus. Exurgendum eſt igitur utrinq; namq; reſonant arma. Calculo fundaque tamen paratis jam, non reformido gigantem hunc, etſi pygmeus ipſi videar. Veritas namq; ſuos, contra mendaces homines, ambitioſos, atq; ſuperbos (qui ſub pallio latent eloquentiæ, quod in lucem prodire nudi, ſimplici cum ſermone haudquaquam audeant, ne quod in ornato ſepulcro contegitur vitium appareat) armat. In virtute Veritatis igitur in occurſum venio. Valete quoad poteſtis.

INVICTA

VIRTUTIS MOENIA SACRÆ MANENT.

FINIS.

DE

DE ARTIFICIO SUPERNATURALI.

PRobare nos ab exordio decet, noſtrum artificium ſupernaturale legitimam prolem, & quasvis alias artes Chemicas eſſe adulterinas. Negant moderni Phyſici, Metaphyſiciq; pertinaciter quintam eſſentiam noſtram. Hoc nobis argumentum eſt optimum contra ſimiles docendi ſuas opiniones eſſe nullas. Quid cælum eſſe judicabunt iſti? Negare nobis audebunt eſſe quintum eſſe quid, a quatuor ut purum ab impuris à Deo ſeparatum, aut ignorare hoc ipſo fatebuntur? Dubium non eſt eos arcanum hoc intelligere. Si cælum etiam à quatuor primis eſſentiis ſeparatum eſſe nobis admittant, ergo quinta eſſentia. Niſi dixerint cælum etiam eſſe quatuor elementa, & eſſentias quatuor puras, ut octo ſint eſſentiæ. Hoc ipſo negabunt cælum purum exiſtere, eſſeque dicent, ut inferiora ſunt elementa. Nam puritas ab unione dicitur hoc loco magis quam a ſinceritate. Si quatuor elementa eſſent in cælo ſicut inferius mixta: mixtim etiam apparent in eo prout hic, quod minime fit. At unicum videtur elementum, plurimis ornatum cœleſtibus corporibus, ac tot quot mundus inferior, iſtis etiam correſpondentibus, ut effectibus ſuæ cauſæ. Hæc eſt vera ſeparatio elementorum, quam Alchemiſtas veros imitari decet, purioris nempe ſubſtantiæ ab impuris elementis, ut ſuperioris ab inferiore. Separatio vulgaris illa, quæ fit oleorum ab aquis, & horum à ſuis terris, qualitatum eſt, non elementorum. Vt ſi oleum, quod nonnulli aerem appellant, à ſua terra ſeparetur & aqua, nil factum erit aliud, quam quod elementa viſcoſiora, pinguiora, calidiorave, ſint à ſuis qualitatibus per ſeparationem earum facta. Nam cuivis harum partium quodvis ineſt elementum, quocunque modo ſeparetur. Sanius ergo ſic nominandæ ſunt, videlicet elementum calidum, pro parte cui

magis adhæret ignis calor: humidum, cui aquæ magis humor: frigidum, cui aeris frigus, & ſiccum cui maxime terræ ſiccitas, quas quidem appellationes etiam uſurpabimus infra. Sed ut ad cælum redeamus, iſtud incorruptibilem mundi partem ac alteram, ſuperioremque antiqui Sapientes mundum appellarunt, & ab inferiori totius altera parte, inferiore mundo corruptibili videlicet, à Deo ſegregatum affirmarunt. Hanc etiam univerſalem eſſentiam quintam & naturalem formam aptiſsime vocarunt: inferiorem vero mundum, naturæ materiam etiam univerſalem, formarum ejus omnium ſuſceptivam. Antequam à ſuo toto (quod Chaos nominatur) ſejunctæ partes ambæ forent quas diximus, confuſe continebat alteram utraque ſic, ut poſtea vinculum unionis primæ, & amoris in ſe retineret, ad alteram indies connecti cupiens alterutra. Qui quidem affectus atq; deſiderium, omnis generationis cauſa eſt, & vere natura dicitur. Hæc ſunt Phyſices noſtræ principia, quæ meis latius præcedentibus libellis tractata ſunt. Nunc vero, quæ artificij noſtri ſupernaturalis principia ſint, videamus, ne carere ſuis dicant fundamentis, qui tam acriter & perperam in eam invehuntur. Quia hoc proprie nihil aliud eſt, quam ars ex naturalibus conſtans principiis, & naturam excellens artificio, ubi divino quonam arcano, neceſſarium eſt eisdem uti principiis, quibus ipſa, quod alia fabricare nequeamus. At ubi ſuam terminavit Phyſicam, nos Metaphyſicam inchoamus: accipientes ea quæ terminata perfectaq; naturaliter nobis reliquit, & præparavit, ac ea ſupernaturali quodam artificio plus quam perficimus. Et quia cælum naturæ magnum tractare manibus non poſſumus omne, noſtris nec organis elementa cuncta concludere, cogimur ad naturæ ſimilitudinem & imitationem, ex naturalibus venari, magiſterio noſtro ſeparationis, noſtrum cælum ab impuris elementis noſtris, ut Chaos noſtrum fabricemus: à quo nobis inchoandum eſt opus hoc admirabile, quod naturæ magiſterium excellere debeat. Iam ni fallor, in-

lor, intelliges cur dicamus metaphyſicam noſtram, opus omne ſuperare naturæ. Nam ſeparatio cœli ab elementis, aut prima diviſio Chaos, naturale non fuit artificium, ſed mere divinum. In eo tamen imitari naturam vere dicimur, quod per modum corruptionis atq; generationis operemur in hac arte, & eisdem principiis utamur, quibus & ipſa. Latius dicimus, in quovis elementato corpore naturali, cœlum & elementa pro parte contineri: aliter generari non poſſunt. Ergo dum hæc ſeparamus, formam & materiam ſimiles habere poſſumus illis, de quibus ante ſui diviſionem Chaos extitit. Cur igitur in nos perperam latrat adhuc Cerberus? ac ſi forent impoſſibilia, quæ per hanc docentur artem. Si cœlum ſuperius, & inferiora elementa per naturam ſuam generant omnia, cur ex ejusdem cœli partibus, & eorundem elementorum, ipſorum natura media, per nos una cum ipſis incluſa noſtris organis, ſupernaturali magiſterio primæ Chaos diviſioni ſimili, parvus mundus non generabitur? ſi Deus tamen cuiquam annuerit, quo ſine perficitur nihil, & ſi recte ſit inchoatum. Hæc eſt unica via, quâ pervenire licet ad medicinam univerſalem & metaphyſicam, indifferenter omnes morbos curantem, de qua deſperant moderni Phyſici. Nonne vident univerſalibus includi particularia quævis; Cum igitur medicina talis ex incorruptibili cœlo, & elementis incorruptibilibus, aut ad incorruptibilitatem reductis fabrefacta ſit, & ad univerſi mundi nedum ſimilitudinem, ſed reſurrectionis etiam, cur non valebit contra corruptiones omnes microcoſmi ſe referentis ad medicinam hanc? Si reſurrectionis myſterium intelligerent iſti Zoili, fortaſsis non diſſentirent à veritate metaphyſica. Verum quod eorum qui reſurrectionem ignorarunt ac negarunt, ſectantur ſomnia, hujus etiam arcani capaces exiſtere minime valent, nec eo digni ſunt. Quid ad nos, quanto magis veritati reſiſtere conabuntur, tanto nudius inſcitiam ſuam ac ingenij ruditatem, vel ſuæ mentis obſcuritatem & cæcitatem detegent.

Ad verarum artium ſtudioſos convertamus nos, rogemusq́; Deum, ut aliis nebulas ab oculis auferat, ut quæ revelata ſuis eſſe vult, videre queant. Fundamentis antea jactis ac principiis poſitis in unico noſtro Chao, operæ pretium erit hujus partium extractionem a compoſitis naturalibus eos docere, qui credunt opus metaphyſicum hoc à Deo datum hominibus fuiſſe, qui bonæ voluntatis exiſtunt. Has partes nempe cælum & elementa rerum omnium eſſe diximus. Certum eſt omnibus à natura productis hæc ineſſe naturaliter; verum in aliquibus magis, in aliis minus, in nonnullis etiam extractu facilius quam in aliis. Vnde philoſophorum ſententia eſt, ut propinquiora faciliaque magis amplectenda ſint. Similia ſunt vinum optimum, Tartarum, Mel recens, Flos anthos, Lilium rubeum, Chelidonia, Mercurialis, &c. De quibus per ſe, vel aliis mediis, eſſentia quinta ſeparari facilime poteſt à ſuis craſſioribus elementis, & hæc in ſuas qualitates prædominātes repartiri ſe poſſunt: manentibus in quovis elemento quibusvis elementis. Animadvertendum eſt etiam, vinum dici philoſophicum hoc loco poſſe liquorem omnem, de quo per artificium eſſentia quinta ſua ſeparari poteſt, ut infra de tritico, pane, granis baccisve jūniperinis, &c. fieri docebimus. Nec ignorare debes, in hac arte ſi practicus eſſe voles, formam & materiam de qua Chaos metaphyſicum exiſtit, eſſe quintam eſſentiam, aut cælum (de quo locuti ſumus) rerum omnium, & elementa. Quapropter vide ne confundaris appellationum varietatibus. Non poſſum enim aliis uti vocabulis, quam illis quæ ad hanc artem ſunt neceſſaria. Si quæ tamen obſcuriora fuerint, aut ænigmatibus velata per ſcriptores antiquos, aliis elucidare conabor facilioribus. Non volo tamen ut exiſtimes meā me docere te, vel à me ſomniata, ſed ea quæ ex probatiſſimis hujus artis auctoribus deprehendere potui, clariori ſenſu deſcribere tibi, ne deſperes cum plurimis, qui vel ob ſcriptorum iſtorum intricationem, aut obſcuritatem, à ſecunda lectura ſemper abſtinent ac vitupe-

vituperant injuſte, cum ſui craſsitiem ingenij potius, & ignaviam carpere vel acuere deberent. Conſidera igitur ea quæ diverſo ab antiquis progreſſu tibi per me tradita ſunt, non ſenſu diverſa tamen exiſtunt: & facile percipies ea quæ tibi prius obſcura videbantur, ſi hujus negotij vel tantillum intellectus habeas. Multa quidem in hac arte detexi, quæ non invidiæ cauſa nobis obtexerant antiqui, ſed ut ab indignis tuta forent & malitioſis hominibus: nec ego hac de cauſa, quod clarius loquar, iſtis viam faciliorem eſſe cupio, ſed vere ſtudioſis. Non eſt ergo quod mireris cur alium in horum tractatione, quam antiqui fecerint, ſcribendi modum obſervem. Hoc in tui gratiam factum putes, melius ut intelligas. Quapropter ab hoc te ſtudio non remorentur fallacium artium diſcipuli, qui quam non viderunt hactenus, nec ferre lucem valent, nec alios videre cupiunt. Exemplum hoc tibi ſit inſcitiæ ſuæ, quod neminem eorum videas, qui contra ſcriptores antiquos in hac arte calamum arripiat, ut probabilibus rationibus & ex arte deductis redarguat; ſed calumniis & injuriis ut afficiat eos: quas etiam dum probare nequit (quantumcunq; doctus exiſtat) probos viros obſcuris & ſimiiſtis (ut ita loquar) non Chemiſtis, qui velut ſimiæ quodvis ementiuntur opus, comparat. Non ſatis eſt dicere, hic eſt nequam atque deceptor: ſed cauſam adferre cur talis exiſtat eum oportet, qui ſic alios audet appellare: vel ipſe talem ſe eſſe hoc ipſo palam facit. Diaboli ſiquidem eſt opinio quoſvis alios calumniatores appellare, quod etiam tales fore cuperet omnes: ſic & ejus filij bonos perſequuntur. Aliqui tamen Chemiſtæ ſimiles etiam Chemiſtas redarguere voluerunt, forte quod aliis uterentur vocabulis, quàm antiqui veri Chemiſtæ poſuerint, vel artem iſtam fabuloſis poetarum figmentis allegorice tribuerint (qua quidem Rhetorices figura, quævis ad alium ſenſum & falſo contorquere facilime licet) verum eorum ſcripta recte ſi judices, neutram partem alteram intelligere videbis, vel utramq; ſcopum non-

dum attigiſſe. Vbi non invidia regnat aut ambitio? Multi, vel quia non poſſunt artem hanc aſſequi, vel quod alios in ea ingenio feliciori ſe videant: aut in artem ipſam, aut in eos qui ſcripſerunt obſcurius quam ferat eorum intellectus, invehuntur: eoq; ſibi laudem comparaſſe putant, quod alios carpſerint. At non ſcribunt quis verior ſcopus artis exiſtat, nec dilucidius aut clarius eam exponunt. Quotquot ſunt hujus farinæ homines, una cum ſuis mordacibus linnis, vix floccipendo. Si quid ad artem iſtam adferre boni potero, vel clarioribus verbis eam tractare (ſervata modeſtia tamen) faciam ſedulo, quod virum alteri cuivis proximum ex charitate decet. Vbi me fuerint aggreſſi, videbo quid & qua ratione reſpondero. Non prius in alios libenter feror, quam ab eis laceſſitus verbis, factis, aut ſcriptis (ut antea falsò perperamque, malo patrantis & ignominia ſua) fuerim. Hæc ſunt igitur, quæ piis probiſque lectoribus expono legenda prius, & exactiſſime demum cum antiquorum ſcriptis conferenda, ubi concordare viderint fidem adhibeant, aliter non. Impoſſibile tamen fuerit eximio cuivis ingenio, lectura ſola rem ipſam addiſcere. Quapropter operando magiſter in arte hac fiat oportet eum, qui potiri cupit in ea ſuo deſiderio. Nulli rei ſcriptura melius comparari poteſt, quam clavi: hæc niſi tradatur, ad occluſa non facilis patet aditus, nec niſi mittatur in ſeram. Non ſecus donec manus ad opus hoc applicueris, non prius arcana, quæ Deus ſub rerum natura concluſit, ut aliquando hominibus innoteſcerent, intelliges. Quæ tibi proponimus igitur ut clavem accipias, qua reſerare ſincero ſtudio ſeras phyſicas metaphyſico magiſterio diſcas. Interim quos tulimus qualescunq; hoſce labores in tui gratiam candide Lector contulimus. Boni conſule & vale.

CAPUT I.

De ſeparatione metaphyſica per ſe facta.

ANTEA diximus in Præfatione, cælum eſſe quintum elementum, non quod ſint elementa quinque, ſed quatuor tantum, quorum purior ſubſtantia diverſa eſt à Deo ſupernaturaliter, in cælumque ad unionem redacta, & impurior manſit inferius in quatuor partes poſita, quæ mundum inferiorem & elementarem conſtituunt, alteraque pars æthereum. Non aliter eſſentia quinta noſtra metaphyſica, trahitur ſupernaturali magiſterio, ab impurioribus elementis rerum per ſeparationem, quæ talis non eſt, ut exiſtimarunt plurimi deviantes à veritate, credentes falſo quatuor elementa ſeparari poſſe, unum ut ab alio ſit liberum. Nam ſi hoc foret, machina mundi facilè ſolveretur: at ne fiat, providit Altiſſimus omnium conditor, voluitque ſub unione partes has quatuor ita conſervari, ut licet una per qualitates ab alijs diſcerni queat, earum tamen eſſentias in ſe retineat. Hanc unionem apertius in cælo nobis patefecit, in quo nulla diſtinctio videtur partium, at ſub naturæ ſuperioris & inferioris vinculo concluſit unitatem: quæ ſunt eadem & unica natura. Duplex eſt igitur ſeparatio, ſcilicet elementorum una, ut purioris ab impurioribus. & qualitatum elementalium altera: quæ poſterior vulgaris exſiſtit, prior vero metaphyſica. Natura tamen operatur per ſolam commixtionem, & hæc duas operationes continet, utpote Alterationem & animationem. De ſingulis in ſequentibus agemus latius. Nunc de ſeparatione puri ab impuro loquamur. Hæc fit in corporibus quibuſdam per ſe, ut in vino, & in alijs per vehiculum, ut in granis & ſeminibus. Quamvis in omnibus corporibus à natura productis eſſentia quinta lateat, in nullo tamen tam abunde ac in vino, & à nulla re alia tam facilè ſeparari poteſt. Quare philoſophi prætulerunt iſtud, ob facilitatem ſeparationis ejus, non quod melior aut præſtantior ſit eſſentia quinta de ſuo, quam de quovis alio corpore tracta. Nam univerſalis eſt omnibus, & æqualis illa cœleſtis virtus, nec niſi propter diverſitatem ſubjecti diverſa, neque diutius quam in eo fuerit: libera vero ſuam ad unitatem redit. Hoc enim eſt unum ex arcanis occultioribus naturæ, per quod ad altiora pervenerunt philoſophi. Separabis igitur à corpore quovis ſpiritum ejus cum anima, prout ſequitur.

De ſeparatione per vehiculum.

CAP. II.

ALijs meis libellis, utpote chemiſticis, docui rationem ſeparandi cælum ab elementis per ſe. Quamobrem eò lectorem eſſe

eſſe relegandum judicavi potius, quam diverſis unum idemque repetendum. Nunc vero, quod à nonnullis corporibus non facile ſine vehiculo fieri queat, hanc viam etiam oſtendemus exemplis, quibus melius quam regulis addiſcere valeas, & præſertim quod vini philoſophici mentionem fecerimus.

Accipe grana tritici, hordei, vel ſiliginis, quæ macerata prius aqua pura; ut intumeſcant, eximantur ab ea, ſoloque ſic accumulentur in acervum, ut poſt aliquot noctes atque dies incaleſcant ac germinent. Quo percepto diſtendantur, ut exſiccari valeant. Aut ſi neceſſitas urgeat, in ſporta lata viminibus contexta, ſuperque fornacem inverſi camini ſimilitudinem referentem, id eſt, inferius anguſtam latamque ſuperius extendantur, & fumo ſubtus excitato ſiccentur, donec ſemitoſta non aduſta colore ſubruffo tamen appareant. Animadvertendum eſt interea ne ſporta ſuccendatur igne, ſed à flamma longe ſatis elevata ſit. Granum hoc mola non admodum acri macinetur, aut craſſo modo rumpatur, non in farinam, ſed in fruſtula quædam. Poſtea reponatur in vas ligneum, & quæ longo tempore bullivit affundatur aqua ferventiſſima, cooperiaturque vas optimè. Poſtquam refrixerit & quieverit, liquor per ſetaceum vel ſaccum ejiciatur, ne commiſceantur ei fruſtula. Ubi jam ſeparaveris aquam primam hanc, aliam affunde ferventem ut prius, & cola. Sæpius idipſum repetas, donec videris omnem à grano ſubſtantiam in aquas tranſiviſſe: quod guſtu facile percipies liquoris & grani. Tandem accipe liquores omnes, & in cacabo fervere tam diu facias, donec in ſpiſſitudinem flavi deſpumatique mellis reducantur. Inde mox in vas aliquod poſitos deſtillabis, & ab iſto melle vinoque philoſophico ſeparabis animam cum ſuo ſpiritu, ſublimabisque toties donec ab omni phlegmate liberentur. Quicquid reſiduum fuerit corporis in fundo vaſis deſtillatorij ſubſidens eximes, & in umbra, vel per evaporationem humorum exſiccabis. Demum igne violentiſſimo reduces in cineres ariddiſſimos, quibus affundes aquam ferventem, & in ea bullire diutiſſime facies, ut inde capitellum (quod ajunt) habeas aſperrimum. Hoc ſupernatans & clarum inclinatione ſeparabis à cineribus, & his aquam priori ſimilem affundes, coques & repetes quæ jam dixi, tam diu, donec aſperitatis nihil in poſtremo ſit capitello, quod abjicias. Hoc & alia præcedentia quæque per manicam filtream tranſire facito in limpidiſſimum liquorem, & hunc evaporare ſinito vitreis organis, ut habeas tartarum noſtrum, & ſal naturale rerum omnium. Hoc ſuper marmoreum lapidem in loco humido frigidoque reſolvi poterit in aquam tartaream, &c.

De

De ſecunda ſeparatione.

CAP. III.

POſtquam eſſentiam quintam à vino philoſophico, vel vulgari cujusvis coloris (modo merum ac violentiſſimum exiſtat) habueris optime rectificatam, prout in chemicis docui libellis, hujusmodi ſuccum reducas ad ſummam ſimplicitatem continuis rotationis motibus, ut ibidem habetur. Et finito rotæ circulo, videbis iterum ab impuro ſeparatum purum, & natare ſuperius aeris colore ſereniſſimo. Hoc ab impuro ſepara per inclinationem, & ſerva. Cælum hactenus videris nudum, quod ſtellis inferioribus, non aliter ac ſupernum eſt ſuperioribus adornatum habere poteris. Mirabunturne jam Phyſici Græcos imitantes, quod cælum & ſtellas manibus contrectemus, aut ut cætera negabunt? Parvi ſane refert quid faciant.

De ornámento cæli metaphyſici.

CAP. IV.

INferiores ſtellæ nobis exiſtunt individua quævis à natura hoc in inferiori mundo producta, conjunctione ſtellarum & cæli ſuperiorum cum inferioribus elementis. Jam audio vocem eorum in nos infremitantium dicentem: Vah, tollantur ſimiles homines, qui cælum terræ ſe conjungere poſſe præſumunt. Clamitent altius ad raucedinem uſque, audire majora cogentur. Cælum eſt materia cæleſtis & univerſalis forma, continens in ſe formas omnes diſtinctas, ab unica forma tamen univerſali procedentes. Quapropter quicunque noverit individua per metaphyſicam artem in genus generaliſſimum reduci poſſe, ac poſtmodum ei virtutes ſpeciales vel plures infigi, medicinam univerſalem facile reperiet, quæ corruptiones & morbos particulariter vel univerſaliter omnes tollere poterit: cum unicum ſit omnium corruptionum exordium, & virtutum renovantium vel animantium fons unicus: quis igitur, niſi mente privus philoſophus dubitare poterit? Verum quod apertiſſime deſcriptum ſit à plurimis philoſophis, quinam fiat, non urgebo latius, ad ea potius trāſibo, quæ ſunt obſcurius ab eisdem poſita, ut elucidare queam, & ſtudium iſtud promovere. Acta quidem ab alijs eodem tractare genio nil prodeſt lectoribus. Lege igitur quæ hac de re ſcripſerint ipſi, & cum his confer, ut quod utile ſit, hoc teneas.

De definitionibus & nonnullis diviſionibus vocabulorum, quibus in opuſculo deſcribendo utimur.

CAP. V.

A Suo chao Metapyſicum opus majus exordium ſumit. Eſt igitur neceſſaria definitio hujus & aliorum inter extrema duo

duo mediorum omnium. Chaos hoc loco proprie dicitur formarum particularium,& materiarum ſuarum cum univerſali forma ſuaque materia confuſio. Quod varijs conſideratur modis: Primo,pro confuſione hominum intellectus non intelligentium artem iſtam. Secundo, pro confuſione partium extremum hoc primum conſtituentium. Tertio, pro confuſione, qua ſe habent confuſe cum ſuis extremis, & ſucceſſive media quæque,unum ad alterum videlicet potentia,nec non ad omnia, quovis, in quibusvis, & iſtis in quolibet exiſtentibus. Quarto veluti natura medium eſt inter elementa: non aliter artifex in hac arte medium habetur inter Chaos,operationes,medicinam perfectam, & perfectiſſimam. Ex iſtis quatuor intelligi facile poteſt, medicinas dictas de ſua potentia in actum deduci, mediantibus materia, forma,cælo, & operationibus intermedijs. Motu namque per artificem excitato, Chaos tranſit ad ſecundum extremum, quod eſt medicina perfecta, & iſta ad perfectiſſimam, juxta medicorum ordinem,atque diſpoſitionem alterutram. Ut rem acutius percipiatis,eſt chaos noſtrum univerſale quid, omnia quæ nos operamur in ſe concludens, à cujus ventre debet ingenioſus artifex elicere materiam,ſuam formam, cælum,& elementa,ut ex his medicinas conficiat quæ dictæ ſunt. Materia metaphyſica dicitur,prima & univerſalis materia,ſive Mercurius ad vegetationem movens, & particularem formæ materiam primam extrahens à forma. Tribus modis conſideratur hoc loco: Primo quidem ut ſubjectum paſſivum, quod ſub artificis excitatione per media requiſita motum patitur: ex quorum omnium operationibus, oritur cælum de ſua materia. Secundo conſideratur ut quodvis corpus ægrum, quod formam patitur medicinarum, ut res elementares formam vegetabilem. Tertio,pro formæ vel formæ materia,veluti materia prima ſubjecta cæli actionibus, nam aliter formæ vim obtinet, ut poſtea latius. Hac enim ratione cælum, quod ſubjectum ſit formarum iſtarum actionibus, quibus in albam vel rubeam tincturam efficitur, materiæ rationem habere dici poteſt,& formæ,quum dictas formam vel formam ad medicinam perfectam vel perfectiſſimam actione ſua movet, ut infra patebit amplius. Ex eo noſtri Chaos cognitionem optimam habere potes,quod una & eadem ſubſtantia,diverſis tamen rationibus ad aliam paſſive ſe habeat,& ad eandem active,tum è diverſo. Pauciſſimi hactenus materiæ metaphyſicæ cognitionem habuerunt,ex qua cælum aſſurgit metaphyſicum. Eſt enim habenda ratio ſimplicis & compoſiti ad ſimplicitatem redacti per alterationem,mixtionem,&c.

Forma rerum, eſt virtus generativa, qua ſibi ſimile quodque producere poteſt: ut hominis forma latet in homine, & non in

alio:

alio: arboris in arbore, nec non in metallo metalli: cruda non debet opus ingredi, ſed per ſublimationem evacuari ad latera ſublimatorij vaſis, ut ab inani ſuperfluaque ſua terra ſit libera. Dupliciter hoc in opere conſideratur, ut cauſa dirigens artis iſtius media per intellectum: quo quidem regimine, perfecta medicina perfectiſſimaque prodeunt in lucem, & ad motum deducuntur mediorum intellectualium, quæ ſunt veluti quædam inſtrumenta ſenſualia, quibus artificium ad perfectionem ducitur, &c. Similis forma dicitur operis hujus artifex. Unde patet, media cauſativa cum naturalibus maximam habere concordiam. Aliter conſideramus formam, ut agens in materiam perfectionis formationem ad album, vel ad rubeum: cujus virtute, quasvis alias formas extrinſecas minoris facultatis, hujusmodi medicinæ transmutant in ſibi ſimilem, &c. Non poſſunt etiam ambæ quas diximus formæ, per ſe magiſterium adimplere, ſed ſunt veluti maſculus, à quo ſperma dejicitur in ventrem cœli noſtri, &c.

Cælum eſt Mercurius noſter, cæleſtis coloris, quo ſignificatur eum eſſe de natura cæleſti, hac de cauſa propter incorruptibilitatem intellectualis dicitur, & ea ratione qua cælum ipſum intelligere dicimus, ut hominem, qui ſenſualis & intellectualis eſt. Habet enim proprietatem in ſe ſpiritus incorruptibilis, qui eſt velut anima habens in ſe conditiones corporis: quoniam generat & producit ex ſe ſemen ut femina. Hac via differt ab alijs magiſterium hoc ingredientibus. Et quia ſenſu percipitur, Mercurius dicitur ſenſualis, Hic ut cauſa movens educit potentiam in forma vel forma prius exiſtentem, ad actum rubeum vel album: eaſque non ſecus in utero ſuo geſtat, quam uxor infantem à viro ſuo conceptum. Ex eo colligi poteſt, cælum noſtrum actionem habere in formam aut formam, & cælum iſtarum ac rerum omnium in eis occultum, de potentia in actum educere manifeſtum. Nam in eo virtus cum generandi, tum nutriendi conſiſtit, prout in menſtruali ſanguine maſculini ſeminis: hac de cauſa menſtruum in hac arte vocatur, & cælum ratione motus. Non aliter enim quam cælum ſupernum, univerſalem formam, & materiam primam, nec non elementa ſpeciesque ad compoſita elementata, & individua, noſtrum cælum etiam formas noſtras ad elementa quatuor movet, & inde ad medicinam perfectam, & plusquamperfectam. Aliquoties vocatur ſanguis, quia nutritivum eſt, & vegetare creſcereque facit dictas formas, donec ad ſuam perfectionem veniant, veluti ſanguis menſtrualis embryonem e modico ſemine magnam in quantitatem, ſervata partium diſcretione, per nutritiones & alterationes medij cujusvis in aliud, quantitatis & formæ quarumlibet in aliam: exiſtentibus hujusmodi medijs, & qualitatibus in quavis alteratione in for-

mas à primis diverſas, donec ens aliquod oriatur, in continua quantitate conflatũ ex varijs & diſcretis, in corpus anima ſpirituq; vivum. Non aliter de metaphyſico lapide contingit, qui generatur ex cælo proprietatem habente vegetabilem, cujus etiam ſimilitudinem in medicinã perfectam & plus transfundit, uti vegetativa matrix in filium quem concipit ac parit, itam proprietatem fœtus etiam retinet ut parens. Itidem & medicina perfecta plusque, retinet proprietatem ſuorum parentum, cæli videlicet ac elementorum, qua ſimilitudinem ſuæ perfectionis, ut incorruptibilitatis ac temperantiæ transfundit in ſubſtantias externas, & in ſuam ſpeciem transmutat: & hac de cauſa Mercurius vegetabilis dicitur, natus ex duabus ſubſtantijs, uti ex muliere maſculi ſemen concipiente, formamque alteram ac virtutem aliam quam ante conceptionis initium habebat, poſſidente.

Elementa reputantur in hac arte quatuor colores apparentes, & quatuor modis aliter conſiderantur: Primo, ſicut ex cælo de materia tracta ſunt. Secundo, prout elementa ſimplicia cæli, de craſſioribus rotationis circulo ſeparata ſunt elemẽtis. Tertio modo ſunt in formis exiſtentia naturaliter, & cum cælo junguntur. Quarto vero, prout ſeparantur à forma, cæloque, alteratione, mixtione, diſſolutione, generationeq; medijs, per magiſterium ſeparationis qualitatum eorum, & ex dictis partibus aerea tantum aſſumitur, & exuberatur per artificium rotationis, & ita cum formis in cælum commiſcetur. Notandum eſt etiam, elementa poſſe de formis educi per cælum ante conjunctionem, ut eorum materia prima cælumve magis ad genus generaliſſimum accedens habeatur, &c.

Diſſolutio dicitur cognitio, ſeu coitus maſculi cum femina, metaphyſicus, & iſtius ab illo concipientis idipſum, quod concipere debet. Hoc generationis particularis initium eſto, quod conjugij noſtri metaphyſici ſenſualiter percipitur effectus, & unio duplicis in embryonem ſeminis.

Alteratio eſt unius in alterum per ſimilitudinem converſio: quæ dupliciter conſideratur, juxta duplicem operationem, in quantum per ſe fiat. Priore modo conſideratur, prout formæ in cælum & iſtud in formas alterantur. Poſteriore vero intelligatur formas & cælum ita ſimpliciter converſa eſſe ut in tertium numerum iterato converti queant, ſcilicet in medicinam perfectam & plus.

Iſtæ converſiones vel alterationes dicuntur ſimplices. Aliæ ſunt quæ fiunt per accidens, uti quum ex imperfectis, projectione medicina perfecta fiunt, alteratione, transmutationeve. Mixtio fit ex duobus coloribus, utpote pallido & azurino, ut ex eis cognoſcatur, formas & cælum in opere majore commiſceri ſine quovis

alio,

alio,prout ab initio generationis hominis aliud nihil admiſcetur viro & feminæ vel ſeminibus eorum: & hoc loco fit conjugium inter formas & cælum. Fit etiam alia mixtio,qua quidem aer & ignis cujuslibet iſtorum & formæ cæli, alterationis, mixtionis, diſſolutionis, generationis, & cæli materiæ, commiſcentur cum formis, &c.

Digeſtio dicitur concepti ſeminis à ſemine fomentum,quo medio quidem oritur medicina perfecta, & plus quam perfecta. Neceſſarium enim eſt,ut in cælo formæ tamdiu digerantur,donec ad eam quam ſupra diximus,ventum ſit medicinam priorem:& poſtmodum,ubi viſum fuerit artifici, proſequi poterit uſq; ad alteram perfectionem. Hinc optime lector colligere poteris, duplicem fore digeſtionem,unam videlicet qua de formis & cælo fit ad medicinam tranſitus perfectam: alteram qua tranſeundum eſt ab hac & cælo ad perfectiorem. Hac ratione ſunt alia media neceſſaria,prioribus haud abſimilia,mixtio ſcilicet,alteratio,diſſolutio, generatio, & operatio, niſi quod ex prioribus imperfectius quid oriatur,quam ex poſterioribus. Et mox atque per digeſtionem croceus color apparuerit formas denotat: azurinus vero cælum noſtrum, & qui medij fuerint inter hos, conjunctionis medium cæli cum forma, illud ad perfectam connectens medicinam, vel iſtam ad perfectiſſimam.

Generatio hoc loco diverſimodè conſideratur (verum ut ejus definitio ponatur,occultarum formarum eſt manifeſtatio) primò prout eſt gradus pefectam generans medicinam ex cœlo formiſque: ſecundò prout perfectiſſimam generat medicinam ex perfecta cœloque. Alio modo, quum incipit à diſſolutione per alterationem & digeſtionem ad medicinam tranſire perfectam, & in ea terminum facit, finemque perfectionis attingit minoris: aut ubi hinc tranſiens, majoris perfectionis ultimum acquirit. Hac ratione poſteriore percipi facilè poterit majoris perfectionis magiſterium,natura potius quàm artificio promotum,ab iſto nihilominus excitatum in perfectione minore: ubi magis quam illa profuit hoc. In poſteriore magiſterio ſiquidem non aliter, quam fœtus in matrice, vel avis in ovo,generatio fit. Quapropter & ovum philoſophorum appellatur ſuo modo. Non minus intelligi poteſt hoc artificium, quam eo quod ex mixtione reſultat materiæ cum formis ad pretioſos lapides,ut rubinos, ſaphiros, & uniones,qui fiunt in utero cœli noſtri philoſophici mediante generatione,cum eiſdem virtutibus quas à natura nacti ſunt, naturales. Inde ſequitur, cœlum hoc attrahere poſſe virtutes omnes in lapidibus exſiſtentes, virtute quidem unitatis, vel ſuæ ſimplicitatis, aut (ut melius dicam) magneticæ virtutis. Hac via poteſt artifex egregius à naturalibus corporibus virtutes elicere cœleſtes, &

ſtes,& artificialibus virtutibus includere, medijs artis operationibus hujus. Nam quicquid impoſitum cœlo fuerit huic, ſolvitur, & ſi convenientia reſolutæ rei fuerint addita, fiet id quod optatum eſt: etiam ex pluribus unum. Ex hoc opere plura colligi poſſunt, quæ ad opus & artificium pretioſorum lapidum attinent, mixtione materiæ & formæ cum cœlo per aquas, &c.

Colores ſunt in hoc artificio mutationes apparentes, & primus eorum niger eſt. Hic nobis indicat formas cum cœlo concubuiſſe, nec non hoc embryonem in utero ſuo concepiſſe. Demonſtratur etiam eo colore, diſſolutionem ſuæ perfectionis terminum attingere. Tandem eo diminuto, alboque poſt apparente, naturam cum cœlo formisque tranſitus initium facere, nobis indicatur ad perfectionem, ſed minorem: & demum cum iſta & cœlo formaque ad majorem, in cujus fine tranſitus, terminum completum, habet ipſa digeſtio. At ubi color iſte, per ignis majorem excitationem, cœperit minui, & oriri croceus, cognoſcimus partes & membra ſimul conjungi numero tertio, nec non in continuam aggregari quantitatem, ſic ut ſenſualiter membrorum infantis noſtri contignatio, colligatioque nobis appareat: nam ſperma diffuſum eſt per totam ſubſtantiam noſtri cœli philoſophici. Orto mox iſto colore poſt colligi videtur in forma rotunda formæ Lunæ haud abſimili, vel circulari concludi linea. Evaneſcente colore hoc, rubeus oritur, quo noſtri lapidis membra partesve congregari reddimur certiores in tertio numero perfectioneque.

Nam poſt coloris iſtius ortum, certum eſt infantem noſtrum corpore potentiaque vegetabili completum eſſe. A quo tempore numerum ſcire dierum artificem oportet, intra quos lapis noſter ab initio conceptionis, ad terminum uſque rubei coloris apparitionis primo deductus eſt, & ſine intermiſſione duplex ei tempus adhibere, ſed paulo vivacius. Quo completo, quod quæſitum eſt acquiritur, utpote lapis durus multis involutus ſuperfluitatibus, non ſecus ac mulieris poſt partum fœtus apparet. Media, croceum inter & rubeum colores, digeſtio, generatio, mixtioque ſunt, aqua, materia, forma & cælo percepta: quorum quidem commixtione, ſub eorum finem apparent mediorum, aqua, materia, forma, ſine forma cæloque. Nam ſi forma & cælum adhuc ibidem eſſent, partes aliquæ minime cum alijs colligari vellent, nec in tertio conjungi numero.

Separatio virtutum eſt extractio, quæ motu fit ignis, hoc in particulari magiſterio, quo calore per accidens forma, cælum, & elementa moventur & excitantur alteratione, mixtione, diſſolutione, generatione, coloribus, digeſtione, ſeparatione, & operatione ad minorem vel majorem perfectionem. Qui gradus, &

media

media ſeparando ſe ab aliis,ingrediuntur alia, per iſtamque ſeparationis operationem attrahitur formalis, materialis quoque virtus à formis, & cælo ad minorem perfectionem, & ab hac ad majorem. Et hac via forma, cœlumque vel minus perfectum, ſuas mutant ſimplices formas, in majorem vel minorem perfectionem: ipſo minus perfecto exiſtente de altera forma, quam formæ & cælum per ſe,majoreque perfecto exiſtente ſub alia forma, quam erant minus perfectum: forma cælum,aut formæ cælumque per ſe. Quæ quidem perfectiones, ſuas virtutes proprias exiſtentes ſub forma tertia,retinent in transformante veneno. Si talis origo per ſeparationem dictam non fieret,nec alteratio, neque generatio proceſſioque minus,at opus naturæ deſtrueretur in lapide philoſophico.

Medium iſtud eſt elementorum ſimplicium indicium,exiſtentium actu in cœlo noſtro, cum naturalibus elementis in formis exiſtētibus,& quod ignis,aër,aqua,& terra oriuntur,& ſeparantur etiam à cœlo in mixtionem cum aliis quæ dicta ſunt. Et hæc omnia per colores deſignantur.

Potentia hic idem eſt,quod alteratio,per quem gradum intelligitur omnes alios gradus,& media quævis ineſſe potentia noſtro Chao primo: ſecundo verò elementis potentia exiſtentibus in materia noſtra. Eſt igitur iſta potentia nihil aliud quam actus noſtri cœli, de quo latius agimus in opere lapidifico. Plures norunt conficere lapides,virtutes autem naturales eis adhibere non, quia cœlum noſtrum ignorant,in quo, de quo, per quod, & cum quo lapidum complementum, & perfectionis augmentum eorum conſiſtit.

Operatio dicitur hoc opere, colorum quatuor excitatio, quibus operationum deſignatur varios eſſe modos. Primus color denotat cœlum in formas actionem ſuam & operationem habere,vel in minus perfectum & formam. Secundus,externum ignem actionem in cœlum,formas,& elementa cætera,mediaq; naturalia & actualia habere per motum ad minorem perfectionem atq; majorem. Tertius,formas,vel minus perfectum actionem in cœlum poſſidere ſuam,hoc ipſum informando ut ad minorem & majorem perfectionem deveniat. Quartus color ſignificat operationum actiones, quas habet artifex in omnia quæ ſupra dicta ſunt, ignis per adminiſtrationem ut cauſam,in ſeparatione cœli & operatione formarum, &c. Significat etiam actiones perfectorum, tam minoris, quam majoris in ſubſtantias extrinſecas per projectionem, juxta ſuas facultates ad rubeum vel ad album, quibus informata fuerint. Medium hoc, fabricationis ritum atque modum igne fieri,mixtioneque materiæ cum formis, & cœlo philoſophico,cumque ſuis arti convenientibus inſtrumentis, denotat.

Minus perfectum lapis dicitur albus, terminatus coloribus tribus tantum, ut oculo patet: ex eis enim compoſitum eſt. Iſti colores in unum acti, denotant operis completi perfectionem, cœli videlicet, elementorum, alterationis, mixtionis, diſſolutionis, generationis, coloris, digeſtionis, ſeparationis, operationis, & ignis. Hoc medio cognoſci poteſt, ſubſtantiam ex cœlo formaque progreſſam, operationum gradualium potentia. Quicunque ad ſcopum hunc pervenerit, ſapientes omnes mundi ſapientia doctrinaque vera ſuperabit, ac medicos omnes artis hujus ignaros medicæ. Nam infirmitates nedum, & lepram tollet metallorum, ſed humanorum etiam corporum incurabiles (quos vocant) morbos.

Fermentatio propriè hoc loco dicitur minoris perfectionis multiplicatio, ac ad majorem adductio, mixtione, diſſolutione, alteratione, generatione, coloribus & digeſtione medijs: componendo cœlum & formam, & minus perfectum in mixtionem, ignisque regimen adminiſtrando tamdiu, donec per ſupra dictos gradus omnes tranſeat, & generationem, atque colores in majorem perfectionem, quantitate, qualitate virtuteque longè potentiorem ad rubeum & album, ac ad corporis humani ſanitatem recuperandam. Ex iſtis facilè colligitur minus perfectum in majus tranſire, prædictis mediis & operationum actionibus formarum, cœli, elementorum, fermentatione, ſeparatione, operatione & igne per debitam adminiſtrationem. Etiam artificem (ubi voluerit) ſemel tantum componere debere minus perfectum, quoniam infinitum poteſt multiplicari, nec non ad majus adduci, poſtmodum ex iſto in aliud in infinitum, ſicut humanum genus ſpeciem ſuam continuat; uno generante ſemper alium, donec ſeculum erit. Non abſimile de paſta farinæ dici poteſt: hæc enim aliam ſucceſſivis producit fermentationibus. Hoc loco notandum tamen erit, minus perfectum in majus & infinitum progredi poſſe mediante forma cœloque tanquam fermentis: quod pauciſſimis, etiam artificibus egregijs hactenus cognitum fuit.

Majus perfectum eſt ultima lapidis perfectio majoris, qui coloribus quatuor conſtat & componitur: quorum duo denotant elementa quatuor in eo eſſe cum virtutis omni perfectione, ac numeri in unitatem concluſione, ut in coloribus viridi rubeoque patet expreſſe.

Colores alij verò, ſignificant cœlum, & formam ibidem exiſtere, cum omni perfectione, & unitatis ſimplicitate, per magiſterium elementorum quatuor, & mediorum ſupradictorum, &c.

Ex poſtremo gradu hoc poteſt percipi, majus perfectum habere poteſtatem, ſuam ſpeciem dupliciter multiplicandi, generandique ſui ſibique ſimile, videlicet in virtute prædictis operationibus, &

bus, & in ſubſtantiarum externarum transmutatione. Minore quidem longè perfectius eſt, virtutibus operationibusque, tam in metallorũ transformatione, quam in deſperatarum apud omnes infirmitatum cura, quapropter majus perfectum non immeritò vocatur.

Graduum & mediorum omnium, quædam ſunt intellectualia, ut Chaos, potentia, operatio, generatio, digeſtio: ſenſualia quædam, ut vinum & prima materia, corpus, forma, elementa, minus majusque perfectum, colores, fermentatio, ſeparatio, quia ſenſibus ut oculis percipiuntur. Alia verò ſunt ſenſualia partim, & intellectualia, ſicut cœlum & omnia media gradusque minoris operis. Et prætcrea quodvis prædictorum graduum mediorumve ſuam retinet proprietatem, ſub ratione ſua differentem: quarum quidem proprietatum, aliæ ſunt naturæ, perfectionis artis aliæ. Media proprietatem retinentia naturæ, ſunt vinum, & media quævis minoris operis, quæ ſe habent veluti forma univerſalis, & materia prima, ratione proprietatis antea dictæ. Ex duobus iſtis oriuntur omnia media gradusque mediante quidem artifice, non aliter quam univerſali forma, & materia prima oriuntur elementa compoſita, mediante natura.

Poſtquam de gradibus & medijs majoribus dictum eſt, operæ pretium erit etiam de minoribus aliquid in lucem adferre, ſuasque definitiones ex opere minore producere: ne practicam legentibus deficere quid ad ejus intelligentiam videatur. Eſt igitur hoc loco forma idipſum quod in opere majore diximus eſſe. Verum ejus eſt hic differens uſus, eo quod in formatione præparatur: non ad minus vel majus perfectum, & à lapidis forma differt, quia ſuam conditionem à forma, cœlo, elementis, alteratione, mixtione, diſſolutione, generatione, coloribus, digeſtione, fermentatione, ſeparatione, & operatione, recipit.

Materia hoc in opere diverſimodè conſideratur: Primò univerſaliter accipitur: ſecundò pro clave philoſophorum: tertiò pro oleo: quartò pro ſulphure per informantium oleum informando, ſcilicet in inceratione, ratione cujus lapis hic oritur.

Corpus accipitur hic pro corporibus metallorum imperfectorum, de quibus naturæ ſulphur oritur, hoc operante clave philoſophica: perque formam olei formantium diſponitur operationibus medijs, ut ſolutione, & inceratione, donec fiat lapis qui quæritur.

Clavis philoſophica hoc loco, non aliter quam cœlum ipſum in opere majore conſideratur, & per hanc fieri debet calcinatio, diſſolutio, evacuatio, multiplicatio, ſpiritus, argentum vivum exuberatum, ſulphur naturæ, tinctura, oleum, & inceratio, mediante ſublimatione & igne, donec ſulphur dictum ad effectum lapidis adducatur.

Calcinatio diverſis conſideratur modis. Primò, quum fit per Mercurium vulgi,ſub quo Sol & Luna patiuntur. Secundò,quum fit acetum fortiſſimum,quo crocus elicitur à Marte. Tertiò,quum ſulphure auripigmentoque medijs fit æs uſtum ex Venere. Quartò verò,cum fit clave philoſophorum, & hoc modo præparantur omnia corpora metallorum ad ſolutionem, evacuationem, & alias operationes antea dictas,ingrediendum.

Diſſolutio manifeſtæ formæ prioris, dictorum corporum eſt occultatio,non per ſe verum clave dicta mediante, quæ corporibus eſt valdè congrua; ſicuti videmus aquam igne corrumpi medio quidem aeris, quo ſine in vapores non elevatur. Differt à diſſolutione majore,quod hac formæ tantum & minus perfectum reſolvantur,at illa metallorum corpora quævis.

Evacuatio nihil aliud eſt,quam ſpiritum occultorum à ſuis corporibus extractio; ut formarum altera formentur oleorum informantium, & hac via poſt fermentationem, & incerationem tranſeant in lapidem. Quod quidem hac operatione trahitur à prædictis corporibus, eſt materia de qua lapis noſter à potentia in actum deduci debet medijs quæ dicta ſunt; operationibusque.

Multiplicatio non eſt aliud hic, quam evacuationum reiteratio continuatioque. Per iſtam operationem corpora ſex ad nauſeam provocantur, & ad evomendum lapidem à ſuis viſceribus.

Spiritus eſt argentum vivum à ſex corporibus tractum, & in evacuationum aquis exiſtens.

Argentum vivum exuberatum, eſt ſpiritus corporum jam per evacuationem completam ſeparatus.

Sulphur naturæ ſpiritus eſt corporum, per ſublimationem exaltatus in ſal excellentiſſimum quatuor colorum, pallidi ſcilicet, viridis,nigri, rubeique: & hic poſtremus ignem denotat, ac per ipſum tranſitum ad naturæ ſulphur, quod oritur ex argento vivo exuberato, & iſtud indicat à ſpiritu ſuam originem ducere, nec non hunc à multiplicatione quæ ex evacuatione procedit & iſtam à diſſolutione, hanc autem à calcinatione; quæ quidem à corporibus omnibus. Eſt autem ſulphur hoc filius genitus ab imperfectis,ac ad induendum albas veſtes purpureaſve diſpoſitus. Differt ab iſto filius qui generatur à perfectis,per oleum in quo formæ continentur filiorum imperfectorum: & quod eorum ſulphur ſit naturæ, nec non aliorum, quorum ſulphura ſunt arida, humiditatiſque ſuſceptiva.

Tincturæ ſunt colores in opere diverſis modis apparentes. Primò,viridis & croceus. Secundo, rubeus & croceus, viridis & niger.

Primi colores denotant ipſam tincturam, qua ſulphur naturæ tingi

tingi debet, originem à Sole & Luna ducere, per operationum artificium, quæ ſuperius dictæ ſunt. Alij verò ſignificant quorumlibet imperfectorum ſulphur corporum, iſtos inducere debere colores, ut ex eis fiat lapis habens & poſſidens parentum ſuorum poteſtatem à quibus originem habuit. Si conjuncta non fuerint ſulphura bina ſimul tanquam fratres: qui dictis induantur coloribus, non fiet id quod quæritur: poterunt nihilominus tria ſimul, & plura conjungi ſulphura.

Oleum eſt forma duplicem colorem habens, utpote viridem & croceum, quibus indicatur eam à perfectis produci corporibus mediis oportunis.

Inceratio, fermentatio, vel potius informatio verè dicitur prolis imperfectorum ad conditionem lapidis accipiendam formatio.

Sublimatio dicitur ſubtiliatio, quæ dupliciter fit, in pulverem ſcilicet ſubtiliſſimum, & in liquorem. Hac poſteriore via, corporum ſpiritus media multiplicatione convertuntur in argentum vivum exuberatum: priore verò vertuntur in ſulphur naturæ. Alia ratione conſideratur etiam ſublimatio, prout materia quæ fit propinqua magis perfectioni, ut argentum vivum exuberatum magis quam ſpiritus, & quam iſtæ naturæ ſulphur lapidi proximius exiſtit.

Lapis eſt finis, & imperfectorum omnium perfectio corporum, & operationum, in quo ut igne quieſcunt ac ſalamandræ. Eſt hic tertium quid ex materia conſiſtens & forma, ſupra naturam, & mediante natura, tum artificis induſtria conflatum.

Elementa conſiderantur dupliciter hoc loco: priore prout ignis agens exterius: poſteriore, ſicut agens extrinſecus: ut ille qui tractus eſt à perfectis in oleum, &c.

De aliis differentiis dictionum antea definitarum, diviſionibusque ſcitu neceſſariis.

CAP. VI.

NAtura corrumpens aliquod individuum, primò putrefacit hoc, poſtea ſeparat elementa compoſita, quæ ſunt in eo magis proprinqua, poſtmodum iſtorum quodlibet ad ſummam ſimplicitatem adducit, & demum ad primam ſui materiam: quo peracto, corruptionis rota completa eſt, ac à materia prima generationis rota ſumit exordium, ad elementa ſimplicia tranſiens. Poſtremò per iſtorum commixtionem oriuntur elementa compoſita, ex quibus fit ſubjectum elementatum, juxta propriam ſpeciem & formam, ſub qua trahuntur elementa ad individui cōpoſitionem: & hunc debet artifex metaphyſicus obſervare proceſſum, ut ubi natura finierit, ipſe per corruptionis rotationem in-

nem incipiat greſſu retogrado, ſcilicet à fine, per medium tendens, ad principium corruptionis rotæ, medijs adhibitis, quæ ſunt calcinatio, diſſolutio, putrefactio, diviſio, purificatio, &c. Deinceps ad rotam generationis veniendum eſt, cujus media ſunt, mixtio, inceratio, decoctio, &c. quæ optimè diſpoſita ſunt inſtrumenta lapidis: quibus etiam omnibus ritè peractis, habebit quod optabat artifex.

Forma hujus operis triplici ſtatu conſideratur. Primò prout eſt prima cauſa. Secundò, prout artifex. Tertiò, pro mediorum quolibet alio.

Materia conſideratur etiam tot modis. Primò, pro ſubjecto, de quo Mercurius noſter elicitur. Secundò, pro elementis. Tertiò, pro ſulphure naturæ.

Cœlum etiam triplicem hic habet conſiderationem. Primam, ut cœlum majus. Secundam, ut vegetabilis Mercurius. Tertiam, ut metallorum anima.

Dupliciter elementa conſiderantur hoc loco. Primò ſimpliciter. Secundò compoſitivè.

Potentia vel alteratio tot modis differt, quot ſunt media diverſa.

Mixtio ſignificationem habet quadruplicem. Primam cœli cum forma. Secundam, aëris cum aqua. Tertiam, aquæ cum igne. Quartam, aëris cum aqua & cœlo.

Diſſolutio ſolam unam habet conſiderationem, quæ eſt inter cœlum & formas.

Generatio duplicem habet ſignificationem. Primam, qua generantur elementa. Secundam, prout ex iſtis & cœlo generatur lapis.

Colores etiam duplicem habent: priorem in evacuatione corporum, & elementorum rectificatione: poſteriorem, in lapidis generatione.

Minus perfectum unam ſolam habet, ut patet ex ſenſu.

Fermentatio triplicem, primam ex virtute, ſecundam ex quantitate, tertiam ex utraque ſimul.

Separatio triplicem etiam habet operationem: primam quidem inter elementorum qualitates: ſecunda, purificationis & fixationis eorum eſt: & tertia, Mercurij vegetabilis & fæcum.

Operatio tot ſignificationes habet, quot artis hujus exiſtunt media.

Majus perfectum unicam ut minus habet, ſenſuque patentem.

Principia mediaque philoſophiæ ſunt in artis hujus principijs ac medijs omnibus ut motus orbis, qui tanquam forma conſiderandus eſt, naturales inſtinctus & appetitus omnes continens.

Subti-

Subtiliſſimum ac potiſſimum in opere medium, eſt reiteratio rotæ corruptionis metallorum, quæ fit ut ſequitur.

Fœminis in cælum poſitis, inhumatis, diſſolutis, & per brevis artis practicam evacuatis donec ad Sulphur naturæ ventum ſit in metallis, tunc rota finitur corruptionis.

Reiteratio fit, quum terra ſublimata ponitur in cælum, & in eo putrefactione diviſioneque ſolvitur. Poſteaquam aër, ignis & aqua fuerint evacuata, redigat iterum artifex terram ad ſui puriſſimam ſublimationem, qua finita, ſequatur generationis rota ſuis cum principijs medijſque, donec ad finem perducatur: & hæc eſt operatio ſubtilior alijs, licet longior, tamen perfectior. Hac via minus perfectum, quod lapis eſt non fermentatus, in magis, & fermentatum lapidem convertitur, per elementorum ſeparationem & compoſitionem, quæ tales exiſtunt. Natura nullo modo permittit elementa ſeparari per ſe: nam ita maneret quodlibet ſolum unicam habens qualitatem, & nullum haberet ad generationem appetitum, quod eſt contra naturam.

Separatio quidem elementorum, eſt unius in & ſuper aliud prædominatio victoriaque; mixto non diviſo modo quopiam: Color enim ignis eſt rubeus, & quod prius quam ad ſphæram ejus ventum ſit, per ſphæram aëris tranſitur, ante rubedinem apparet citrinus color, & clarus ac diaphanus: conſtat ex ignis cum aëre permixtione. Priusquam etiam ad ſphæram aëris perveniatur, oportet per ſphæram aquæ neceſſario facere tranſitum: hac ratione color albus, & aqueus apparet ſplendidus. Verum quia terra centrum eſt ac principium, à quo fieri debet aſcenſus, dum lapis adhuc in ejus ſphæra fuerit, niger in eo color, & qui terræ proprius eſt, apparet. Nota igitur ſeparationem & conjunctionem iſtorum in unum, ſcilicet ignem. Item ſi priuſquam niger, color apparuerit rubeus vel albus, aut eorum alius quam ſupra dictum eſt, deſtructam eſſe lapidis operationem, ob mediorum conjunctionis deſtructionem, credito. Notanda venit etiam differentia, quæ inter elixir & lapidem eſſe dicitur per crudum & crudum & coctum. Eſt enim elixir medicina compoſita ex aëre, aqua & terra ſolum ad album. Corpus in aquam ſolutum, ſi rubeum fuerit, colorem excellentiſſimi refert carbunculi, quum in compoſitum ex anima ignis & aëris fuerit converſum, & in terræ compoſitum & ignis. At ſi fuerit album, viridem colorem nigredine permixtum exeret. Varij ſunt etiam errores artificum notandi. Primus & potiſſimus in eo conſiſtit, quod naturam imitari minime norunt. Secundus, quod finem lapidis ejus initium exiſtiment, finiviſſeque ſe putent, cum vix inceperint, ut in opinione falſa trianguli rubei. Nam compoſitio lapidis majoris durat annos duos, illis, qui nunquam antea compoſuerunt: verum expertis per annum con-

num continuum cum tribus menſibus. Nonnulli rami ſunt artis in amplitudine, qui menſibus quatuor aut ſex abſolvuntur, hos ſi reperire poterit artifex, bene quidem, ſin minus, ingenij ſui capacitatis exiguitatem deploret, cum aperte ſatis in hoc opuſculo deſcribantur. Jam ad minores differentias veniendum eſſe video.

Forma duplex eſt, utpote ſimplex & compoſita. Simplex eſt unitas abſoluta, ſuæque rei ſingularitas in ſeipſa conſiſtens, & non cum alio. Compoſita ſuarum eſt camerarum quatuor primordialium unio.

Materia quatuor ſunt elementa: ſimpliciter, ut ſignificatur per formam priorem: aut compoſite, prout poſteriore denotatur. Menſtruum vegetabile quod cælum aut clavis philoſophica nominatur, alterum eſt reſolutivum: reſolubile quidem alterum. Reſolutivum cæleſte quoddam, alterum vero non, ſed magis corporeum. Cæleſte eſt eſſentia quinta vini vel tartari, de cujus natura ſuum reſolubile deducitur ad actum. Aliter vero ſic definitur: Menſtruum eſt ardens aqua perfecte rectificata, cujus virtute corpora quævis diſſolvuntur, putreſiunt ac purificantur, elementa ſeparantur eorum, & exaltatur in ſal mirabile, terramque, virtute quam habet plurimum attractiva. Quicunque aliam aquam exiſtimant, ignari ſunt ac inſipidi. Reſolubile menſtruum, vapor eſt potentialis, exiſtens in quocunque corpore metallico, ſulphur & argentum vivum conjungens, quo ſine minime deducitur ad actum. Ultimo ſic definitur: Menſtruum eſt medium conjungens imperfecta perfectaque metalla in lapidem. Menſtruum hoc reſolutivum, eſt calidum uſque ad ſecundum punctum quarti gradus: quapropter ejus virtutem oportet augmentari calidis vegetabilibus, uſque ad ultimum punctum gradus illius ut ſunt apium ſylveſtre, napellus, oleander, anacardus, piper nigrum, pyretrum, euphorbium, &c. ſine quibus non niſi longo tempore ſolvit.

De generali practica lapidis philoſophici, per corruptionis & generationis rotas, &c.

Cap. VII.

FOrmarum ſuper alterutram cœli projice tantum, ut digitis quatuor ſupereemineat. Hoc ipſum in fimum repone per dies ſex naturales, ac donec forma convertatur in aquam. Poſtmodum excipe vas, & evaporare permittas aquam in cineribus, id eſt, congela quod ſolutum fuerat. Inde mox ad hanc terram affunde cæli rurſus tantum ut prius, & in fimum iterum ponas per menſem cum dimidio, vel diutius ad putrefaciendum. Vas demum extrahas & ponas in furnum ſecretum, in quo deſtillare permittas aquam,

aquam, donec non ſtillet amplius. Deinceps in cineres ponas ad deſtillandum, & exibit aqua priori ſpiſſior, quam vocamus aerem. Hoc peracto, fecibus affunde cæli par ut antea pondus, & in fimo tanto temporis ſpacio ſtet ut prius: inde per cineres aerem excipe donec ſtillare nolit amplius. Poſtea fiat iteratio cæli fuſionis ſuper terram, & æquali tempore poſtquam ſteterit in fimo, deſtilletur per cineres iterum, donec aeris nihil amplius exeat. Demum aeris hujus quantitatem omnem fæcibus affunde manentibus in cucurbita, vel antea ſuper marmoreum lapidem optime tritis, & in vaſe clauſo per quadraginta dies in fimo fiat putrefactio. Tandem extracto vaſe, ac cineribus impoſito deſtillentur aer & ignis ambo ſimul: cave tamen à rubificatione fæcum igne vehementi nimis accelerata. Deinde ſeparabis aerem ab igne deſtillatione per fimum, qua hic in fundo manebit, ac aſcendet ille. Verum ſi calor hic non ſufficiat, cinerum ſupplebis aeris ab igne ſeparationis opus igne lento: ſervetur ignis & ſeorſum reponatur. Aerem poſtea refundes ad ſuam terram, & in fimum repones ad digerēdum dies 15. & extracto vaſe deſtillabis aerem & ignem ſimul per cineres, & per fimum aut balneum unum ab altero ſeparabis, quovis cum ſuo ſimili poſito ſemper. Iſtas affuſiones, inhumationes, deſtillationesque toties repetes, donec à terra nullus ignis exire velit amplius, terraque nigra ſit aut ſubruffa. Tum demum aerem infimum ad digerendum pone per octo dies, & per eum calorem poſtea deſtilla quantum aſcendere poterit, hoc ipſum ad ſuas affunde fæces, ac ad inhumationem in fimum per ſeptimanam recondas, & poſtea fimo deſtilles, iterum quod ſtillatum eſt fæcibus reddes, ad ſeptimam uſque deſtillationem cum ſuis inhumationibus, & poſtea deſtilla per fimum: quod deſtillatum eſt redde fæcibus, id etiam facias uſque ad ſeptimam deſtillationem, affuſiones, inhumationes & deſtillationes reiterando per ſuos dies, uti dictum eſt. Hactenus formatus eſt triangulus ex aëre, cælo & fimo, in cujus medio eſt anima aeris. Prædictis etiam operationibus in fimo; convertere poteris ignem in animam ignis, aliumque triangulum ex cælo, fimo & igne formare. Quibus omnibus peractis, elementalis rota finita ex fixione & eorum exuberatione, ſcilicet aeris & ignis per corruptionem, &c.

Tandem accipe terram, & evacuabis eam, donec deſerta ſit ac in ſulphur naturæ converſa, formeturque triangulus ex terra, fimo & cineribus, in cujus medio ſtabit anima terræ. Non prius corruptionis rota finitur, cujus inſtrumenta ſunt cælum, fimus, furnus ſecretus, & cinerum calor, &c: Jam aggredi convenit generationis rotām ut ſequitur. Ad compoſitum ex igne & aere, ſume ad ſolem quatuor partes ignis, & miſce cū quindecim partibus

aeris,

aëris, hoc in digeſtionem repones diebus quindecim, poſtea deſtilla per fimum. Hanc digeſtionem atque deſtillationem toties reiterabis, donec in fundo vaſis maneat inſtar olei ſplendidi ſubſtantia quædam, in compoſitum unum ex aëre & igne, quod Limus vocatur. Eodem hoc proceſſu convertes ignem & terram in ſuum compoſitum ut binus formetur quadrangulus, prior ex igne, aëre, fimo & cineribus, in cujus medio compoſitum ex igne & aëre jubilabit. Poſterior ex igne, fimo, & cineribus etiam, cujus in medio ſtabit compoſitum ex terra & igne. Jam accipe compoſiti partem ex igne & aere, cui cæli ſextam admiſcebis, ac in digeſtionem pones diebus triginta, ſic triangulum formaveris ex cælo, compoſito ex igne & aere, fimoque, in cujus medio perfectum hoc majus reperitur ad rubeum transformans, ortum & originem ex cælo ducens, & compoſito ex igne, aere fimoque. Hoc ipſum ex compoſito ex terra & igne quum feceris, ei partem unam cum dimidia cæli jungendo, triangulum habebis alterum ex cælo compoſito ex terra & igne, fimoque, in cujus medio perfectum ſtabit minus ad album transmutans, &c. Si vero cælum admiſcere nolueris, ut ingentem laborem evites, compoſitis antea datis, elementa cerabis tam diu donec fluant ut cera: ceratum hoc in digeſtionem decem dierum ponas, extractumque cerabis iterum toties, gutta poſt guttam injecta, donec facilem perceperis in eo liquationem. Materiam hanc in vaſe philoſophico perquam optime clauſam, in furnum ſecretum pones, ad centum & quinquaginta vel plures dies, donec videas opus completum ex indicijs infra poſitis. Hic proceſſus eſt optimus in practica majore, per minoris methodum operis. Animadverte cerationem cum igne & aere fieri poſſe diviſim ante cerationem ipſis in unum non redactis. Finitur itaque generationis rota, per quam optatum acquirit, annuente Domino, bonus artifex. Ex his duobus limis varia fieri poſſunt in opere metaphyſico, juxta latitudinem ejus, ut in regali practica primum, & in cerationis artificio terræ foliatæ propriæ ſeu elementorum, cerando prius aere & igne, vel dictis limis ex aere & igne factis: in quo quidem artificio generationis rota ſuum habet extremum, & finem, cujus indicium eſt nobis triangulus rubeus. Initium igitur operis corruptio, generatio vero finis: quibus operationibus corrumpitur una qualitas, & introducitur per generationem alia, velut corrumpendo aquam & generando terram, hanc autem occultando, & ignem aeremque manifeſtando, quouſque minus majusq; perfectum oriantur per media ſua, quæ ſunt calores fimi, cinerum & furni ſecreti, quibus aqua in terram convertitur: & hæc in aerem & ignem. Eſt ergo terra medium inter aquam, ignem & aerem: & fimus, cineres, furnusque ſecretus medium exiſtunt, per quod

ignis

ignis & aer convertuntur in animam ignis & aeris. Quapropter ignis & aer ſunt medium inter ipſam terram, animam ignis, & animam aeris. Deinde fimus, cineres, furnus ſecretus, & cælum ſunt medium per quod anima ignis, & anima aeris convertuntur in compoſitum ignis, & aeris, & in compoſitum terræ & ignis. Hac ratione cælum eſt medium inter animam ignis, animam aeris, compoſitum aeris & ignis, & compoſitum ignis & terræ. Fimus item, cineres, & furnus ſecretus medium ſunt, per quod compoſitum ex igne & aere, item compoſitum ex terra & igne conjunguntur elementis. Pariter ignis & aeris compoſitum, & compoſitum ignis & terræ medium ſunt inter animam ignis, animam aeris, minus & majus perfectum, &c.

De peculiari practica lapidis ex opere minore.

CAP. VIII.

Corpus metallicum in clavem injice philoſophicam ſuo vaſe contentam, & in calore primi gradus vel fimi digeri permitte ſeptimanam unam: at priusquam in clavem injiciatur in calcem redigendum eſt, ut corpus diſſolvatur melius, & evacuetur medio clavis, & caloris primi gradus ex triangulo juxta naturalem ordinem. Facta corporis diſſolutione, vas ponatur in deſtillationem calore dicto jam excitatam, & amittet clavem, ac redigetur in terram. Hanc ſuper marmoreum lapidem optime tritam in aquam reſolvi ſinito per ſe: at ſi nimium ſicca terra fuerit, aſpergatur clave modicum, & poſt dies tres incipiet in compoſitam aquam reſolvi, quatuor elementa continentem. Aquam hanc deſtilla per filtrum & reitera ſolutionem ejus quod in filtro terræ manſerit, quouſque tibi quantitas aquæ bona eſſe videatur. Hac operatione triangulus evacuationis fuerit abſolutus, in cujus medio terra eſt, quæ ſuam aquam ebibere debet, ut ſequitur: Aquam filtratam in calorem primi gradus ad digerendum ponas, & clavem ejiciet prorſus, ac in lapillos convertetur: qui quidem elixir adhuc non ſunt. Evacuatione prædicta triangulus alius abſolvitur ex aqua, calore primi gradus & clave, cujus in medio dicti lapides exiſtunt. Iſtos contere ſubtiliſſime, pulverem eorum in putrefactionem pone, ſic in aquam vel oleum convertetur metallicum, in quo ſunt elementa, quorum divide qualitates, ut audiſti. His diviſis, purifica terram, aut ſubtiliſſimam debitis redde ſublimationibus, eamque demum ſuis elementis imbibe, cæleſti primum, aerea poſt aqua, & ignea poſtremo prout eſt artis, ac decoquantur in perfectionem quam audiſti. Juxta proceſſum hunc, extrema principia mediaque hujus artis applicantur ad quod volueris opus metaphyſicum.

De

De cohærentia metaphyſicarum operationum utriuſque practices.

CAP. IX.

MIrum in modum cohærent horum operum inſtrumenta, media ſcilicet intellectualia ſenſualibus, ut forma quæ perſonam refert artificis inſtrumentum exiſtentis, quo natura particulare noſtrum generat ovum ex intellectu, licet à forma noſtra quam cælum aliàs vocamus diſtinguenda ſit, nihilominus hæc illa ſine perſiſtere non poteſt in artificio noſtro, nec contra. Nam forma noſtra cælum, eſt principium & ſenſuale medium generans, nutriens, creſcere vel vegetare faciens, & elementa movens ad particularem generationem ſicuti cælum majus inferiora: & à formante forma, quam per vegetabilem formam acquirit, indiſſolubilique nexu conjunctam & colligatam ſibi habet, particulare quæſitum in ſubſtantiis extrinſecis multiplicare facit: ſic de cæteris quam plurimis in artis proceſſu reconditis, artifici cognitu poſſibilibus & effectu. Verum forma quæ hominis eſt intellectus, initium eſt, medium & finis in præparationibus, eaque denotatur croceo colore, quo quidem indicatur hominem eſſe majorem formam, & principalem in hoc opere metaphyſico, formæ cælo potiorem. Aliæ vero formæ ſunt minores iſtis, ut majoris minorisque perfectionis exiſtunt. Crocei cum viridi colore permixtio coæquata, ſignificat, inter omnes iſtas formas neceſſario concordantiæ, majoritatem eſſe, vel minoritatem citra contrarietatem in æqualitate finis ultimati. Non poteſt enim una trium formarum abeſſe, quin deficiant omnia ſimul. Deficiente namque cœlo, deficeret elementorum generatio, ſequereturque privatio majoris minorisque perfectionis. Forma igitur intellectiva, cum forma vegetabili, & forma motus ita conjungi debent per intellectum, ut una penes aliam conditionetur: ſic de reliquis gradibus & medijs uſque ad majus perfectum. Forma quæ motiva nuncupatur, eſt univerſale quoddam principium in gradibus iſtius artis, per omnes gradus unumquemque movens ad alium, in finem uſque. Motus itaque forma dici poteſt, omnes gradus excitans ordine, donec ad perfectionem deventum ſit. Forma & materia ſunt principia ſubſtantialia multo majora, quam accidentalia ſint: hæc enim ſunt mutationes tantum in opere, ſicut colores, alteratio, digeſtio, &c. Veritas hujus rei demonſtratur potius per minus & majus perfectum, ab immenſitate virtutis eorum transmutantis quam in gradibus accidentalibus. Nihilominus æqualia ſunt principia, media, finisque dicta, propter ſimilitudinem finis ejuſdem, ad quem omnia tendunt per catenam admirabilem.

De

De practica philoſophici lapidis excellentiſſima.
CAP. X.

FOrmantium corporum alterum accipe, Mercurio vulgi,& ſali communi permixtum & calcinatum. Argentum hoc ab eo ſublimetur, aut in aqua vivum ut ſcis recipiatur, & ſal aqua diluatur calida. Poſtmodum elementorum divide qualitates, & ad cæli noſtri libras tres, adde minoris formæ duas uncias, ad majoris vero formæ duas uncias cum dimidia cæli mediam libram accipies, ex eiſque facies conjugium, ad mixtionem in vaſe perquam optime clauſo pones, & continuo calore fovebis, donec per diſſolutionem in alterationem transeat, ac alius color incipiat oriri, ſcilicet niger non prorſus, at in modum obſcuri mali granati. Hoc ſigno judicabis formam vel formam, & cælum transire per alterationem, generationem, & operationem, ac amoris colligantiam, aut vinculum eſſe factum inter formam in cælum converſam,& hoc in illam. Deinceps continuando ſemper decoctionem temperatam, incipientibusque forma & cælo, digeſtionem & generationem ingredi (quæ quidem operationes durant per ſuos colores uſque ad minus perfectum) niger ille color mortificatur, & continuatione fomenti color albus oritur. Quum ſub iſto colore ſingula fuerint, indicium hoc eſt, oſſa nervosque pueri, vel infantis noſtri cum tertio numero conjungi: quæ tamen operatio durat uſque ad croceum colorem. Hoc apparente, ſignum eſt infantis corpus formatum eſſe, nec non ſuis organis completum, incipereque præparari, ut ſpiritus vegetabilis ingrediatur in ipſum: & hæc operatio durabit quoad in præparatione color croceus evaneſcat, & rubeus oriatur. Quo tandem orto, judicabis infantis corpori vegetabilem animam ineſſe, nec non ejus corporis & animæ terminationis adeſſe finem. Tum demum artificem oportet interſtitios numerare dies inter generationis initium & finem, quos cognoſcere poterit ad oculum à diſſolutionis actus fine completo: bisque tanto tempore continuo ab ignis adminiſtratione minime ceſſare, finitoque ſpacio frigefieri permittere, jam inveniet infantem noſtrum in modum ovi, quem extractum atque mundatum ponat in vas vitreum & mundum,& iterum in furnum decoctionis, qui balneum eſt ſiccum, per ſex dies naturales ignem adminiſtrando ſucceſſive per eundem ut antea modũ utq; manum vix tenere valeat absq; læſione, ubi vas poſitũ fuerit. Extrahe poſtmodum,& precioſiſſime ſerva donec indigueris. Hujus pondus unum ſuper duo millia projectum, in ſubſtantijs externis multiplicare generareque ſimilem formam ei, de qua duxit originem, potens eſt. Multiplicationis aliud arcanum habetur, hoc nempe: Dicti menſtrui libram unam

uncijs

uncijs duabus dictæ formæ vel formæ, vel duabus cum dimidia, juxta prædictam conditionem, & perfecti minoris una drachma ſolum imbues, eiſdem operationibus ut antea, ſpatio triginta dierum in majus perfectum convertere poteris igne temperato, ac regimine colorum juxta magis & minus, &c. donec videris corpus rotundum & rubeum: ſi tamen opus ad rubeum fuerit: at ſi album, cum albedine metalliginea. Notandum eſt igitur, diverſos eſſe colores infantum horum, ut maſculi majoriſque perfecti rubeum: feminæ perfectique minoris albi, colorem primo viridem rubore permixtum: ſecundo croceum etiam rubedine ſplendida mixtum, qui denotat conjunctionem partium cum ſuo toto: tertio quidem album & ſplendidum, qui ſignum terminationis eſt corporis infantis: quarto vero album, niveum, & metalligineo colore mixtum, & hic ingreſſum denotat animæ ſuum in corpus. Iſto colore tinctus à ventre matris naſcitur infans, cujus pondus unum ſupra tria millia materiæ projectum ſpeciem ſuam poteſt multiplicare: tertia repetitione ſuper millia trecenta. Iſtius, ut prioris perfecti majoris, etiam fieri poteſt multiplicatio. Notandum eſt, in opere aſſignari non poſſe metaphyſice chemico, certum aut determinatum ſpatium temporis. Nam aliquando noſter infans oritus citius, quum videlicet calor per accidens æquo fortior exſtiterit, & aliquando tardius ob remiſſionem ejusdem ut apparet in humano fœtu. Colores optima ſunt indicia hujus artificij quibus etiam regi debet. Ut quum infans metaphyſicus fuerit in diſſolutione, totusque liquefactus, incipit oriri color niger, eo judicabis ipſum in mixtione eſſe, tranſiviſſeque per alterationem. Et poſtquam apparet croceus color, formatum eſſe corpus exiſtimabis, membriſque ſuis completum. Apparente vero colore poſtremo, rubeo videlicet, corpus cum anima junctum eſſe ſcito. Quo percepto, continuandus eſt ignis, ut ſupra dictum eſt, ad ortum uſque. Prout hic de coloribus infantis rubei dictum eſt, non ſecus de coloribus infantis albi juxta ſuas qualitates intelligendum erit. His indicijs artifex opus metaphyſicum aggredi poterit abſque metu, feliciterque perficere. Deo tamen annuente, non aliter.

De practica lapidis philoſophici minus ardua.

CAP. XI.

CUjusvis corporis calcem accipe, huic in philoſophicum vas longi colli poſitæ, ſuccum philoſophicæ clavis affunde, quatuor ut ſupereminceat digitis. Poſtea ſuper cineres igne lento calefactos leviter bulliat naturali die: poſtmodum in fimo calido balneove melius ut digeratur, materiaque per ſubtiles partes ſeparetur, puras videlicet ab impurioribus. Termino finito vas

eximes

eximes à quo per modeſtam inclinationem, ſuis ne turbetur fæcibus, claram in aliud aquam effundes, coopertoque vaſe repoſitum liquorem in fimum rurſum ad digerendum ponito: facta poſtmodum evacuatione, clavem aliam priori ſimilem affunde, ut ſuperemineat ſicut ante diximus: bullire facias, & in fimum reponas, ut prius, &c. Toties operationes hujuſmodi reiterabis, donec à ſuis ſpiritibus corpus evacuetur. Si tibi clavis defecerit, evacuationum aquas omnes per alembicum deſtillabis igne lento, balnei nempe, donec duas evacuationis partes habeas. Hujus aquæ tantam quantitatem, ut ſupra dictũ fuit, ad materiam affundas, continuando proceſſum hunc, donec terra ſit vacua: quod experieris: Terræ parumper iſtius ad Solem ſiccatæ prius ponito ſuper laminam ignitam; ſi fumum emiſerit, operationes dictas iterato, quouſque non fumet amplius. Evacuationis aquas humido calidoq; loco repones ut ſerventur melius.

Mox atque feceris hujus experientiam, extrahe materiam ab ampulla, & in cucurbitam poſitam, alembico ſuperpoſito per deſtillationem exſiccabis. Pondera poſt exſiccatam hanc terram, cui clavis optime rectificatæ ut ſcis triplum affundes, & è cucurbita galea ſua roſtrata cooperta, nec non ad commiſſuram optime lutata, deſtillabis igne lentiſſimo, donec iterum ſiccetur, ut prius, & clave priori ſimili rurſus madefiat ut antea, deſtilleturque, ſingulis deſtillationibus congregatis in ampulla clauſa, &c. Has operationes toties repetes, donec in pulverem ſubtiliſſimum & inter digitos vix perceptibilem terra ſit redacta. Deſtilla poſtmodum evacuationum aquas omnes per alembicum, & Mariæ balneum, donec in fundo vaſis materia tanquam cera fuſa, vel mellis inſtar appareat. Frigente balneo, rurſum ad materiam affunde, quam per deſtillationem abſtraxeras aquam, ut quatuor digitis emineat ſuper eam, & expone digeſtioni fimi vel balnei per diem naturalem, clauſo vaſe tamen. Deſtilla poſtea per alembicum ut audiſti, & frigente vaſe rurſum abſtractam aquam redde materiæ, digere, deſtilla, redde, continuaq; reiterationes proceſſus hujus, quouſq; perceperis totam una cum aqua materiam aſcendiſſe. Hæc materia lac virginis vocatur à philoſophis, & argentum vivum exuberatum. Tandem accipe terræ prædictum pulverem ſubtiliſſimum, & madefac ſui medietate ponderis aquæ ſuperius poſitæ, caloreque fimi digeri facito per dies octo: quibus finitis, ut prius deſtilla per alembicum aquam à terra, lento quidem igne. Pondere hujus iterum cognito, ſuperfundatur aqua jam recepta, ſupplendo ſi diminuta ſit per priorem exuberatam, ad ponderis ut ſupra terræ mediam partem. Has operationes omnes utpote humectationes, digeſtiones, & calcinationes, vel congelationes reiterato continuatoque, donec terra medietatem ſuæ

humiditatis ebiberit, aut ſatis. Hoc ita cognoſces: quum tantillum ejus terræ nempe ſuper laminam ignitam poſitæ prorſus in fumum evolaverit, bene eſt: ſin autem; operationes prædictas reitera, donec ſignum hoc jam dictum aſſequutus fueris. Quo quidem percepto, pone ſuper cineres ad ſublimandum in phiala, modico primum igne: tandem aucto paulatim & ſucceſſive, quouſque totum ad latera vaſis aſcendat, exaltataq; materia fuerit in ſal admirabile, quod philoſophi lapidem, & naturæ ſulphur vocant. Iſtud oleo perfectorum eſt incerandum, donec ut cera facilime fluat. Medicinam habebis tum demum perfectam, cujus pondus unum ſuper centum ſtanni pondera, ſi ſal Jovis exſtiterit, vel ſuper quinquaginta plumbi, ſi de Saturno fuerit, in opus hoc ipſum evadet perfectiſſimum, quovis naturali perfectius. Oleum namque perfectorum, virtutem habet fixativam in omnia, ex imperfectis tracta ſalia, quæ diximus. Perfectorum demum limatorum, aut foliatorum unciam unam accipe, calcinatorum ut ſcis, ex his quæ nude ſupra diximus. Ex his extrahito ſuam humiditatem, id eſt, ſuum argentum vivum, clavis per ſuccum philoſophicæ, prout antea narratum eſt. Quo peracto liquefactionis aut evacuationis artificio, vas in quo liquefactiones omnes fuerint, alembico ſuo coopertum ponatur in balneum, & ex eo totus humor deſtilletur, ut in fundo cucurbitæ materia tamen viſcoſa maneat, mellis inſtar liquidi ac deſpumati viſcoſa. Frigefacto vaſe, clavis affunde philoſophicæ tantum ad materiam hanc liquidam, ut ſuper eam emineat quatuor digitis, & in digeſtionem fimo vel balneo factam pone diem unum integrum, aut naturalem. Et frigente poſt vaſe, diſſolutum per liquefactionis artificium, in aliud vas inclinatione modeſta vacuato. Poſtmodum vas alembico ſuo coopertum in balneum ponito, lentoque igne materiam exſiccato: ſuper quam iterum aquam iſtam, & clavis tantum recentis natare facito quatuor digitis, ut ſupra. Digeſtioni demum dictæ per diem ſimilem exponito, factaque digeſtione ſolutum evacuato. Reiterabis toties operationes iſtas, donec materia tota ſit in aquam claram converſa. Deinceps aquam hanc in digeſtionem octo diebus pones, à qua poſtmodum elementorum qualitates ut ſequitur extrahes. Primo per ignem balnei ſuaviſſimum recipias aquæ tantum, ac iſto calore poterit aſcendere. Deſtillatione hac ceſſante, frigenteque vaſe, refunde liquorem totum jam deſtillatum ad ſuas fæces, & obturatum vas hoc ipſum continens in digeſtionem ponito fimi vel balnei. Poſtea per cineres & ignem ſerratura conſtructum in furno regiſtris gubernato, deſtilla totum oleum quod iſto calore poterit aſcendere. Deſtillatum hoc iterum deſtilla calore balnei: quod aſcendit, aquam appellant nonnulli; quod autem in fundo remanet, aerem. Deſtillatam

aquam

aquam iſtam ad fæces affunde rurſus, & in digeſtionem dierum ſeptem prius poſitum, ab eaque tractum igne lento primum, donec aqua tota per alembicum tranſierit: poſtmodum ad quartum gradum aucto, quicquid liquoris fuerit, ſurſum pellito, quouſque ſiccus & impalpabilis in fundo cucurbitæ pulvis (ubi tritus marmore fuerit) maneat. Liquorem autem in balneo poſitum eo calore deſtillabis, donec aſcendere quid valeat: finita vero deſtillatione, manebit oleum in fundo vaſis, quod ignem appellant, aliumque liquorem balneo pulſum aquam, &c.

Peracta quidem evacuatione hac, ad prædicti pulveris pondus, medietatem ſui ponderis argenti vivi, prædicti ſcilicet addito per inbibitionem & in vaſe clauſo pones in fimi, vel balnei digeſtionem diebus octo. Digeſtionis hujus tempore finito, ſingula perfice, prout in alijs reductionibus dictum fuit: hoc notato, quod materia quælibet proprium ſuum argentum vivum habeat. Sublimatione completa, quod ſublimatum eſt cum ad vaſis latera, tum ad ſummitatem ejus, in cucurbitam optime clauſam pone ac in fimum calidum vel Mariæ balneum digerendum octo diebus: quibus completis, ubi materia nondum ſoluta fuerit, maneat amplius, quouſque in claram aquam reſolvatur, quæ dicitur unguentum & oleum philoſophorum. Si forte reſolutionis durioris extiterit, parum adde ſalis jam cogniti, bis terve diſſoluti & congelati, quod cælum eſt noſtrum, & clavis philoſophicæ rectificatæ quater & ſolvetur optime. Hoc ipſum in omnibus tuis facito reſolutionibus.

Poſtremo ſalis cujusvis metalli tigillo ſuper cineres calefacti, portionem aliquam oleis jam dictis incerabis, gutta poſt guttam infuſa, donec ad ſpiſſitudinem frigidi mellis reducatur. Amove tum ab igne, hujusque maſſæ parum admove candelæ flammæ, ſi facile fundatur, optime quidem: ſin minus, incerationes iterato, donec materia fluat ante Mercurij fugam, &c. Iſtam incerationem etiam facere poteris perfectorum eſſentia quinta, modo qui ſupra dictus eſt. Olea prædicta ſunt incombuſtibilia. Labora diligenter igitur, & perfectionis horum veritatem immunem à fallacia reperies.

De modo cælum aut clavem extrahendi philoſophicam à vegetabilibus ut melle novo, chelidonia, floribus, humano ſanguine, nec non utroque vino.

CAP. XII.

TRactis artificio dicto qualitatibus elementorum à vegetabilibus, ab eis præſertim quæ ponentur inferius, corũ ignis tantum accipiatur, & rectificetur eo modo, quo de vino philoſophico

dictum eſt. Hac via Mercurius noſter exaltatione ſumma præparatus erit. Mixtio tamen fieri poteſt cæli novi mellis, chelidoniæ, florum roriſmarini, Mercurialis, lilij rubei, ſanguinis humani, &c. cum rubei vel albi vini cælo vel tartari. Mixtio fieri poteſt etiam eorum quæ dicta ſunt, in cælum redactorum æqualiter ſumtorum, cum formis juxta pondus in hoc Opuſculo declaratum, & ſecundum ordinem doctrinæ majoris operis atque practicam, ad minus perfectum opus hoc perduci. Indeque fieri poteſt alia mixtio, cæli nempe cum clave philoſophica, generationis artificio dicto. Poſtmodum addatur minus perfectum ſupra dictum juxta proportionem operis majoris, & hac via tranſitur ad majus perfectum quod ſuam ſpeciem, in ſubſtantijs externis, bis quinque numero millibus multiplicare poteſt, &c.

Alius practicandi modus.

Quorumvis eorum quæ dicta ſunt in mixtionem cæli, cum cælo vini rubei vel albi, tartarive per magiſterium tracti ſeparationis qualitatum ab elementis, cumque forma vel forma poſitum juxta majoris operis doctrinam, obſtructo vaſe ne cælum fugiat, calore continuo balnei coquatur intermiſſione ſine per dies aliquot. Poſtmodum aperto vaſe, cum cælo formaque dictis, de quorumlibet aere dictorum ponatur, pro ſecunda cæli parte, coquaturque tot ut antea diebus. His etiam finitis, rurſum aperto vaſe, de cælo ignis quorumlibet eorum pones tantum, quantum vini cælum fuit: obſtructoque vaſe rurſus continuo calore coquatur per alios dies quindecim. Completo mixtionis artificio, transmutari mixta videbis in minus perfectum, coloribus mediantibus, juxta quos artifex opus gubernare debet, quouſque ad perfectiſſimum opus majus quod ſpeciem ſuam in externis ſubſtantijs transmutare, multiplicareque ſui ponderis millibus ter valeat, &c.

De univerſalitate Mercurii philoſophici.

CAP. XIII.

QUavis in elementata re Mercurius noſter habeatur: in aliqua tamen ita remotus eſt, ut vita prius humana deficeret, quam ab ea ſeparari queat: in alia vero tam propinquus, ut facilimæ ſit extractionis, prout in illis quæ ſupra capitulo proximo dicta ſunt. Aliqui ſcientes arcanum hoc, nempe Mercurium ineſſe quibusvis, à lapidibus, paleis ſiliginis, floribus & lignis extrahere conati ſunt, at fruſtra, potiuſque vitæ ſuæ finem, quam intentionis attigerunt. Nonnulli proxima ceperunt, ut chelidoniam, flores roris marini, mercurialem, lilium album, & ex eorum ſuccis per balnei fimique magiſterium noſtrum extraxere Mercurium, colore,

lore, pondere, qualitate, quantitateq; non abſimilem à Mercurio vulgi: maximum itaque ſecretum inveniſſe putantes, cum corroſivis eum ſublimarunt, ac naturam ipſius corruperunt: quo factum eſt ut opinionis finem ſuæ minimè ſint aſſequuti, quod artis iſtius ignorarent principia, mediaque, nec non extrema, quibus mediantibus opus metaphyſicum noſtrum abſolvitur. At ſi tu Mercurium noſtrum in tali ſpecie converſum, aut vulgarem acceperis, & ipſum abſque materiali quovis in aquam reduxeris (quod fieri poteſt, cum phlegmate medij, ſi aerem ejus ei dederis infra vas) & ſepties deſtillaveris, lumen perlarum habebis: nam hoc eſt earum pars heterogenea, quæ lapidis noſtri conditione caret. Cavendum eſt igitur ad artem noſtram transmutatoriam, talem fieri Mercurij ab individuis extractionem. In nonnullis individuis Mercurius noſter liberum quodam modo habet actum: ut in tartaro: patet ex operationibus aurifabrilibus, quum in Venere Lunæ quidpiam fuerit, & in album Vinum hoc ponatur, vel in ejus animam, Lunæ tincturam ad ſuperficiem adducet vis Mercurij noſtri. Quo revelatur vinculum ejus concordantiæ cum Luna: Melius ubi Venerem ignitam extinxeris in tartaro per vinum album diſſoluto contrahet albedinem: at non eſt color iſte permanens, quia deficiet ei ſubjectum ſpirituale fixum, &c. Fit etiam aliud experimentum ejus, ubi Mars in ſolutione prædicta ſæpius extinctus fuerit, Solis & Lunæ mollitiem contrahit, &c.

Mars namq; ſiccus eſt, & valde remotus à Mercurio, plus quam alia corpora quævis, & ſiccitas omnis vacuitatis rationem habet, quapropter in eam facile Mercurius noſter, qui ſumme humidus eſt recipitur, quo ducitur in mollitiem prædictam.

Cæli verò noſtri forma eſt aliud individuum, in quo duæ cernuntur operationes liberæ. Prior eſt, qua cuncta ſibi impoſita realiter convertit in ſpeciem ſub qua fuerit ipſum. Signum hoc eſt evidens admirabilis potentiæ vegetabilis, ratione cujus in alias transmutantur ſubſtantiæ formas. Conſideret igitur artifex quidnam operari valeat, forma ſua nudatus, aliaque formatus ubi fuerit noſter Mercurius. Eſt & alia quidem operatio pariter evidens, ut cum ea forma perfectorum corpora terantur ſuper porphyrium, horum utrumque reducetur in amalgamationis formam, à qua per pannum extrahetur Mercurius, quia hic exiſtens in Sole & Luna, movetur ad eum qui continetur ea forma, nec non econtra. Quapropter in angulo concordantiæ colligantur ſic, ut in cælo noſtro corpora perfecta multiplicentur, & Mercurius iſtorum nullo modo reſiſtere valeat, quin cum alio nexu naturali reducatur in amalgamæ ſpeciem. In alijs etiam individuis conſignari poſſent operationes iſtæ cæli noſtri, quas brevitatis

vitatis cauſa relinquimus, quod ea quæ dicta ſunt, etiam ad earum intelligentiam ſatisfaciant. Totius magiſterij finis hujus eſt, ut noſter Mercurius ſit in ſphæra cælica poſitus, aliter perperam operabitur artifex. Mirum eſſe videtur, quod Mercurius noſter in ſupercæleſti loco ſitus, colorem, pondus, quantitatem, & qualitatem non retineat, cum hæc omnia ſint de natura ipſius: at ratio hujus eſt, quia ſub alia forma poſitus eſt, quam ubi ſub individuo latebat. Modus hic etiam habetur extrahendi Mercurium in hoc artificio, ſcilicet, ut vinum album vel rubeum optimum ponatur in ſeparationem, & ex eo deſtilletur ardens aqua, prout conſuetum eſt. Poſtea rectificetur ad majorem ſubtilitatem quater, ſed Solum ter ſufficeret, ne ſpiritus exhalaret cōburens: errarunt igitur ſepties rectificantes. Rectificationis indicium hoc eſto, quum ſaccharum impoſitum, una cum aqua ſimul totum comburitur, nihilo relicto. Materia hæc eſt ſubjectum, de quo trahitur eſſentia quinta, per vas quod pellicanum dicitur: fiet operatione hac, ut per lineam diametralem, ſuperior pars vel eſſentia quinta ſeparetur ab inferiori: ſcilicet à fæcibus turbidis, &c.

Ex tartaro poteſt etiam extrahi Mercurius, eum calcinando videlicet in furno vitrariorum diebus tribus naturalibus: at magna quantitas ejus ponatur, nam plurimum imminuitur. Hoc aduſtum ſuper lapidem tere marmoreum, & ſuper eum relictum loco frigidiſſimo humidoque in aquam diſſolvetur: quæ per filtri manicam eſt deſtillanda, vaſeque vitreo recipienda. Poteris ex ea Mercurium extrahere duplici via: priore ſicuti ſupra de vino diximus, altera per artificium ſeparationis qualitatum ab elementis, &c.

De quibusdam annotationibus in ea quæ prædicta ſunt.

CAP. XIV.

IMperfectorum filij corporum, ſpiritus eorum ſunt evacuati, vel eorum argentum vivum exuberatum, aut materia prima apta nata ad quamcunque formam recipiendum. Sed eſt inter iſtos ſpiritus differentia, & alios à perfectis evacuatos: Nam iſti formales exiſtunt, alij vero materiales. Item imperfecta pariter ac ipſa perfecta converti poſſunt in oleum, fitque hoc modo præparatio formæ & materiæ. Neceſſario quidem ſulphur naturæ perfectorum in oleum debet converti, ſed aliorum non, quod perfectorum oleo debet informari: niſi tamen omnia volueris in oleum redigere, quo lucidius opus fiat. Oleum ſimile fit per quatuor elementorum qualitatum ſeparationem, &c.

Saturnus & Jupiter unius & ejusdem naturæ ſunt, quum in ſpiritum reducuntur: ergo in ſpiritum, argentum vivum exuberatum,

ſum, ſulphur naturæ, tincturam, oleum, & lapidem redacti ſunt ſimiles, ipſis in quolibet iſtorum exiſtentibus extra numerum. Item ipſis & alijs omnibus antiquum eſſe retinentibus aliam naturam habent individuatam, & aliam in ſua virtute ſimplici multiplicata per viam generationis & proceſſionis in ſpiritum, ſulphur naturæ, tincturam, oleum, & lapidem. Et hoc in lapide proprius dici poteſt, quam in alijs, quia ſubſtantia eſt multiplicata ex eorum unitatibus, quæ quidem virtutem habent unam ex omnibus iſtis. Quandoquidem ultimatam unitatem quodlibet metallorum habet, quam antea quam in lapidem erat converſum, non habebat. Extenditur hæc unitas multiplicatione principiorum externorum, ſic ut in ſubſtantijs dictis fiat augumentum ſuæ formæ, virtutumque multiplicatio. Sic terminat operis doctrina minoris.

Calcinatio, diſſolutio, evacuatio, multiplicatio, ſpiritus, alembicus, argentum vivum exuberatum, ſulphur naturæ, tinctura, oleum, inceratio, ſublimatio, lapis unam conditionem habent in Saturno, aliam in Marte, in Venere item aliam, ſic de reliquis. Unam etiam Saturnus in quolibet iſtorum conditionem habet, aliam cum Jove, aliam cum Marte, aliam cum Sole, aliam cum Venere, & cum Luna habet aliam. Item Jupiter cum ſingulis dictorum peculiariter aliam habet conditionem in permixtione. Fit item alia conditio miſcendo Saturnum & Jovem cum Marte & Venere: vel cum iſtorum alterutro Jovem aut Saturnum, aut Venerem & Jovem cum Saturno, vel cum ipſo Marte. Hac ratione multiplicari poterunt conditiones metallorum, unum aut plura miſcendo cum alio. Quotquot modis facta fuerit mixtio, tot variabitur conditio Lapidis.

Calcinatio rurſus æqualis eſt Solutioni, & Diſſolutio Evacuationi: hæc Multiplicationi, quæ Spiritui, &c. pro conſtitutione ſubjecti, quod lapis eſt. Item Alembicus æqualiter ſe communicat omnibus juxta ſuum officium.

Naturæ ſulphur majus eſt, quam argentum vivum exuberatum, & illud ac illud quam ſpiritus. Opus minus abſque ſulphure naturæ fieri minimè poteſt, ab imperfectis tracto, quia deficeret medium eorum naturam ſapiens, abſente quo perfecta non poſſent imperfecta ſuam in ſpeciem transmutare. Hoc enim vult definitio medij, ſcilicet ut lapis componatur ex ſulphure naturæ, & argento vivo ab imperfectis exuberato, cum perfectorum oleo: ſic ut lapis medium ſit participans ex utraque natura, concordantiæque ratione, quam habet cum dictis imperfectis: hæc ipſi locum dant per omnes ſui partes, ut in eorum parte minima, ſit minima pars lapidis, quas etiam partes in eis exiſtentes penetrat omnes, ratione ſubtilitatis. Et quia materia lapidis quæ abſtracta eſt ab

imperfectis, formata eſt per omnes ſui partes, & colligata formæ cuidam extraneæ] vinculo quidem indiſſolubili, proprietateque vegetabili, quam à clave philoſophica recipit, ita per formam iſtam informatur, ut in minima ſui parte realiter & verè minime pars inſit ejuſdem formæ, deponuntque ſuas antiquas imperfecta formas hac via, quæ ipſis inerant actu, ut perfectorum formas, quæ iſtis inſunt potentia, recipiant, ac in perfecta corpora transſmutentur metallica. Ante dictus eſt operandi modus, cum ſulphure naturæ de Saturnó vel Jove tantum extracto, jam cum duobus, tribus, quatuor, vel omnibus, juxta voluntatem operantis mixtionem fieri poſſe dicimus, prout ex eis conditionem fore lapidis cupiverit artifex. Poſitus eſt etiam oleum ex perfectis eliciendi modus, quorum unus & idem eſt ac aliorum omnium, per calcinationem, diſſolutionem, evacuationêm, multiplicationem, ſpiritum, alembicum, argentum vivum exuberatum, ſulphur naturæ, tincturam oleum, incerationem, ſublimationem, & per ignem. Quum duo volueris conjungere, ponas in calcinationem, clave noſtra philoſophica mediante: poſt in diſſolutionem, & in reliqua prædicta, uſque ad ſublimationem, incluſivè. Si perfecta fuerint, & in ſulphur naturæ facta, ponas in multiplicationem, & ſi nimis durum exriterit, affunde ſanguinis menſtrualis aliquam portionem, ut in oleum convertatur.

Nota quod metallorum elementa per Mercurium vegetabilem ab eis tracta, materia prima dicitur eorum, ad genus generaliſſimum ſuum proximè accedens, & eſſentia quinta, vel cœlum etiam appellatur ipſorum. Hæc verò materia converti debet (ſi perfectorum ſit) in formarum naturam, & in illam, alia ſcilicet imperfectorum natura, compoſitumque fermentum nominatur, quod fiat ex materia prima, & metallorum natura, & oleo, gutta poſt guttam inſtillata, poſtea Mercurio noſtro naturali inceratione, quæ medium eſt, conjungens Mercurium cum dicta prima materia, fitque hoc modo gumma philoſophicum. Fermentum ſimplex eſt, cui nihil admixtum eſt, ut ſunt elementa vel evacuata metalla per ſe exiſtentia ſimpliciter ve ſumpta. Compoſitum eſt, quum plura ſimul & inter ſe commiſcentur. Qui perfectorum & imperfectorum corpora ſpecialiter in ſui materiam primam convertere, non ſimplex fermentum etiam habere, neque compoſitum (ſine quibus lapis inanis erit & vacuus) poterit. Terra quidem à corporibus metallicis in ſulphur elevata naturæ, ſal dicitur philoſophorum vel Mercurius vegetabilis, & medium extrema conjungens omnia ad unum finem, id eſt cœlum formæ, vel clavem philoſophicam perfectis corporibus: & hæc terra dicitur etiam elementa mercuriata. Minus perfectum, lapis eſt philoſophicus non fermentatus in virtute, neque in quantitate: componitur ex igne & aere, aut ex terra & igne.

Fer-

Fermentatio, eſt operatio denotans multiplicationem duplicem, ſcilicet quantitatis, & virtutis. Quantitate quum fit multiplicatio, virtus minuitur, & econtra. Fit etiam alia virtutis & quantitatis ſimul: prior, cum vulgi Mercurio: ſecunda, Mercurio metallorum: tertia verò, vegetabili Mercurio vel menſtruo philoſophorum, &c. Fermentatio fit in abbreviationem longi temporis ex forma, cœlo, & Mercurio vulgariter intellecto.

Evacuatio dicitur puri ab impuro ſeparatio.

Multiplicatio, evacuatæ rei ſuper terram ſuam eſt reductio, ut munditiæ ſpiritus oriatur.

Spiritus corporum, eſt res quæ per ſolutiónem à corporibus mediante clave philoſophorum evacuatur.

Argentum vivum exuberatum ſpiritus eſt corporum aſcendens una cum clave, tranſiensque per alembicum.

Sulphur naturæ terra corporum eſt ſublimata, & in terram foliatam converſa, quæ metallorum prima proximaque materia vocatur.

Tinctura eſt, ex aëre & igne, vel ex terra & igne. Oleum eſt elementum fixum faciens ad liquationem & fixionem.

Lapis ex terra foliata, & oleo fixo jam in eam ſeminata, germen eſt.

Ignis lapidis conſtat ex eſſentiali corporis igne, & ex coeſſentiali menſtrui vegetabilis igne, ex quibus unicus componitur, qui momentaneè metalla tranſmutat omnia: juvante quidem igne prædicto vegetativa ſua potentia. Elementa corporum toties deſtillari debent cum ipſo menſtruo ad magnum lapidem, quouſque ſint fixa, & menſtrui nihil appareat cum eis actualiter. Ut ex dictorum conditione proprietateque oriatur ignis fulguris inſtar metalla quævis imperfecta ſubitò comburens, eiſque formam aliam inducens perfectam, &c.

De abbreviatione lapidis philoſophici.

CAP. XV.

TOta vita mineralium in duabus conſiſtit aquis, prior lapidem facit volatilem ſine labore, ſineque periculo, poſterior fixat eum, & cum eo fixatur cum periculo. Quia hæc aqua trahitur ex menſtruali quodam fœtente, immaſſato ex rebus quatuor. Hac fortior in mundo nulla reperitur aqua, mortalis eſt, &c. Majus periculum eſt, ne ſpiritus in ablutione fugiant. Breviori tempore producitur, quam cæteri lapides.

Animalis eſt, qui vix finem habet, ob regimen elementorum, & major in eo ſcientia, quam in alio quovis lapide conſiſtit. Lapis vegetabilis, quanqüam prolixus admodum exiſtit, ſupremæ conditionis etiam, debet nihilominus animalem ſequi lapidem

quoad ratificationem elementorum, & rectificationem: & ita præparatus efficacior eſt animali.

Eſſentia quinta, ſpiritus eſt in lapide minerali mortificativus & vivificativus.

In animali, ſumma quandoque medicina corporibus humanis exiſtit, ut ſi tracta ſit ex ſanguine potiſſimum.

In vegetabili tamen lapide, ſpiritus eſſentiæ quintæ, & reſtitutio juventutis ineſt, & corporis humani ab omni corruptione conſervatio.

ABBREVIATIO.

Recipe ardentis aquæ rectificatæ lib. 2. & fermenti unc. 1. pone in pellicanum, & in digeſtionem dierum viginti vel viginti duorum: denſabitur ſpiritus eſſentiæ quintæ per fermentum, & in lapidem convertetur. Poſt congelationem, in fimo vel balneo ſolves per noctem unam, & congelabis iterum. Hoc ter fiat vel ſæpius, donec amplius coagulari nolit, at ſicut oleum remaneat. Albo cum fermento non ita cito ſolvitur, ſed coagulatur citius. Iſta medicina transmutat non aliter quam fuerit ejus fermentum, & non altius. Si cum propria terra fermentaveris, univerſalis erit medicina, non tam efficax tamen, atque cum fermentorum altero. Si in prædicta aqua, decima deſtillatione peracta, ſolveris aurum, & poſtea ſiveris aquam evaneſcere lento calore vel igne, hoc ipſum loco demum humido repoſueris, per ſe diebus quatuor in aurum potabile ſolvetur, ad humanæ ſanitatis conſervationem. Et ſi cum eo Mecurium ſepties ſublimatum cum vitriolo, ut una ſit auri pars & argenti ſeptem ejus: poſtmodum ſublimaveris toties, donec Mercurius figatur, medicinam habebis tingentem & penetrantem, &c.

Si hujus auri ſic diſſoluti pars una ponatur in ignem lentum per ſe diebus octo, cum centum partibus Mercurij, mixtum hoc totum in aurum congelabitur. Hoc ipſum ex parte ſpiritus aquæ provenit, quæ in auri ſolutione, cum eo fixatur inſeparabiliter. Poteris hac via miſcere mineralia vegetabilibus, & ex eis facere medicinam, hoc modo ſcilicet: Vegetabili deſtillato lapide uſque ad eam deſtillationem, qua toto privatus ſit phlegmate, quod in quinta plerunque ſolet contingere, accipe vitriolum perlucidum bonumque, cum æquali cinnaberis optimæ terito pondere, ſoleque ſiccari ſinito poſtea carbonibus, donec omnis aquoſitas abſumta videatur. Affunde tandem aquam, & igne lento prius deſtilla poſt aucto paulatim, ut in aqua philoſophorum acuta ſolet fieri: Spiritus eſſentiæ quintæ vitrioli, & cinnaberis vel antimonij, qui lapidem potiſſimum conſtituunt mineralem, cum ſpiritu quintæ eſſentiæ aquæ noſtræ ardentis benedictæ miſcetur, qui ſpiritus

ritus eſt anima lapidis vegetabilis: & hoc decies continuato (puta poſt quintam deſtillationem) hoc eſt; cum iſta mixtione ſemper nova materialia ſint appoſita & optime ſicca priusquam in aquam injiciantur. Poſt decimam deſtillationem, impone aurum pondere ſupradicto lapidi vegetabili per ſe, & in furno philoſophico collocabis: decem diebus complebitur fixatio tota, quæ in vegetabili per ſe vix in viginti quinque compleretur: quia ſpiritus unus alium denſat. Excellentiſſimum opus eſt hoc ad Alchemiam transmutatoriam, non ad medicinam. Facta fixatione, procede ad ſolutionem in balneo per ſe, ut in vegetabili per ſe dictum eſt. Notandum erit, hunc lapidem ex mixtis non ita cito ſolvi, prout vegetabilis per ſe: verum citius quam lapis mineralis per ſe. Tenet ergo medium ſolutionis, quia fit novem diebus.

Oportet reiterare ſolutiones iſtas & congelationes ſæpius, ut medicina melius penetret. Ex plumbo philoſophorum extrahitur oleum aurei coloris, quo cum ſi mineralem vel mixtum, aut animalem poſt fixationem primam ſolveris, tribus aut quatuor diebus, vel vicibus, lapidem, excuſaberis à labore ſolutionum & congelationum.

Si bene hoc ſciveris ab aqueitate ſeparare, juxtaque modum operatus fueris mixtionis antea poſitum, poteris diebus triginta lapidem abſolvere. Hoc autem oleum in vegetabili per ſe non neceſſarium, quod in eo ſolutiones cito fiant: ſi tamen ibidem fieret ſublimatio, credo lapidem ampliari poſſe.

De precioſorum lapidum fabricatione per metaphyſicam artem.

CAP. XVI.

MErcurialem aquam extrahe, id eſt, Mercurium noſtrum in quintam eſſentiam vegetabilem reſolve. Hanc in duas partes divide, quarum una ſit quarta pars ejus, altera vero tres quartæ. Trib. è quartis unam accipe cum dimidia, nec non primæ quartæ mediam partem, quæ ſimul totius mediam partem efficiunt, & ita manebunt tres octavæ ſub terram ſepeliendæ, & una octava pars aeri cum cæteris, prout audietur, exponenda. In alterius mediæ partis aliquota parte, ſolve Lunæ partem aliquam, & poſtquam ſoluta fuerit ſolutionem iſtam deſtilla per filtrum. Quod ſolutum eſt ſerva. Si quid in manica filtrei fæcum remanſerit, abjice tanquam inutile. Reliquos planetas omnes in aquæ Mercurialis reſidui parte conveniente ſolves, & cum eis ut prius de Luna dictum eſt, facies. Quamlibet ſolutionem filtratam per ſe deſtillabis iterum in balneo Mariæ, vaporoſo tamen, donec tota humiditas aſcenderit, inq; receptaculum ſe receperit. Poſtmodum hujus liquoris tertiam partem fecibus ſuis, quas in cucurbita reliquit, affundes,

affundes, & reſolutum hoc ſervabis, & per ſe. Deinceps ſoluti duas tertias illas in phialam longi colli pones, & tertiam cum fecibus in aliam ſigillatis ambabus Hermetis ſigillo. Tandem phialam quæ feces continet, in terram ſubdio ſepelies totam præter extremitatem colli, quæ parum emineat: aliamque duas tertias aquæ claræ continentem in aërem pones & in altum, ut aëre tangatur, ne tamen aliquo lapidis jactu caſuve frangi queat. Idipſum de cæteris aliorum planetarum ſolutionibus facies. Phialis etiam duabus includes Mercurialem aquam ſervatam, & ſigillabis ut prius: in una, quæ ad aërem eſt ponenda, ſit octava dicta, & in altera quæ ſepelienda eſt in terram, ſint octavæ prædictæ ſeptem. Hoc negotio ſolutionem philoſophicam abſolviſti. Jam ad congelationem veniendum eſt: Anno revoluto jubeas à vitrorum artificibus duplex vas tibi confici, quod ſphæræ formam diviſæ per medium habeat, ſuperiusque vas inferiori ſic aptatum ſit, ut ab eo deponi reponique valeat, quoties opus fuerit. Quo peracto, confice tibi formulas cereas vacuas, vaſorum aut cymbarum inſtar, quæ liquore poſſint impleri, natareque ſuper aquam. Nonnulli has in formam, qua ſcindi ſolent precioſi lapides, conficiunt in hunc modum: Accipiunt ferrum ab una ſuarum extremitatum ſciſſum atque politum uti lapidem fore cupiunt: hoc in oleum immergunt, poſtmodum in ceram liquefactam, & poſtremò in aquam frigidam. Ubi jam involutum eſt cera, circumquaque ſcindunt eam ceram, ut à ferro forma liberetur. Hac via ſciſſorum inſtar ſibi lapides parant. At ego vix credo fieri poſſe, ut exactè res fiat. Quapropter in rotundam, aut ſemirotundam formam quocunque modo ſuaderem fieri, poſtea ſcindi naturalium inſtar. Erue demum à terra phialas, & alias ab aëre depone. Deinde ſphærici tui vaſis partem inferiorem aqua Mercuriali terrea, quæ medietatem ejus impleat imbues, & ſuper eam natare formas facies. Poſtmodum ſi Mercurialem, Solarem, Lunarem, Jovialem, Saturnium, Venereum, aut Martialem volueris lapidem, formas tuas paulò minus imple cereas, quorumvis dictorum panetarum cœlo, hoc eſt, aqua ſua aërea: non ad ſummum tamen implebis, ne fortaſſis effluant aquæ. Tandem ſuperiori ſua parte ſphæricum vas conteges, & ita clauſum aliquot horas maneat, quouſque videris aquas in formis aliquantulum denſatas. Hoc percepto vas aperies & formas invertes, ut paſta fixativam aquam tangat. Relinque ſic in umbra donec dureſcat in lapidem.

Sed iſte proceſſus ad artem magis transmutatoriam, quam ad medicinam facere videtur, ob terræ cum cœlo ſimul infuſionem. Quo fit ut lapides hac ratione facti, ſint obſcuriores illis, qui hoc modo fabricantur.

Cujus-

Cujuslibet metalli pars vel aqua terrea, vel eſſentiæ quintæ fixativa, ponatur in vaſis inferiorem partem, & per ſe, formis quoque ſupernaturalibus vacuis, claudatur ſuperiori parte, clauſumque vas per quartam horæ partem relinquatur, ut formæ vapore quodam inviſibili fixativoque repleantur. Poſtmodum aperto vaſe, formæ cœlo ſeu aqua repleantur aërea tantum, & rurſus clauſo, procedatur ut ſupra.

Poterunt etiam omnes aquæ terreæ in vas inferius mixtæ ſimul effundi, formæque cœlicis etiam aquis mixtis impleri, procedendo ſicut prius, & habebitur lapis unicus Planetas in ſe complectens omnes.

Aliqui duorum aut trium planetarum vapores antea dictos, juxta proportionem ex arbitrio deprȯmptam ſimul commiſcent, ut vulgariter hic infra denominatos lapides precioſos fabricent, coloribusque ſuis adornent, hoc modo ſcilicet:

Carbunculus fit ex cœlo Solis, & ex ejuſdem aqua terrea.

Adamas ex Lunæ cœlo, & ex ejus terra.

Sapphirus ex Lunæ cœlo, terraque Jovis terræ mixtis.

Smaragdus fit ex cœlo Martis, & Solis terra.

Hyacinthus ex cœlo terraque Martis, cum Solis terra mixtis.

Eliotropia, fit ex cælo Veneris, & ex cœlo terraque Martis, cum terra Lunæ permixtis.

Alamandina fit ex cœlo terraque Martis.

Pallax fit ex cœlo terraque Lunæ, cum æquali pondere terræ Solis.

Berillus ex Lunæ Jovisque cœlis æqualibus, cum terra Lunæ.

Unio fit ex una parte cœli terræque Jovis cum partibus Lunæ cœli quinis.

Solaris fit ex cœlo terraque Solaribus, Lunaris ex cœlo terraque ſuis: Jovialis ex utraque ſui parte: Venereus item, Saturnius, Martius, & Mercurialis ex ſuis, ut alij, partibus conſtabunt.

Multi poſſunt alij lapides ad imitationem fieri naturalium hac arte: quos recenſere longum foret. Verum quiſque juxta ſuam experientiam in coloribus eorum, quoſcunque volet fabricare, necnon ſi bonus mathematicus fuerit, ſuis brevi temporis (ut etiam requiritur hoc loco) ſpacio characteribus inſculpere, priuſquam aſpectus repentini tranſeant, optimè poterit.

Quid aliud reſtat, præterquam lapidum, & metallorum vires omnium diligenter inveſtigare particulares, ac ad medicinam applicare? Sapientes olim inſculptis lapidibus tempore conſtellationum, atque metallis collo tantum appenſis, aut geſtatis, pleroſque morbos curarunt abſque ſuperſtitione. Unde quæſo virtus hæc, niſi partim à matéria, partim à characteribus & potiſſimum à virtutibus in materiam per cœlum inditis, & copioſius affluentibus, quæ per conſtellationes, mediantibus applicationibus,

de ſua

de ſua potentia deducuntur in actum? Nil mirum ſanè conſiderantibus mūdi ſuperioris ad inferiorē, & iſtius ad illum maximam confœderationem. Siquidem hic inferius apud nos moveri nihil poteſt arte, quod ſuperius itidem non commoveatur. Non aliter quam ſi membrum aliquod in humano corpore læſum fuerit uxori, correſpondens in ejus viri corpore, etſi non actu lædatur, potentia tamen, ac naturali compaſſione quadam, ob naturalis amorem atque divini conjugij, dolorem percipit. Quantò magis in ipſamet natura hoc ipſum fieri neceſſum eſt, quæ conjugio divino conſtat ex mundo ſuperiore, & inferiore, ſic à Deo quidem ordinatis, ut unus eorum nihil contineat, quod non ſibi correſpondens habeat alter. Cum igitur minor mundus, homo videlicet, corpore vitalique ſpiritu, ſit ad magni ſimilitudinem creatus, rationali quidem ad imaginem Dei quicquid in majore fuerit, in minore fore conſtat. Et ſicuti nunquam in ſuperiori cœlo ceſſant motus, hominis etiam ſpiritus vitalis, quieſcente corpore, vel dormiente, motus exercere ſuos non ceſſat, imò potius operatur, quam vigilante. Pariter ſi membrum aliquod in corpore tangitur hominis, mox ad ſpiritum hujusmodi tactus pervenit, ut ſupra, de cœlo dictum eſt.

Simile conjugium ergo videmus inter ſpiritum, & corpus hominis eſſe, quale diximus inter cœlum & terram. Iterum qualiscunque fiet in cœlo motus, in hominem influit, aut in elementa ad uſum ejuſdem. Quapropter mirandum non eſt, ſi fieri valeant arte lapides precioſis non abſimiles, quibus morbi curari poſſunt hominum, ubi ſub aſpectibus (ut ajunt) felicibus fabricati ſint. Quanto magis quum reſoluti fuerint in ſuos liquores, & intra corpus adhibiti, remedia futura ſunt potentiſſima.

De plurium unionum aut precioſorum lapidum in unicum reductione.

CAP. XVII.

ACcipe minoris perfecti, cujus antea mentionem fecimus, & ipſum apertiſſimis verbis extrahere docuimus, aliquam partem. Hoc in alembicum parvum ſuper cineres pones, igneque lentiſſimo prius deſtillabis, donec eo calore levi non deſtillet amplius. Animadvertendum eſt prius, digeſtione per balneum reſolvi debere perfectum hoc minus, ante primam deſtillationem nunc poſitam. Amoto poſtea recipiente clauſoque admoveatur aliud, optimeque lutetur in commiſſura, fortiorique deſtilletur igne donec aſcendere poterit. Secundum hunc liquorem in vas novum ponito, deſtillatoque balneo Mariæ ter, qualibet vice refundendo quod deſtillatum fuerit ad ſuas fæces, quæ quidem viſcoſæ ſunt, ac diſſolvuntur iſtis affuſionibus. Verum tertio deſtilletur in cineribus. Poſtea deſtillatum novum in vas iterum poſitum deſtilletur in balneo Mariæ quater, ſingulis vicibus amovendo

vendo fæces, easque per ſe reſerando, quouſque hæc aqua ſit clariſſima, nec non ſplendens unionum inſtar orientalium. Iſtius uſus hic eſt: Uniones pulcherrimos, licet parvos, in vas vitreum pone mundiſſimum, quibus affunde parum iſtius aquæ jam ultimo deſtillatæ, ut ſupernatet aliquantulum: claudatur vas optime: poſt horas tres videbis uniones in paſtam albiſſimam reſolutos, & in ſuperficie natabit aqua valde clara, quam per modeſtiſſimam inclinationem in aliud vaſculum effundes absque turbatione. Relicta quidem in eodem vitro paſta, ponatur in balneum Mariæ cooperto vaſe per dies tres: excipe demum. Formam tibi rotundam & argenteam intus obductam auro, diviſam per diametrum, ut illæ ſunt in quibus tormentorum globuli funduntur, ab aurifabro jubeto parari, tantæ concavitatis, quantos uniones fore cupias. Ad utriusque partis orificium aureum filum protendatur ſubtiliſſimum in diametrum, ut pro ſui medietate cavet utramque, ſic ut protrudi retrahique valeat. Poſtmodum utraque formæ pars media paſta repleatur, & hoc aurea ſpatula fiat: indeque mox protenſo filo conjungantur, agiteturque filum huc & illuc tractibus, ut forati ſint uniones. Aperta forma ponantur uniones in argenteam patinam vel auream, & non tangantur manibus, coopertaque patina ſibi ſimili ſiccentur in umbra, ne Sol attingat. Formatos omnes filo dicto penetrabis, ut non tangantur manibus, & in vitreo vaſe claram aquam de qua ſuperius diximus continente ſuſpendantur, & occluſo vaſe ponantur ad aerem extra Solem diebus octo, poſt ad Solem tribus, agitando vas ſingulis ternis horis modeſte ſatis. Liquoris hujus vapore perficientur, & congelabuntur uniones, &c.

Eodem hoc proceſſu poterunt carbunculi, rubinive plures unus fieri, tantæ quantitatis ac volet artifex, Mercurio rubeo tamen, uti ſupra diximus, diſſoluto ſemel tantum. Si reliquorum colorum lapides formare velis, cum albo Mercurio feceris, quia color albus omnium eſt ſuſceptivus, &c. Congelationem, ad opus iſtud, ex præcedentibus invenire poterit induſtrius artifex, iſta longe præſtantiorem.

De his quæ ad hanc artem apprime neceſſaria ſunt.

CAP. XVIII.

TRia potiſſimum in hac arte conſideratu digniſſima ſunt. Primum, ut materiam ad hanc rem idoneam eligamus. Secundum, ut clavem habeamus philoſophicam, arcem qua reſeremus fortiſſimam, in qua virtutes à natura minerales omnes reconditæ ſunt, ne deprædentur fures, ut à philoſophis veris habeantur, qui clavem hanc fabricare norunt arte mirabili. Tertium, ut virtutes jam acquiſitæ metaphyſico magiſterio præparentur, cæleſtiumque virtutum digna fiant receptacula. Cognita materia

mox

mox inde clavis eſt neceſſaria, qua ſine prorſus ad naturalem philoſophiam nullus patet aditus.

Poſtquam introierimus, arcæ nobis tres apparent. Una, theſaurus ingens alijs longe felicior, ad humani corporis medicinam, continetur ſub aquis aeris & cæleſtibus: alijs duabus continentur aquæ cum aereis terreæ ſimul, cum ad ingentes divitias, utpote metallorum transmutationem, tum ad morborum curam: tertia quidem ſimiles continentur aquæ, ſed ad precioſorum lapidum fabricationem. Ex tribus iſtis fontibus ſcaturiunt undæ mundo felices, quibus admiranda patrantur in rerum natura. Cæleſtes aquæ mineralibus impræġnatæ virtutibus aeri quum expoſitæ fuerint per integri circuli revolutionem, latius impræġnantur cæleſtibus viribus, quibus ad reſolutionem omnium, ſolidiſſimorum etiam corporum, aptæ fiunt. Inferiores tamen cæleſtes etiam, at expoſitæ ventri terræ, virtutes easdem accipiunt eodem tempore, ſed alio medio, nempe terreo, quo coagulandi vim acquirunt omnia & ſuum argentum vivum. Inter ſulphura quæque hoc unum excellentiſſimum, ut etiam argentum vivum quod poſſuimus, præſtantiſſimum, & philoſophicum exiſtit. Quanquam & alia reperiuntur philoſophica, non tamen in tanta ſubtilitate puritateque ſublimata. Sunt igitur aquæ philoſophorum iſtæ cæteras inter maximæ, videlicet formalis una, cœleſtis & ſuperior, altera materialis & inferior, quæ tamen ambæ naſcuntur ex eadem radice, nec niſi per induſtriam & applicationem ad artificium hoc differunt. Ut confirmetur quod per patrem Hermetem nobis prædicatum eſt, utpote: Quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius, ad perpetranda miracula rei unius. Hic videmus primum artis hujus excellentiſſimæ reſtauratorem, duo ſub unitatis contenta ſimilitudine ponere, quibus miranda fiunt ex naturalibus opera ſupernaturali magiſterio. Prius vocat ſuperius, id eſt cæleſte, per quod cæleſtes aquas intelligere poſſumus. Alterum inferius nominat, idque poſſumus ad aquas referre terreas, quas unam & eandem aquam eſſe dicit: nam ex una & eadem ſubſtantia ſunt, & natura non differunt, ſed accidente ſolum, id eſt, præparatione. Per medium aëris namque, ſuperiores vim ſolutivam acquirunt, inferiores verò terræ medio coagulativam, quæ quidem actiones, accidentia ſunt, non ſubſtantiæ. Vide qui hoc Hermetis dictum exponat Joa. Trithemius, naturalium philoſophorum excellentiſſimus. Unarius (inquit) non eſt numerus, & ex ipſo numerus omnis conſurgit. Antequam enim aqua cæleſtis, cujus mentionem fecimus, in duas partes divideretur, una fuit, nec per ſeparationem in vaſa duo diviſa: verum per introductionem diverſorum accidentium, ut audiſtis. Hac ratione tantum, unarius factus eſt binarius numerorum omnium primus, ut ait idem Trithemius. Eſt numerus, & numeratur, quia natura ſimplex

eſt, &

eſt,& accidente compoſitus. Ideoque numerari non poteſt,quia ante ipſum non eſt numerus. Intelligatur de unitate, quam alio modo Hermes explicat per ſimilitudinem,dicens: Eſt ſicut id, &c. Binarius autem ab Hermete per ſuperius & inferius denotatur. Rejiciatur(ait Jo. Trithemius) binarius, & ternarius ad unitatem convertibilis erit. Idem Hermes,at alijs verbis, nempe: Ad perpetranda miracula rei unius. Apprimè notandum eſt hoc loco, duobus modis unitatem ab utroque ſic intelligi. Rerum omnium naturale quodvis, in ſpecie numeratur, in quovis individuo particulari non numeratur: niſi conſideretur ex elementis compoſitum à natura,tunc numeratur.Non aliter Hermes unitatem numerat per ſuperius & inferius,& ipſe Trithemius per omnis numeri conſtitutionem ab unario. Longe diverſa ratione poſt uterque metitur unitatem: unus reductione ſuperioris & inferioris ad ſimilitudinem miraculo poſitam: alter abjectione binarij, converſioneque ejuſdem in unitatem per ternarium. Mira certe ratione conveniunt in eandem ambo ſententiam. Eſt igitur naturalis unitas in binarium diviſibilis, vel potius numerabilis, & hic per ternarium ad alteram unitatem,& ſupernaturalem reductibilis, quæ ſecunda vere dicitur unitas adepta,ultra quam nullo modo progredi licet. Hoc ſic Trithemius: Omnis itaque naturæ conſiſtens limitibus operatio mirandorum, ab unitate per binarium in ternarium deſcendit: non prius tamen,quam à quaternario per ordinem graduum in ſimplicitatem conſurgat: nam ſi quatuor numerare velis,non aliter quam ab uno ſcis inchoandum,& dicis,unum,duo,tria,quatuor: quæ ſimul ſumta, faciunt decem.

Hæc omnis numeri perfecta conſummatio eſt,quia tunc fit regreſſus ad unum, & ultra denarium non eſt numerus ſimplex. Mirantur hujus connexionis profunda neſcientes, quibus principiis in operatione mirandorum utamur,falſo nos vel dæmonum adjutorio, vel qualibet contra fidem noſtram Chriſtianam ſuperſtitione inniti opinantes. Nos autem hæc de nobis judicantes, propter eorum quæ præmiſimus ignorantiam, non miramur. Quoniam ſicut ſanctiſſima teſtatur ſcriptura de interna cognitione Dei,quam nemo intelligit,quam qui accipit: ita his vel imbui, vel uti nemo poteſt,niſi divino munere lumen ſingulare acceperit intelligendi ex natura in naturam, fueritque in eo cum lumine ignis,cum igne ventus,cum vento poteſtas, cum poteſtate ſcientia,& cum ſcientia ſanæ mentis integritas. Hactenus ille.

His apparet, in decade vel unitate ſecunda perfectionem adeptam exiſtere, progreſſu ab unitate naturali ad unitatem ſupernaturalem: binario tamen ad ternarium reducto per quaternarium,ut ſupra dictum eſt,mediante.Hanc ego ſententiam ad inſtitutum noſtrum facere ſic intelligo: Quicunque medicinam il-

lam admirabilem, & miracula patrantem adipiſci volet, ſeipſum à binario in ternarium reducat oportet, per quaternarij gradus, antequam in rebus alijs naturalibus id facere præſumat. Homo ſiquidem naturaliter unus eſt, & non numeratur, at ſupernaturaliter in duo numeratur: ut in ſpiritum & corpus, quæ binarium in in eo conſtituunt. Verum ob corruptionem primam, iſtud illum ſuperat, quo fit, ut nihil admirandum producere ſpiritus valeat. Quod ſi debeat in hac vita, ſuperandus erit per ternarium binarius, id eſt, corpus ad ſpiritus naturam conformandum eſt, & ſpiritus ita corpori conjungendus, ut in eo pacem habeat. Quo facto, jam ternarius ortus in unitate ſecunda perfectaque jubilat: nam ex duobus dictis prioribus, per eorum conjunctionem factum eſt unum tertium. Hæc tamen conjunctio fieri debet per gradus quaternarij hoc eſt, per elementorum, ex quibus conſtat corpus transmutationem in unicum & puriſſimum elementum, hoc modo: Primo ex terra tui corporis aqua fiat: hoc eſt, ex lapideo ſegnique tuo corde, molle fiat vigilansque ad Dei, tui quoque notitiam: ut ſpiritus imagines in illud non aliter quam in ceram ſigillo characteres imprimi queant. Poſtmodum ex hac aqua fiat aer: id eſt, attolle ſurſum in cælum, ad eum qui te creavit humiliatum jam cor tuum, aeris inſtar ad ſuprema ſemper tendens, oraque pulſans ut aperiatur ingenium tuum, ad intelligendum ea quæ Dei ſunt. Poſtremo ex aere hoc fiat ignis: hoc eſt, deſiderium tui cordis omne convertatur in amorem (cui comparatur ignis ob ardorem) Dei proximique tui hic in terris, ut flamma hæc non extinguatur unquam. Sic fiet ut per ſimilitudinem tuus binarius, id eſt, ſpiritus & corpus, in unum ternarium perfecte jungatur, per quaternarium ejusque gradus, ut audiviſti. Jam habes, optime lector, Clavis philoſophiæ ſpeculativæ manifeſtationem, liberali quidem animo tibi, ſtudioſis etiam rerum abditarum omnibus in lucem editam, quæ tam occulte ſervatur ænigmatibus antiquorum. Ad hujus ſimilitudinem, philoſophiæ chemiſticæ clavem fabricare tibi neceſſum eſt. Jam quid obſtabit, quin ænigmatica ſcripta hac in arte valeas intelligere, ne falſo cum cæteris judices artis iſtius profeſſores, etſi miranda faciant, eſſe necromanticos, at magos & vere ſapientes. Utque videas quam paucis, ea quæ tot & tam variis velarunt involucris antiqui recentesque magi, tibi nunc expoſuerim: nonnulla quæ Trithemius inter modernos ejus rei ſcriptores omnium ſagaciſſimus ſcripſit, apponere minime pigebit. Videbis in arte hac ſpectrorum aut ſuperſtitionis (quod falſo dicunt ignari) nihil prorſus adeſſe, nec ejus quidpiam, quod ſit contra religionem veram Dei. Sed antea memini in titulo ſeu inſcriptione hujus libelli, me feciſſe mentionem graduum decem Philoſophiæ ſpeculativæ ſeu adeptæ quorum expoſuimus ſeptem. Æquum eſt igitur hoc

tur hoc loco ſub finem addere decadem eorum ad hunc modum videlicet.

Studium generat cognitionem. Cognitio parit amorem. Amor ſimilitudinem. Similitudo frequentiam, ſive communionem, aut familiaritatem. Communio fiduciam. Fiducia virtutem. Virtus dignitatem. Dignitas potentiam, & potentia Miraculum efficit. Tres gradus qui plures præcedentibus hoc loco numerantur, ex aliis dependent, à quovis initiato philoſopho facile perceptibiles. Quapropter philoſophiæ noſtræ adeptæ finem nunc facerem, ni me prius admonerent verba Trithemij de hac arte prolata, quæ huc apponere viſum eſt. Adepta philoſophia (inquit) naturalis, quæ aliquando principiis naturæ innixa, in ſua ſimplicitate pura conſtabat, tot mendaciis & impuritatibus totque deceptionibus confuſa eſt, ut nemo niſi in utraque doctiſſimus ſit, qui altera diſcernere poſſit, intelligere queat. Quantos errantes in ipſa ſolus ego novi viros, alioquin doctiſſimos: quorum nulli tempus & ſubſtantiam alchemiæ impendentes perdiderunt: nonnulli vitam cum rebus amittunt: alij medicinam ex ipſa cupientes elicere, poſt longos labores nihil proficiunt: alij mirandorum effectuum ſecreta perſcrutantes, ad nullam experientiam pervenire potuerunt: alij futura prædicere geſtientes, pro veris falſa loquuntur: hi dum opiniones ſui capitis ventoſas ingerunt, ab expertis dudum conſcriptis, quæ non intelligunt bona veraque, mala & falſa imperite efficiunt. Nota tria principia in magia iſtâ naturali occulta, ſine quorum perfecta notitia, nullus operantem ſequitur effectus. Primum principium in uno conſiſtit, non à quo, ſed per quod omnis mirandorum naturalium virtus producitur in affectum, de quo diximus, quia purum ab uno procedens non componitur, neque mutatur. Ad ipſum à ternario & quaternario fit ad monadem progreſſus, ut compleatur denarius: per ipſum enim eſt numeri regreſſus ad unum, ſimul deſcenſus in quatuor, & aſcenſus in monadem. Impoſſibile eſt compleri denarium, niſi per ipſum: monas in triade læta convertitur. Omnes hoc principium poſt principium monadis ignorantes, nihil in ternario proficiunt, nec ad ſacrum quaternarium pertingunt. Nam etſi ſapientum libros omnes habeant, ſiderũ curſus, virtutes, poteſtates, operationes & proprietates perfecte cognoſcant, ipſorumque imagines, annulos, ſigilla, & ſecretiſſima quæque ad plenum intelligant: nullum tamen mirandorum conſequi poſſunt in ſuis operationibus effectum, ſine hujus principij à principio cognitione in principium. Unde omnes quotquot vidi in adepta Philoſophia naturali operantes, aut nihil conſequuti ſunt, aut ad vana, frivola & ſuperſtitioſa, poſt longas & inutiles operationes, deſperatione prolapſi ſunt. Principium vero ſecundum, ordine, non digni-

 tate

tate quidem,à primo ſeparatum,quod unum exiſtens facit ternarium, eſt quod operatur miranda per binarium. In uno eſt enim unum,& non eſt unum,eſt ſimplex,& in quaternario componitur: quo purificato per ignem in ſole, aqua pura egreditur, & ipſum ad ſuam ſimplicitatem reverſum,complementum operanti monſtrabit occultorum. Hic centrum eſt adeptæ philoſophiæ naturalis,cujus circumferentia ſibi unita circulum repræſentat immenſus ordo in infinitum: virtus ejus ſuper omnia purificata & ſimplex minor omnibus quaternario ſuper gradu compoſita. Quaternarius autem Pythagoricus numerus ternario ſuffultus, ſi ordinem gradumque obſervat, purificatus purusque in uno, ad binarium in ternario miranda & occulta naturæ poteſt operari. Hic eſt quaternarius, in cujus menſura ternarius binario conjunctus in uno cuncta facit,quæ mirabiliter facit. Ternarius enim numerus ad unitatem reductus per aſpectum,omnia in ſe continet, & quæ vult poteſt. Principium tertium per ſe non eſt principium, ſed inter ipſum & binarium eſt finis omnis ſcientiæ & artis myſticæ,ac infallibile medij centrũ: in alio quam in ipſo facilius non erratur, quoniam pauciſſimi vivunt in terris, qui profunda ejus intelligant. Varium eſt compoſitum, & per ſeptenarium in ternarium octies multiplicatum conſurgens & manens fixum. In ipſo eſt conſummatio numeri, graduum, & ordinis: per hoc omnes philoſophi,occultorum naturæ veri inquiſitores, mirabiles effectus conſequuti ſunt: per ipſum ad ſimplex elementum in ternario reductum ſubito fiunt infirmitatum curæ miraculoſæ, & naturaliter omnium ægritudinum: opusque in adepta philoſophia naturali & preternaturali operantis conſequitur effectum, ſecundum diſpoſitionem quaternarij. Prædictio futurorum per ipſum verificatur,occultorumque inſinuatio, non aliunde, quam per ipſum à natura percipitur. Hoc unico medio ſecretum naturæ aperitur Alchemiſtis, ſine quo nec intellectus artis acquiritur,nec operationis effectus invenitur. Errant,crede mihi,errant omnes,qui ſine iſtis tribus principiis quicquam operari in occultis naturæ ſcientijs ſe poſſe confidunt. Major autem cauſa erroris eſt, quod ſapientes olim ſecretis naturæ imbuti, hæc vel penitus tacuerunt,vel nimia obſcuritate involverunt ut non niſi à ſibi ſimilibus intelligi vere queant. Secreta eſt hujus inſtitutionis philoſophia cæleſtisque, in qua ſi quis ſcire & intelligere vere cupit aliquid, hominum tumultus fugiat neceſſum eſt, mundum deſerat,cælum non oculis tantum,ſed mente contempletur. Spiritus Dei ubi vult ſpirat,quẽ vult illuminat, quẽ ſuo numine obumbraverit,in omnem veritatis cognitionem inducit: quod qui acceperit,Deo gratias agat, ſtudeatque fructibus operum bonorum correſpondere pro viribus acceptis, accepiſſeque ſe recognoſcat, & ita non inveniet unde ſuperbiat. Ille autem cui ſcire iſta ſub-

limia

limia donatum non fuerit, aut ſocordiam ſuam intelligat, quia non laboravit ut ſciret: aut miſericordiam Creatoris laudet, qua in ejus utilitatem impedimenta fore voluit ut neſciret, aut ſi non acquiſiverit, Deum ſibi non extitiſſe debitorem tantæ donationis fateatur, & non murmuret. Amicus es, tibi conſulentem amicum audi, & factum intelliges. Propinquorum victor ignem invidiæ, non aerem calca mortalium, Dei immortalis odio, periculum minatur levitas. Fuge ſynodum hominum mundana curantium, aſſociare vero cœleſtia meditantibus. In nidulo hirundinum ſalus tua, periculum in ſtertore gallinarum. Velum raptum à vento perſequeris, fatigaberis in ſeptenario, ſed per ternarium in unitate conſurges iterum, & felicem te reperies. Si operationes tuas aggredi cœperis à ſole, quem tibi natura videtur abſcondere, ut à cunctis ad verum ſolem, qui Deus eſt, per ſtudium cognitionis, purificata ab inferioribus mente, in deſiderio animæ fervore ſanctiſſimi amoris converteris, & aliud oſtendet. Quia divini amoris ars longa, tempus vero breve eſt, præſtatque Creatorem quam creaturam in veritate ſemper diligere. Sunt autem iſta principia intellectui hominum difficilia nimium, & ſoli homini ab aſtris, arte, ingenio & natura ſpeciali conditione diſpoſito pervia, ſine quorum cognitione perfecta, nihil proficiunt in adepta philoſophia operantes. Hæc philoſophia naturalis non ſolum effectus operatur viſibiles, ſed etiam intellectum ipſius hominis in ea periti mirabiliter in cognitione divinitatis illuminat, inviſibilesque fructus animæ præſtat.

Sed videmus nomen ejus hodie hominibus inviſum & odioſum, ut omnes in ea ſtudentes una ſententia damnent, omnemque uſum ejus Chriſtianæ religioni adverſum penitus & contrarium exiſtiment. Quod ſi ipſa ad primam puritatem ſuam reduceretur, fieret cunctis denuo amabilis & maxime utilis Principibus. Sed quis tam idoneus, quis tam doctus & potens, qui hoc opus aggredi poſſit? Non eſt unius diei negocium, nec viri pauperis opus, nec ineruditi: ubi & ſcientia profundiſſima in omni pene ſcientia requiritur, & opes, ut volumina multorum comportari queant. Quod quidem ut fiat quandoque faxit omnipotens Deus O.M. Interea tamen floſculos ex ſacra ſcriptura colligere pro viribus non deſinamus, ex qua nobis in integrum poteſt reſtitui, & non aliunde ex opinionibus hominum, ſentina malorũ omnium, quibus abjectis prorſus ad fontem veritatis convertamus nos & valedicamus ignaviæ, finem tandem imponentes huic opuſculo, fruamur cognitione veritatis per Jeſum Chriſtum.

TRACTATUS

DE NATURAE LUCE PHYSICA EX GENESI DESUMPTA,

IUXTA SAPIENTIAM THEOPHRASTI PARACELSI

Argumentum Totius opuſculi.

SVmmum atque præcipuum arcanum totius Philoſophiæ naturalis, in unico immenſitatis æternæ centro fundatum, priſcos non conſideraſſe Phyſicos mirum eſt. Fortaſſe quod manifeſtioribus intenti, ea quæ penitus abdita ſunt, prætericrint, vel potius datum non ſit eis, Deum a ſuis operibus noſſe luculentius. Quod quidem hiſce poſtremis temporibus revelare ſuis Ieſus Chriſtus voluit. De quo etiam primus omnium (quod ſciam) Paracelſus libro ad Athenienſes, vel ad iſtorum diſcipulos ſcribens, ſub involucro docet myſterium magnum increatum eſſe matrem & primam materiam creaturarum omnium naturalium. Et quia dignatum eſt ſeſe unire quandoq; transiturarum rerum in univerſum etiam unico centro creato. Cuncta *ſunt (inquit)* in primam ſuam eſſentiam reditura, non tamen in ſuam primam materiam, vel in myſterium magnum: ſed in id ſolum quod ante ipſum extitit, *videlicet bonum, vel malum, id eſt, in Vnarii ſimilitudinem, aut Binarii.* Non eſt etiam hoc myſterium unquam in eo ſtatu rediturũ, in quo fuit creationis tempore. *Hoc primum principium in tria prima principia naturalia diviſum eſt, quorum tertium rurſus in quatuor, duobus aliis nihilominus ſub triade ſacra manentibus. Vnum enim per unum diviſum eſt in firmamentum & elementum, ſub unionis conjugio tamen permanent virtute lucis animam & corpus eorum vivificantis. Verum in iſtis data opera obſcurus eſſe voluit*

Para-

Paracelſus, licet non omnibus, illis tamen, quos judicabat arcanis ejusmodi eſſe indignos, & præſertim eis qui talia contemnere ſolent: metuens forſitan, ne ſi quandoque hæc intelligerent, abuterentur. Non animadvertit interea per latam viam aberrantes, ad veram ſemitam ex Dei præcepto reducendos. Ego contra, quod viderem Deum eſſe clavem & reſerantem arcana ſua dignis, pariter indignis claudentem: non hæſitavi diutius, quin quæ prodeſſe bonis poſſunt, quatenus licet propalanda ſint, & non propter malos ſupprimenda. Noverit enim ipſe cujus ſunt, etiam ab omnibus tueri, qui profanare ſtuduerint, & auferre, quoties ei videbitur. Dixit porro: Habenti dabitur, & non habenti etiam quod habet auferetur ab eo. Proinde claris admodum verbis, quæ ſub ænigmate tradita ſunt, nedum à Paracelſo, verum etiam ab antiquiſſimis auctoribus & ſpagiricis phyſicis, enucleare viſum eſt opportunum: quo, ſi quando fieri queat, mutui ceſſent odiorum livores, & invidiarum conceptiones ex obſcuris traditionibus ortæ. Nec aliis auctoritatibus, ad probandum noſtra fundamenta Phyſices, uti judicavimus æquum eſſe, præterquam ejus qui naturam ipſam condidit, & rerum omnium Geneſin per Moyſen nos docuit in principio fundatam eſſe. Quapropter eandem phyſice duntaxat (ut noſtra fert vocatio) tractandam ſuſcepimus, & non theologice: ne forte quis extra noſtram profeſſionem vagari nos exiſtimet. Theologis igitur ac piis viris ſuas interpretationes relinquimus integras, imo hac parte nullatenus læſas volumus, quin potius amplectimur phyſico modo theologice. Tandem ut videatur & pleroſque alios, cum vetuſtiſſimos, tum recentiores etiam ſpargicos adeptæ philoſophiæ profeſſores, in eadem fuiſſe ſententia, teſtes adfero Hermetem Triſmegiſtum, atque Io. Trithemium, quorum ſcripta prorſum à Geneſi deſumta, pro viribus ingenij luculenter ac diverſimode, jam phyſice modo ſpargirice, & ſubinde moraliter explicui. Quæ ſingu-

la, ut ex priore tractatu videre eſt, ad vitam longam & ſanam incorruptæ naturæ conſervandam & inſtaurandam faciunt. Poſteriore vero tractatu vitæ brevis origo, & mortis occaſio ex eadem Geneſi per corruptam à ſerpente binario naturam demonſtratur: utroque pariter ad corruptioni reſiſtendum, varia docentur, varioque modo veriſſima remedia.

Exclamatio auctoris ad Deum.

O Summa bonitas, immenſa ſapientia, æterne Deus, fieri haudquaquam poteſt, ut humanus intellectus abſque maxima ſuæ mentis cônſternatione, vel minimum punctum inexhauſtæ tuæ ſapientiæ conſiderare, taceo quidem ut exprimere titubante lingua, vel tremente calamo ſcribere valeat: ni juſſu tui ſacratiſſimi ſpiritus, idipſum in cordibus hominũ imprimentis, fiat: quos etiam admonere tacite, & indies exhortari non ceſſat ad veritatis confeſſionem in omnibus. Quandoquidem attentari vel effici à quopiam in terris viventium hoc ſi debeat, lumine divini tui ſplendoris illuſtretur inprimis neceſſum eſt, ut ignorantiæ ſuæ tenebras agnoſcat, ingenueque fateatur ab eis nulla ratione liberari poſſe alia, quam tua potentia. Et ſi forte ſuaſu calumniatoris, à ſeipſo quærat auxilium, in profundiorem captivitatis lacum ſe mergi comperiet: cum per ſeipſum nunquam aliud medium liberationis inveniat, quam laqueum quo ſeipſum irretivit ab initio recedens ab obedientia, quam tibi ſoli Creatori ſuo debebat. Inobedientiæ hujus indies adhuc evidentiſſima nobis ob oculos proponuntur exempla, per ea quæ hactenus infidelium ſcripta produnt ex humana ſapientia, præſertim circa tractationem facultatum, artium & ſcientiarum omnium, in quibus nil niſi vias à veri ſcopo declinantes quærunt ac docent. Id ipſum quidem non aliunde ortum habet, quam ex ſuis principijs & fundamentis, quæ non hauſerunt, ut oportuit, ex vero fonte veritatis, centro ſcientiarum omnium, ſed ex oppoſito falſoque mendaciorum centro Dualitate videlicet. Et quod peſſimum eſt, hos ſuos errores pertinaciſſime defendere munireque ſtuduerunt, contra quoſcunque pios bonoſque viros, qui devios ad veri centrum ex Deo revocare conantur. Quibus ut reluctentur atrocius, valla fabricarunt atque propugnacula, quo melius falſitatem peſſime fundatorum ſuorum principiorum ſuorum contegant, ac tueantur. Ut illud eſt

omnium

omnium primum & potentiſſimum: *Contra negantem principia* (inquiunt) *non eſt diſputandum.* Quid mirum? ad eum fabrefacta modum, ut ſemel concedantur, in errorem confuſionemque incidere ſit neceſſarium eum qui aſſenſerit. Hac via ſolent malè cautos homines irretire captioſeque fallere tenebrarum filij, qui ſemper in ſua natione, filiis lucis prudentiores extiterunt. Etenim à patre ſuo, ſerpente nimirum didicerunt quam habent ſapientiam. Verum ubi ab eis qui veritatem ſectantur, ac ſuam à centro veri tenent ſapientiam, ſuperati ſunt; mox ad calumnias refugium quærentes, appellant eos aſinos, qui illorum fucum & errores Mundo palam faciunt. O hominum inſania, qui non vident quocunque ſe vertant, in maximam ignominiam impingere ſe? Utinam aſini conditionibus ornaremur omnes, quo monſtrorum inter equos & aſinos præter naturam generatorum, mulorum atque mularum calumnias ferre poſſemus cum patientia. Suos iſti bajulatores præferunt ſuis parentibus. Quandoquidem natura comparatum eſt, ut magnetica virtute ſimile ſemper trahatur à ſibi ſimili. Haud digni ſunt infideles nobiſcum, ad imitationem illius qui ſumma ſapientia eſt, aſinum equitare, quo fit ut monſtra ſibi delegerint. Non caret ſuo præſagio ſane monſtrorum equitatio. Non mirum, ſi quandoque animoſos excitare voluiſti aſinos tuos, ô domine Deus, qui contra monſtroſos ejuſcemodi fœtus dum in ſuperbiam & ignorantiam tam pertinaciter acti ſæviunt, calcitrare moti ſint. Si genus hoc hominum eſſet aſino dignum, utique ſeſe ſubmitteret jugo patientiæ, quod fræno haud indiget vel capiſtro. Hoc ipſum etiam imitarentur in aſino, nempe ſuos greſſus, ut ille, pedetentim examinarent cum patientia & modeſtia, ne laberentur in ignorantiam: hoc eſt, ſua fundamenta diligentius contarentur, num ſolidis conſtarent lapidibus à rupe veri deſumtis. Porro cogentur in poſterum ad Lydium lapidem quanquam inviti venire, judiciumque ſui, non ſine maxima confuſione videre & audire. Honoratius fore non vident, ingenue ſuum errorem fateri, & pœnitentia duci ad veri centrum, ac vitæ ſemitam, quam pertinaciter in eo perſeverantes, per latam viam ad interitum & perditionem ferri. Quod quidem ut faciant, rogamus te Deum omnipotentem, iſtorum hominum oculos aperire digneris, utque mens eorum fiat oculus, & ſpiritu divino tuæ gratiæ tracti, redeant ad centrum veræ tuæ ſapientiæ. De cujus fonte vivas haurjant aquas, abjecta ſordium ſcaturigine: quibus hactenus ſubmerſi, proh dolor, adhuc in eis pertinacius perſiſtunt, quanto magis hominibus veris innoteſcunt, & ab his admonentur crebrius. Bone Deus potens & miſericors, noſti quantis periculis ægri ſint ob falſæ medicinæ infidelium introductionem expoſiti, præſertim hac tempeſtate præ cunctis corru-

ptiſſima, qua nedum in medicina corporis, verum etiam in ea quæ ſalutem animæ concernit, omnia contra veritatem certare totis conatibus videntur, etſi fruſtra. Per te ſiquidem reddimur certiores: quotquot ejus tuæ ſapientiæ centri fuerunt olim ac erunt in poſterum ignari, nunquam veri quidpiam tractaſſe vel tractaturos eſſe: imo contra, quicquid unquam conati ſunt, hoc ipſum non ſolum in ſui ruinam & perniciem tendere, ſed etiam eorum qui illorum veſtigia ſequuntur: idque verbo tuo, dum aſſeris nobis in perſona filij tui dicentis: Ego ſum via, veritas, & vita. Inde conſtantiſſime colligimus noſtris in actionibus, artibus, ac ſcientiis omnibus, à centro veri progreſſum ad ſanitatem & vitam facere nos debere, cum in hoc mundo, tum in futuro ſæculo. Primo verbo, charitas in fratres: ſecundo, fundamentum ac finis actionum & operum noſtrum: tertio vero, utraque ſalus in unitatis centro quærenda præfiguratur. Nollemus per homines hæc nobis obtrudi ad calumnias, ac ſi eſſemus immemores ejus quod polliciti ſumus in præfatione. Quandoquidem exclamando ad te Deum, ac de miſero ſtatu infidelium conquerendo, rogamus divinam clementiam tuam, ut velit eos ad ſuum ovile revocare nobiſcum. Dum eorum etiam recenſemus errores, non propterea afficimus injuriis. Seductis enim ac ſeducentibus, non eſt in ſuis peccatis diſſimulandum nec abblandiendum, quin potius ulcus ubi dolet eis aperiendum. Idipſum & nobis errantibus, niſi crudelius contingat unquam, æqui bonique libenter & cum gratiarum actione conſulemus. Cæterum habemus teſtimonium certiſſimum ô pater omnipotens, medicum & medicinam te creaſſe, ac velle propter hanc illum eſſe honorandum. Quod nemo vere Chriſtianus in dubium revocat, modo vera tamen, & non falſa medicina ſit. Quarum differentia, non melius neque exactius, quam à ſuis principiis petenda. Propugnaculum igitur infidelium reſtringamus ad hunc modum: *Contra negantem principia, non eſt diſputandum, niſi de principiis.* Ad quorum examinationem (Deo duce) feliciter nos conferamus, à creatione Mundi Phyſicam noſtram inchoantes.

CREA-

CREATIO MUNDI EX NARRATIONE MOYSIS IN GENESI.

DE MUNDO INTELLIGIBILI.

Dies unus.

IN principio creavit Deus cælum & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Dixitque Deus: Fiat lux, & facta eſt lux. Et vidit Deus lucem quod eſſet bona, & diviſit Deus lucem a tenebris: vocavitque Deus lucem diem, & tenebras noctem.

Et factum eſt veſpere & mane dies unus.

DE MUNDO VISIBILI.

Dies ſecundus.

DIxit quoq; Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et fecit Deus firmamentum diviſitque aquas quæ erant ſub firmamento, ab aquis quæ erant ſuper firmamentum, & factum eſt ita. Vocavitque Deus firmmamentum cælum. Et factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.

Dies tertius.

DIxit vero Deus: Congregentur aquæ quæ ſunt ſub cælo in locum unum, & appareat arida. Et factum eſt ita. Vocavitq; Deus aridam terram, & congregationes aquarum appellavit maria. Et vidit Deus quod eſſet bonum. Dixit quoq; Deus: Germinet terra herbam virentem, producentem ſemen ſuum juxta ſuam ſpeciem, & arborem facientem fructum, & habentem ſemen juxta ſpeciem ſuam, & factum eſt ita. Et produxit terra herbam virentem producentem ſemen juxta ſpeciem ſuam, & arborem facientem fructum, & habentem ſemen juxta ſpeciem ſuam. Viditq; Deus quod eſſet bonum. Et factum eſt veſpere & mane dies tertius.

Dies quartus.

DIxit quoq; Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem & noctem, & ſint in ſigna, & tempora, & dies & annos. Et luceant in firmamento cæli, & illuminent terram. Et factum eſt ita.

Fecit-

Fecitque Deus duo luminaria magna, luminare majus, ut praeſſet diei; & luminare minus, ut praeſſet nocti, & ſtellas. Et poſuit ea Deus in firmamento cœli, ut illuminarent terram, & praeſſent diei ac nocti, & dividerẽt lucem à tenebris. Et vidit Deus quod eſſet bonum. Et factum eſt veſpere & mane dies quartus.

Dies quintus.

DIxit quoque Deus: Producant aqua reptile anima viventis, & volatile ſuper terram, ſub firmamento cæli. Creavit ergo Deus cete grandia, & omnem animam viventem reptantem, quam produxerant aquæ juxta ſpeciem ſuam. Et vidit Deus quod eſſet bonum. Et benedixit illis Deus, dicens: Creſcite & multiplicamini, & replete aquas quæ ſunt ſub firmamento, & volatile multiplicet in terra. Et factum eſt veſpere & mane dies quintus.

Dies ſextus.

DIxit quoque Deus: Producat terra animam viventem ſecundum ſpeciem ſuam, jumenta & reptilia atque beſtias terræ ſecundum ſpeciem ſuam, & factum eſt ita.

Fecit ergo Deus beſtias terræ ſecundum ſpeciem ſuam, & jumenta ſecundum ſpeciem ſuam. Viditq; Deus quod eſſet bonum.

Dixit quoq; Deus: Faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, & dominetur piſcibus maris, ac volatilibus cœli, atque jumentis & toti terræ, omniq; reptili ſuper terram.

Creavit itaque Deus hominem ad imaginem ſuam, ad imaginẽ Dei creavit illum, maſculum & fœminam creavit illos. Et benedixit eis Deus, dixitq; ad eos Deus: Creſcite & multiplicamini & replete terram, & ſubjicite eam, atq; dominamini piſcibus maris, ac volatili cœli, & omni beſtiæ reptanti ſuper terram.

Dixitq; Deus: Ecce dedi vobis omnem herbam producentem ſemen in terra, & omne lignum faciens fructum, & habens ſemen ſuum, ut ſint vobis in eſcam, & omni beſtiæ terræ, cunctiſq; volucribus cæli, atque omnibus reptantibus ſuper terram, in quibus eſt anima vivens, omne olus herbæ erit in eſcam, & factum eſt ita. Viditq; Deus omnẽ quod fecerat & ecce erat valde bonum. Et factum eſt veſpere & mane dies ſextus.

Et quievit die ſeptimo ab omni opere ſuo quod fecerat.

EXPLICATIO DVORVM PRImorum capitum Geneſeos juxta Phyſicam.

DISPUTATIONE haudquaquam indiget, Spiritum Dei veram nos docere Phyſicam ex ore Moyſis in ſacra Geneſi. Quis enim auſus erit negare, tum primum naturam ipſam à creatione Mundi habuiſſe initium? aut affirmare alibi quam in cœlo, & in elementis exiſtere? Prophetam Dei Moyſen hoc loco nihil omninò ex ſeipſo loqui, ſed ea ſolum, quæ ex ore Dei audiverat, purè ac ſincerè populo Iſraëlitico retuliſſe, Chriſtianus omnis fatebitur. Si quis forſitan dubitarit, à cœtu fidelium explodendus non immeritò cenſebitur: quare nec audiendus latius, nec ad colloquium pium & verè Chriſtianum admittendus, niſi reſipuerit. In docendo igitur Moyſes ex Dei præcepto populum Iſraëliticum à Deo electum, exordium facit à Phyſica, per creationis Mundi, naturæque primæ viſibilis creaturæ narrationem: quo melius ac facilius, per admirationem tam magnificorum operum Dei, recentiores & rudes adhuc ſuos diſcipulos traheret ad altiora, ſcilicet ad ſupernaturalia, & in ſummi ſui Creatoris cognitionem adduceret. Ergo ab initio docet eos, priuſquam altiſſimus Deus hominem ultimam ſuam creaturam procrearet ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ipſum voluiſſe ex nihilo creare domicilium ejus, & in illo quicquid uſui foret ei neceſſarium. Nec idipſum imagine ſuæ unitatis deſtitutum eſſe voluit, quod primam viſibilem creaturam eſſe ſtatuerat. Hanc etiam ordine pulcherrimo creatam, numeris, menſura, pondereque diſpoſitam, admirando quodam ornavit artificio. Quibus tribus, ut inſtrumentis quodammodo ſeu primis ideis & formis uti decrevit in hoc opere ſuo. Unde non inconſultè, neque temerè colligimus, homines fundamentorum artium & ſcientiarum ſuarum principia, medicinæ præſertim (quæ prima ſeſe obtulit homini poſt lapſum neceſſaria) ſumma cum reverentia & gratiarum actione haurire debuiſſe: maximè quod videamus ſummum creatorem his mediis uſum fuiſſe, cum tamen eis nullatenus indigeret. Potuit enim cuncta creaſſe nutu ſolo, qui Deus eſt omnipotens. Verum ut nobis hominibus de ſe nihil potentibus, exemplaria daret, ad cujus normam, quicquid in hoc Mundo eſſemus operaturi aptè conferremus, omnemque ſapientiam noſtram à fonte ſapientiæ Deo, & non aliunde ortam agnoſceremus, eique omnem ferremus acceptam gratiam, ſic facere ſtatuit. Quapropter ex divinis ejuſmodi ſimulacris, noſtra principia cum Phyſica, tum Medica, ut æquum eſt, orta ſumtaque docebimus:

idque

idque validiſſimis argumentis, ſcripturæ ſacræ videlicet, ac irrefragabilibus exemplis demonſtrare conabimur, contra quæ ſæviant, ut volent, infideles. Horum etiam ex adverſo principia declarare ſtatuimus, ut toti mundo pateant utraque, ac liberum ſit judicioſis viris interea diſcernere verum à falſo fundamento. Conſolamur apprimè nos à fonte veri pendere, ac in eo Chriſtianos imitari doctores, & non infideles: tum noſtros inimicos nil contra nos adducere poſſe, præter auctoritates hominum, etiam à Deo reprobatorum, & veritatis exiſtentis in Deo ſolo prorſus ignarorum. Demonſtretur nobis unus inter infideles ſapientes, artium priſcos profeſſores, vel potius inventionum ſuarum doctores, qui Deum ex veritate cognoverit, aut qui in Deum Deique filium blaſphemus non fuerit (ut princeps ille ſuæ Medicinæ Galenus) vel idololatra, & contradictionis ſpiritu ſeductus non extiterit. Nihilominus ut veritatem haberi volunt, quicquid ſcribunt ac docent: ea ratione quidem ſeducti, quam etiam impudenter proferre non verentur. In artium (inquiunt) & facultatum tractationibus non agitur de cognitione Dei, ſed hæc ad Theologiam pertinet: ac ſi concluderent illas abſque Deo poſſidendas & exercendas. Quæ blaſphemia hæc eſt? Inde luce clarius patet nihil iſtos qui talia proferunt, ex charitate erga proximum facere, ſed ſolum avaritia. Poſſuntne eſſe medicus & medicina vera, ſine ſuo Creatore? Sed miſſos faciamus ejus farinæ homines, qui vel talia cogitant, & ad mentis conceptum noſtræ nos tandem recolligamus. Deus utique pura & ſimplex eſſentia per ſeipſam conſiſtens, incomprehenſibilis per alium, inviſibilis, & indefinibilis, & indiviſibilis, per unitatem nobis præfiguratur: quæ quidem multitudinis expers, contrarietatem non admittit, proinde nullam infirmitatem. Mundus igitur, cum ad imaginem & ſimilitudinem unitatis à Deo creatus ſit, in ea perſiſtit unione, quamvis per numeros ordinatus, ut iſtorum in Geneſi fit mentio: quippe qui naturam unionis adhuc retinerent, ſub hominis inobedientia, multitudinemque nullam efficerent, uſque dum per dualitatem Binarij ſeductus, in multitudinis confuſionem, contrarietatem, & inobedientiam præcipitaſſet, veſtemque perfectionis ac ſanitatem corporis atque mentis exutus, contra omnis vitij labem, infirmitatis ac morbi miſer homo contraxit. Prius medicina quapiam non indiguit, quam in morbum hunc omnium genus morborum incidiſſet omni ſanitate privus. Cum igitur origo prima morborum omnium homini contingat, per diſceſſum ejus ab unitate, ſanitatem in hac ſola omnem conſiſtere, ac hanc in illa quærendam eſſe neceſſarium eſt. Jam videamus in quos morbos inciderit: in confuſionem videlicet, ac utriusque mortis apprehenſionem. Ergo ſpiritu & corpore malè

affectus,

affectus, quod ſentiret ſe in utramque mortem exitum facere, timuit vocem Domini, & abſcondit ſe non quærens remedium. Duplici tamen ut ſervaretur medicina fuit opus, Miſericordia Dei, videlicet, ac pane. Sub hoc poſteriore corporis medela continetur, ſub his correctionis & punitionis verbis à Domino prolatis: *In ſudore vultus tui veſceris pane tuo.* Panis hic non ſolum intelligendus, quo ſuſtentatur corpus in alimentum, verum etiam quicquid ad vitam naturalem eſt neceſſarium. Morbido maleque ſano corpori medela ad vitam ejus, panis eſt, quo ſi deſtitutum erit, non ſecus atque ſi careat cibo, morti fit obnoxium. Maximo ſanè diſpendio panem benedictionis, pro pane ſudoris, doloris, anxietatis & curæ commutavimus. Panis itaque Medicinæ (non ille qui per hanc artem acquiritur, ſed qui ad recuperandam ſanitatem eſt neceſſarius) alio loco minimè quærendus, quam eo in quo nobis deperiit, utputa infelicitatis & unitatis horto, quem brevibus explicandum, Phyſicè duntaxat, ſuſcepimus. Antea tetigimus mundum ipſum ad imaginem & ſimilitudinem unitatis à Deo conditum eſſe. Quandoquidem ſua rotunditate mirum in modum abſoluta, ejus pura meraque ſimplicitas abſq; multitudine, qua dotatus eſt ab initio ſuæ creationis, apertè nobis innoteſcit. Videmus enim corpus ſphæricum, quantumcunque, & quaqua verſum agitatum in plano, ſolum in unico punctulo quieſcere, quod habet pro ſuo fundamento, quodque tanquam centrum ſuum occultum, ad ſuperficiem circumquaq; manifeſtũ facit. Ut hinc non malè concludere quis poſſet, omnem ſphæram ſuo centro nihilo majorem eſſe, cum aliud nil quam idipſum referat, ac ubique ſui ſemper ſimilis, unitatis verò conſortio potiatur. In eo myſterio magnalia quædam arcana, cum naturalia, tum ſupernaturalia latent, item artium & ſcientiarum cum fundamentis multa ſapientia. Si mundus igitur in unione ſuo permanſiſſet, non erat opus medico neque medicina. Omnis itaque medicinæ finis eſt; ut ad unionem ægrum reducatur, ſuper quam Phyſices & Medicinæ vera principia ſundavimus. Reliquum erit ut inceptum, ſub auxilio divini numinis, pro viribus noſtris exequamur.

DE PRINCIPIO CREATIONIS.

In principio creavit Deus cælum & terram.

VAriæ ſunt opiniones apud nonnullos de principio creationis Mundi. Sunt inter alios, qui negant hoc ad tempus quoquo modo referri poſſe, quia nondum exiſteret, quodque à veſpere & mane prius ortum habuit. Alij volunt ordinem denotare, ac ſi dictum eſſet, primum omnium. Verum hæc verba, *in principio* videlicet, videntur cum pro tempore, tum pro ordine, extra omnem loquendi modum & rationem interpretanda:

Cum

Cum potius in ea ſignificatione temporis Moyſes dixiſſet *à principio*, ut etiam habent aliquot vulgares interpretationes, vel *in primis, primo* &c. Locum etiam deſignare minimè videntur. Nam vebum Dei Deum ipſum aliquo loco includere velle, nefas. Etiam ante mundi creationem nullus potuit eſſe vel aſſignari locus. Infinita ſiquidem immenſitatis divinæ amplitudo, nullos terminos habet, quo fit ut locus in infinito non ſit, qui dicitur à limitum circumſcriptione. Quid ergo ſibi velle videtur Moyſes per principium? Idem ſanè apparet, (ſub correctione tamen dictum) quod Divus Joan. cap. 1. ſimili nec diverſa phraſi utens in eandem ſententiam; hoc ſolo dempto, quod iſta tractatio magis Theologica ſit quam illa, quæ potiſſimum naturalis eſſe videtur ac Phyſica. Verbum itaque Dei Deus nullo contineri loco poteſt, ut ſuperius dictum, ſed omnia potius in ſe comprehendit & concludit, ut etiam à nullo excludatur. Proinde ſi Deus in principio creationis fuit (quod piè credendum) oportet neceſſariò principium hoc non fuiſſe locum. Aliquid tamen fuit hoc principium, in quo Dei verbum æternum creavit cœlum & terram. Benè recteque locutum fuiſſe Moyſen teſtatur Divus Joan. idem quod ille ſonans eiſdemque verbis. Alioqui potuiſſet argui hoc loco de impropria locutione, vel interpretum errore. Tutiſſimum fuerit igitur non aliter intelligere, quam ipſamet verba ſonant, juxta puram & meram ſimplicitatem. Major pars interpretum aſſerit Moyſen accommodare ſuum ſermonem ad imbecillitatem ingenij rudis adhuc populi Iſraëlitici Eccleſiæque recentis. Concedimus quidem. Verum qui factum ſit, ut non etiam nudè ac ſimpliciter eos de hoc principio inſtruxerit, non videmus, ni fortè, quia non decuit indignos æquè atque alios tanti myſterij fuiſſe participes. Credendum itaque Moyſen ſimpliciter narraſſe omnia quæ audiverat à Domino, populumque ſuum non defraudaſſe: at ſi quæ peculiari dono Dei per intellectum fuit aſſecutus, ea doctoribus etiam revelaſſe, quæ non apertè ſcripta ſunt, minimè dubium. Præclara ſiquidem ingenia tunc temporis quum Moyſes doceret Geneſin, extitiſſe apud ipſum inter filios Iſraël, teſtantur ſacræ ſcripturæ, qui longè majora ferre potuiſſent, quam indoctus populus. Quid autem privatim docuit eos, integrum alijs ejuſmodi myſteriorum ſtudioſis viris, ut hoc de negotio judicent, relinquo. Quod quidem & mihi audire cum cæteris quæ ad hanc rem pertinent, pergratum atque jucundum foret. Si tamen venia minus dignum ſit apud homines, non facundum homunculum de tam abſtruſis juxta Phyſicas rationes inveſtigare (quæ minus etiam periculi ſecum etſi adferant quam theologicæ) parcat Omnipotens Deus, qui corda ſcrutatur hominum. Scit enim me non ambitionis, non invidiæ, neque vindictæ cauſa, ſed juvandæ potius pro ta-

pro talentulo quod accepi à Domino, Reipub. myſteriorum & arcanorum ſtudioſæ gratia, fideliter id omne facere quod poſſum. Alias ante aliquot annos declaravi ſcriptis editis, quid meo judicio videretur eſſe principium creationis mundi: Quemadmodum & hoc loco repetere minimè gravabor, & luculentius, ſubmittens me ſcriptaq; mea nihilominus debitæ correctioni ſanius interpretantis.

Scripſit etiam antea præceptor ille noſter, nunquam ſatis laudatus Paracelſus, ab exordio mox ſuæ Philoſophiæ ad Athenienſes his fermè verbis: *Omnium quæ creata ſunt, & ſunt obnoxia corruptioni, unicum fuit principium, in quo concluſa fuerunt omnes creaturæ, quas univerſa regio capit atherea: ſic tamen, ut omnium unica materia duntaxat extiterit, & non unicuique ſua. Materia hæc rerum omnium eſt myſterium magnum, non perceptibile quid, non ullius eſſentiæ vel formæ, nullius prioprietatis, inclinationis, ſimiliumve: item abſque ullo colore, & elementari natura. Quam latè ſe extendit atherea regio tota, tam ampla fuit ſphæra myſterij magni. Hoc mater fuit elementorum, ſtellarum, arborum, creaturarum carnis, ac reliquarum omnium ſenſibilium & inſenſibilium, omniumque corruptibilium rerum. Singula ſuam ex eo myſterio duxerunt originem, non ſucceſſivè, ut unica creatione tantum: ſubſtantia, materia, forma, eſſentia, natura, & inclinatio, data ſunt à Domino. Myſterium magnum creati nullius ſimilitudinem habuit, nec etiam creatum fuit. Fuit nihilominus materia prima, ex qua res omnes mortales & corruptibiles ortæ ſunt. Increatum igitur myſterium hoc, fuit ab altiſſimo opifice Deo præparatum, ut ei ſimile nunquam futurum ſit, nec ipſum unquam rediturum, ut fuit. Et ſi cuncta reditura ſint in ſuam primam eſſentiam, non tamen in myſterium magnum, neque in primam ſuam materiam. Nam quod corruptum fuit, reſtitui non poteſt, nec reſtituitur, ſed benè redit in idipſum, quod ante myſterium magnum extitit. Ex eo myſterio magno increato, prodierunt multa alia myſteria ſpecialia. Creavit igitur ſummum arcanum, ſummumq; bonum conditoris omnium, hoc in uno increato ſimul omnia, non eſſentialiter neque qualitativè, ſed in eo fuerunt quemadmodum in trunco quopiam imago non viſibilis, priuſquam auferatur omne quod ſuperfluum eſt lignum: tum demum & non prius apparet. Non aliter de myſterio magno cenſendum, quam in ſui ſeparatione carnalium & inſenſibilium quodq; ſuam in formam fuiſſe redactum. Nihil tamen ejus quod abſciſſum eſt, periit, nec abjectum fuit, ſed quodlibet in formam & eſſentiam factum. Admirandus admodum*

opifex Deus, qui minimum & ineptiſſimum in utilitatem adducit, eiq; vitam tribuit, quod nullus unquam efficiet alter. Concludens itaque maximum arcanum hoc ipſum eſſe dicit. Quia æternum cum tranſituro conjungere ſe dignatum eſt, omnia ſunt in primam ſuam eſſentiam reditura, & non in primam ſuam materiam. Hæc ille. Hujus tanti viri philoſophia admodum rara, quod captum Athenienſium diſcipulorum ſuperet, ad calumnias & convitia ſeſe totos convertentes, non tam hominibus quam Deo bellum gerunt. Non vident interim iſta longè altius eſſe petita, quam ab infidelium ſomnijs & vanis opinionibus, quorum fundamenta figmenta ſunt hominum tantummodo. Paracelſus autem ex narratione Geneſeos à Deo per Moyſen tradita fidelibus, ſua deducit primorum principiorum Phyſices fundamenta, à primo rerum omnium principio faciens exordium: quod quidem alio nomine myſterium magnum appellare voluit: ac ſi Moyſen pro viribus à Deo ſibi conceſſis, imitaretur ad hunc modum: In myſterio magno increato creavit Deus cœlum & terram. Non dicit etiam Moyſes creationis principium fuiſſe creatum, ſed in eo creationem omnem factam eſſe aſſerit.

Ut tandem ad principij declarationem veniamus: Quis ignorat quæſo vel minimum ædificium indigere ſuo principio, à quo in perfectionem aſſurgit, ac tale fundamentum eſſe, in quo vel ſuper quod extruitur? Si principium igitur omnis ædificij, fundamentum ſit ejus, quid obſtabit, quin opificij tanti, quantum cernimus eſſe mundum hunc univerſum, dicamus principium Phyſicum fuiſſe fundamentum ejus, in quo & ſupernaturale principium eſſe, ſuper quod creatum eſt atque fundatum? Nonne duobus fundamentis opus eſſe ſcitur in omnibus manufactis ædificijs: unum ex eadem materia ex qua conſtant: alterum ſuper quod illa quieſcunt, & ſine quo perſiſtere non poſſunt? Oportet igitur hæc duo conjuncta ſimul eſſe, licet etiam diverſæ conditionis exiſtant atque naturæ. Unum porò pars eſt ædificij, ut ſunt primo jacti ſuper fundum lapides: alterum verò extra ædificium, at ſine quo illud etiam conſiſtere non poteſt, ut eſt fundum, quo totius ſtructuræ pondus ſuſtentatur. Creationis igitur mundi principium eſt ejuſdem fundamentum. Interrogabit fortaſſe quiſpiam, utrum iſtorum ſtatuamus pro principio? Sat ſuperque per ea quæ dicta ſunt, reſponſum eſt: utrumque videlicet conjunctum alteri, ut aut unum eſſe oporteat, aut ruere quod ſuperædificatum eſt. Nec ſatis per ea quæ dicta ſunt hactenus, apertè innoteſcit, quid creationis tam admirandum ſit principium. Libenter abſtinerem à propalatione ſacratiſſimi hujus myſterij magni increati. Verum aliud quid me facere licet ac decet, quam quo fata trahunt obtemperatiſſimè ſequi? Fateor ingenuè hoc loco, me

nihil præterquam ſub divino dictante ſpiritu,ſcriptorem & monitorum ejus exaratorem agere, velut è profundiſſimo ſomno excitatum. Quid miſer homo de ſe promere,præter meram ignorantiam poteſt? aut quid habet quo glorietur potius,quàm à Deo gratiam aſſecutum eſſe,ſervitio dignum ejus,& obſequio, cui ſoli gloria convenit? Faxit igitur qui poteſt, velleque ſolus habet, ut ejus ductu felici,comitibusque fidis, inchoatum hoc opus eo fine perficiam,ad quem nutu ſuo dirigere voluerit. Minimè dubitandum quin hoc fiat ad vindicias veritatis ab iis oppreſſæ,qui falſo hactenus eam ſibi totam vindicarunt, & in liberationem eorum, qui his ducibus ita cæcutiverunt, ut apertis etiam oculis, mente nihil prorſus percipiant: nunc verò utrobique lucem videant ejus,qui lux eſt, & lucem inacceſſibilem inhabitat: cui ſoli honor ſit,laus & gloria in æternum.

Animadvertite igitur fideles, ad ea, quæ ſub integumento potius latere plurimos æquum eſſet, quam promulgari pauciſſimis. Et ni me ſtimulus in animo quodammodo cogeret ad exprimendum,effari haudquaquam auſus eſſem. Ut tamen aliquando videant homines erga Deum & naturam ingrati,quam atrociter hactenus veritati reſtiterint, ita diutius ſub ſilentio præterire, periculoſum fore duximus: ne fortè pertinacius in hoc errore perſiſtentes,etiam alios multos,alioqui natura bonos,corrumpant, ac in ſimiles errores attrahant. Æternum ergo ſapientiæ verbum æternæ,in immenſi & infiniti ſui centro æterno, finiti & quandoque tranſituri centrum collocare voluit, ut in eo ſibi materiam præparet abſque ulla præjacente materia quapiam,ad mundi creationem idoneam. O admiranda ſapientia, quæ ex punctulo vix intelligibili, quicquid unquam ingentis machinæ hujus, vaſtæ ponderoſæque molis à creatione factum eſt,ſolo verbo potuit excitare! Quis ſatis admirari poterit, omne quod grave dici poteſt ac oneroſum,hoc uno ſolo puncto, puncti virtute ſola ſine moleſtia geſtari,firme figi,ac ſupra omnem conſtantiam retineri, citraque ullam vacillationem ſuſtentari? Sed quis non magis quam mirabitur, ſtupefiet, dum conſiderabit medium abſque terminis vel extremis aſſignari? quod præter omnem geometricam rationem, imò ſupra captum angelorum (ut interim de hominibus taceam) factum eſſe ſcitur ab eo cui ſoli nota ſunt omnia; Divinitati nihil ſimilius centro. Nam ut ipſa incomprehenſibilis,inviſibilis,non menſurabilis, infinita,indeterminata, & ſi quid ultra dici poteſt, omnia ſimiliter in centro quadrare convenireque certum eſt. Hoc enim quia locum nullum occupat,ob quantitatis carentiam,comprehendi non poteſt, videri, nec menſurari. Tum etiam cum ea de cauſa infinitum ſit, & abſque terminis, locum non occupat, nec depingi poteſt, vel imitatione fingi.

Nihilominus omnia quæ locum etiam non implent ob carentiam corpulentiæ,ut ſunt ſpiritus omnes, centro comprehendi poſſunt, quod utraque ſint incomprehenſibilia. Quapropter verba creationis,*in principio* videlicet, ad locum referri Phyſice nequeunt, etſi ad centrum ſit relatum principium.

Nec prætereundum eſſe judico mirabilem admodum centri naturam,quod ad ſphæræ formationem attinet ex Phyſica. Ex eo namque ab omni parte fluentibus æqualibus lineis ſeſe mutuo contingentibus, exſurget inde ſolidum corpus ſphæricum, tot centrorum in ſuperficie, quod fluxerunt è centro lineæ. Patet inde ſphæram quantumvis ingentem carere baſi, ac in plano minimè, niſi retenta,quieſcere poſſe. Non abſurdum igitur concludimus ex his, ſphæram omnem è centro ſuo natam eſſe naturaliter & Phyſico modo,per ſui centri immoti radios extenſos ad juſtam ſuperficiem,id eſt, æqualiter finitam atque determinatam. Et quanquam iſta vobis, ut inaudita prius,admodum rudia videri poſſunt: talia tamen eſt quod exiſtimetis,ut quæ præclara mentis acie præditis etiam,per totum vitæ curriculum,abundè ſatis exhibeant contemplationis atque ſtudij, nec dum quidem eos vix milleſimam centri partem aſſequi poſſe putate. Sanè quicunque centri naturam probe cognitam haberet (ut ait vir quidam excellentiſſimus in adepta Philoſophia) ipſum nihil eorum quæ in cœlo & in terra ſunt naturalia latere quoquo modo poſſet. Ut igitur centri nullus eſt finis, virtutum ejus etiam & arcanorum abyſſus infinita nullo calamo ſatis deſcribitur. Quare tantiſper ab eo deſcribendo tractandoque nobis erit quieſcendum, quoad cætera quæ de mundi creatione putamus eſſe notatu digna, contemplati fuerimus ex Phyſica. Solum hoc addemus, centri videlicet, nec non eorum quæ prodire queunt ex ipſo, rudem & impolitam adhuc imaginem proponi,quam politioris ornatus cultoribus exhibemus decorandam. Sat nobis modo fuerit,ſi qualemcunque ſemitam arcanorum naturæ ſtudioſis, qua pateat iter ad altiora, ſtatuerimus. Janitores ſumus, ſis tu lector optime qui penitius in abditiora penetres,aut is quem te conſtituat ille, cujus eſt unumquemque ad ſuæ vitæ munus & officium revocare.

Creavit Deus cœlum & terram.

Opus eſt ſolius Dei creatio. Quis enim alius ex nulla præjacente materia vel ſubſtantia, materiam excitare poteſt? certè nullus angelorum neque hominum. Cum igitur Moyſes dicat, in principio Deum creaſſe cœlum & terram, nec ſubdat ex qua materia,tacitè nobis innuit, cœlum & terram fuiſſe rerũ omnium primam materiam,ex centro(ut auditum eſt) per verbum Dei excitatam. Nec repugnat ſententiæ patrum aſſerentium, ex nihilo

cœlum

cœlum & terram eſſe creata. Nam reſpectu cœli & terræ perfectam eſſentiam, formam, & materiam habentium, quod his carere intelligitur, uti centrum, cenſetur etiam pro nihilo.

Cæterum operis omnis excellentia potiſſimũ ex eo judicatur, cum in ipſo videntur primis ultima, & è contra, mutuo ſibi correſpondere. Divini porrò hujus opificij duo principalia membra corporis unius mundi videlicet, perbellè referunt hominis creationem unius in duo poſtmodum à Domino diviſi. Verum quia partes ex uno & eodem ſunt, in unum rurſus convenire plurimum appetunt: hoc in operante tertio, nempe vinculo naturæ per mutuum unitatis ſuæ naturalis amorem & appetitum.

Terra erat inanis & vacua.

QUænam fuerit mundi materia prima, dictum eſt prius; jam pro parte qualis extiterit, indicatur. Per inanitatem quid aliud hoc loco præter inopiam & indigentiam, copia quandoque ſupplendam, intelligi poſſe videmus; & per vacuitatem, ultra locum, ſterilitatem ac infæcundum ſtatum etiam in meliorem conditionem redigendum, ut patet ex ſequentibus? Et quamvis terræ hic ſolummodo fiat mentio, nihilominus ſub ea appellatione comprehenditur univerſa regio elementaris, quæ poſtmodum ſub firmamento locum obtinuit. Conjectura quadam ejus occaſio nobis apparet, quod elementum hoc præ cæteris ſuapte natura fluidis mobilibus ac raris, ſtabile, firmum, ac ſolidum, centro ſit affinius: tum etiam progignendis creaturis ad vitam hominis neceſſarijs, ac deferendis magis idoneum, magiſque notum præ cæteris.

Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

CLarius materiæ mundi primæ ſtatus innoteſcit, ut quæ fuerit abyſſus perfuſa tenebris, cœlum atque terram permixta ſimul in ſe complexa. Quis non ex his adhuc intelligit omnia ſub unitate prius comprehenſa, & in unica maſſa tantiſper delituiſſe, donec à ſummo creatore manifeſtata ſint per ſeparationem?

Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

DE materia prima concludit Moyſes, innuens cœlum, terram, & totam abyſſum aquas fuiſſe. Unde manifeſtè liquet ea omnia ſolum unicum quid extitiſſe ſpecimen aquarum referens, ſuper quas ſpiritus Domini ferebatur. Sunt qui interpretantur Moyſen per abyſſum & aquas, unum & idem intellexiſſe: quod ſanè probabile eſt. Nam adhuc nulla fuit mundi facta diſtinctio, donec Deus creaſſet lucem, eamque poſtmodum à tenebris diviſiſſet. Unde colligitur per omnia quæ dicta ſunt, unicam

maſſam intelligi, uſque ad primam diviſionem, lucis nimirum à tenebris.

Dixit quoque Deus: Fiat lux, & facta eſt lux.

ABſoluta mundi materia & forma primordialibus, Deus creare voluit lucem. Eſt enim ſpiritus in quo vita rerum naturalium, à Domino conditore poſita eſt. Hac ſanè fuit opus ad ſupplendum ea quæ de terra dicta ſunt & abyſſo, hujus videlicet illuſtrationem, & illius inanitatem & vacuitatem replendas. Primum igitur cœli & elementorum fuit ornamentum, tertium quoque idealis mundi membrum & potiſſimum. Ideo primo loco nobis à ſummo conditore commendatur & approbatur bona his verbis:

Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona.

HÆſitare quis hoc loco poſſet, an etiam Deus non viderit cœlum & terram eſſe bona. Verum quicunque pia mente verba hæc intuetur, intelligit pariter omnia quæ ſolus bonus Deus creavit, eſſe non niſi bona. Porro quod unum altero magis bonum ſit, non propterea derogatur dignitati minus boni. Singula ſiquidem unius & ejusdem corporis membra, ſortita ſunt in eo peculiare munus & officium ex voluntate ſui conditoris, ut unum alteri non invideat. Hoc ipſum etiam de charitate legitur, ſpe fideque majorem eſſe. Proinde non ſequitur reliquas duas eſſe minoris exiſtimationis. Etenim alibi legitur fide ſola hominem ſalvari. Ergo videre Dei bonum (ut vir probus quidam inquit) eſt nobis approbare bonum.

Et diviſit lucem à tenebris.

NOn abſimile dubium occurrere poteſt, utrum tenebræ non fuerint à Deo probatæ, cum ab eis lux bona dividatur. A bono quidem quod dividitur, videtur eſſe malum, uti habetur de ſeparatione ovium ab hœdis. In Geneſi autem diviſio non aliter intelligenda, quam infra legitur de diviſione aquarum ab aquis, ſuperiorum ab inferioribus, cœli à terra, viri à muliere, & ſimilium. Manet enim ibidem vinculum unionis & copula per mutuam appetentiam inde quidem ortam, quod ex uno & eodem partes diviſæ ſint, & non ex diverſis natæ.

Appellavitque lucem diem, & tenebras noctem.

SCitur ex luce diem oriri, ac per illius impedimentum introduci noctem: impeditur autem lux per interpoſitionem opaci corporis vel denſi, ut ſphæra terræ noctis umbram efficiens. Lucem igitur tenebris obducere, diem eſt claudere, non ſecus atque, luce noctem propelli, diem eſt introduci.

Et

Et factum eſt veſpere & mane dies unus.

DIviſio partium in unione permanentium exponitur. Per mane ſiquidem lux atque dies intelligitur artificialis, & per veſperam, nox atque tenebræ, quæ ſimul ambæ partes diem unicum naturalem conſtituunt. De tenebris etiam intelligendum eſt naturalibus, quas inſervire Deus nobis voluit. Alienæ ſunt prorſus à tenebris exterioribus extra vel præter naturam ortis, in quas angelus malus dejectus eſſe legitur. Cæterum quod ad unum diem attinet, ſententia doctorum piorumque virorum eſt, hunc nobis ſumma cum reverentia conſiderandum eſſe, ut qui in creatione mundi intelligibilis, per conceptum in mente divina ſit abſolutus, & non alijs quinque diebus annumeratus, quibus hunc ſenſualem & viſibilem mundum, ad exemplar illius idealis conditum eſſe, materialiter tamen volunt, & ideò ab altero die prius inchoatum. Eſt enim primus numerus, dualitatis videlicet, materiæ repræſentativus, ut unitas formæ, vel potius ideæ primæ. Trinitas verò fœtus eſt unitatis, uti quaternarius dualitatis. Mundum itaque volunt ſub uno die divinitus, & non primo, creatum eſſe idealiter unum, & poſtmodum ſub numero primo per ordinem materialiter ideæ ſuæ repræſentativum. Impium namque videtur, unitatem, ſub numerum & ordinem velle concludere, licet unitatibus conſtare numerum humana ratio doceat, non propterea cenſendum unitatem in ſerie numerorum eſſe connumerandam. Differunt enim unitates ab unitate, non minus quam confuſio multitudinis à ſimplicitate. Plures unitates quia multitudinem efficiunt, ut hanc, nec illas ullo modo poteſt unitas admittere. Quapropter dixit Moyſes ſub veſpere & mane factum eſſe diem unum, & non primum, ut habent multæ verſiones: nec dubitandum inadvertentia quadam interpretum id accidiſſe. Hactenus de creatione mundi intelligibilis, cui locum aſſignare alibi quam in infinito verbo Dei locum non admittente, nefas. De viſibili tandem ad illius exemplar & imaginem conditi, fundamentum ac principium in myſterio magno increato habente, eſt quod modo loquamur.

DE MVNDO VISIBILI ET ſub ſenſum cadente.

DIES SECVNDVS.

Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum, & dividat aquas ab aquis. Et diviſit aquas quæ ſunt ſub firmamento, ab aquis quæ ſunt ſupra firmamentum. Et vocavit Deus firmamentum cœlum. Et factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.

Fiat firmamentum.

CReatio mundi viſibilis à Moyſe narratur facta fuiſſe die ſecundo primum, qui primus numeralium non immeritò dici poteſt. Nam creationis materialis mundi hiſtoria, ab eo die ſumit exordium. Moyſe porro docente cœlum per firmamenti creationem factum fuiſſe in medio aquarum. Hoc quidem aptiſſimè correſpondet ei quod ſupra de aquis dictum, ſcilicet ſpiritum Domini latum fuiſſe ſuper aquas. Unde ſatis apertè conſtat, omnia prius aquas extitiſſe, quas altiſſimus conditor aſſumpſerat, ſibique præparaverat in materiæ ſuæ materialis creationis primam. Medium etiam hic non ut æquidiſtantiam ab extremis intelligendum, atqui potius velut ſequeſtrationem, quemadmodum inter contrariantes conciliatorem, ſive moderatorem dicimus eſſe medium, ne confundantur amicitiæ leges. Haud ſecus hic ne permiſcerentur de cætero inferiores aquæ ſuperioribus, medium creatum eſt à Domino firmamentum. Idipſum eo docet Moyſes, inquiens ex ore Domini, *& dividat aquas ab aquis*; ac ſi dixiſſet, dividat cœlum ab elementis.

Et diviſit aquas quæ ſunt ſub firmamento.

ISta diviſio non inconcinnè reſpondet ei, quæ de luce facta fuerat à tenebris: ea tamen ratione qua purum ab impuro dividi intelligitur. Quid quæſo luce purius, ecquid impurius tenebris inter ea quæ creata ſunt? Secundò loco longè lateque cœlum eſt purius omnibus elementis. Proinde videmus primam diviſionem eorum quæ ſub aquarum unitate comprehendebantur, fuiſſe lucis à tenebris uno die factam, atque ſecundam cœli videlicet ab elementis altero die ſubſecutam. Inde per contemplationes Phyſicas, Chemiæ primum fundamentum ortum habet. Ejus ſiquidem artis potiſſimum exercitium verſatur circa diviſionem puri ab impuro quorumlibet à natura productorum. Ex his igitur quæ dicta ſunt, conſtat, per purum intelligi lucem atque cœlum: & per impurum, terram & elementa firmamenti medio diviſa divinitus. Quapropter toto cœlo (quod ajunt) errare videntur, qui docent aliam elementorum diviſionem, quam omnium ſimul, in ſuo naturali vinculo manentium, à puro ſuo cœlo quod eis permixtum fuit à natura. Exin haud temerè conſiderarunt Phyſico chemiſtæ (non illi qui ſine veræ Phyſices cognitione currunt in vanum) omne corpus à natura procreatum, ab hac eadem ſibi ob oculos eſſe poſitum, haud ſecus atque aquas tenebroſas in eo latentes, quas per firmamentum igneum & artificiale ſuum dividere poſſent in ſuperiores puras, & inferiores impuras.

Porrò diviſio hæc, diviſionem atque differentiam ſecum adfert, quæ modo videtur inter priſcos Phyſicos, & Paracelſum. Iſte ſuæ

Phyſices

Phyſices fundamenta ejecit ſuper Geneſis partem ſuperiorem potiſſimum: Illi vero fluitant ſuper aquas inferiores tantum, ex quibus quatuor quas vocant qualitates primas, pro columnis ædificij ſui ſtabiliunt in quatuor elementis inferioribus. Nihilominus fateri coguntur tria prima ſua principia Phyſica, formam ſcilicet, materiam & privationem, cum tamen nihil minus quam veram formam doceant. Quid autem per privationem intelligant aliud, quam lucis naturalis privationem, haud quaquam percipi poteſt. Contra Paracelſus hanc naturæ lucem (qua videntur illi privati) totis conatibus & pro viribus amplectitur, ut per eam in abdita naturæ myſteria nec non arcana penetret. Si formæ rationem etiam aliquam habent, cur eam non docent à ſua materia ſeparari, ac tanquam à tetro carcere liberari, quo liberè valeat agere? Si verò modum ignorant ac artem, quare quæſo vituperant? Fatuum porrò videtur ut laudare, pariter & contemnere quod ignotum eſt. Atque mentis eſt prorſus inſanæ præter cauſam & occaſionem affici. Sed aliò nos revocat animus.

Antea diximus cœli diviſionem ab elementis arti Chemicæ dediſſe initium. Reſtat modò enucleemus quid per cœlum ſuum intellexerint hujus artis veri profeſſores. Non aliud ſanè quam idipſum quod Paracelſus per ſuum Mercurium ſulphureum. Poſtquam enim à ſuis confuſarum aquarum corporibus ſuperiores aquas diviſerint medio ſui firmamenti artificialis, utramque partem ſeorſum reponunt, uſque dum in uſum veniant, quem audire quandoque licebit ex ſequentibus. Sat modo fuerit primi noſtri principij, Mercurij videlicet, fontem aperuiſſe ex quo defluxit. Quin etiam cœli diviſionem ab elementis penitius intuebimur. Ea cumprimis neceſſaria fuit ad ſucceſſivam generationem & propagationem eorum, quæ Deus verbi ſui virtute ac ſapientia primum creavit in elementis. Nihil enim in ſeipſo generare poteſt, ſed in alio tantum quod ex ſeipſo fuerit. Quocirca aquæ primordiales neceſſariò diviſæ fuerunt, ut illa poſtrema Adami ab Eva diviſio primæ correſponderet illi, & è contra.

Vocavitq; Deus firmamentum cœlum.

FIrmamentum pro toto cœlo naturali habendum eſt, à Lunæ ſitu elementis proximo, uſque ad extremam univerſi creati naturalis concavitatem, & non ſolum pro ſtellarum fixarum (quas vocant) altitudine, ut infideles docent.

Planetas, quos etiam erraticas ſtellas dici volunt, in firmamento ſitos juxta Moyſis ſententiam aſſerimus: cui uni ſoli plus fidei tribuendum eſt, quam infidelium ſcholis omnibus. Docent iſti cœlorum nimiam ex ſuis opinionibus multitudinem. Cum Paulus tamen Apoſtolus duos duntaxat eſſe naturales clarè ſatis in-

nuat, dum raptum ſe profert in tertium cœlum. Hoc ipſum fuiſſe ſupernaturale quivis pius & mere Chriſtianus judicabit ex eo, quod ibidem ſupernaturalia cum vidiſſe, tum audiviſſe ac didiciſſe debuit, & non naturalia. Reliquos ergo duos ſub cœlo ſupernaturali collocatos, naturales eſſe quis dubitabit? unum incorruptibile, qualitatis omnis, mutationum & viciſſitudinum expers; alterum verò corruptibile, & in media regione ſitum, in quo mutationes omnes, & qualitatum alterationes, atq; meteoricæ generationes fiunt? Poſterius enim hoc à Moyſe vocatur cœlum apertiſſimè die ſexto; quum dicit, *ut dominetur piſcibus maris & volatilibus cæli.* Situs planetarum altiores demiſſioresve, tot cœlos non conſtituunt, ſed in unico cœlo cum cæteris aſtris liberè moventur, ex ordine, quo ab initio ſuæ creationis, digito ſui conditoris agitati ſunt, quem etiam ordinem atque motum ſervabunt inviolabilem in finem uſque ſæculi. Non clavis neque malleis corpori cuipiam cælico affixi circumaguntur, ut ſatis innuere videntur infideles, licet admodum tacite, qui quod ante pedes eſt non vident, interea, quæ in cælo fiunt ad unguem recitare volunt Aſtronomi. Sed quin aperte fatentur, quum de fixis in firmamenti concavitate docent potius æquidiſtantes perpetuo moveri? Quanto magis hoc mirabile, imo ut fere impoſſibile videtur humano captui noſtro, tanto ſanctius atque firmius, ac majori cum veneratione tanti opificis admirandum eſt nobis Chriſtianis artificium, qui hæc arcana Dei ad lancem intellectus humani (quod faciunt infideles) nolumus, neque debemus revocare, ut ſciamus qua ratione id omne fiat, quod à Domino factum eſt. Satis nobis fuerit fateri, omnia eſſe in ſua poteſtate, ac ipſum quæcunque voluit feciſſe.

Et factum eſt veſpere & mane dies ſecundus.

QUod prius de uno die diximus ex aliquorum ſententia, obiter hoc die ſecundo repetere non erit ſupervacaneum. Licet enim hic dies dicatur à Moyſe ſecundus, id juxta ſeriem & numerorum ordinem intelligi minime videtur, ut audivimus. At potius dicitur ſecundus, ut dierum creationis perfectus numerus ille ſenarius compleatur, qui nobis mundi perfectionem indicet, haud ſecus atque ſeptenarius cæli cum elementis copulam: item in ſupernaturalibus mentis cum corpore pacem, & in unione quietem æternam.

DIES TERTIUS.

Dixit quoque Deus, Congregentur aquæ quæ ſunt ſub firmamento, in locum unum, & appareat arida & quæ ſequuntur.

Hoc

HOc die qui dicitur tertius, creatum fuit ſecundum membrum mundi viſibilis, ſcilicet elementum, ſub aridæ nomine, quod antea terra dicitur. Ac ſi dixiſſet Moyſes, in principio mundi creavit Deus ſuperiorem ejus partem cælum & inferiorem terram elementatam. Quæri poſſet cur Moyſes ab initio magis terræ pro reliquis etiam elementis, quam aquæ, ignis, & aeris fecerit mentionem? Ratio quidem in promtu eſt, factum eſſe, quia terra infimum eſt elementorum omnium, quo nec alio melius inferior mundi pars denotari potuit. Tum etiam quod ſolum hoc inter cætera ſtabile ſit atque fixum, ex cujus centro, tanquam ex fonte vel fundamento, reliqua pullulare videantur, & in altum aſſurgere, ignis quidem artificio. Quis ignorat, niſi veræ Phyſices ignarus, ignem elementum inferius, in centro terræ primam originis ſuæ radicem habere, ex quo tandem ſurſum indefeſſe propria ſui natura ſurgit in altum ad firmamenti concavitatem, atque corpora terræ & aquæ penetrans, ac tranſiens, hujus ut illius puriores ſubtilioresque partes ſecum in aerem verſas in mediam regionem attollit? quo quum venerit, non altius penetrare poteſt, hoc impediente firmamento? Proinde fit ut debilis jam factus ejus calor ob nimiam extenſionem, frigoreque terræ & aquæ ſubtilium, ac regionis mediæ, victus ſuccumbat, ac una cum aere, terraque in aquam denſatione verſus ignis, graviaq; ſimul omnia facta rurſum in terram & aquam decidant, eoque redeant unde prodierant. Motum hunc Phyſiochemiſtæ circularem vocant, eumque ſuis in operationibus ut cæteros imitantur. Quatuor igitur elementa ignis artificio volatilia facta, recipiunt ad hunc modum à ſuperioribus aſtrorum maſculea naturæ ſemina, per influxum ac impreſſionem in media regione contingentem (demonſtrantibus idipſum meteoricis generationibus) eaque poſtmodum ſui lapſu dicto, deferunt in quatuor ſuas etiam matrices, ut ſuos concipiant fœtus ac producant, ab exordio ſuæ fœcundationis ordinatos per ſummum conditorem, ad omnium propagationem quæ generantur ex eis. Hujus generationis quatuor ſunt patres, totidemque matres: alterius vero quæ per ſolum influxum fit, unicus eſt pater, & unica mater, ſol & luna videlicet in genere, verum in ſpecie multa ſunt media generationum, ac tot quot ſunt aſtralia reliqua corpora.

Cæterum quid ſapientes Chemiſtæ per ſuam terram elementatam intelligant in arte ſua, minime ſubticebo. Idipſum nimirum eſt quod Paracelſus per ſuum ſal inculcare nobis voluit. In eo ſiquidem quatuor elementa, ut in proprio ſuo domicilio ſedem habent atque manſionem. Quod quidem experimento facili ad oculum demonſtrari poteſt, ut infra latius.

Adtam

Addam quod ad congregationem aquarum attinet, iſtam diſcretionem ſola congregatione fieri, & non per diviſionem, ut ea quæ fuit aquarum ab aquis.

Hæc porro nullam de cætero permixtionem partium diviſarum corpoream admittit, at bene ſpiritualem per influxum, uti diximus: illa vero corpoream permixtionem ſuarum partium fieri ſinit, non tamen adeo abſolutam, quin utrique parti ſua forma locusque penetrare terram, eique permiſceri, ſed in plures reducere minime poſſe: huic providente ſagaciſſima natura Dei filia, per ignis artificium in centro terræ ſuum officium exercentis. Quod quidem ignoraſſe videntur priſci Phyſici: alioqui ſeſe in Ætneas flammas non conjeciſſent, ut celebratus ille Phyſicus & medicus ſui temporis Empedocles. Nec ſeſe Phyſices hiſtoriographus flammis ejusdem & fumo ſuffocandum exhibuiſſet Cajus ille Plinius, naturæ ſecretarius olim exiſtimatus. Ambo quod arcanum hoc naturæ non poſſent ingenio aſſequi, nec ejus flagrationis ſcrutari cauſas, non minus quam deſperabundi, ſeſe totos in impiam oblationem Vulcano devoverunt miſeri. Quo factum ut Ethnicos non ſecus atque Ethnicos vocare tales nonnunquam liceat homines.

Et appareat arida, &c.

MUtatio nominis terræ in aridam pro unico elemento, terra ſcilicet, luculenter ſatis indicat Moyſen exponere velle, quo ſenſu terram accipiat, inquiens, *Creavit Deus cælum & terram, terra erat inanis & vacua:* non ſolum pro unico elemento, vel pro omnibus elementis in centro terræ commune centrum habentibus, atque ſuper increatum centrum ſundatis. Alioqui dixiſſet ut prius, *Et appareat terra.* Mentem ſuam clarius patefacit dicens, *aridam appellavit terram.* Ac ſi diceret, per aridam intelligere vos volo terram, quæ apparuit ex aquarum congregatione in locum unum ex quatuor elementis.

Congregationes aquarum vocavit maria.

NUlla fontium ſcaturiginis, aut eorum quæ ex eis oriuntur, uti fluviorum, aliorumve facta mentione, marium duntaxat nomine, cunctas inferiores aquas inſignivit Moyſes. Proinde facile hinc fuerit conjecturam facere ab iſtis illas oriri, nec non per poros terræq; meatus ſcaturire, ac in ſuam originem refluere, ſuamque ſalſedinem in terra dimittere, tranſitu quoque per eam facto in dulcedinem transmutari, ſubterraneo igne idipſum efficiente, ut videlicet elevetur vapor dulcis, ſale penes terram ſibi propriam remanente. Quod quidem apparet ex Chemicis ocularitet, in aquæ marinæ vel muriæ cujusvis deſtillationibus, ſtillatum dulce ſurſum ferri ſubſidente ſale. Sunt igitur materia, fontes, ac flumina, la-

na,lacus, &c. ex uno & eodem loco, globo, & ſphæra una ſua promanantia, ſub firmamento aquarum congregatione ſimul unita. Carnei non vident quod mentales oculi, corpore terræ hoc ipſum impediente, cujus in ſuperficie, licet maria, ſinus, lacus, & id genus alia, diviſa nobis appareant vel ſegregata: nihilominus in unum & idem centrum ſuum coire, nedum iſta, verum etiam alia cuncta, ſunt qui vident pauciſſimi, ut ab his docetur verbis, *in locum unum*.

Dixitq; Deus Producat terra, & quæ ſeq.

HÆc verba referri debent ad ea, quæ ſupra de creatione mentali dicta ſunt, *Terra erat inanis & vacua.* Ac ſi diceret Moyſes: Elementa vel mundi pars inferior, ſive aquæ ſub firmamento, erant adhuc informes, nudæ, ac ſteriles, & abſque ulla virtute, donec die ſecundo formã Deus dediſſet illis ſuo verbo, cum per aquarum congregationem, tum per fœcunditatis inditionem. Hujus nuditatem viridi veſtivit amictu, & ſterilitatem fœcunditate replevit altiſſimus die tertio, à vegetabilibus, idque minoribus, ut herbis, ad maximas arbores progreſſum faciens, itidem ab infinito elemento, terra ſcilicet, ad aquas & aerem. Terræ primum ornamentũ ex eis eſſe videtur, quæ inſenſata radicem oris loco in terra defixam habent, qua recipiunt alimentum, uti per os animantia. Naturæ ſiquidem vegetabilium nutricis ubera terra ſunt, & eiſdem aqua lac præbet. Quatenus autem ſexu carent, datum eſt eis ſemen in ſeipſis; tum quæ motu libero deſtituta ſunt, coire ſimul nequeunt ut locomotiva. Proinde maxime delirare videntur Phyſici, qui ſexum vegetabilibus per ſuas appellationes maris & feminæ tribuunt. Externarum namque formarum in naturalibus, aliquà tamen cum vel modica differentia, ſimilitudo duorum, ut vegetabilium, non debet pro ſexibus judicari, vel magis ad diverſas referri ſpecies. Nonnulli hunc errorem volentes evitare, in longe majorem inciderunt, his ſub uno & eodem nomine majus & minus adſcribentes. Quoniam hoc ipſo fatentur per imprudentiam ignorare, cum nominibus rerum naturalium, earum vires atque virtutes, à quibus potius nomina dediſſe quam ab exterioribus formis oportuit. Fatuum eſſe videtur, aſſignare maſculum ſpecie differentem à ſua matrice. Terra porro matrix eſt & mater omnium vegetabilium, at ſemen eorum eſt pater. Videte quæſo qua ſpecie convenire poſſunt iſtorum parentes. Non ſic de animantibus & locomotivis, quorum uterque parens ſpecie cum altero convenit.

DIES QVARTVS.

Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & dividant diem & noctem.

QUod ſuperiori loco ſub idea dictum, *fiat lux*, repetit Moyſes, at ſub materia factum fuiſſe. Quandoquidem aliud eſſe videtur lux, aliud vero luminare. Non ſecus atque ſpiritus & corpus, etſi conjuncta ſint in unum, non eſt tamen unum quod alterum. Eadem ratione fere ſe quodammodo habent lux & luminare, (ut craſſo tandem utar exemplo) qua flamma & oleum in lucerna, niſi quod in iſtis conſumtive, in illis vero perdurabilius. Patet equidem prius creatam eſſe lucem, quam luminare. Poſtquam igitur altiſſimus Deus terram ornaſſet vegetanti virore, cælum decorare voluit luminaribus innumeris, ut etiam ex ordine priori dictum fuerat. *Terra erat inanis & vacua*; mox inde ſubjungitur, *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi*. Notandum in hoc ordine mirum latere myſterium. Voluit enim ſummus rerum conditor prius creare vegetantia, quam ſolem & reliqua luminaria, ne fortaſſis homines impij ab his illa creata, vel inde primarias vires atque virtutes fuiſſe ſortita crederent, & creaturis ad hunc modum tribuerent, quod Creatori ſoli convenit. In eum nihilominus errorem incidit major pars hominum, ut ab eis infidelibus videre eſt, qui ſolem & ſtellas adorant, vero Deo neglecto, vel ſibi ſaltem ignoto. Nos vero Chriſtiani virtutes omnes cum naturales, tum ſupernaturales, unicæ virtuti, ſolique Deo ferimus acceptas in omnibus. Et quamvis fatemur (ut æquum eſt) cuncta primum à Deo ſolo fuiſſe ut creata, pariter & animata, ſuisque dotata virtutibus: in propagationem tamen eorum quæ poſt creationem generari debebant in elementis, videmus ipſum uti velle ſuis medijs, utputa ſuperiorum luminarium virtutibus, ex ipſo etiam procedentibus, ut legitur.

Et ſint in ſtationes & tempora. Nunquid ſtationes temporum; dierum & annorum juxta viciſſitudines, productionis rerum ex terra ſunt cauſæ ſecundæ, à prima tamen cauſa, Deo videlicet pendentes? Patet ex eo: *Vt luceant in firmamento cæli, & illuminent terram.* Quis quæſo dubitat lucem naturalem eſſe vitam naturalium, & ſupernaturalem illam, eſſe vitam ſpiritualem? Aſſerit enim nobis Chriſtus; ſe lucem eſſe mundi, ac vitam. Item Joan. Erat lux vera (inquit) quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, id eſt, vivificat. A ſimili terram illuminari à luce naturali, vivificari eſt naturaliter: non ſecus atque illuminari à ſupernaturali, ſpiritualiter vivificari eſt. Per hanc ſententiam nihil derogatur Majeſtati divinæ, cum unica & eadem

eadem ſit virtus,quæ luminaria illuminat, & quæ terram per illa. Eſt itaque lux idea vitæ,tenebræ vero mortis imago. Dictum equidem, *Et tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Quid aliud per hoc intelligendum putamus, quam abyſſum eo tempore adhuc fuiſſe vitæ naturalis & ſupernaturalis ac lucis expertem,Deumque tum primum creaſſe vitam naturalium ſupernaturalem,quum dixit, *Fiat lux*,& quæ ſequuntur.

Et dividant diem & noctem.

IDem quod antea, *Diviſit Deus lucem à tenebris, appellavitq; lucem diem, & tenebras noctem.* At quamvis iſta videantur eſſe ut ſunt contraria, lux tenebræ, dies & nox, in unum tamen convenire diem Deus voluit ac juſſit his verbis, *Et factum eſt veſpere & mane dies unus.* Etenim Phyſicus ac naturalis dies conſtare ſcitur ex artificiali die cum ſua nocte conjuncto. Mirum admodum,& ſumma conſideratione dignum, in mundi creatione Deum voluiſſe in unum convenire contraria, uti cælum lucidum cum tenebroſis elementis in mundum unum tantum, qui etiam prodiret ex uno principio per diviſionem in contraria. Hinc porro nobis dilucide veneranda trinitas in unitate lucens,in omnibus rebus naturalibus innoteſcere poteſt. Quoniam quod duo contraria conjungere debet in unum,hoc ipſum oportet eſſe tertium quid utriusque particeps. Idipſum eſt naturæ vinculum, amorque mutuus in natura ſitus,ut appetentia partium ex unitate naturali provenientium, in eam rurſum redeundi. Deus enim eſt pacis auctor, & reconciliationis in omnibus. Unde quæſo hæc igitur,ſi nulla ſit contrarietas? Intelligenti pauca, præſertim quod ſobriam tractationem ac tacitam hic locus maximè requirat. Proinde non profanandum arcanum,cum altiori loco potius quam in Phyſicis conveniat.

Et ſint in ſigna, in ſtationes, in dies, & annos.

MUltiplicem luminarium utilitatem conſpicimus, ut ab annotationibus ſignorum in eis apparentium, quæ partim & potiſſimum nos admonent iræ Dei propter noſtra peccata commotæ, & ad reſipiſcentiam nos incitantis: partim obſervationibus ad agriculturam: item dierum & annorum notationibus ad annales & alios uſus, qui faciunt in ſocietatis neceſſitudinisque hominum inter ſe conſervationem. Nec deſunt qui per ſigna velint Aſtronomiam intelligi, ut quæ ab ejusmodi ſignis petenda ſit in futurorum prædictionem. Verum hæc opinio per Chriſtum refutatur,cum dicat Apoſtolis, ſua non intereſſe noſſe tempora, quod reſervata ſint in arcanis Dei. Paracelſus etiam non hinc ſuam artem derivare vult, quam ſignatam vocat, ſed potius à Phyſio-

Phyſiognomia quadam & obſervantia notarum impreſſarum ſive inſculptarum à ſuperioribus in inferiora quæque per influxum, à quibus etiam rerum ejusmodi vires atque virtutes nobis innoteſcunt. Non docetur hæc ars in ſcholis infidelium, neque ex hominum vanis opinionibus vel ſomniis, at ex luce naturæ, quæ per ſupernaturalem ſit illuſtrata: proinde ab hac petendum ut illam obtineamus. Sunt nihilominus media quædam hominibus bonæ voluntatis à Domino conceſſa, quibus ad ea percipiendum & intelligendum animus ipſorum optime diſponitur, & ab omni liberatur impedimento quo remorari poſſet. Verum enimvero pigris & acedioſis hominibus raro vel nunquam contingere ſolent: & præſertim eis prorſus denegantur, qui talia contemnunt ex ignorantia. Dupliciter autem inferiorum notæ conſiderandæ ſunt, vel ab exterioribus ſignis, ut per internorum examinationem, quam docet Anatomia Vulcanica.

Vt luceant in firmamento, & illuminent terram.

IN ſuperioribus hic locus ſatis ſuperque declaratus eſt, ubi lucem ad vitam comparavimus, & illuminationem ad vivificationem: quare prætereundus.

Fecit Deus duo luminaria magna. &c.

DE omnibus in genere luminaribus prius dictum eſt ad hunc modum: *Fiant luminaria in firmamento cæli:* modo vero de duobus potiſſimum, eisque principibus, ſole & luna, ſermonem inſtituit Moyſes. Poſtquam igitur Deus in firmamento lucem poſuiſſet, ut per medium luminaris majoris in ipſo nedum luceret, ſed etiam per diem illuminaret elementa, alioqui ſuapte natura tenebroſa: noluit ea noctu luce deſtituta. Quapropter ſua providentia creavit etiam luminare minus, quod à majori tamen lucem acciperet, qua quidem umbrarum terræ tenebræ per noctem illuſtrarentur: Ut quæ à ſole interdiu ſiccitates elementis introductæ eſſent ob ejus calorem, noctu à luna rore cæli viciſſim irrigarentur, & iſtius humectatione, ut illius fomento cuncta propagarentur, ex Dei virtute ſolum, ſed per media quæ dicta ſunt.

Et ſtellas.

OB interpoſitionem quæ eſt inter luminarium duorum creationem, & ſtellarum, utpote, *ut præeſſent diei & nocti:* oriri poſſet dubium an *& ſtellis* legendum eſſet potius, quam *& ſtellas.* Ac ſi hic ſenſus eſſet, ut præeſſent etiam luminaria magna reliquis minoribus, & præſertim lunæ reſpectu ſui muneris & officij. Utrumvis legatur, parum aut nihil à vero ſcopo aberratum eſſe videtur in Phyſica, ſed in Theologia ſtellas potius legendum

eſt. Nam

eſt. Nam ſtellarum omnium & lunæ ſol ipſe rex atque dominus eſſe ſcitur, ideo quia lucem iſtis omnibus præbet, nec aliunde mutuari poſſunt. Eſt enim ſol fons atque ſubjectum lucis omnis naturalis: hanc lunæ diſtribuit alioqui ſuapte natura opacæ, non minus quam reliquæ ſtellæ omnes, quæ pariter quam habent lucem, ut luna, recipiunt à ſole. Nec ſatis fuiſſe videtur aſtra lucem à ſole habere immediate, quin imo Deus voluit ut mediate per lunam etiam ſolis virtutem univerſalem aut generalem acciperent, quam juxta ſuam naturam & conditionem, quodque poſtmodum ad ſuam ſpeciem peculiarem in elementis producendam diſponeret. Quis non animadvertit ſingulis octenis atque vigenis diebus lunam adire ſolem (ſuo modo) ut ab eo tanquam à fonte hauriat univerſalem formam atque vitam naturalem, eamque ab ipſo recedens, ac per ſingula cæli domicilia tranſitum faciens, deferat in cuncta reliqua luminaria minora? Iſta vero (ut antea dictum) generalem formam quam acceperunt, præparant atque diſponunt ad ſingularem ſpeciem & cuique peculiarem, eamque per influxum radiorum ſuorum cælum & aera penetrantium, protrudunt in elementa. Unde quæſo, ſi non hinc, ſpecierum in ipſa natura tantam varietatem cernere licet omnibus nobis per individua quæque. Noſſe tamen quæ producta naturaliter ſuis in cœlo correſpondeant aſtris, hoc opus, hic labor eſt, circa ſpagiricam Aſtronomiam applicandus. Legitur in ſacris ſcripturis, Salomonem ſæpius de minimo vegetabili ad maximum Libani lignum diſputare ſolitum. Quid ſibi hoc velit, judicent qui ſublimato ſunt ingenio præditi. Sapientiſſimum hunc virum atque regem potentiſſimum à Deo ſupernaturaliter illuſtratum, etiam in naturalibus, de hac aliquando ſcripſiſſe tam admiranda Phyſica, nemo poteſt in dubium revocare. Sed injuria temporis, hominumque pravitas ad malum & mendacij partem ſemper & ubique prona, hoc etiam virtutis naturalis radio mundum privare conata, hactenus deliteſcere fecit veram naturalis ſapientiæ lucem, ut è hominum memoria pene deleta ſit veritas, nedum in Phyſica, verumetiam in omnibus alijs artibus quibuſcunque. Faxit autem omnipotens Deus ut quandoque noſtri miſertus, ejus Salomonicæ Phyſices ſaltem aliquot ſcintillas rurſum excitari, pullulareque mundo jubeat per ſuos angelos, per quos etiam Salomoni revelare voluit ab ejus infantia. Sed quid? hominum erga Deum ingratitudo tanta eſt, ut omne donum bonum è ſuperis à datore luminum, ſi quandoque ad nos fluere manareque contingat unicum, ab eis ſpretum abjiciatur, accepto receptoque potius infidelium diabolico ſomnio quopiam è tenebris exterioribus allato. Hic ſtatus eſt humani generis. Eo deventum eſt hoc ferreo ſeculo, ut omnes fere clamitent à primo ſtatim veritatis

conſpectu, ut olim de Chriſto Jeſu veritatis omnis auctore: Tolle hunc de medio, liberum da Barrabam.

Et poſuit ea in firmamento cæli, ut lucerent ſuper terram.

CAuſam explicat Moyſes cur Deus poſuerit luminaria in firmamento cæli; ut tenebræ videlicet, quæ diviſæ fuerant à luce & in elementis poſitæ illuſtrarentur. Tenebras abyſſi vero poſitas fuiſſe in elementis, res ipſa docet ab umbra terræ noctem in inferiori regione ſub firmamento efficiente: Non altius enim attollitur pyramidis umbræ noctis acumen, quam regio capit elementaris. Proinde nullatenus impedire lucem poteſt per totam firmamenti ſphæram.

Fecit, & poſuit, & quæ ſequuntur.

ISta repetitio non aliter intelligenda venit, quam id ipſum quod paſſim occurrit, *Fiat, & factum eſt*; ac ſi diceretur: Non prius concepit aut ſtatuit Deus facere, quam factum ſit. Hoc ipſo nobis demonſtratur Deum non indigere tempore, ad exequendas ſuas conceptiones, ſed iſtas ut cauſas & effectus eſſe ſimul & eodem momento in divina mente ſitas. Etſi videmus Deum quandoque uſum fuiſſe aliquo temporis intervallo, ut eo quod eſt inter dies creationis mundi ab uno ad ſextum, factum potius eſſe putemus in noſtri doctrinam, quo melius intelligamus opera domini, & penitius queamus eorum excellentiam contemplari. Alioqui nobis imperceptibilia forent momentanea, cum nec ea quæ tempore ſunt ordinata, valemus intelligere. Præterea his admonemur etiam, ſingula cum ordine, tum judicio maturo noſtra facere & exequi: quin etiam ut mundi perfectionem, quemadmodum ſupra diximus, à ſenario perfecto conſideremus, & admiremur cum veneratione. Quietis quoque ſanctificationem à ſeptenario, mentis cum corpore unionem denotante, vel æterni cum deſuturo, revereamur & obſervemus. Et potiſſimum, ut antea tetigimus, ut nos alioqui natura volubiles & inſtabiles ingenio cogitationibusque nec non leviter optima quæque & ſalutaria obiter transcurrentes, aliquo temporis ſpacio retineret attentos in eorum contemplatione. Quid enim delectabilius, quam dies & noctes animo totaque mente in tam admirandis operibus Dei verſari oblectarique? Non ſine fructu ſane redibunt ejusmodi cogitationum meditationes: imo potius mentem & ingenium acuent ad cuncta percipiendum quæ ſcire ac intelligere nos oporteat in omnibus. Hactenus de luce luminarium, juxta quam Paracelſus naturæ ſulphur in naturalibus conformare ſtuduit. Abſoluto igitur die quarto creationis mundi, hujus tria prima ſive principalia membra creata ſunt, videlicet die

ſecundo firmamentum cælum appellatum; tertio generale elementum ſub appellatione terræ; quarto vero lux in firmamenti luminari majore poſita. Quibus ex fideſium ſcrutatorum naturalis ſapientiæ ſententia, convenire videmus animam mundi, corpus, & ſpiritum ejus, longè melius quam ex opinionibus infidelium, ſuam privationem, materiam, & formam: unde prima Phyſices principia petenda ſint. Reliqua ſane quæ facta ſunt in creatione mundi, in iſtorum trium primorum ſupplementum & ornatum eſſe videntur: uti vegetabilia, ad nudam inanitatem terræ veſtiendam: animantia vero, ad aquarum & aeris vacuitatem implendam: luminaria tandem, ad abyſſum illuſtrandam. Poſtrema autem omnium creatura homo, ad his omnibus fruendum & imperandum in ſummi conditoris gloriam & honorem. Creatis ergo cunctis vegetantibus in animam germinantem ſub diei quartæ finem, deinceps creata fuerunt animantia die quinta, ut ſequitur.

DIES QVINTVS.

Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram, ſub firmamento cæli.

DIFFERENTIA videtur mox ab exordio creationis animantium, quæ eſt inter iſtorum vitam & vegetantium. Horum vita vel anima germinans & virens quid dicitur: Illorum vero vivens vivum eſſe docetur hoc loco, quicquid per ſe libero conatu movetur, ut verba ſonant, reptile & volatile. Propterea non eſt inferendum vegetabilia non vivere. Nam & ipſa moventur juxta conditionem ſuæ naturæ, libero etiam & non violento motu, licet non de loco ad locum, ut ab eorum incremento, & propagatione videre licet. Præterea notandum, quod altiſſimus jubeat aquas producere volatile, & non terram, neque in terra, ſed ſuper terram, & ſub firmamento, hoc intelligi de media regione aeris & ignis elementaris. Aer enim aliud nihil eſt, quam aqua reſoluta per ignem in ea ſolutione perſiſtens verbo Dei. Aeris igitur & ignis creationis hoc verbo, ſuper terram, & ſub firmamento, ſatis aperta mentio facta eſt intelligentibus; tum volatilia etiam ex igne (ſine quo aer perſiſtere non poteſt) pro parte etiam eſſe producta. Impoſſibile ſiquidem eſt naturaliter aerem elementum eſſe poſſe, præter elementum ignem, ut etiam nulla ratione poteſt elementum aqua ab elemento terra ſejungi, niſi præter naturam fiat. Nullus ignis in chalybe viſibilis, nullus item in cote, attamen ex iſtorum duorum crebra concuſſione, apparet noſtris oculis ignis viſibilis verum elementum accenſum in aere, quem habet loco ſomenti. Si ergo Moyſes tacitam facit

mentionem aeris, de igne pariter ſubticere nullatenus poteſt, quod hic illius ſit potiſſima cauſa naturalis. Hac ratione pars inferior aquarum ſub firmamento, perbelle diviſa eſt in quatuor elementa. Cæterum ut redeamus ad animantia, aves ex aquis prodiiſſe docetur hoc loco. Ecquis dubitat ex eis quæ dicta ſunt, aerem ſua natura proximius ad aquas accedere, quam ad ipſius terræ naturam? Ut ergo videmus reptilia vel natatilia replere aquas inferiores terræ proximas, pari modo volatilia replent aquas aereas ſupra terram & ſub firmamento igni proximas, & intermedias. Replent etiam reptantia ſuper terram aerem dictum, ſed non ſupra terram ut volatilia ſunt elevata. Haud ſecus ac ſuperius dictum, tacite Moyſen feciſſe mentionem ignis & aeris, ſub aliis duobus elementis aqua & terra, poſſumus etiam intelligere omnia quæ ex terra & aqua generata ſunt, per congregationem aquarum, & aridæ manifeſtationē, tam occulta quam manifeſta. Moyſen tamen non aperte locutum fuiſſe de iis, quæ in occulto iſtorum duorum elementorum erant à Deo creata ſimul una cum ipſis, ratio hæc ipſa videri poteſt. Cum ejus potiſſima hæc eſſet intentio, ut populum Iſraeliticum adhuc rudem, per ea quæ ſenſibus erant expoſita, magis in admirationem & cognitionem creatoris eorum facilius traheret ab excellentia creaturarū, docuit eos longe præſtantiorem eum eſſe, qui ex nihilo condiderat illa quæ videbant ob oculos expoſita, & quibus fruebantur. Si vero de his quæ latebant in aquarum atque terræ centro locutus fuiſſet, obſcurior erat inſtructio, ob non admodum evidentem demonſtrationem. Tum etiam non fuit ad Moyſis inſtitutum opus ſtatim ab initio ſingula particulatim adducere, cum iſta ſucceſſive ex aliorum intellectu, vel per ſeipſa fiant intelligibilia. Quis terram perfecte pronunciare poteſt, vel aquas, niſi pariter & omnia quæ ſuæ ſunt ſubſtantiæ intelligat? Lapides porro & metalla ſunt progenitura utriusque elementi, juxta majorem unius quam alterius participationem. Conſtant enim ambo ex mixtione terræ & aquæ. Verum in generatione lapidum, terræ virtus prævaluit, ut in metallorum ſtructura virtus aquea. Adhæc nobis occurrit opinio majoris partis infidelium Phyſicorum, aſſerentium lapides atque metalla nullatenus ad medicinam apta nec idonea, quocunque modo etiam præparata, ut ſua vegetabilia & animantia: adducta primum hac ratione quod magis dura ſint, & à natura compactiora, quam ut ſtomacho digeri queant, quanto minus in hominis ſubſtantiam converti, vel aliquatenus vitæ ſuæ facultatibus aſſociari. Quis non videt hæc puerilia magis quam reſponſo digna? Simile eſt nobis quod eis obtrudere liceret, ut lignum ſuum quod ſanctum & guaiacum vocant, & pleraque alia ſua cum vegetabilia, tum animantia dura pariter & compacta, nihilominus ab eis

in me-

in medicamentum uſurpata. Si dicant ſe non adminiſtrare corpus, aut materiam duram, at ſolummodo ſubſtantiam eorum ſuis decoctionibus dxtractam: Ubi quæſo viderunt veros Chemicos integra metalla ægris præbuiſſe devoranda? Sed iterum ad iſta ſuppleant, ut aliquid etiam dixiſſe videantur, quo metallorũ uſum ad medicinam tollant. Naturam tamen (inquiunt) ad ſuſtentandam vitam hominis metalla non, ſed bene vegetantia ac alia ſcimus produxiſſe: Reſpondemus ex ore ſui ipſius aphoriſmi alimenta non eſſe medicamenta. Quare metalla erunt eo ad medendum aptiora, quo minus in nutrimentum transeunt. Hæc eſt eorum fabrica: Medicamentum (ajunt) quod tranſit in alimentum, ceſſat eſſe medicamentum. Nullum quum ipſis argumenti genus ſit reliquum, ad ſacram aliquam infidelium anchoram confugiunt, diſtinctionem vocant, aut aliam. Sub ſimilibus integumentis latent multæ deſtructiones artium potius quam diſtinctiones. Nec deſunt qui lapides atque metalla quam mortua corpora exiſtiment, ſuis tamen vegetabilibus vitam tribuant. Videte quæſo quemadmodum nocere ſtudentes Chemiſtis, in Deum inferant manifeſtam blasphemiam. Quidnam de Deo dici poſſet unquam deteſtabilius, quam auctorem vitæ, mortem aut quicquam obnoxium morti creaſſe? Nunquid mors primum per diabolum ſolum introducta eſt in hominem poſtremam omnium creaturam? Quinam igitur ante creationem iſtius, in præcedentes alias creaturas irrupit? Potuit etiam Deus vivus, imo ipſiſſimamet vita creare mortem, aut mortuum quid eorum quæ condidit? Abſit à nobis hæc blasphemia, ut vel tantillum ejus in mentem noſtram unquam veniat. Chriſtianum eſt vere credere: Deum creaſſe cælum, terram, lucem, & omnia per ſeipſum & in ipſo viva. Inanitas & vacuitas, item tenebræ ſuper faciem abyſſi, nihil cum morte commune habuerunt, nec potuerunt impedire quin illa ſupernaturaliter viverent quæ creabantur ab auctore vitæ; ut ſunt ea quæ diximus tria prima principia, membraque mundi præcipua ſub unario mentali divinoque, mundo videlicet intelligibili primum concepta. Ad cujus quidem imaginem hic mundus viſibilis ſub unario ternarioque materialibus creatus fuit. Quicunque igitur unarij, ternarijque vires & facultates non intelligit, in binarij tenebris confuſis eum tantiſper occæcari cõtingit, uſque dum unarij luce fuerit illuſtratus. Unitas enim ſola eſt vita per ſe abſoluta. Dualitas vero mors, per diſſectionem ab unitate, receſſum, & corruptionem, eſt accidentaliter acceſſoria. Trinitas tamen iſta, naturæ videlicet, ab unitate vitaque mundi genita receptaque vivificatur naturaliter. Rejecta igitur Dualitate tanquam inimica naturæ, Trinitas naturalis, ad ſui parentis naturam facile redit, nimirum Unitatis. Sed hæc latius in ſequentibus ac

diverſimode, quo ſtudioſorum ingenia facilius valeant arcana rerum omnium, ad ſummum illud arcanum bonum illi omnibus & per omnia, tanquam ad omnis vitæ centrum referre. Ut ad metalla tandem redeamus & lapides. Quanto hæc centro viciniora ſunt, tanto vitæ naturali magis affinia judicanda. Contra quo vegetabilia ſunt illis à dicto centro magis remota, hoc ipſo minus ſunt ejuſdem vitæ participia: quanquam ex manifeſto id non apparet. Nonne cæleſtes radij omnes majorum luminarium atque minorum quotquot ſunt, ad centrum ut ad ſuum naturale principium aſpiciunt ac reflectuntur? Quo igitur arctius in unum conveniunt, eo magis ac magis unitatis naturalis vires atque virtutes induunt. Intelligenti hæc pauca ſufficiunt hactenus. Quod ſi mundus ea, quæ ſibi ob oculos verſantur non videt nec intelligit, quæ deliteſcunt in penetralibus naturæ, ſuis oculis non manifeſta, quomodo percipiet? Hinc fit ut omnia quæ ad ſuperficiem non apparent, ut nulla exiſtimet. Ea de cauſa pariter ad cælum non anhelat, nec reformidat infernum, quod neutrum horum videat. Mens vero cui hæc omnia ſunt pervia, clara ac manifeſta, pluris facit illis quæ palam ſunt omnibus. Mundo ſua placita relinquenda ſunt, qui nihil magis affectat quam decipi; habeat igitur quod optat. Si huic dicatur, centrum mineralium perfectiorem eſſe medicinam, quam ſit centrum vegetabilium, dubium non eſt quin rideat. Verum ſi plus in ſuo Reubarbaro virtutum ineſſe medicinalium à quopiam audiat, quam in omnibus metallis atque mineralibus, applaudit huic opinioni, ac ſi de cælo delapſa eſſet. Quid mirum? etiam ad eam quam aperte videt veritatem & experientiam, incredulus eſt mundus. Approbabitne quæ vel totis ingenij viribus non percipit? Si de metallorum ac mineralium reſerandis corporibus, & ab eis venandis inſtaurandæ vitæ arcanis intellexiſſent, vel tantillum ſcripſiſſent Athenienſes infideles, quod Paracelſus: nihil unquam fuiſſet eorum ſectatoribus dignius, laudatius, neque ullis temporibus acceptius. In quantos clamores erupiſſent, ut aliud nil audire licuiſſet, quam ô Græciæ veneranda vetuſtas, cui tot ſeculis doctorum hominum cœtus hactenus aſſentitur. Nupera valeant modernorum inventa, quæ neminem præter ſuos auctores laudare videmus. In hunc faſtum nihilominus intumeſcunt, tametſi potiſſima naturæ myſteria reliquerint integra, & intacta hactenus. Verum ſi quid auctoritatis per vetuſtatem & applauſum acquiritur: quæ major ad eam accedet, quam ſibi adſcripſit auctor ille mendacij natus ante naturalis mundi fundationem, cui etiam maxima pars hominum aſſentitur? Inveterata tamen ejus fallacia, veteribus non ita atque modo recentioribus cognita fuit olim. Ortus eſt porro his noſtris temporibus multo luculentius

ſol juſtitiæ Chriſtus, quibus in ipſa natura nihil tam occultum, ſive bonum, ſive malum, quod non ad lucem pervenire, palamque fieri oporteat, priusquam reveletur error introductus in Phyſicam, & reliquas artes ex ea ducentes originem. Quocirca umbris atque tenebris infidelium paulatim cedentibus, naturę lux vera, quæ jam tot ſeculis delituit, emergit in lucem omnibus perceptibilem, Deo dante. Hæc de metallorum, & virtutum eorũ inculto rure, propemodum agriculturæ ac fertilitati deſtinato. Reliquum erit ut deinceps de medijs ad ſpagiricam contemplationem atq; notitiam introducentibus, etiam ex ſcriptis aliorum ante multa ſecula promulgatis, aliquid in medium adferamus. Ne hæc igitur ſomniaſſe dicamur, exponemus quæ per Hermetem Triſmegiſtum ex eadem doctrina Geneſis in hanc rem aptiſſime deducta ſunt olim.

ÆNIGMATICI SERMONIS ET VERIDICI, per Mercurium Hermetem Triſmegiſtum relicti, clara & brevis admodum expoſitio.

HErmes ille Triſmegiſtus cognomine Mercurius, in doctrina Geneſis per Moyſen tradita non vulgariter inſtructus, hanc poſteritati Phyſicam ſpagiricam inde ſumptam reliquit. Verum quod ænigmatica eſſet, ac ſumma brevitate cõpreſſa, varij fuerunt ejus interpretes, juxta cujusque diverſam etiam ingenij capacitatem. Omnes quotquot hanc difficilem admodum provinciam aggreſſi ſunt, ad metallorum transmutationes potiſſimum allegorico ſenſu deflexiſſe, notum eſt omnibus. Ego tamen quod ſumme neceſſarium, & auctoris menti maxime conſonũ eſſe viderem, ad medicam artem in ſtudioſorum, & ægrorum utilitatem, atque univerſæ Reipublicæ commodum expoſui. Patet ex concluſione quam facit auctor ſub finem, opinionem ejus non de metallis tantum intelligendam eſſe ſub ænigmate quod ponit, ſed etiam de vegetabilibus & animalibus, quod infra ſuo loco latius explicabitur. Cum itaque videam alia duo rerum genera generaliſſima tacite ſolum attigiſſe reliquos interpretes, nolui imitari, nec redarguere, ſed potius unicuique ſuam opinionem integram relinquere ſtatui. Poterit quicunque volet metallorum lepram tollere, exactius ab ijs qui hoc de negotio magis quam ego fuerunt anxij, cognoſcere. Si quis tamen cupit medicinam illam univerſalem intueri, de quovis trium dictorum genere tractam, quæ cunctis indifferenter humani corporis mederi morbis valeat, conabor totis viribus in ejus gratiam, quicquid apud me fuerit abditi, revelare. Certum eſt enim rebus omnibus à natura productis, tam ſuperiores, quam inferiores virtutes eſſe. Quapropter ad perfectam philoſophiæ naturalis cognitionem, horum trium

generum anatomiæ vulcanicæ plena notitia valde neceſſaria eſt. Quos abdita naturæ latent myſteria mirari nil mirū eſt, hujusmodi medicinam inveniri poſſe, quæ ſit adeo univerſalis,ut omnibus indifferenter poſſit mederi morbis,quandoquidem unica tantum ala (quod ajunt) eaque plurimum aggravata ſurſum feruntur. Manifeſtiſſima vix dum eorum ingenia ferre queunt, quibus adhuc à juventute imbuta fixe admodum retinent, ut quantumvis meliora non admittant ſi parumper ſint occultiora. Proinde relinquendi ſunt in ſua tabeſcentia ubi pertinaces fuerint. Hos autem in præſentiarum miſſos facimus, & veritatis alumnos alloquimur. Cuique porro ſua rei virtus ineſt, ac ſuum etiam virus habet,à quo repurgari poteſt arte Chemiſtica,ſed ob magis ac minus, probanda ſunt omnia, nec niſi quæ optima ſunt retinenda: ſic artificium hoc ab intolerabili nonnunquam ſublevatur onere, quod incumbit circa Solis & Lunæ artificialem ab omnibus rebus extractionem. Si patris Hermetis opinionem igitur ſecutus, Solem ſuæ Lunæ conjunxeris,& igne ſuavi fœtū eorū in ſua terra nutrieris, medicinam illam perficies de qua loquitur inquiens, *fugiet à te omnis obſcuritas, &c.* Verum enimvero priusquā opus hoc aggrediaris,eſt quod ipſum te reducas ad unitatis ſimplicitatē ex arte Chemiſtica moraliter uſurpata, qua diſcas primum à teipſo fugare mentis omnem obſcuritatem, & poſtmodum illuminatus ab alto, lucem percipies ac medicinam quæ pellere poteſt à corpore menteque tuis tenebras ; & ignorantiam. Quam igitur ego tibi propono philoſophiam moralem, ſumma cum attentione mentis addiſcas ex ſequentibus, ac diligenter in teipſo prius exerceas moraliter oportet,ſi rerum quas pater Hermes hoc loco docet, peritus evadere cupias. Facilioribus clarioribusque verbis doceri nullo modo poſſes,cum in hac, tum in expoſitione Hermetis artificij brevi ſermone contenti, quo docet in hac vita caduca nullam artem potius expetendam eſſe, quam iſtam, qua docetur corporum naturalium à binario ſuo ſeparatio, & per ternarium in unionem adductio. Non ſanè melius exemplar dari potuit humanæ reſurrectionis, quam ab iſto documento. Siquidem innuit auctor corpora naturalia rerum inſenſatarum à ſuis ſpiritibus diviſa, repurgataque, rurſus illis in reſurrectionem, id eſt, perfectionem conjungi poſſe. Veluti corpora humana morte ſeparantur à ſuis ſpiritibus animabuſve,ut poſtmodum nutu ſolius Dei,per meliorem priore conjunctionem reſurgant in vitam æternam. Haud aliter etiam docet artificiali corruptione corporum inſenſatorum (quæ mors dicitur Chemiſtica) ſeparare ſpiritus & animas eorum,in ſui ternarij ad unitatis reductionem, hoc eſt, ad potiorem vitam, licet non perpetuam, excellentiorem tamen ea, quam à natura prius habebant. Inſenſata ſiquidem vivunt in ſeipſis

ipſis occulto motu, quæ poſtquam ad unionem pervenerint, manifeſtiſſimè vitam hanc per ſuas operationes in aliena corpora patefaciunt, ut & illa vivere faciant ſine ſui corruptione, donec ultimus eorum naturæ incorruptæ terminus advenerit. Nec ſolum id in inſenſata corpora rationalium, quod ad caducam vitam attinet, aliter non. Eſt igitur ſcopus iſtius Hermeticæ doctrinæ, medicina quædam univerſalis, quæ nedum inſenſatorum corpora, ſed hominum etiam corruptiones atque morbos omnes indifferenter auferat, illaque admodum diſponat, ut ad ultimum & conſtitutum à Deo terminum vitæ longæ vivant: qui quidem variis accidentibus & petulantia hominum ferè ſemper abbreviatur. Non parum ſanè ſe feciſſe putent homines, ſi tot ac tam varias corruptiones amoverint. Quandoquidem ultra quod ſanitatem corporis hac ratione ſibi conciliare valeant, mentis etiam tenebras omnes atque velamina tollunt, quibus amotis facilè veritatem etiam percipiunt cum creaturarum, tum conditoris omnium Dei, ad cujus gloriam, proximorumque ſalutem diligentius exquirunt, petunt, & non fruſtra pulſant, quoniam inveniunt, accipiunt, & intromittuntur. Nequaquam iſto medicamento ſalutem acquiri dicimus, at ſolum eo diſponi corpora noſtra, ut rationem & mentem à Deo datam non impediant, in ejus gloriam ac noſtri ſalutem anhelantem. Purioris etenim ac ſincerioris Chriſtianæ philoſophiæ ſectatorum opinio eſt, corpora noſtra voluntariè mori poſſe, manente vita naturali, ſpiritusque noſtros ſive animas intellectualiter ac ſupra naturam à ſuis corporibus diſtrahi, non diſſoluto Phyſico. Præter & ſupra naturam autem diſtrahuntur, ſpeculativa ſolum vel meditativa facultate, item caſtigatione corporis in appetitum ſuorum nedum frænatione, verum etiam caſtratione. Tandem ſpiritus divini cum anima conjunctione confœderationeque per terrenorum abjectionem, & perpetuorum ac cœleſtium amplexum, hæc tria conjunguntur in unum. Et hac via per ſimilitudinem ejus qui ſolus in trinitate perſonarum Deus eſt unus, ei propinquiores conformioresque reddimur ad æternam vitam & ejus gloriam, cui laus in perpetuum.

DE MEDIO SPAGIRICO DISPOSITIONIS, *ad adeptæ philoſophiæ veram cognitionem, & lucis naturæ purum conſpectum.*

HERMETIS TRISMEGISTI.

Cum expoſitionibus Gerardi Dorn.

VErum eſt ſine mendacio, certum, & verißimum. Quod eſt inferius, eſt ſicut id quod eſt ſuperius. Et quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius, ad perpetranda miracula rei unius.

Et ſicut res omnes fuerunt ab uno, meditatione unius: ſic omnes res natæ fuerunt ab hac una re, adaptatione.

Pater ejus eſt Sol, mater ejus Luna. Portavit illud ventus in ventre ſuo. Nutrix ejus terra eſt. Pater omnis Theleſmi totius mundi eſt hic. Virtus ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram.

Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, ſuaviter magno cum ingenio. Aſcendit à terra in cælum, iterumque deſcendit in terram, & recipit vim ſuperiorum, & inferiorum.

Sic habebis gloriam totius mundi. Ideò fugiet à te omnis obſcuritas.

Hæc eſt totius fortitudinis fortitudo fortis. Quia vincet omnem rem ſubtilem, omnemq; ſolidam penetrabit.

Sic mundus creatus eſt.

Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus eſt hic.

Itaq; vocatus ſum Hermes Triſmegiſtus, habens tres partes philoſophiæ totius mundi.

Completum eſt quod dixi de operatione ſolis.

ARGVMENTVM IN TABVLAM *Smaragdinam Hermetis.*

QUid aliud ſonare videntur hæc verba, quam idipſum quod Moyſes docet ab initio Phyſicæ Geneſis: ac ſi diceret Hermes ad hunc modum: Spagiricum artificium docetur meditatione creationis mundi. In qua videmus aquas inferiores fuiſſe aquas, ſicut aquæ ſuperiores fuerunt aquæ, & aquas ſuperiores fuiſſe aquas, ſicut aquæ inferiores fuerunt id quod ſuperiores videlicet aquæ, idque factum ad perpetranda mirabilia quædam opera unius rei. Et ſicut res omnes procedunt ab uno creatore Deo conceptione mentali primum unius mundi duntaxat, ſic etiam

omnes

omnes res natæ fuerunt poſtmodum materialiter ab hoc uno mundo, per adaptationem. Hactenus comparatione quadam ad ſimilitudinem creationis mundi facta, ſuum artificium ſpagiricum docet habuiſſe primum exordium, deinde ad Practicam à Theorica deſcendens, inquit: Pater ejus rei quam vos docere volo, ſive medicinæ univerſalis, eſt ſol terrenus, imò potius igneus, & aquea luna. Portavit hanc medicinam igneam aër in ventre ſuo, & nutrivit eam terra. Cognoſcitur ejus perfectio, quum ſub finem operis terræ formam intenſam acceperit. Ecce jam habes ſummarium præparationis omnis, quæ toti mundo adaptari quadantenus poteſt imitatione, cujus etiam exitum practices habeto. Separabis inferiores aquas à ſuis tenebris jam liberas, etſi adhuc ſpiſſas, ab aquis ſuperioribus atque ſubtilioribus, idque ſuavi admodum igne, & induſtria maxima. Quo tandem fiat ut ejusmodi ſpagirica fœtura terreſtris, cœlicam naturam induat per aſcenſum, & deinceps ſuo deſcenſu, centri naturam terreni recipiat in manifeſto, retenta nihilominus in occulto cœleſtis centri natura, quam per aſcenſum acquiſierat. Si quæ ſit ex toto mundo gloria quæpiam temporalis, in iſto comperies artificio, quo quidem obſcuritatem, cum corporis tum mentis, à te propulſare protinus valeas omnem. In hoc porrò medicamento, vis & fortitudo fortis ſupra omnem medendi modum latet. Quandoquidem ſubtilem ac ſpiritualem in humana mente morbum vincit, & omnia corporis vitia tam interna quam externa, quantumcunque ſolida, penetrat ac pellit. Siquidem ad eum factum eſt modum iſtud medicamentum, quo mundus creatus eſt. Proinde per id mirabiles curæ morborum fient, quarum hoc loco faciendi modum ac viam habes, à me Hermete Triſmegiſto, per traditionem iſtius artificij ſpagirici ſub verborum ſermone brevi. Sum itaque hac de cauſa vocatus Hermes Triſmegiſtus, quia triplicem totius mundi Philoſophiam naturalem eſſe doceo completam, in operatione ſolis ſpagirici. Sed quia brevius hæc fortè videbuntur expleta, minimè gravabor in ſtudioſorum virtutis naturalis veritatisque gratiam, fuſius elucidare pro viribus, quæ nulla charta ſatis explicari poſſunt, ob eorum adeo ſublimem excellentiam.

IN HERMETIS TRISMEGISTI VERBA, clarior expoſitio.

A Veritate ſuæ doctrinæ ſermonem ſuum orditur Hermes, ac ſi loqueretur: En fratres veritatem vobis propono contemplandam. Inde poſt veritatem definire videtur à contrario, verum eſſe, quod mendacio caret innuens, his verbis, *ſine mendacio verum eſt.* Ex adverſo mendacium dici poteſt omne

id,

id,quod eſt veritatis expers. Quanquam ſanè melior utriuſque definitio dari non poteſt,nihilominus ob univerſalitem, non ſatis ab iis,qui ſacris & abditis naturæ myſterijs vix dum initiati ſunt intelligi poteſt. Quamobrem elucidatione plurimum indiget, quam à diviſione ſumendam eſſe deduximus. Bifariam itaque ſumi verum poteſt. Modò phyſico ſumptum, non caret mendacio. Unde conſtat auctorem hoc non intelligere, ſed verum nobis proponere ſpagiricum, id eſt, à mendacio repurgatum. Siquidem natura verax eſt,& ex altera parte mendax,& incorruptibilis, & corrupta. Veritatem in ſui creatione per Dei verbum obtinuit, falſitatem vero ex acceſſorio, cui,quod locum dedit, etiam habere cogitur. Nec poteſt natura per ſe verum ſuum à falſo ſuo vindicare aut ſeparare, niſi ſpagirico ſit adjuta magiſterio. Patet igitur Phyſicam verſari tam in falſitate naturæ, quam in illius veritate: ſpagiricam artem verò, in ſola rerum veritate naturalium à ſuo repurgatam mendacio. Itaque veritas cujusque rei propriè dicitur ejus incorrupta natura. Non eſt quod cum plurimis quiſpiam exiſtimet, Hermetem hoc loco vulgariter tantum eſſe locutum ſuis filiis,ac ſi voluiſſet eis innuere ſimpliciter ſe veritatem loqui,ſed etiam ſub rudi ſermone quibuſvis uſitato, nec non ſub quavis diſtinctiuncula, maximum naturæ myſterium incluſiſſe: hac de cauſa videlicet,ut qui non ſunt ejus filij, videntes non percipiant, & audientes non intelligant. Etenim arcana tutius occultari non poſſunt, quam ſub manifeſto cortice quum latuerint. Idipſum videmus paſſim in natura facere voluiſſe Deum in omnibus,utpote ſub vili pretioſum, ne reperiatur ab indignis contegere. Quantum auri vilis arena,lutum, & ſpreti lapides velant oculis ea cernentibus, quæ manus abjicit ignorantis, & pes conculcat inſcius? Quam occultè ſteriles in ſuperficie regiones opibus ditavit incognitis, quas negavit fertilibus? Quid conqueruntur adhuc mortales anxij? Cum Deus omnia dederit omnibus,dicens: Quærite, at regnum Dei primum, & omnia adjicientur vobis. Eſt itaque negligentia cujuſque ſuæ paupertatis & inopiæ potiſſima cauſa. Quanquam Deus voluit pauperes eſſe plures divitibus,ut in illos iſti ſuam charitatem exerceant, & inopes ut Chriſtum ſequantur tollentes crucem ſuam: ipſemet enim in terris omnium eſſe voluit paupertimus. Hinc fit etiam ut in omni lapide vel arena quavis aurum non habeatur, & ea cognoſcere quæ continent illud, non ſit omnibus datum cœlitus: ne pariter divites omnes fierent. Sed redeamus undè progreſſi, ad rerum naturalium veritatem,quam docet pater Hermes arte ſpagirica quærendam,& à vili nec non abjecto margaritam eſſe ſeparandam. Certum & veriſſimum (inquit) quodvis elementatum aliud in ſe continet quam elementa, quod quidem omnibus minimè

nimè notum eſt, ſed pauciſſimis, & longè paucioribus certum. Exempli gratia: Pleriſque notum eſt, aliquos lapides, & nonnullam arenam aurum in ſe continere, verum nemini certo conſtat, præterquam illi ſoli, qui ejus rei periculum fecit, & per experientiam artis extraxit: hic ſolus dicere poteſt id certum eſſe. Quod quidem auctor hoc loco vult nobis artem ſpagiricam auctoritate quadam reliquas omnes excellente, quæ eſt experientia, probare, ac ſi loqueretur: Ego ipſe ſum expertus hanc artem ſpagiricam veram eſſe, certam & veriſſimam. Quippe qui non hominum auctoritatibus vel ſcriptis, at experimento ſolo certitudinem iſtius artis didici. Notandum igitur, quod ſupra verum & ſine mendacio phyſico pro parte dixerat, hoc ipſum altius repetere ſpagirico modo, non ſecus atque diceret: Phyſicis corporibus ineſt quædam veritas aut virtus incorruptibilis occulta, de qua per ſpagiricum artificium certior factus ſum, eam fore medicinam certam & veriſſimam, ſi modo liberetur à ſuis compedibus, & à tetro carcere quo detinetur. Ex his luce clarius apparet, naturales Philoſophos, opinione veritatis ab indicio quopiam exterioris Phyſiognomiæ rerum naturalium, aut alicujus effectus apparentia falſa, vel ſcriptorum auctoritatibus duci tantum: ſpagiricos verò Phyſicos eſſe ſolius experientiæ diſcipulos, à qua veritatis etiam certitudinem addiſcunt. Binæ ſunt enim viæ, quas Philoſophos ingredi contingit, opinio & experimentum. Harum alteri duntaxat innixi, ſeſe cum alijs doctrina ſua, vel opera falli neceſſum eſt. Quicunque tamen utramque rimati judicarint alteram ex altera, hi ſuo labore non fruſtrabuntur, nec alij quibus operam ferent aut conſilium. Opinio quidem dubia proponit, Philoſophicis tamen coloribus apparentia vera, quæ demum experientia verificari debent. *Quod eſt ſuperius* (inquit) *eſt ſicut id quod eſt inferius, & è contra.* Proteſtatus de veritate prius, ad ejus probationem ex vera phyſica Geneſi deductam, progreditur. Eſt verum, inquit, elementa hæc inferiora unius & ejuſdem eſſe ſubſtantiæ, cujus & cælum ipſum, nec aliter differre quam per accidens, uti corruptibile & incorruptibile, purum & impurum, grave & leve, ſerenum & opacum, agens & patiens, mas & fœmina, &c. quæ omnia ſunt accidentia, non ſubſtantiæ. Cœlum porrò eſt incorruptibile, hinc fit ut eorum quæ corruptibilia ſunt (elementa pura) nullum altius attollatur, quam ad firmamenti concavitatem in qua graditur lunæ corpus. Ejus rei cauſam eſſe dicimus, quia non habet patiens in ſuum agens abſolutam poteſtatem, at benè contra, quo fit ut cœlum elementis per influxum, & non hæc illi commiſceri queant. Sed quamvis elementa patientia dicamus, intelligendum reſpectu cœli, ſiquidem in ſeſe mutuo per corruptionis motum agere poſſunt. Ut ignis in terram & in aquam

aquam agit,& in ignem aqua. Verum actiones & paſſiones iſtæ, nihil permanentis per ſe poſſunt efficere in elementis, abſque adminiculo cœli. Videtur ex aqua per ignem ſubtiliatione quadam aërem fieri generarique, qui tamen rurſus in aquam, & ignis per hanc & aërem devictus in ſeipſum, & eo redire cogitur unde ſurrexerat. Non perinde videmus fieri de cœlicis actionibus in elementa, quoniam ex illis, in iſtis generantur corpora naturalia, quæ per naturam, in cœlum aut in elementa rurſus non revertuntur, nec niſi contra naturam, uti morte vel magiſterio. Sunt & aliæ generationes meteoricis non abſimiles (tametſi tales hactenus exiſtimatæ non fuerint) non in cœlo, ſed in elementis aëre & igne ſub terra factæ, quæ haud ſecus atque æthereæ juvantur à cœleſtibus actionibus & impreſſionibus ad mineralium generationes, lapidum & metallorum. Cæterum cum non poſſit in cœlo generatio perfecta, non magis quam in maſculo fieri, nec etiam elementis abſque cœlo, non magis quam in fœmina ſine maſculo, ſed utrumque ſit generationis pars altera. Fuit igitur iſta differentia neceſſaria diviſione duorum ab uno facta, ſicuti poſtea narrabitur amplius. Dicet fortè quiſpiam, ſi ergo cœlum & elementa ſunt inter ſe differentia, qui fit ut auctor eadem eſſe dicat? Loquitur de identitate ſubſtantiæ, non accidentium, quemadmodum explicat in ſequentibus. Eſt enim ſubſtantiarum generare, & non accidentium, licet iſta nihilominus adminiculo ſint, generationemque naturalem promoveant, nihil tamen operari per ſe, non magis quam abſque ſubſtantijs ſubſiſtere poſſunt. Ejusmodi ſimilitudinem ſub unitate ſubſtantiæ concludit inquiens: *Ad perpetranda miracula rei unius*. Jam ſpagiricè explicat ea, quæ phyſicè prius propoſuerat, ad hunc ferè modum: Oportet admirandorum ſpagiricum artificem, habere cœli notitiam & elementorum perfectiſſimam, identitatis eorum, & convenientiæ, priuſquam ad unicum totius Philoſophiæ ſcopum, & medicinæ terminum univerſalis pervenire queat, quo medicamentum hoc generaliſſimum fabricet miracula patrans univerſitatis per unum, quod ſolum poſſit indifferenter omnibus mederi morbis, tam incurabilibus (quos vocant) quam alijs quibuſcunque. Non eſt ſanè mirandum, etſi pauciſſimi ſint viri medici, qui hanc artem credere poſſint, cum ſumma ſit admiratione digna, his etiam qui ſunt eam experti, ut Hermeti, ac alijs, quid autem ignaris erit? Verum ſi quis conſideret magnalia Dei, naturæ per ipſum incluſa, licet admiretur aliquantiſper, tamen cum veneratione maxima non impoſſibilem iudicabit, ſi verè ſit Chriſtianus. Impoſſibile nihilominus, ut aliquis mortalium hanc artem intelligat, niſi divino lumine prius illuſtretur; tum etiam fabricando (ut ajunt) miracula viderit in ea prodere ſe, quæ doctiſſimorum mun-

rum mun-

rum mundi ſapientum occulta ſunt oculis & menti. Illuſtratus verò divina permiſſione, quempiam alium verbis Philoſophicis nonnunquam etiam illuſtrare quodammodo poteſt, quæ qui poſtmodum nondum intellexerit, aut non electum ſe putet, aut electionis horam non adeſſe. Nam evenire quandoque ſolet, ut poſt multos annos, labores & ſtudia maximis impenſis etiam perpeſſi cum patientia, nonnulli ſint electi, multis pulſationibus, orationibus, & inveſtigatione ſedula præmiſſis. Dicit enim primus ſpagirorum Dux: Pulſate & aperietur vobis, petite dabitur, quærite à regno Dei, & invenietis. Pauciſſimi tamen inveniuntur, qui non pertæſi laborum in finem uſque perſeverant. Proinde fit ut ab iſtis nonnunquam ars immeritò malè audiat, ac in hanc, quam ſibi culpam adſcribere potius debuiſſent, rejiciant. Ne igitur quibusvis opella mea hac in re defeciſſe quoquo modo videatur ex inſtituto, adferam in medium paucula quædam, quæ mihi concredita ſunt hactenus ad intelligentiam iſtius excellentiſſimæ præ cæteris ſcientiæ, patrum antiquorum unicam & univerſalem medicinam docentis. Audite igitur qui aures ad audiendum habetis. Oportet hujusmodi medicinam ut cœlum eſſe incorruptibilem, penetrativam, & agilem, quæ non ſecus ac iſtud in elementa, in omne corpus phyſicum agat. Videamus igitur quænam ſit operatio cœli in elementis. Certum eſt ea non vivere, niſi vita brevi, longæque vitæ eſſe mortua per ſe, quam à maledictione propter hominis peccatum una cum eo amiſerunt. Non maledixit Deus cœlo propter hominis transgreſſionem, quo factum ut vitam longam retineat. Hac ratione mortua ſunt elementa, quia longa ſanaque vita deſtituta, tendunt etiam ad mortem vitæ brevis, maledictionem terræ videlicet, quæ tantiſper ipſis eſt reliqua, donec ejus inimiciſſimæ mortis initia, morbi videlicet, undique prementia finem curſus attigerint in ſuis productis omnibus. Sunt igitur ſicuti cadaver ab anima ſeparatum, prout parte longæ vitæ, quam niſi cœlum circumquaque influat in ipſorum centrum, ab eo ſurſum aſcendere nequeunt igne medio, nec ſemina ſpiritualia cœli, matricibus ſuis etiam in media regione ſpiritualibus factis, concipere, ut in corporeas matrices deveniant. Siquidem extrema contraria ſine medio utrinque participe, nullatenus conveniunt. Rerum itaque naturalium vita longa & ſana, cœlum eſt. Item vita mortis eſt propulſatio, & mortis initium, deliquium vitæ. Quicunque medicus igitur ægris corporibus, incorruptibile vitæ longæ ſanæque cœlum ſpagiricum, intrinſeco languentique vitæ brevis cœlo noverit conjungere, vitam brevem (dante Deo) ſanam inſtaurabit per miraculum unius. Nam languens & conjunctum incorruptibile, utrumque cœlum unũ & idem eſt per ſubſtantiam, quo fit ut per ſubſtantiæ ſi-

tiæ ſi-

tiæ ſimilitudinem auctum, quod corruptis opprimebatur prius, obtinet victoriam, & inimicos facilè ſupprimit. Cæterum quanam arte fieri queat, ut cælum tractemus noſtris manibus, & adminiſtremus ægris corporibus, audietur infra manifeſtius, & ſpagiricè.

Quod cælum igitur eſt inferius, idem eſt ſicut cælum quod eſt ſuperius, & è contra, ad perpetranda miracula rei unius, medicinæ videlicet univerſalis. Satis clarè docetur cœlum etiam potentia hic apud nos eſſe, nec ſolum apud nos, verum etiam in nobis, & in omnibus rebus à natura productis. Quid manifeſtius dici poſſet, quam cæli ſuperioris incorruptibilis vires, atque virtutes paſſim in inferioribus iſtis rebus naturalibus, ut in arcis, reconditas, & à nobis reſeratione per clavem ſpagiricam haberi poſſe, item iſtas virtutes inferiores à ſuperioribus impreſſas per influxum, vocari cælum inferius? Vultis audire fuſius: Unio corporis & animæ per ſpiritum, vita eſt, & iſtorum diſſolutio mors. Quanto magis igitur ad unionem vergit medicina, tanto magis ad vitam accedit à morte procul diſcedens. Rurſus unio nullam multitudinem admittit. Si cauſa vitæ ſit unica, unicus etiam effectus ejus, & unica medicina poteſt eſſe vitæ inſtaurativa; cum nihil aliud ſit vita, quam unio quæ dicta eſt. Cæteroqui Hermetem Triſmegiſtum de unione idealis mundi & ſuæ medicinæ diſſerentem per ſimilitudinem etiam coaptantem audiamus.

Et ſicut res omnes fuerunt ab uno meditatione unius, ſic omnes res natæ fuerunt ab hac una re adaptatione. Haud ſecus enim ac res omnes ab uno Deo mentaliter creatæ ſunt, meditatione vel conceptione unius mundi per ideam, pariter & omnes res productæ ſunt ab hoc uno mundo præmeditato, effectu, & materia, ſervata ſimilitudine prioris exemplaris, ac diviſione quadam in ordinem redacta. Item ut unus eſt Deus tantum & non plures, unum etiam per unum ex nihilo mundum in mente ſua prius creare voluit, ac ſubinde in effectum producere, quo continerentur omnia quæ crearet in ipſo: Deus ut eſſet in omnibus unus. Verum declarare viſum eſt, cur hoc loco ſententiam nonnullorum aliorum commentariorum ſequi noluerim, nec in plerisque alijs. Percepi ex ſerie verborum, non eſſe Hermetis opinionem, ut per unum in hac particula, *ab uno*, globum confuſum, quem Chaos appellant, intelligamus, ſed potius unum Deum creatorem. Cum poſtea ſubdat, *fuerunt ab hac una re* (*præmeditata & in effectu adducta puta*) *natæ per adaptationē.* Non dicit *ab uno*, ut antea dixerat, *fuerunt ab uno meditatione unius* (puta) rei vel mundi. Præterea notanda eſt hæc differentia, quam fecit amor inter eſſe & naſci. Quandoquidem à natura

tura nulla res habet eſſe quod eſt, ſed ab ea ſolum res omnis producitur vel naſcitur ex eo quod eſſe habet ex nihilo; per verbum ſolum Dei ejuſque virtutem, & non ex verbo ſubſtantiam habet: hoc ipſum eſt prima viſibilis creatura, nempe natura. Auctoris vero ſententia depravata mihi videtur, mutilataque per omiſſionem unius dictionis, *creatæ* videlicet, negligentia potius quam typographiæ, traductorum, & ad hunc modum reſtituendam eſſe duco: *Sicut res omnes creatæ fuerunt ab uno, meditatione, &c.* Innuit igitur his verbis Hermes medicinam hanc univerſalem, ad imitationem creationis mundi fiendam, non componendam, ut infra dilucidius, *Sic mundus* (inquit) *creatus eſt.* Hæc particula meam etiam confirmat opinionem, non perperam neque temere me quod mutilum videbatur, reſtituiſſe. Colligendum igitur ex his ſpagiricum opus ad medicinam univerſalem, eſſe ad imitationem creationis mundi cum inchoatum, tum etiam completum, & ideo per ſimilitudinem ſupernaturale, quamvis ex naturalibus fiat. Porro concludit auctor ex mundi creatione ſupernaturali, phyſicam generationem, ſimilitudine quidem unitatis naturalis ad ſupernaturalem facta, & non unitatis ſpagirici artificij: nondum enim ad iſtius operationem pervenit. At compendioſe prius eam firmiſſimis argumentis contra quosvis detractores, & ignaros corroborare conatur quàm aggredi, ne filij ſui reproborum etiam reprobantium nugis remorentur. Subdit enim: *Sic omnes res natæ fuerunt ab hac una re.* Creatarum rerum docet unicum fuiſſe genus generaliſſimum, à quo reliqua genera, ſpecies, & individua nata ſunt, indiesque propagantur in finem uſque ſeculi. Non eſt quod quiſpiam putet rem unam hoc loco, ad creatorem referri debere, ſed ad creaturam unam ſcilicet naturam primitivam: quod etiam præpoſitio, hac, denotare videtur. Nam ſi genitivus unius ibidem *meditatione unius*, referatur ad ablativum *ab uno*, (quod præter omnem loquendi rationem eſſet, potius enim dixiſſet, fuerunt ab uno meditatione ejuſdem) certum eſt eum pariter dicere debuiſſe poſtea, *ſic omnes res natæ ſunt ab hoc uno.* Hæc tantum à me dicta ſunt, ut lectorem admoneam à dubia philoſophorum phraſi (quam amphibologiam vocant) ſumme cavendum eſſe: non quod Hermetem ad hunc modum ſcripſiſſe dicam, ſed fortaſſis ejus interpretes nudam auctoris ſententiam alijs invidentes omnibus præterquam ſibi, dubiam commentarijs ac interpretationibus reddidiſſe. Quod facile percipient quotquot alia commentaria legentes acute rem ipſam perpenderint: utpote ſui lapidis, quem vocant, interpretationem textu longè difficiliorem eſſe, & obſcuriorem intellectu. Cæterum quid unum, & una res apud Hermetem extiterint, eſt quod interpretemur è re medica, & non metal-

laria,ſed humana. Deus itaque hoc unum eſt, quod ante omnia ſecula ſolum eſſe,vel ens trinum in unitate fuit ab æterno, quodq; creare voluit unum, eatenus ſibi ſimile quatenus unum, hoc eſt, naturam unam,primam viſibilem creaturam, & mundum unum: hic enim ſpiritu,anima,& corpore conſtat. Eſt multorum philoſophorum ſententia, ſpiritum rerum naturalium eſſe medium inter animam & corpus, alij volunt animam eſſe medium inter illa, hac inducti ratione,quod ſpiritus ſit anima ſubtilior,& aptius extremum ad corpus craſſiſſimum comparatum, ut anima ſit iſto ſubtilior,& ſpiſſior ipſo ſpiritu. Mea ſententia judicium litis adhuc ſub judice relinquente, ſuaderem interea, ut non ſepararetur ſpiritus ab anima non magis, quam lux à ſuo luminari, aut hoc à ſuo firmamento. Verum ſub firmamento,quoniam vita rerum naturalium à ſolo motu corporum ſenſibus percipitur magis quam ab ipſa cauſa motus,quæ eſt ignis æthereus, hoc argumento ſpiritum eſſe dicunt, anima ſubtiliorem, quæ per motum ſub ſenſum cadit,non ille. Tantiſper igitur hoc loco, poſteriore hac opinione fruar,donec alia melior occurrat. Nam ſi juxta Hermetem concedatur ſpiſſum & ſubtile eſſe extrema, ut verba ſonant: *Separabis terram ab igne*, tum quod antea, *portavit illud ventus in ventre ſuo,id eſt,aer*, neceſſario ſequetur ignem eſſe extremum & ſpiritum Hermeti, quod aeri,in quo geſtatur, ſit longe ſubtilior. Magis enim aeri convenit anima quam igni, ſiquidem in illo fit effectus vitæ motivæ, per cauſam igni propriam. Pariformiter omnis cauſa motus, eſt ſubtilior ſuo motu & effectu. Exempli gratia: Si faber domum extruere debeat, tria potiſſimum illi neceſſaria ſunt, ars aut ingenium pro ſpiritu: motus aut operatio pro anima: deinceps materia pro corpore. Diceret fortè quiſpiam motum hoc loco eſſe accidens, concedimus in artificialibus,at in naturalibus negamus, quia motus iſte utrique ſubſtantiæ ſpiritus & corporis commiſcetur ſubſtantialiter. At in artificiali motu, cui nulla ſuffragatur natura, deducto ad ſuum effectum opificio, ceſſat in eo motus omnis. Concludentes igitur dicimus nullum quoquo modo fieri poſſe motum abſque motore & moto. Tria ſunt itaque neceſſaria hæc ad vitam naturalem,ut ſpiritus movens, anima motus ipſe, & corpus motum,quæ ſimul conjuncta,naturale quid unum efficiunt. Summaria Hermetis ſimilitudinis coaptatio,ad ſuæ mentis conceptus approbationem hæc eſt. Non abſimili modo quo Deus primo creavit unum mundum ſola meditatione, pariformiter creavit unum mundum, ex quo quidem res omnes natæ ſunt adaptatione. Sub meditatione ſimplicitatem unitatis in creatione mentali denotare vult, & poſtmodum per adaptationem innuere diſpoſitionem vel ordinem ſub numero, menſura, & pondere materiæ

conv-

convenientibus. Cum igitur primum ordinis membrum ſit numerus, & primus numerus duo, ſi mundi materia univerſalis per ordinem diſponenda ſit, in duo primum erat (ut æquum eſt) dividenda, ut in Geneſi docetur, ſcilicet in cælum & terram. Maxime quod primus numerus duo, materiæ primæ conveniat. Hoc ipſum docet Hermes, inquiens: *Quod eſt inferius, eſt ſicut id quod eſt ſuperius.* His itaque verbis conſtat Hermetem Triſmegiſtum ab Hebræis Geneſin edoctum fuiſſe, licet Ægyptius fuerit, ut Auguſt. teſtatur lib. de civitate Dei, Suidas, &c. Proinde conditor naturæ maſſam unam ſuo nomine creatam in duo diviſit, in cælum ſuperius, & in terram inferiorem partem, ut quod cælum quidem in ſe ipſo non poterat, in ſua conſorte terra gigneret, perinde ac Adam in Eva, quo pervenuſte correſponderent ultima primis, & his illa. Fuit igitur diviſio valde neceſſaria, ut ea generatio quæ ſub uno recens olim creato concludebatur, de potentia deduceretur in actum. Sub iſto binario ſpirituali & corporeo, tertium quid latuit quod vinculum eſt ſacrati matrimonij. Hoc ipſum eſt medium uſque huc in omnibus perdurans, ac ſuorum amborum extremorum particeps, ſine quibus ipſum minime, nec ipſa ſine hoc ſuo medio eſſe poſſunt, quod ſunt, ex tribus unum. Verum obtrudet quiſpiam; ſententiam eſſe philoſophorum omnium artem intelligentium, non fieri tranſitum niſi per medium, ſed prioris extremi perfecti, ad imperfectum perficiendum. Docere tamen hic videtur Hermes ſumendum eſſe motus initium, ab imperfecto ad perfectum, ad ſummam perfectionem acquirendam. Sequetur etiam à contrario, ut qui contra ſententiam Hermetis niteretur à perfecto ad imperfectum progredi, talem eſſe conſecuturum opus imperfectum; quia præpoſuit Hermes inferius ſuperiori. Reſpondetur fatuum eſſe putare hoc loco doceri tranſitum ab auctore, cum nondum ad artis tractationem pervenerit, nihilo minus in arte ab initio talis eſt obſervandus ordo. Certum eſt enim elementa hæc inferiora cœlo eſſe imperfectiora, ut etiam à ſimplicibus elementis ſuis in cælum ſuum adductis conſtat per unitatem alienam à compoſitione. Sed quia jam in inferioribus verſamur, & ad ſuperiora ſcandere nequimus, in hoc negotium eſt, ut ea manibus contrectemus, neceſſarium nobis erit ab inferioribus iſtis, quæ ſunt præ foribus, ad ſua ſuperiora ſibi naturaliter permixta, conſcendere. Ut iſta ſemper à ſequentibus dilucidiora fiant, non nihil eorum quæ præpoſuimus erit nobis reaſſumendum. Haud aliter quam apud nos ars nulla ſuo carere poteſt artifice, materia, nec inſtrumentis; naturale magiſterium neceſſario ſuis & ſibi congruis indiget. Ab artificis ingenio vel artificio primum exordiamur, quod eſt movens cauſa. Uti lignum &

ipſa dolabra nihil efficiunt, niſi faber illa moverit ad actum: cælum & elementa generare nihil poterunt, niſi faber, aut fabri cæleſtes in inſtrumento cælo, motum ut animam excitent, medium inſtrumentum inter fabrum & materiam elementorum. At qua ratione medium hoc inſtrumentale, vinculum ſit extremorum videamus. Motus hic eſt duplex & unus, aut ut melius intelligatur dupliciter unus, elementaris & æthereus. Dicamus igitur cum Hermete: Quod inferiora movet, idem eſt quod movet ſuperiora ſpiritus videlicet, quo miracula unius rei multa patrentur, cum phyſico, tum ſpagirico modo. Verum ipſe motus excitatur in inſtrumento, animæ videlicet, ac effectum habet in materia & elementis. Neceſſarium eſt igitur animam ut inſtrumentum, eſſe medium, quo binæ partes extremitatesque in unum conveniant. Exempli cauſa, fabrum naturalem fabris apud nos ferrariis non inconcinne comparemus. Ferro primum iſti, & malleis diverſis majoribus & minoribus indigent, incude pariter & igne. Officina vero focaria fabri naturalis, terræ centrum eſt, in quo naturalis ignis inferior ſui motus actionis habet initium, uti noſter à cote & chalybe, &c. Attamen æthereus illi datus eſt, uti noſtris habitus magiſterij per ingenium & aſſiduitatem acquiſitus. Qui tamen ambo ſubſtantia non, ſed accidente ſolo partim inter ſe differunt, partim conveniunt ut motu, quo rurſum differunt, ut circulari, & recto. Similiter animadvertendum, ut incus fabris in terris inſtrumentum inferius eſt, & mallei ſuperiora ſunt inſtrumenta activa, naturali fabro ſolidior elementorum ſubſtantia, uti lapides atque terra incudis & materiæ nutricis vicem gerunt: ſtellæ vero malleorum officium habent. Item inferiorum ſubſtantiam volatilem in regione media, ſuperiorum ſemina concipientem, matricem in utero ſuo geſtantem eſſe dicimus. Nec follium hoc loco nos obliviſci oportuit, qui naturales venti ſunt. Adaptat ergo natura materiam ſuam, priuſquam informet, vel motum animamve tribuat. Proinde concludentes mundi nexum à duplicibus corpore, anima, & ſpiritu ſuperioribus, pariter ac inferioribus, accidente ſolum differentibus, ſubſtantia tamen ſimilibus, fieri dicimus & perfici. Hæc ut melius adhuc intelligantur, operæ pretium fuerit naturæ magiſterium dilucidius explicare. Mundum univerſum conſtare pluribus partibus generaliſſimis, quam tribus, quis philoſophorum, niſi temerarius nugator quiſpiam, audebit affirmare? Sunt enim forma, lux aut vita naturæ, & materia, prima rerum omnium principia. Quocirca mundum quicunque voluerit in ſubſtantia cognoſcere, tria primum hæc ſibi notiſſima fore neceſſium eſt. A definitionibus igitur eorum erit inchoandum. Univerſalis porro naturæ materia dicitur, elementaris regio tota, quæ licet in elementa quatuor dividatur,

vidatur, ignem, aerem, aquam atque terram, duo tamen habentur præcipua, ignis & aqua. Quoniam aliud nihil eſſe videtur aer, quam aqua per virtutem ſpiritus domini ſuper aquas in creatione mundi gliſcentis, reſoluta: terra vero per congregationes aquarum inferiorum aqua denſata, & exiccata. Biſariam aliter dividuntur in duo manifeſta, terram, & aquam; & in alia duo occulta ſub illis, ut aer & ignis. Sub aqua namque deliteſcit aer donec ignis actionibus manifeſtetur, & ignis ſub terra, uſque dum hominis appareat artificio, vel alias naturaliter per ſpiracula quædam emergat, ut in monte Aetna, Puteolis, cæteriſque locis. Conatur ignis ex propria natura, dum poteſt, aquam in ſe convertere, quod ut facilius perficiat, duobus utitur mediis, ſecundum ambas utriuſque qualitates contrarias: priore, ut calore ſuo frigiditatem: poſteriore, ut ſiccitate ſui caloris, humiditatem abſumat. Videmus quippe nubes ignis calore ſuſpenſas, inter aquam & ignem tenere medium. Quoniam ſi calor ignis, qui circa ſuas extremitates remiſſior eſt, quam in ſuæ ſphæræ meditullio (in quo maxime intenſus) vincatur aquæ reſolutæ frigiditate, hujuſmodi medium in alterum extremorum vincens convertitur, & ignis, ſic diſponente natura, ſuo conatu fruſtratus, dum unum abſumere nititur, eodem generat alterum, quod rurſum in id ex quo generatum eſt redit. Hæc enim circulatio generationis eſt potiſſima cauſa. Non abſimile videmus ignem viſibilem in corporibus à natura compoſitis exercere. Lignum exemplo ſit admotum igni, quod priuſquam omne humidum aqueum ejus in aerem ſit converſum, non flagrat ejus ſulphur: illo tamen abſumto, pariter & ignis in aerem, & deinceps in ſeipſum redit, ligni partibus ſolidioribus in cinerem vel terram decidentibus. Propterea dicendum non eſt ejuſmodi ligni elementa fuiſſe conſumta, ſed potius quodlibet elementum à ſuo ſeparatum compoſito, ad propriam ſuam ſphæram rediiſſe. Hac de re facta eſt apud philoſophos dubioſa quæſtio, utrum plus abſumeret ignis quam generaret? Sanum dici videtur æquales ignis eſſe operationes ætherei & elementaris. Nam ſi plus abſumeretur elementari, quam generaretur æthereo, poſſet aſſignari vacuum in rerum natura, quod abſurdum eſt. Si verò plus generaret æthereus, quam abſumeret elementaris, ſuperfluum non poſſet jam ſuo determinato loco contineri. Alterutro modo, vel alvum naturæ ſolvi, aut comprimi foret neceſſe. Brevibus tamen reſpondebitur ac tutius, nihil ab igne conſumi, ſed per transmutationis modum, quod ab uno recedit elemento, hoc ipſum ad aliud accedere. Perinde natura ſagax indies ex elementis ad hunc modum transmutatis, & forma, novas excitare formas ſolicite procurat, ut per generationem informetur, quod per corruptionem eſt diſpoſitum; ſitque operatio naturæ

juxta cæleſtes actionum & impreſſionum motus. Solent pleriq; nimium curioſi Phyſiologi nondum experti rerum naturalium, nobis hoc argumentum obtrudere, quo Chemiſtarum quintam eſſentiam oppugnent, verum non expugnabunt niſi validius adſerant. (Corpora (inquiunt) quatuor conſtant elementis vel eſſentijs, ubi quintum igitur elementum vel eſſe quintum? Fatemur corpora conſtare quatuor elementis materialiter; nec tamen admittimus ex iſtis ſolum eſſe compoſita, ſed etiam forma; quæ ſane aliquid eſt, & potiſſima pars cujusvis compoſiti, poſt vinculum naturæ quo formæ ſuæ conglutinantur elementa. Non poſſunt enim ſpiſſum & ſubtile propter mutuam inter ſe repugnantiam, in unum per ſeipſa convenire. Quapropter neceſſarium fuit per vitæ medium componi, quo facilius conjungerentur. Hoc natura vinculo cuncta componit, quod philoſophi ſolent nobis ænigmate tradere. Fac pacem (aiunt) inter inimicos, & totum habebis magiſterium. Elementa vero concludentes, dicimus illa tripartita, ut ſimplicia, compoſita & decompoſita. Simplicia ſunt quæ nec corrumpuntur, nec patiuntur inter ſe ullam compoſitionem: non quidem ex eis, ſed per ipſa omnia alia elementa inferiora ſuas vires exercent, quas etiam ab illis ſortiuntur. Compoſita ſunt ea quæ patiuntur corruptionem, & componuntur. Decompoſita vero ſunt illa, quæ jam in compoſitione per corruptionem & generationem convenerunt. Quicunq; hæc in illa, impura in pura, compoſita in ſimplicia noverit convertere, maximus erit admirandorum operum artifex. Cæterum ad formam devenientes, hanc dicimus (non quod dat eſſe rei, vel nomenclaturam, cum infidelib.) ſed quod æthercam regionem ſuperiorem & inferiorem elementarem movet ad actum, & motus potentiam conceptivam. Per elemētorum in ſeſe mutuam tranſmutationem, aptat natura materiam, illi formam tanquam ſemen in matricem includens: hujus virtute prægnans, veluti matris uterus, fœtum è potentia producit in actum ſpecificum. Id ſibi philoſophi volunt: Forma (inquiunt) deducitur de potentia materiæ. Potens eſt enim ipſa materia parere, quia forma generatur in illa. Agit igitur forma in materiam, quod à luce naturæ accepit, videlicet motum atque vitam, ſeque mediam præbet ut artificem. Cæterum lux & vita naturæ, ſpiritus eſt univerſalis actionis in elementa per formam. Hic enim ex univerſali forma naturæ, ſpecificas indies formas, à Deo tamen primo creatas, quæ corruptela deficiunt, renovare non ceſſat. Artificium ejuſmodi duplici perficitur inſtrumento, diſpoſitione, & influxu. Natura movens, corrumpendo materiam per actionem in centro excitatam, eam diſponit ad formæ potentiam in regione media ſuſceptivam, & cæleſtium influxuum, quæ deinceps ſuo determinato tempore prorumpunt inferius in formas ſpecificas,

ficas, juxta conditionem luminarium in ſuperiori diſpoſitione formarum concurrentium, ex dicto nonnullorum: Secundum materiæ diſpoſitionem agit forma. Verum obliti diſpoſitionis etiam formarum, vel non intellectæ, tranſcurrunt, eam ſub ſilentio prætereuntes. Reliquum erit ut modo videamus, quid Hermes loquatur de genealogia ſpagiricæ prolis. *Pater* (inquit) *ejus eſt ſol &c* Quid ſol & luna ſint in cælo ſuperiori, non eſt quod explicemus, cum vel plebeis etiam notiſſimum ſit, actiones tamen & virtutes eorum pauci ſunt qui intelligunt, quapropter illas narrandi hoc loco datur occaſio: harum enim vera cognitione, mens legentis ad altiora pervenire poteſt, nimirum ſpagirica. Sol itaque cæleſtis eſt luminare diei magnum à Deo poſitum in medio cæli. Cur autem cæli medium locum occupet, res per ſe clara, ut ſcilicet omnia ſupra & infra ſe luminaria illuminet, mundumq; univerſum radijs ſuis in centrum uſque fœcundet, in quod quidem oculi ſui centrum, & aliorum luminarium aſſidue defixum eſt. Ut fons vitæ corporis humani, centrum eſt cordis ejus, vel id potius quod in eo deliteſcit arcanum, in quo viget calor naturalis, reliqua membra calefaciens, illuminans, & vivificans: haud ſecus ſol mundi partes omnes ſuperiores & inferiores calore lumineque ſuo vivificat naturaliter, mediate tamen id efficit. Eapropter mundi cor à calore, & oculus à lumine dicitur. Quippe qui cuncta luſtrat etiam abditiſſima quævis penetralia in centrum uſque terræ. In illo cælicæ virtutes omnes naturales reconditæ ſunt. In ſumma corpus eſt omnium quæ in condito cælo ſunt & in terra nobiliſſimum. Juſta ratione igitur primus poſt Deum pater ac parens omnium vocatus eſt, cum in eo quorumvis ſeminaria virtus atque formalis deliteſcit. Maſculinum & univerſale ſemen primum & potiſſimum eſt ejus naturæ ſulphur, generationum prima pars omnium, ac potiſſima cauſa. Proinde à Paracelſo prolatum eſt, ſol & homo per hominem generant hominem, quod à ſole vita naturalis creaturarum omnium mediate ducat originem, & ex ejus vita ſit omnis vita caduca. Si ſol igitur vivit, neceſſarium eſt ut in aliquo vivat, ſcilicet in humido ſuo radicali, aëre puriſſimo ac ſimpliciſſimo, qui calorem illius, humore ſuo contemperat. Fatuum eſſet cum plurimis credere, ſolem eſſe duntaxat ignem cæleſtem. Vita ſiquidem conſiſtit in unione ſpiritus cum corpore per medium animæ, quæ ab hac unione movetur ad actum vitæ naturalis. Alioqui ſolem non vivere concluderetur contra veritatem, cum unio naturalis inter duo ſemper fiat, ex quorum concordia tertium quid reſultat unum vel unitum. Imo quod magis eſt, unicum dicimus elementum eſſe ſolem, in quo cuncta continentur elementa ſimplicia, ſicuti in cælo & reliquis corporibus cæleſtibus, at in illo perfectius,

propter vitam quam aliis infundit, cum ſuperioribus, tùm inferioribus. Sol itaque pater eſt virile ſemen omnium naturaliter generatorum, & luna mater, ut infra. Denique docet Hermes lunam eſſe matrem & uxorem ſolis, quæ fœtum ſpagiricum à Sole conceptum in ſua matrice uteroque vento geſtat in aere, terramque nutricem, &c. primamque rerum generationem in cælo primum concipi, & deinceps in terris perfici, quod infra. Non enim ſol immediatè ſuos influxus vitales imprimit in inferiora, ſed per lunam quæ ter atque decies quotannis à viro ſuo per conjunctiones concipit, fœtumque pariens demittit; ut audietur poſtea. Uti indies tamen parit, etiam virtutes indies à viro ſuo concipit, non aliter & ſtellæ quævis, licet in congreſſu fœcundius, ob majorem contiguitatem. Conceptiones & partus ejuſmodi non per contactum, ut in terris, at per ſolos influxus & ſpirituales fiunt aſpectus. Ut quum nobis plena conſpicitur, minus virtutum à ſole concipit, quàm ubi latens omnino fuerit ſoli conjuncta, propter majorem diſtantiam, at plus in oppoſitione quam inter laterales aſpectus. Ideo quia potentiores influxus & radij ſolis recti ſunt obliquis. Exiſtimandum non eſt igitur ex illo vulgari proverbio defectum pati lunam, cum eo tempore maxime virtutibus imbuatur ſolaribus. At quia tum nobis conſpicua non eſt, cum ob ſolare jubar omne lumen naturale vincens & obfuſcans, tum quia media pars tantum quæ opaca eſt nobis, obverſatur, privata videtur lumine cum plurimum tamen ejus contineat, à ſole quoque plus accipiat, quam in oppoſitione dum plena prorſus apparet. Non prætereundum eſſe duximus, quæ de duobus iſtis luminaribus magnis ratione divini ſui matrimonij per creationem ex Geneſi conſideratu digna ſunt, ex ſedula ſui conjugij, & inviolata nullis unquam temporibus obſervatione, juxta ſibi divinitus præſcriptum ordinem. Bina hæc etſi diviſa corpora, tamen ex una ſunt eadem ſubſtantia, non ſecus atque cælum & terra ex unica duntaxat abyſſo; uti hic etiam apud nos, vir & mulier unus homo fuit, factus duo, poſtmodum in carne rurſum una conjunctus. Solis autem virtutum à luna conceptio, perfecta nondum eſt generatio, ſed initium tantum ejus, quę inferioribus debet perfici. Eſt igitur luna medium per quod ſuperiora ſemina induuntur inferiorum matricibus, unde poſtmodum craſſiora pariunt elementata, quæ mixta vel decompoſita. Ut ſpagirico modo repetamus iſta paulo altius. Si ſol igitur & luna vitam infundunt in inferiora, ſequitur ambo per vitam, & potentialiter illis ineſſe, quæ quidem potentia per ſpagiricam artem elicitur ex quibuſvis rebus naturalibus. Nam vita ſolis & lunæ eſt unio per Jovem, & longa ſanaque vita merito dici poteſt. Si verò per Saturnum fiat unio Mercurij & Martis, ægra brevisque vita fiet. Quapropter

propter ubi quodvis compoſitum in ſuum Mercurium, Saturnum & Martem reduxeris, ab his quoque Solem & Lunam extraxeris, mediaque Jovis utriuſque temperie conjunxeris, unum efficies ex tribus iſtis excellentius, quam antea per naturam compoſitum fuerat, ſub alia forma tamen. Etenim deſtructa ſemel forma Phyſica, non eſt alicujus artis eandem reſtituere, ſed longe meliorem oculis carneis tantum alteratam apparentem. Quanam induſtria id fiat, natura nos docet à ſuis quotidianis operationibus, noſtris etiam oculis cernentibus ut auctor docet: *Portavit* (inquit) *ventus in ventre ſuo.* Superius utcunque hunc locum tetigimus, quod ſatis eſſe poſſet acutis ingeniis: quo tamen prodeſſe valeam omnibus, impigre hanc rem tractare volo, cum ſit notatu digniſſima, plurimumque faciat è re legentium ſpagirorum obſcuriora ſcripta. Quo quidem tendit omne meum ſtudium, ut conatus ſtudioſorū hominum abſtruſioris hujus philoſophiæ, quantum in me eſt promoveam; ſciens enim dum alios inſtruere conor, ac participes facere mei talenti, meipſum exercens erudio laboribus, gratia verò lumenque pendet à ſuperis. Sol & Luna inferiora quidem, è centro ſurſum attolluntur inferioris naturæ magiſterio, donec ad ſuperiora deveniant in mediam regionem, ibidem exiſtentia ſuperioris ſolis virtutes in ſuperiorem lunam infuſas (quia ſimilia naturâ ſimilibus gaudent) ut matrices inferiores, ſuperiora ſemina concipiunt: quod uxoris hoc ſit munus & officium. Jam clariſſimè vobis apparet quod Hermes antea docuit his verbis ab exordio: *Quod eſt inferius, eſt ſicut id quod eſt ſuperius, & quæ ſequuntur.* Etenim ſol & luna in cælo ſuperiori, & in inferiori, ſubſtantia ſunt ſimilia, licet accidente differant, per vitam ſcilicet longam & brevem. Sub Marte igitur vulcanicas artes exercente in officina ſua focaria, centro terræ videlicet, inferior ſol deliteſcit univerſalis, qui ſui parentis impetu per ventum extra cavernas ſubterraneas erumpit. Ejusmodi follibus Vulcanus, at potius Archeus (ut Paracelſicè loquar) elementorum partes puriores & ſubtiliores in cœlum à ſe pellit, utpote ſolem inferiorem ignis & terræ puriſſimam ſubſtantiam continentem, & lunam etiam inferiorem ſubtiliſſimam & puriſſimam aquæ ſubſtantiam ſub aeris forma deliteſcentem, in ejus utero geſtantem (ut verba ſonant. *Portavit illud ventus in ventre ſuo*) quo ſemen inferius univerſale & fœmineum per aera delatum, jungatur ſuperiori ſemini univerſali maſculino, & ſingulis ſpecificatis ſeminibus aliis in utero venti, & in aëris matrice. Certum eſt ex aqua & igne conſtare aërem, item ex igne & aëre, cœlum, & ſub ignis appellatione puriſſimam terræ ſubſtantiam comprehendi cum igne ſimul aſcendentem, & ſub aëris nuncupatione puriſſimam aquæ ſubſtantiam, juxta viciſſitudines tranſmutatio-

num unius in aliud, ex jam dicto naturali artificio. Proinde venter & uterus naturæ eſt, matrix conflata ex omnium inferorum elementorum ſubſtantia puriſſima, in volatilem aerem converſa, in qua concipitur per medium lunæ, ſemen univerſale ſolis, etiam per alia luminaria ſpecificatum, ad ſpecierum variam diſtinctionem. Poſtquam igitur auctor Hermes tria propoſuit elementa, duo ſub nominibus ſolis & lunæ, tertium verò ſub appellatione venti, jam ſub nutricis comparatione, & proprio nomine terram ſubdit, eamque dicit eſſe nutricem fœtus naturæ prius in aëre concepti, & ab ejus uberibus omnis fœtus ad alimentum & ſuæ vitæ ſuſtentationem, lac illud mercuriale ſugat, ſcilicet craſſiorem aquæ ſubſtantiam inferius apud terram manentem. Pars itaque volatilis (ut auditum eſt) elementorum, ut imprægnata, mox ad ſuam partem fixam rediens, parturit fœtum ac nutrit ex fixa ſubſtantia, donec ad perfectionem veniat. Spagiri naturales ejuſmodi generationum vices non ſomnolentè, non obiter, nec in vanum contemplati, ſuam artem ſpagiricam non melius, ſed ſolidius didiciſſe potuiſſent. Quapropter ut ipſi ſpagiricum ſolem generent, naturam imitati, compoſitum à natura ſuas in partes diſſolvunt, per ſuum Vulcanicum Archeum, è centro ſolem & lunam artificialiter in utero venti pellunt in altum, & poſtmodum in ſua terra nutriunt, &c. Haud ſecus enim, quam omne quod generatur à terra ſumit nutrimentum, fœtus etiam ſpagiricus nutrimentum habet à ſpagirica terra: hæc dupliciter intelligitur, aliquando pro inferiore parte vaſis accipitur, ut ſuperior pro cœlo. Quandoque Jupiter ſpagiricus, qui fixus eſt, & à ſudoribus repurgatus, pro terra nobis eſt foliata, in qua & ex qua, pars volatilis, quæ poſt aſcenſum in cœlum, in eam deſcendere coacta eſt, nutritur & perficitur. Theoricam artis ſpagiricæ concludens auctor inquit: *Pater omnis Theleſmi totius mundi eſt hic.* Ac ſi diceret arcanum iſtud quod vobis propono, pater eſt, origo, & fons arcanorum & myſteriorum omnium præcipui & maximi inter cætera totius mundi arcana: quapropter non omnibus propalandum, & minimè prophanis hominibus, & vix ſacris initiatis myſterijs: etiam illis admodum ſub brevi colloquio. Quid enim excellentius, aut homini philoſopho dignius, quàm per integræ naturæ ſuperioris & inferioris cognitionem & uſum, fieri vitæ longæ participem, procul ab hac profligatis ac pulſis omnibus vitæ brevis corruptionibus, atque mentis obſtaculis & impedimentis, quibus olim obtenebrata cæcutiebat? Nunquid longè præſtantius quibuſvis poëmatum figmentis, ad idololatriam potius quam ad unius Dei cognitionem excogitatis? Tametſi ab aliquibus allegoricè perperam, ac ſi multa præclara myſteria complecterentur, interpretata ſint: nihil minus tamen quàm unius Dei ſolius magnalia,

gnalia, tot ſomniatis Deiculorum ac meretricularum nominibus cecinerunt. Licet Ovidius aliquid ſubodoraſſe videtur in ſua Metamorphoſi, plurima nihilominus frivola ac impia magis immiſcuit, ad hanc rem nihil prorſus conſerentia. Quid quæſo ſcripta proſunt infidelium ad ſalutem? certè nihil, imo potius à veritatis ſtudio (dum his attenti nugis) homines revocant. Pluris tamen fiunt hoc ferreo ſeculo, quam piorum ſcripta virorum unum Deum profitentium in omnibus. Num præſtaret juventutem (à qua, ſi mundus reformari debeat, initium potiſſimum habeat maximè neceſſarium eſt) addiſcere quæ Dei ſolius ſunt opera, quàm hominum ſomnia? Phyſica ſanè ſi ritè ut æquum eſt doceatur ex ſacra Geneſi mundi, in cognitionem Dei per conditoris magnalia ducit, indeque ad adeptam philoſophiam & cœleſtem ſapientiam præparat animos & mentes hominum. Proinde ſi quis profundè meditatus fuerit ac ſublimatè, cuncta quæ Deus Opt. Max. in creatione mundi fecerit in hominum gratiam & utilitatem, tum demum intelliget patrem arcanorum omnium, & excellentiſſimum Theleſmi ſacri myſterium, ac artis divinæ potius quàm humanæ ſecretiſſimum opus ſpagiricum, cujus pater, id eſt, ſupremum arcanum, eſt hic in iſto brevi veridico. Cæterùm theoricam ſuam concludens, nos docet auctor finem operis ſpagirici cognoſcere, quò ſciamus quando ceſſandum ſit opere. *Vis ejus* (inquit) *integra eſt, ſi verſa fuerit in terram.* Antea audivimus elementum inferiorum ſubtiliores partes cœlicis virtutibus imprægnari, ac deinceps in terram & aquam reverti, nec prius ejusmodi virtutum conceptiones ſuum effectum generationis conſequi, modò vero decetur à ſimiſi, complementum operis ſpagirici. Ut quum id quod portavit ventus in ventre ſuo, verſum, aut converſum fuerit in terram, completum erit opus. Longa ſiquidem & indefeſſa coctione liquida (licet etiam non evaporent, ſed retenta) inſpiſſantur, & ſucceſſu temporis exiccantur in pulverem vel terram: vulgo videretur abſurdum, at qui hujus rei fecerunt periculum ſoli credere poſſunt. Verùm tempus longum eſt ac tædioſum, & ſumma exſpectandum patientia. Totum hujus rei negotium prolixitatis, in electione & præparatione magis aptæ materiæ potiſſimum conſiſtit. Quædam enim ſunt remota, alia remotiora, nonnulla remotiſſima. Alia propinqua alia propinquiora, maximeque propinqua perfectioni. Quæ ſingula ſpagirico artifici cognitu maximè neceſſaria ſunt, priuſquam aggrediatur opus, alioqui ſuum deplorabit errorem. Hactenus de theorica hujus artis inſtructos diſcipulos ſuos ad Practicam deinceps invitat, ut infra.

DE PRACTICA OPERIS SPAGIrici ad medicinam vitæ longæ parandam.

Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo, &c.

POſtquam theoricè demonſtravit ſpagiricam artem, approbans eam à ſimilitudine creationis mundi, practicè tandem (ut eſt rationi conſonum) à ſeparatione rem aggreditur Hermes, non immemor abyſſi per firmamentum diviſionis inferiorum aquarum à ſuperioribus. *Separabis* (inquit) *terram ab igne*, ut à viro fœminam, quo generare valeant. Oportet ſiquidem in omni generatione duo prius convenire, ut agens & patiens, ſuperius & inferius quod anteà, cum in ſacra Geneſi, tum in ſpagirica vocata: nec tantum duo, ſed quæ ab uno ſeparata ſint, vel diviſa. Et ejusmodi ſeparatio propriè dicitur à ſpagiricis philoſophis elementorum diviſio puriorum ab impurioribus. Docet auctor primam operationem eſſe præparationem & mundificationem partium in hac arte convenientium. Nonnulli putant elementorum quatuor ſeparationem hic intelligendam, quod nemini quidem negatum velim, ſi de ſpagirica ſeparatione loquatur, & non de vulgari. Quandoquidem ſub ignis appellatione duo alia continentur elementa, ſcilicet aer & aqua. Nullus enim ignis eſt aeris expers, nec aer aquæ, cùm aer ſit aqua per ignem reſoluta, quo ſurſum aſcendere coacta eſt: terra vero partim aſcendit, partim inferius fixa manet. Nonnulli putant particulam hanc, ſubtile à ſpiſſo, referri ad priorem, nempè, ſeparabis terram ab igne: verum ego ſum ejus opinionis, quæ magis ad mentem auctoris videtur accedere, peculiarem eſſe purificationem ac magis philoſophicam illa priore: poterit qui volet credere, qui non; minimè cogitur. Subtile namque dicitur à philoſophis ſpagiricis omne quod æthereum eſt, aut per ætherei virtutes in ſubtilitatem adductum. Nam uti ſupra dictum, æthereum & elementa unum eſſe per ſubſtantiam, remotis etiam ab eis utrinque accidentibus, quibus ſolum differunt, in unum facilè redibunt. Eſt igitur auctoris ſententia, per ſeparationem ſubtilis à ſpiſſo, ſubtiliari ſpiſſum elementare, ac in ætherei ſubtilitatem ſpagiricè redigi poſſe. Hæc ſpagirica ſeparatio, ſolutio etiam eſſe dicitur, quæ niſi præcedat, nulla pariter compoſitio ſpagirica fieri poteſt. Quapropter iſta poſterior ſeparatio peroptimè conſideranda eſt, ne cum priori confundatur. Ex ordine dictionum in orationibus (etſi nulla conjunctio ſit intermedia) patet, auctoris menti meam opinionem eſſe conformem. Cùm prius dixerit, *ſeparabis terram ab igne*, ſi hanc ſententiam per eam quæ ſubſequitur expoſuiſſet (ut nonnulli volunt) debuiſſet et-

ſet etiam dixiſſe ſpiſſum à ſubtili,& non ſubtile à ſpiſſo. Quia terra ſpiſſior eſt igne, quem etiam illa præceſſit in priore oratione, aut in poſteriore ordo invertitur ſubſtantivorum. Quo ſatis apparet non eſſe eandem loquutionem, niſi per comparationem diverſarum tamen operationum. Nec dici poteſt adjectivas eſſe ejuſmodi dictiones, quod ſpiſſam rem dixiſſet. Hic unus eſt philoſophis occultandi modus manifeſtiſſimus, à quo reliquos ejus generis addiſcas.

Statim atque materiam & operandi modum indicavit, ordine convenientiſſimo poſtmodum addit inſtrumentum ſpagiricum, & ejus temperamentum occultiſſimis verbis: *Suaviter* (inquit) *cum ingenio magno.* Qui filij ſunt Hermetis, facilè percipiunt quid per hæc verba velit,& non alij. Spagirorum enim, ut etiam naturæ proprium inſtrumentum eſt ignis, qui penes iſtos artifices multifariam conſideratur. Eſt ignis internus, aut externus. Internus eſt cuilibet ſubſtantiæ proprius, & naturaliter inſitus, cujus etiam oportet ut artifex habeat optimam rationem. Externus vero, aut violentus eſt, aut per quatuor gradus temperatus, vel naturali ſimilis ac remiſſiſſimus, qualem ſibi natura poſcit in rerum generatione. Utuntur igne violento Chemiſtæ, vel inter calcinandum, ſicciora ſublimandum, aut metalla ſua liquandum: igne temperato per ſuos gradus, inter deſtillandum aſcenſoriè, vel deſcenſoriè: naturali ſimili, quum putrefaciunt, digerunt, congelant, aut circulatoriè ſolvunt, atque fixant. Patris vero Hermetis documentum eſt, ut filij ſui poſtremo, quo naturam in ſuis operationibus imitari valeant, utantur, quod per adverbium, ſuaviter, apparet. Altera pars, cum ingenio magno videlicet, ignem hunc denotat ſumma diligentia & induſtria conſtruendum eſſe juxta calorem naturalem. Varia eſt ignis ejusmodi ſtruendi ratio, cuilibet pro ingenij ſui capacitate relinquenda, modo ſuavis, continuus,& interruptus ſit. Aliqui ſolent varijs fornaculis ingenioſè fabrefactis continuatum iſtiuſmodi calorem ad amuſſim ſibi parare: & nonnulli varia materia ſuum ignem excitare: quorum omnium auctor hoc loco non meminit, quod brevitati ſtudens ænigmaticæ, recenſere quæ apud alios ſcriptores nuſquam non traduntur, ſupervacaneum eſſe ducat. Proinde reliqua proſequitur ex ordine. *Aſcendit* (inquit) *à terra in cælum.* Circulatoria deſtillatio pulcherrimè declaratur, nec non vas ſpagiricum ad ſimilitudinem vaſis naturalis eſſe conſtruendum. Videmus enim totum cœlum & elementa ſimilitudinem habere ſphærici corporis, in cujus centro viget ignis calor inferioris, materiam ſubtiliorem elementorum in aera ſurſum pellentis, & una ſecum attollentis, ut antea diximus. Haud ſecus vult Hermes nos habere vas idoneum ad illius

hus imitationem. Cum tamen impoſſibile nobis foret artificiale quodpiam vas extruere, quo inſtar naturæ valeremus ignem in ejus centro accenſum artificialiter continere in meditullio ſuſpenſum, idque varijs de cauſis, præſertim quia noſter ignis artificialis præter liberum aërem & nudum, in occluſo vaſe ſtatim extingueretur: neceſſarium igitur fuit noſtrum ignem poni extra noſtrum vas, & ſub ejus rotundi fundi centro, inſtar ſolis naturalis. Integrum iſtius ignis mag.ſterium in eo potiſſimum conſiſtit, ut ſit cōtinuus in eodem ſtatu levis & vaporoſus, inſtar ejus qui in mundi centro, naturale magiſterium aſcenſus in cœlum à terra, ſine intermiſſione indies exercet: ut ex prioribus verbis, *Cum magno ingenio*, nimirum naturali igni (qui dicitur ingenium eſſe naturæ) perſimili. Quorundam philoſophorum occurrit opinio reprobantium, igne ſubterraneo generari metalla, aliqua etiam ex parte, ſed affirmantium etiam cæleſti ſolum igne generationem fieri: non vident interim quinam Hermeti nedum contradicant; verum etiam toti naturæ. Sol enim cæleſtis non intrat materialiter in compoſitionem rerum naturalium, at ſolum potentialiter per influxum & impreſſionē formæ; ſed ignis elementaris eſt potiſſima pars ſubſtantiæ generatorum & materiæ. Huic igni comparandus eſt internus, id eſt, Hermetis materiæ naturaliter inſitus. Patris Hermetis opinio hæc eſt: Igne ſubtus ad fundi centrum vaſis extrinſecus agente in centrum materiæ, ab hoc fœtum ſpagiricum ad ſuperiora propellit, ut verba habent: *Aſcendit à terra in cælum*, hoc eſt, ab inferiori parte vaſis (quæ terra nonnunquam vocatur) ad ſuperiorem, quæ cælum etiam aliquando nuncupatur à Philoſophis. Poteſt aliter ad hunc modum hic locus intelligi. Solis & Lunæ fœtus aſcendit, id eſt, convertitur aut reſolvitur ejus terrea ſubſtantia ſpiſſa, in cælum, id eſt, in ſubtiliſſimam ſubſtantiam cæleſti ſimilem Deinceps auctor, poſtquam ſuis filijs ſpagiricam ſolutionem demonſtravit, eosque docuit, quonam inſtrumento & artificio perficitur, mox inde fixationem ſubdit his verbis: *Iterumque deſcendit in terram*, ac ſi diceret: Poſteaquam aliquandiu ſub cæleſtium virtutum internarum obedientia, ſpagirorum ſoluta ſubſtantia per aſcenſus artificium ſteterit, ſuo tempore determinato maturitatis, ad ſuam terram redit, hoc eſt, ſpiritus iſte rurſum fit corporeus, qui prius è corpore factus fuit ſpiritus: ænigmate hoc olim involutum eſt à philoſophis; Fac fixum (inquiunt) volatile, & rurſus volatile fixum, & totum habebis magiſterium. Sunt nihilominus aliæ multæ ſolutiones & congelationes Chemicæ in iſto magiſterio neceſſariæ, quæ præparationes potius appellandæ ſunt. Fatuum eſt ſane credere materiam hanc ſpagiricam non eſſe prius chemice præparandam atque ſubtiliandam, quam ad opus ſpagiricum aſſumatur. Hoc ipſum

ipſum docent quotquot ſunt philoſophi naturales ex ſpagirica, ſcilicet præparationes eſſe neceſſarias, quas operationes vocaverunt mundificationes, ſubtiliationes, ſolutiones, & congelationes. Corpus igitur in ſpiritum ſolvi neceſſarium eſt, & ſpiritum in corpus redigi, ſi tamen imitari naturam debeat artifex. Videmus enim fieri naturaliter, ut in nubem aqua reſolvatur, & nubes iterum in aquam congeletur, ut fiat quod ſequitur: *Et ſic recipit vim ſuperiorum & inferiorum.* Concludit auctor ſuam practicam his verbis, quæ congrue correſpondent primis theoricis propoſitionibus: *Quod eſt ſuperius, eſt ſicut id quod eſt inferius, & econtra.* Nam per ſingularem numerum, vim, eumque non geminatum, indicat eandem eſſe potentiam naturæ ſuperioris, quæ inferioris eſt, & econtra, non quidem diverſam, alioqui dixiſſet vires, aut ſingularem numerum geminaſſet: quin potius docere voluit (ut etiam ſuperiora confirmaret, nempe, *Ad perpetranda miracula rei unius*) vim & potentiam in unione ſuperiorum cum inferioribus eſſe maximam, ac ad miraculum uſque ſpagiricæ philoſophiæ. Proinde abſoluta practica hujus artis, docet filios ſuos ac diſcipulos utilitatem ejus medicinæ, & uſum duobus modis: priore, his verbis, *Sic habebis gloriam totius mundi.* Nam iſtius gloria mundi conſiſtere videtur in opibus. Non enim ſpernunt veri etiam philoſophi divitias omnino, ſed abuſum earum: imo felicem & glorioſum exiſtimant in hoc mundo divitem, qui ſuas opes largitur egenis & pauperibus: licet obolus viduæ mulierculæ de victu ſuo diminutus magis acceptus Deo fuerit, quam opulentorum ingens pecunia ſuperflua, nihilominus quo ſubventum ſit abunde pauperibus, & non obolo ſolo, D. O. M. nonnullis quandoque ſuis hominibus divitias hac arte donoque ſuo impertivit, ut non exiſtimarent cum pleriſque (ut illis quibus contingunt à parentibus) ſibi ſolis poſſidendas. Verum enimvero, quod hujus partis hactenus paucam admodum fecerim profeſſionem, alijs fuſius copioſiusque hunc locum elucidandum libentiſſime cedens relinquo, poſterioremque partem, quæ medicinam corporis humani ac intellectus concernit, aſſumens, hunc libellum in ſtudioſorum utilitatem & omnis Reip. commodum proſecutus, declarabo, & quæ in hanc rem facere videbuntur, pro imbecillitate ingenij. Cum igitur Deus pauperibus non ſolum auro vel argento per charitatem fraternam ſubventum eſſe velit, verum etiam remedijs ad tollendas eorum infirmitates adhibitis, ut Chriſtus in Evangelio teſtatur per reprehenſionem: Infirmus (inquit) fui, & non viſitaſtis me; poſteriorem itaque hanc docet medicinæ ſuæ ſpagiricæ maximā utilitatem Hermes, in corporis & mentis clarificatione ſitam, inquiens: *Ideo fugiet à te omnis obſcuritas.* Haud aliter quam duplicem nimirum

corpo-

corporis & mentis infirmitatem eſſe ſcimus, duplicem etiam ſpagiricam eſſe medicinam oportet effectu ſolo, non autem eſſentia. Dicit enim, à te fugiet omnis obſcuritas, non dicit à metallis. Per obſcuritatem nihil aliud intelligitur quam tenebræ morborum & ægritudinum corporis atque mentis. Omne ſiquidem corpus infirmum tenebroſum, colore nedum, verum etiam ſanguine, lotio, ſudore, cæterisque omnibus obſcuritatem refert: contra ſanum ſplendorem ac ſerenitatem undique palam facit. Mens auctoris eſt in ſumma, docere eos qui medicamentum ſpagiricum adepti fuerint, minima portiuncula, ut quæ vel granulum ſinapis referat, quoquomodo ſumpta, curare morbos omnes indifferenter, ob unionis ſimplicitatem in medicamento efficientem, ut ei nulla multitudinis morborum varietas reſiſtere valeat. Cæterum variæ ſunt mentis obſcuritates & infirmitates, ut veſania, mania, furia, ſtoliditas, & reliqua id genus, quibus obtenebratur & inquinatur animus; hoc uno medicamento ſpagirico perfectiſſime curantur. Nec ſolum animo ſanitatem reſtituit, verum etiam ingenium atque mentem hominum acuit, ut omnia ſibi ſint ad miraculum intellectu perceptuque facilima, eosque nihil eorum lateat, quæ ſunt in ſuperioribus & inferioribus. Summatim, omnia corpora rerum naturalium & hominum, iſtorumque mens & animus, ad extremam hujus mundi perfectionem hac arte poſſunt adduci. Deo dante tamen artis inventionem, quæ deſcribitur ab Hermete. Nihil in rerum natura fortius iſto medicamento reperiri poteſt, ideo dicit auctor: *Hac eſt totius fortitudinis fortitudo fortis.* Ac ſi diceret: Hæc eſt totius naturæ virium atque virtutum omnium vis & efficacia potentiſſima, ac velut ſupra naturam. Ideo non immerito metaphyſicum opus dici poſſet ex naturalibus ortum ſpagirico magiſterio. Rationem reddit auctor tantæ fortitudinis (inquiens) *Quia vincit omnem rem ſubtilem, omnemque ſolidam penetrabit.* Quotquot ferme fuerunt hactenus Hermetis interpretes, hoc loco ſententiam ejus ad metalla detorſerunt ad hunc modum: Quia (inquiunt) vincet, id eſt, coagulabit omnem rem ſubtilem (puta Mercurium, vel argentum vulgi vivum) omnemque ſolidam penetrabit, hoc eſt, omne metallum durum perfectum & imperfectum, ut ſunt Sol, Luna, Saturnus, Jupiter, Mars, & Venus, ad maximam atque minorem perfectionem adducet ſpagiricam & naturalem. Verum quia hoc negotium è re medica tractandum & illuſtrandum ſuſcepi cuique ſuam opinionem relinquens integram, ex inſtituto munus & officium proſequar, & in hunc modum interpretabor. Quia (inquam) vincet, id eſt, expellet omnem rem ſubtilem, hoc eſt, ſpiritales tenebras mentem occupantes, omnemque rem ſolidam penetrabit, omne videlicet craſſum durumque corporis vitium,

tium, à ſolidiſſimis etiam partibus, per penetrationem ſpiritualem eradicabit. Uti ſupra gloriam mundi ad opes, & obſcuritatem ad morbos retulimus, hoc loco ſubtile pro ſpiritu, & ſolidũ pro corpore accipimus. Poſtquam igitur auctor ſpagirici magiſterij practicam abſolvit, enumerata etiam utilitate, uſu, & ejus virtutum excellentia, deinceps ignorare ſuos diſcipulos noluit, unde hoc tam arduum opus deſumptum ſit. Proinde admonet eos his verbis: *Sic mundus creatus eſt*, Quaſi diceret, ſpagiricum artificium à mundi creatione perdiſcendum. Non quod velit ex nihilo fieri, ut iſte factus eſt, ſed ex jam creatis à Deo docet ſummam perfectionem in eis creatam & poſitam cælitus, de potentia ad actum producere. Quapropter creatio hic pro mundi creationis ordine ſumenda eſt, ut talis ſit verborum ſenſus: Spagiricum artificium eundem ſervat ordinem, aut ſimilem ei quo mundus creatus eſt. Etenim opus hoc divinum eſſe potius quam humanum, aut naturale, quod nihil homo de ſuo huc adferat præter miniſterium, & natura nil niſi id, in quo jam agere deſierat, fatendum eſt. Reliquum erit ut hoc loco Geneſis ſeriem intueamur. Legitur in ea: *Creavit Deus cælum & terram.* Hermes ait, oportet vos cælum & terram à Deo creata, & in compoſito poſita, de ſua potentia rurſus in actum deducere, ab inferiori ſuperius dividendo, ut unum ex duobus tertium generet per ſimilitudinem. *Separavit aquas ſub firmamento ab aquis ſupra firmamentum*, & quæ ſequuntur. Quid multis, totam ſi Geneſin cum invocatione divini luminis contemplatus fueris, ſpagiricam artem invenies. Nec ſatis Hermeti viſum eſt, quin ultra progreſſus ad miracula hujus operis deveniat, inquiens. *Hinc erunt adaptationes mirabiles, quarum modus eſt hic.* Ac ſi diceret, ex ordinis hujus obſervatione, videbis mirabiles mutationum in elementis & cælo noſtris viciſſitudines, & compoſitiones, quarum modus eſt hic, in imitatione videlicet ejusmodi divinæ creationis ordinis. Rudem & ignarum exiſtimare videtur eum philoſophum Hermes, qui mundi creationem intelligeret, has autem ignoraret adaptationes. Proinde orandus eſt Deus ut ſeriem creationis revelare dignetur, qua cognita, ſpagiricum artificium latere nullo modo poteſt. Cæterum auctor inſatiabili deſiderio ſuos completè docendi filios ac diſcipulos, materiam eos latere noluit, ex qua divinum opus hoc perficitur. *Itaque vocatus ſum* (inquit) *Hermes Triſmegiſtus*. Quaſi loqueretur, hac ratione vocatus ſum Hermes quia ſpagiricæ ſapientiæ ſum interpres, & Triſmegiſtus, quia quod vobis artificium annuncio, ſub ternario latet in unum concluſo. Numero namque Deus impare gaudet, quorum fons & origo ſolus eſt ternarius. Unarius autem non numeratur, quia unum in duo diviſum, per ſuam ſimplicitatem ternarium vincit animatque indiſſolubili nexu. Duo duobus

minime conjungi poſſunt, quia in unum & alterum per ſe ſolubilia. Neceſſarium hoc loco foret maximè ternarium & unarium copioſius declarare, verum quod in ſequentibus ad approbationem artis id reſervamus, tantiſper ſuperſedendum eſſe duximus, reliquam autem clauſulam de materia tractantem enucleandam ſuſcipiamus interea. *Habens (inquit) tres partes philoſophiæ totius mundi.* Ac ſi diceret, ſe compertiſſimum habere mundum univerſum tribus potiſſimum quaqua verſum conſtare partibus. Tametſi mundus totus in duas partes viſibiles diviſus eſſe videatur, latet nihilominus ſub iſtis tertia non conſpicua, ob ſuam ſimplicitatem unitati pariter inviſibili dicata. Utraque tamen dictarum partium ætherea & elementaris videlicet, rurſum in tres partes ſubdividitur, corpus, animam & ſpiritum, ut hæc in cælo & in terris naturaliter ſita ſint.

Prioris diviſionis in æthercam & elementarem regionem, ſub occulto vinculo factæ, membrum poſtremum, quia materiale magis, binario hac de cauſa deſtinatum eſt. Quo factum ut in quatuor elementa ſubdiviſum fuerit. Duo namque, nil niſi quatuor ex prima fœtura generant. Spiritualiter autem in quatuor qualitates primas, idque ſub binario quamlibet diviſam cernere licet, quod infra latius. Poteſt etiam triplex mundi totius philoſophia dici, ratione craſſioris & decompoſitæ materiæ. Tria ſunt enim genera generaliſſima, quibus omnia quæ ſub ſenſum cadunt, comprehenduntur, ut ſunt mineralia, vegetalia, & animalia, quorum omnium arcana Hermeti fuerunt experimento notiſſima. Ut ab poſtrema concluſione ſuæ ſpagiricæ philoſophiæ teſtatur, ſe compleviſſe omnia, his verbis: *Completum eſt quod dixi de operatione ſolis.* Quaſi loqueretur ad hunc modum: Ego ſum expertus quod loquor, & complevi quod vobis annuncio, nimirum ſolis operationem, id eſt, univerſalis medicinæ ſpagiricæ magiſterium eſſe verum, ſine mendacio certum & veriſſimum, ut reſpondeant ultima primis. Non ſine cauſa igitur medicinam hanc ſolem artificialem vocat, nam uti ſol naturalis quibusvis rebus vitam naturalem naturaliter influit, haud aliter ſol ſpagiricus deficientem hanc vitam refocillat & revocat, pellendo morbos eam à ſuo domicilio pellere paratos. Hæc eſt illa vera medicina patrum antiquorum, & longæ vitæ radix, univerſale remedium quod medetur indifferenter morbis omnibus, vitales ſpiritus adauget, item à corruptione vindicat omne corpus, atque præſervat. Quotquot ſunt hujus artis ignari, licet ex academiis doctiſſimi, ſolent eam artem improbare. Quid mirum, cum tale nunquam ſuis in ſcholis audiverint? Inde non ſequitur eſſe damnandam, quod ignorent eam docti viri. Multa quidem noſtro ſeculo prodierunt in lucem, quæ priſcis ignota fuere plurimis, non ſecus ac plurima jam deliteſcunt nobis, quæ patribus antiquis erant familiariſſima

(Quid

Quid non temporis injuria, nec non hominum ignavia tranſit in oblivionem? Cæteroqui eorum ambitione, qui ſibi ſolis bene cupientes, reliquis invident etiam ea quæ ab alijs ſuffurati ſunt arcana ſcripta, ſupprimitur veritas. Propterea non deperit prorſum, at poſtquam aliquando ſepulta jacuerit illis eo tempore, hoc alijs emerget nutu Dei, cujus in pectore quieſcunt ab æterno cum ejus ſapientia cunctæ laudabiles artes ac bonæ. Diſtribuit enim bonorum largitor omnium Deus dona ſua quibus vult, etiam aufert ab ingratis, qui abutuntur illis. Dubium non eſt, quin Deus antiquis patribus medicinam aliquam revelaverit per ſpiritum ſanctum ſuum, qua ſuæ carnis corruptionem tuerentur, & potiſſimum ijs, quibus cum locutus eſt, & fœdus inijt. Sed poſtquam hominum ſapiendi per ſeipſos vanus appetitus induxit eos ad quærendum à ſeipſis, ac in alijs quam in eo, in quo ſolo ſalus omnis eſt, cæcutivit mens eorum, & in labyrinthum ducta, jam hanc, modo aliam herbam, cras iſtam & aliam radicem, poſtridie mixtum quid expetiverunt, ut indies experientes abſque judicio nunquam ſcopum attigerint, nec ſuæ doctrinæ ullam habuerint certitudinem. Quod etiam abſurdum maximè videtur, homines ſua ſorte nunquam ſunt contenti. Dedit omnipotens Deus unicuiq; nationi quod voluit eam poſſidere, tam in alimentum, quam ad medicamentum. Alioqui ſi hæc à longinquis petenda, non niſi divitibus contingent, pauperibus vero moriendum eſſet ob inopiam. Contra Deus iſtorum longè majorem curam habet, quam illorum unquam habuit: extant ſacra paſſim teſtimonia. Sed noſtra nos contemnere docet inimicus ille calumniator, alienaque ſemper appetere, ac ea quæ minus præ manibus ſunt, quo noſtros appetitus inſatiabiles reddat. Habemus apud nos quotquot ſumus omnes, & ubicunque degimus, imò in nobis, licet non à nobis, omne quod extra nos quærimus ab alijs: quoquo modo dictum. Videamus qui pro parte Gentiles & infideles hoc loco nos Chriſtianos arguant. Natura naturam (inquiunt) ſibi ſimilem appetit, & congaudet ſuæ naturæ, ſiquidem alienæ ſi jungatur, naturæ deſtruitur opus. Mirabile dictum ijs, qui non profunde conſiderant quid natura ſit, at illis, qui eam norunt, verius eſſe hac in re nihil poteſt. Sed redeamus unde nos diverterat orationis digreſſio, & noſtræ mentis opinionem copioſius approbemus, qua veram Phyſicam aſſerimus ex Geneſi, nec non veram medicinam ſpagiricam ortum habuiſſe, nec aliunde, neque aliter quam per ſolam contemplationem divinitus afflatam. Videamus igitur, quemadmodum Joan. Trithemius naturalium philoſophorum noſtri ſeculi excellentiſſimus, applaudat Hermeti per omnia juxta Geneſin, ut patet ex ſequentibus.

DE SPAGIRICO ARTIFICIO IO. Trithemii ſententia.

Vnarius (inquit) *non eſt numerus, & ex ipſo numerus omnis conſurgit.*

ANtequam enim aqua univerſalis abyſſi, cujus mentio facta eſt in Geneſi, divideretur, una fuit. Hac diviſione tantum unarius binarium efficit numerorum omnium primum, non per ſubſtantiam, ſed per accidens. *Eſt numerus & numeratur, & non eſt numerus, & non numeratur. Non numeratur quia natura ſimplex, & numeratur quatenus accidentibus componitur. Eatenus autem numerari non poteſt, quia ante ipſum non eſt numerus.* Intelligitur de unitate quam Hermes alijs verbis, & per ſimilitudinem à Geneſi ſumtam explicat. *Quod* (inquit) *eſt ſuperius*, & quæ ſequuntur. Binarius enim ab Hermete per inferius & ſuperius denotatur, *Reiiciatur* (ait Trithemius) *binarius, & ternarius ad unitatem convertibilis erit.* Idipſum Hermes alijs verbis: *Ad perpetranda* (inquit) *miracula unius rei.* Apprimè notandum hoc loco unitatem ab utroque duobus modis intelligi. Siquidem Hermes unitatem numerat, ut diximus, per inferius, & ſuperius. Trithemius vero per numeri primi conſtitutionem ab unario. Longè diverſa ratione poſt uterque metitur unitatem: Unus reductione ſuperioris & inferioris ad ſimilitudinem in miraculo poſitam: Alter abjectione binarij, converſioneque ternarij in unarium. Ambo ſane mira ratione conveniunt in eandem ſententiam. Eſt igitur ipſa, naturalis tamen, unitas diviſibilis, ſed potius numerabilis in binarium, & ternarius in alteram unitatem revertibilis, quæ ſecunda dicitur unitas, ultra quam progredi non licet. Omnis itaque naturæ conſiſtens limitibus operatio mirandorum, ab unitate per binarium in ternarium deſcendit, non prius tamen quam à quaternario per ordinem graduum in ſimplicitate conſurgat. Nam ſi quatuor numerare velis, non aliter quam uno ſcis inchoandum, at dicis unum, duo, tria, quatuor, quæ ſimul ſumta faciunt decem. Hæc omnis numeri perfecta conſummatio eſt, quia tunc fit regreſſus ad unum, & ultra denarium non eſt numerus ſimplex. Mirantur hujus connexionis profunda neſcientes, quibus principijs in operatione mirandorum utamur, falſo nos vel dæmonum adjutorio, vel qualibet contra fidem noſtram Chriſtianam ſuperſtitione inniti opinantes. Nos autem hæc de nobis judicantes propter eorum quæ præmiſimus ignorantiam, non miramur. Quoniam ſicut ſacratiſſima teſtatur ſcriptura de interna cognitione Dei, quam nemo intelligit alter, quam qui accipit:

cipit: ita his vel imbui, vel uti nemo poteſt, niſi divino munere lumen ſingulare acceperit intelligendi ex natura in naturam, fueritque in eo cum lumine ignis, cum igne ventus, cum vento poteſtas, cum poteſtate ſcientia ſanæ mentis integritas. Profundorum igitur hæc eſt radix & fundamentum creaturarum omnium. Prima diviſio naturalis radicem ſcientiæ conſummatæ producit, cujus annotatio iſta eſt: Quatuor ſunt matres eorum quæ in ordine noviſſimo, & quatuor ſunt patres eorum qui in principio: horum omnium nexus, & primum connexum, & ultimum ſimplex, purum, unicum, ſolum omnia tingit. Terra ſimplex elementum purum, & primum ab uno procedens, non componitur, non mutatur, non patitur connexionem, ſed manet quod eſt incorruptibile, & in uno conſiſtit unum, & non unum, non eſt numerus, & eſt numerus, nõ numeratur, & numeratur, inter ipſum & unum non eſt numerus. In unitate manet unum, & per complexum efficit ternarium; quem octies complectens mirabili natura omnia reducit ad unum: virtus ejus à nullo magiſtrorum per omnia explicari poteſt. Non eſt ipſum quod colimus Deus; creatura eſt animi hominis imago, nec viva, nec mortua, per quam in omni ſcientia mirabilis effectus fit. Et dico tibi amice in ſumma veritate Dei, quoniam quicunque hujus puræ ſimplicitatis ſimplici notitia ſublimatus eſt, in omni ſcientia naturali conſummatus erit, perficietque opera miranda, & ſtupendos inveniet effectus. Bonum ſimplex unicum eſt, & per ipſum non ſolum ſimilia, ſed & diſſimilia multa fluunt. Terra compoſita elementum natura purum, ſimplex & unicum: ſed quia compoſitum neceſſario fit multiplex, varium & impurum, reducibile tamen per ignem, in aquam: ab hac in ignem, & ab iſto in unum ſimplex, & eſt numerus, & numeratur, & non eſt numerus, & numeratur. Non numeratur, quia natura ſimplex eſt, & accidente compoſitum. Idcirco non poteſt numerari, quia non eſt ante ipſum numerus. Numeratur ab unitate unum non abſolutum, ſed incluſum; & dicitur unum excluſum, unum incluſum, unumque per unum ab uno, ſcilicet ab anima mundi, fitque ternarius: eſſe cum uno vult naturaliter, unum per ſe potens, in uno impotens, in altero impotens, in ſphæra ſemper volvitur, in unoquoque manet igne unum, ſed non ſic imaginatur. Si per ignem purificatum ad ſimplicitatem ſuam congrua lotione reducatur, omnia myſteria ſcientiæ profundæ operari poteſt. Terra de compoſito elementum eſt, & non eſt elementum, per quod binarius in ternarium reducitur, quatuor ab uno gradibus diſtantem. Mira continet, varium eſt, & multiplex, corruptibile, & tamen extra unitatis circulum non vagatur: hujus cum ternario per binarium in uno ſecretorum omnium magiſterium eſt. Et quæcunque humanitus adinventa mirabiliter con-

 ſtant,

ſtant, ejus ſunt poteſtati ſubjecta, & fieri poſſunt operatione perfecta. Obſervat numerum, gradum, & ordinem, quibus omnis mirabilium naturæ operatio conſtat. Miranda ſunt quæ potens eſt facere, & plus quam creditur plura, quæ nec Deo injuriam, nec animæ maculam inferunt. Per ipſum mirabilia fiunt opera: per ipſum omnium humanarum adinventionum plena cognitio eſt, & operatio effectiva in quacunque re obſcura: quia virtus ejus intellectu procedens non errare permittit per tres gradus operantem. Diſcernit omnia quæ homines dicunt. Seduci in errorem per ipſum inchoata operatio minime poteſt. Quicquid Aſtronomi, quicquid Mathematici, quicquid Magi, quicquid invidentes naturæ perſecutores Alchemiſtæ, quicquid dæmonibus deteriores Necromantici promittunt, novit diſcernere, intelligere, rectificare, invenire, ſuiſque principijs aptata ſine malitia perficere; hoc ipſum eſt elementum non elementum, per numerum à ſe remotum, cum ſibi conjuncto in unitatem ſimpliciter reductum. Sine hujus medij, finis, principijque cognitione per numeros, gradus & ordines, nec magus imaginibus virtutem daret ſine crimine, vel etiam cum ſcelere dare poſſet: nec Alchemiſta naturam imitari, nec homo ſpiritus compellere, nec futura prædicere vates naturæ, nec quiſquam curioſus experimentorum capere rationem. Omnis itaque naturæ conſiſtens limitibus operatio mirandorum, ab unitate per binarium in ternarium deſcendit; non prius tamen, quam à quaternario per ordinem graduum in ſimplicitate conſurgat, &c. quod ſupra. Sapientia naturalis igitur, quæ aliquando naturæ principijs innixa conſtabat in ſua ſimplicitate pura, tot mendacijs & impuritatibus, totque deceptionibus confuſa eſt, ut nemo niſi in utraque naturali & ſupernaturali ſcientia doctiſſimus ſit, qui alteram ex altera diſcernere poſſit, intelligere eam poſſit. Quantos (inquit) errantes in philoſophia naturali ſolus ego novi viros, alioquin doctiſſimos, quorum nonnulli tempus & ſubſtantiam Alchemiæ impendentes perdiderunt, nonnulli vitam cum rebus amittunt: alij medicinam ex ipſa cupientes elicere, poſt longos labores nihil efficiunt: alij mirandorum effectuum ſecreta perſcrutantes, ad nullam experientiam pervenire potuerunt: alij futura dicere geſtientes, pro veris falſa loquuntur: hi dum opiniones ſui capitis ventoſas ingerunt, ab expertis dudum conſcriptis quæ non intelligunt: bona veraque, mala & falſa imperite efficiunt. Proinde notanda ſunt atque diſcenda primum in iſta philoſophia naturali, ſpagirica, occulta; tria hæc principia, ſine quorum perfecta notitia, nullus operantem ſequitur effectus. Primum principium in uno conſiſtit, non à quo, ſed per quod omnis mirandorum naturalium virtus producitur in effectum, de quo diximus: quia purum ab uno pro-

çedens

cedens non componitur, neque mutatur. Ad ipſum à ternario & quaternario fit ad monadem progreſſus: ut compleatur denarius: per ipſum enim eſt numeri regreſſus ad unum, ſimul deſcenſus in quatuor, & aſcenſus in monadem. Impoſſibile eſt compleri denarium niſi per ipſum: monas in triade læta convertitur. Omnes hoc principium poſt principium monadis ignorantes, nil in ternario perficiunt, nec ad ſacrum quaternarium pertingunt. Nam etſi philoſophorum libros omnes habeant, ſyderum curſus, virtutes, poteſtates, operationes, & proprietates perfecte cognoſcant, ipſorumque imagines, annulos, ſigilla & ſecretiſſima quæque ad plenum intelligant: nullum tamen mirandorum conſequi poſſunt in ſuis operationibus effectum, ſine hujus principij à principio cognitione in principium. Unde omnes quotquot vidi in philoſophia naturali operantes, aut nihil conſequuti ſunt, aut ad vana, frivola & ſuperſtitioſa, poſt longas & inutiles operationes, deſperatione prolapſi ſunt. Principium vero ſecundum, ordine, non dignitate quidem, à primo ſeparatum, quod unum exiſtens facit ternarium, eſt quod operatur miranda per binarium. In uno eſt enim unum & non eſt unum, eſt ſimplex, & quaternario componitur: quo purificato per ignem in ſole, aqua pura egreditur, & ipſum ad ſuam ſimplicitatem reverſum, complementum operanti monſtrabit occultorum. Hic centrum eſt ſapientiæ naturalis, cujus circumferentia ſibi unita, circulum repræſentat immenſus ordo in infinitum: virtus ejus ſuper omnia purificata, & ſimplex minor omnibus quaternario ſuper gradu compoſita. Quaternarius autem Pythagoricus numerus ternario ſuffultus, ſi ordinem gradumque obſervat, purificatus purusque in uno, ad binarium in ternario, miranda & occulta naturæ poteſt operari. Hic eſt quaternarius in cujus menſura ternarius binario conjunctus in uno cuncta facit, quæ mirabiliter facit. Ternarius enim numerus ad unitatem reductus per aſpectum, omnia in ſe continet, & quæ vult poteſt. Principium tertium per ſe non eſt principium, ſed inter ipſum & binarium eſt finis omnis ſcientiæ & artis myſticæ, ac infallibile medij centrum: in alio quam in ipſo facilius non erratur, quoniam paucisſimi vivunt in terris, qui profunda ejus intelligant. Varium eſt, compoſitum, & per ſeptenarium in ternarium octies multiplicatum conſurgens & manens fixum. In ipſo eſt conſummatio numeri, graduum & ordinis, per hoc omnes philoſophi occultorum naturæ veri inquiſitores, mirabiles effectus conſequuti ſunt, per ipſum ad ſimplex elementum in ternario reductum, ſubito fiunt infirmitatum curæ miraculoſæ, & naturaliter omnium ægritudinum: opusque in ſapientia naturali, & præternaturali operantis, conſequitur effectum. Fugiunt

dæmones ſecundum diſpoſitionem quaternarij. Prædictio futurorum per ipſum verificatur, occultorumque inſinuatio non aliunde, quam per ipſum à natura percipitur. Hoc unico medio ſecretum naturæ aperitur Alchemiſtis, ſine quò nec intellectus artis acquiritur, nec operantis effectus invenitur. Errant crede mihi (inquit) errant omnes qui ſine iſtis tribus principijs quicquam operari in occultis naturæ ſcientiis ſe poſſe confidunt: major autem cauſa erroris eſt; quod ſapientes olim ſecretis naturæ imbuti, his de vel penitus tacuerunt, vel nimia obſcuritate involverunt, ut non niſi à ſibi ſimilibus vere intelligi queant. Secreta eſt hujus inſtitutionis philoſophia cæleſtisque, in qua ſi quis ſcire & intelligere vere cupit aliquid, hominum tumultus fugiat neceſſum eſt, mundum deſerat, cælum non oculis tantum, ſed mente etiam contempletur, Spiritus Dei ubi vult ſpirat, quem vult illuminat, quem ſuo numine obumbraverit, in omnem veritatis cognitionem inducit: quod qui acceperit, Deo gratias agat, ſtudeatque fructibus operum bonorum correſpondere pro viribus acceptis, accepiſſeque ſe recognoſcat, & ita non inveniet unde ſuperbiat. Ille autem cui ſcire iſta ſublimia donatum non fuerit, aut ſocordiam ſuam intelligat, quia non laboravit ut ſciret; aut miſericordiam creatoris laudet qua in ejus utilitatem impedimenta eſſe voluit ut neſciret: aut ſi non acquiſiverit, Deum ſibi non extitiſſe debitorem tantæ donationis fateatur, & non murmuret. Amicus es (inquit) amicum tibi conſulentem audi, & factum intelliges. Propinquorum victor ignem invidiæ, non aerem calca mortalium Dei immortalis odio: periculum minatur levitas. Fuge ſynodum hominum mundana curantium, aſſociare verò cœleſtia meditantibus. In nidulo hirundinum ſalus tua, periculum in ſtercore gallinarum. Velum raptum à vento perſequeris, fatigaberis in ſeptenario, ſed per ternarium in unitate conſurges iterum, & felicem te reperies. Si operationes tuas aggredi cœperis à ſole, quem tibi natura videtur abſcondere, ut à cunctis ad verum ſolem qui Deus eſt, per ſtudium cognitionis, purificata ab inferioribus mente, in deſiderio animæ; fervore ſanctiſſimi amoris converteris, & alium oſtendet. Quia divini amoris ars longa, tempus verò breve eſt, præſtatque creatorem quam creaturam in veritate ſemper diligere. Cæterum apertius ut videatur Trithemius Hermetis arti ſubſcribere, hæc ſunt ejus verba. Verum (ut Hermes inquit) ſine mendacio certum, & unitatis cognitione certiſſimum. *Quod eſt inferius, eſt ſicut id quod eſt ſuperius*, & econtra: quia ſolis unitatibus conſtat omnis numerus, *ad perpetranda miracula unius rei multa*. Nonne res omnes ab una re fluunt bonitate unius, & quicquid unitati conjungitur, non poteſt eſſe diverſum, ſed fructificat ſimplicitate, & aptatione unius?

nius? Quid ex unitate naſcitur, nonne ternarius? Accipe, Unarius eſt ſimplex, binarius compoſitus, ternarius verò ad unitatis reducitur ſimplicitatem. Non ſum Trithemius mentis triplicis, ſed in una mente numero gaudens ternario, qui verè parit mirabilem fœtum. *Pater ejus eſt ſol, mater verò luna. Portavit ſemen in utero ventus, terra nutrivit. Pater omnis perfectionis totius mundi eſt hic. Virtus ejus integra & immenſa: ſi verſum fuerit in terram. Separabis terram ab igne, ſubtile à ſpiſſo*, & ternarius jam ſibi redditus cum ingenio & ſuavitate magna, à terra conſcendet in cœlum, iterumque virtute & pulcritudine decoratus revertetur ad terram, *& recipit vim ſuperiorem & inferiorem*, eritque jam potens & glorioſus in claritate unitatis, omnem aptus producere numerum, *& fugiet omnis obſcuritas.* Ad unitatem igitur reducendus eſt omnino ternarius, ſi mens harum rerum velit perfectum intellectum conſequi. Unarius enim non eſt numerus, at ex ipſo numerus omnis conſurgit. Binarius ab unitate recedens, primus eſt numerus compoſitus. Rejiciatur itaque binarius, & ternarius ad unitatis ſimplicitatem convertibilis erit. Solis unitatibus conſtat omnis numerus. Nonne res omnes ab unitate fluunt bonitate unius, ut ſupra, & quicquid unitati conjungitur, non poteſt eſſe diverſum, ſed fructum edit ſimplicitate & aptatione unius? Quid ex unitate naſcitur, nonne ternarius? Unarius igitur eſt ſimplex, binarius compoſitus, ternarius verò ad unitatis reducitur ſimplicitatem. Unum eſt enim principium purum. Binarius ab unitate recedens componitur, quia impoſſibile eſt eſſe duo principia. Solus ergo ternarius ſacratus & virtute potens, binario ſuperato ſuum in principium, non natura, ſed ſimilitudinis participatione revertitur, in quo ſine contradictione myſteria omnia arcani pulcerrimè ordinati, mens intelligit. Hæc eſt fortitudinis totius pulcerrima virtus, quæ vincit omnia mundana. Verùm enimverò homini cuivis in hac arte per naturalem ſapientiam operari volenti cum utilitate, ſubjecta neceſſaria. In primis neceſſarium eſt, ut à natura ſit ad iſtam artem non ſolum inclinatus, ſed etiam diſpoſitus, aut ſaltem præceptoris magiſterio diſponibilis, per rectificationem à ternario in unitatem per binarium diviſum. Secundo oportet linguæ ſufficientem habere notitiam, ut vulgaris non capiat tantam ſcientiæ ipſius naturalis ſapientiæ majeſtatem. Aſtronomicæ fundamentum etiam inſtitutionis ſcire neceſſum eſt, aut ſaltem alium ad votum habere qui ſciat. Tertio neceſſaria copia librorum in hac ſcientia, ſolum eorum qui ſunt emendatiſſimi, quales hodie pauciſſimi reperiuntur, vel ut præ manibus, vel in promptu ſit aliquis, qui veraciter eorundem emendare vitia, non augere poſſit. Quarto præceptor doctiſſimus & expertiſſimus in hac arte neceſſarius,

eſt,quod hæc ſcientia tantis involuta ſit myſterijs, ut ſine doctore peritiſſimo non queat apprehendi: niſi Deus omnipotens mentem ſingulari dono velit illuminare: quod rariſſimè fieri conſuevit. Quinto requiritur univerſi totius ſuperiorum & inferiorum diviſionis cognitio ab uno uſque in quaternarium in ternario quieſcentem. Item oportet ordinem aſcenſus & deſcenſus, gradum, numerum, inflexum & reflexum, eſſe & non eſſe in unum & tria: hoc vero ſcire difficilimum eſt,quia omnis mirandorum effectuum radix, quocunque modo fiant in ſapientia tam naturali quàm ſupernaturali, hujus principij ſundamento innititur: quocirca omnis qui hunc ordinem apprehendit, ipſumque modum intellexerit, conſummatus erit in omni ſcientia, ſapientiæ profunda, mirandosque in operatione conſequetur effectus. At quia hæc ſcire difficilimum, pauciſſimi cum utilitate, multi vero ſine fructu laborant in ſpagirica ſapientia. Sexto convenientem vivendi modum ut cognoſcat oportet,ordinemque laborandi,temporis horam, opus, operisque dominum, id eſt, planetam, locum aptum,formam, materiam, & materiæ commixtionem, purum & impurum,ſimplex & compoſitum, ſimile ac diverſum, conjunctorumque nexum: & poſt hæc omnia ſuæmet ipſius menſuram animæ,virtutem, & bonitatem ineundi potentia. Septimo ut ſciat ſub cujus planetæ dominio,ſpiritus horæ diei, temporisque ſit quælibet res mundi ſecundum ſubſtantiam, accidens, & effectum, maximè per quem operantur. Inferiora namque ſuperioribus ſubjecta ſunt, & ſola ſimilitudine. quæ ſubſtantia, accidente,potentia,virtute,numero,gradu, ac proprietate conſtat per applicationem unius ad aliud, modo in arte firmato, mirandorum in ſapientia naturali fit utilis operatio. Octavo neceſſe eſt ſcire in ſapientia hac, & operantem intelligere, proprietatem intelligentiarum omnem,gradus, loca, ſive locationes, nomina, verbave, & officia ſeu opera, quemadmodum ſe habent ad extrema in ordine, quomodoque per eas operandum ſit in qualibet intentione univerſali: aut primum neceſſaria eſt ſcientia, per quam certè perficiuntur, quemadmodum caro ne putreſcat ſale conſervatur. Nono in his quæ ſolus perficere non poteſt, ſocios oportet eum habere, vel natura dignos, vel inſtitutione dignificatos: quia ſociorum indignitas operationis effectum impedit in omnibus operationibus ſapientiæ, tam naturalis quam ſupernaturalis. Decimo oportet in arte hac operantem firmum eſſe confidentia,& de conſequutione effectus nullatenus dubitare vel hæſitare: non ob id quod credulitas aliquid conducat in his,ſed quod hæſitatio firmitatem operantis animæ per medium in extremum frangit debilemque facit, ſine cujus virtute ſtabili, non fit à ſuperioribus influxus optatus. Undecimo oportet volentem

lentem in ſapientia naturali cum fructu operari; ſecretiſſimè conſervare omnia, nullique hominum profectum, vel defectum operationis, nec operationem ipſam, neque voluntatem, nec artem, neque tempus revelare; niſi præceptori vel diſcipulo. Quia hæc ſcientia publicum fugit, divulgataque rarò perfectos fructus edit. Hæc noſtra philoſophia cœleſtis eſt, non terrena, ut ſummum illud principium quod Deum nuncupamus, intuitu mentis per fidem & cognitionem fideliter aſpiciamus patrem, & filium, & ſpiritum ſanctum, unum principium, unum Deum, unumque ſummum bonum in trinitate perſonarum ſempiternum exiſtentem vere credentes, purè cognoſcentes & cum ferventiſſimi amoris & ſervitutis cultu ſemper adorantes, à quo ſunt omnia quæ uſpiam eſſe poſſunt. Ad hanc niſi mens animata conſurgat, nihil eorum quæ pulcra ſunt intelligat, ſed in ſua tabeſcet ignorantia. Non eſt vulgaris hic aſcenſus, neque horum eſt ad eum imitatio ſufficiens, qui una duntaxat ala ſurſum feruntur, ſed omnino paucisſimis familiaris, illis videlicet qui ſemet in unitatem non temerè nec perperam reduxerunt. Multi quidem conantur, ſed non omnium eſt in mente ternarius. Nonne ſuſpecturi cœlum neceſſario primum caput elevamus, reducimusque poſtea quam ſuſpeximus? Solis licet oculis intueri ſolem, aures non vident. Ut igitur conſcendat animus, non auris fiat, ſed oculus & cor, fiatque ex ternario unitas participatione bonitatis ad principium, quia unum eſt bonum omnipotens, non duo neque plura. Niſi enim fiat unitas, non fiet ſimilitudinis in mente conjunctio, neque boni participatio, & ſine his nulla tranſcenſio: niſi enim hæc præcedant, ſuperiorum intelligentiam, neque inferiorum propriam conſequi poterit quis operationem. Res autem tam univerſales quam ſingulares neceſſario, ac rerum conditiones, quædam ſunt manifeſtæ, quædam manifeſtiores, & quædam manifeſtiſſimæ. Et aliæ ſunt occultæ, aliæ occultiores, & aliæ occultiſſimæ tam ſenſui quam rationi: quam diverſitatem operatur rerum natura. Hinc fit quod quidam homines evadunt cæteris ſapientiores. Magis autem ſapiens dicitur, qui minus perceptibilia percipit. Ad iſtorum intelligentiam eſt quod aperiamus aditum. Proinde quicunque ad adeptam philoſophiam cum naturalem tum ſupernaturalem anhelat, ad alterutramque per alteram aditum ſibi parare poteſt, tutius tamen progredietur, ſi ſeipſum à binario in ternarium reducat per quaternij gradus, priusquam in rebus naturalibus idipſum efficere tentet aut præſumat. Quamvis etiam è converſo per medium ſpagiricæ medicinæ, ad ſupernaturalem pervenire poſſit, hæc via tamen altera magis erronea, nec in ulla magis quam in iſta contingit errare: quarè per aliam gradiendum eſſe potius ſuaſerim omnibus. Ad hanc

congre-

congredere lector optime, & animum attentum non ſecus ac aures erige.

ELVCIDATIO CLARIOR *interpretis.*

HOmo naturaliter unus eſt & non numeratur, ac ſupernaturaliter in duo numeratur, ut in ſpiritum & corpus, qui binarium in ipſo conſtituunt. Verum ob primævam corruptionem iſtud ſuperat alterum, quo fit ut nihil admirandum producere ſpiritus valet. Quod ut efficiat in hac vita, ſuperandus erit per ternarium binarius, id eſt, corpus ad ſpiritus naturam conformandum, & ſpiritus ita corpori conjungendus, ut in eo deinceps pacem habeat. Quo facto jam ternarius ortus in unitate ſecunda perfectè jubilat, Nam ex duobus dictis, & prioribus per unionem factum eſt unum tertium. Hæc tamen conjunctio fieri debet per gradus quaternarij, hoc eſt, per elementorum, ex quibus conſtat corpus, tranſmutationem in unicum & puriſſimum elementum, ad hunc modum. Primo quidem ex terra tui corporis aqua fiat, hoc eſt: Lapideum, terreum ſegneque tuum cor molle reddatur, ac vigilans ad cognitionem DEI ſui, nec non ſui ipſius adipiſcendam, quo quidem ſpiritus imagines, & contemplationes in illud, non aliter quam in ceram ſigilli characteres, imprimi queant. Poſtmodum ex iſta aqua fiat aer, hoc eſt, attolle ſurſum in cœlum ad eum qui creavit contritum cor tuum & humiliatum, aeris inſtar ad ſuprema ſemper tendentis, & orando pulſa ut aperiatur tibi ingenium ad intelligendum ea quæ DEI ſunt. Poſtremo ex aere hoc fiat ignis, id eſt, tui cordis jam ſublimati omne deſiderium convertatur in amorem (cui comparatur ignis ob ardorem) DEI & proximi tui hic in terris, ut flamma hæc non extinguatur unquam. Hoc ipſo fiet ut per ſimilitudinem tuus binarius, ſpiritus & corpus videlicet, in unum ternarium perfectè jungatur, per quaternarij tres gradus ut audiſti. Jam habes amice lector meditativæ philoſophiæ clavem, quæ viam aperit aſcenſus ad ſuperos, & nemo contra claudit. Alteram vero deſcenſus, quæ claudit quod nemo poſtmodum aperire poteſt, audies in ſequentibus. Quum de cœlo, in quod jam à terra ſurſum aſcendiſti: rurſum ab eo in terram deſcendere te oportet, ad ſuperiorum vim, & inferiorum accipiendam. Ecce quàm paucis ea quæ tot ac tam varijs ænigmatum involucris antiqui recentesque ſpagiri velare conati ſunt, liberali quidem animo tibi, ſtudioſis quoque rerum abditarum omnibus elucidare volui meis lucubratiunculis. Nec fatigatus plura tibi quæ ad hanc philoſophiam maximè conducunt, aperire gravabor, modo vigil & attentus animadvertas; è re tua nimirum fuerit. Numerorum ordinem, & gradus audi latius.

Nume-

Numerus ordine conſtat, & menſura. Ordo quoque ſine numero, & menſura eſſe non poteſt. Menſura autem & numerò conſtat, & ordine. Unitas hic & ternarius numerum non admittunt,ſed omnem exuti multitudinem, innata ſibi puritate ſimpliciſſima in ordine primo conſiſtunt. Hæc eſt ad ſuperos via, per quam antiqui ſapientes intelligibiliter profecti rationis ductu,plurima perceperunt, quæ ultra humanam comprehenſionem à noſtris nunc reputantur ſapientibus. Vis audire plenius: Studium generat cognitionem, cognitio amorem parit, amor ſimilitudinem,ſimilitudo communionem, communio virtutem, virtus dignitatem,dignitas potentiam, & potentia facit miraculum. Hoc iter unicum ad finem adeptæ philoſophiæ perfectionum, tam divinarum,quam naturalium, à quibus arcetur,& confunditur procul omne ſuperſtitioſum,præſtigioſum, atque diabolicum. Cum ergo finis meditativæ ſcientiæ, vel adeptæ ſcientiæ ſit veritas, & ſpagiricæ practicæ finis, opus, tantum ſcimus, quantum de cognitione Dei omnipotentis apprehendimus,qui ſolus eſt veritas: tantum vero cognoſcimus quantum diligimus. Scientia enim vera & ſalutaris,Dei parit cognitionem, cognitio amorem, amor frequentiam,frequentia familiaritatem,familiaritas fiduciam,fiducia omnium quæ poſtulaveris impetrationem. Scientia quippe virtutis cultum præcedit, quia nemo poteſt fideliter appetere quod ignorat. Cognitio veri & amor recti certiſſimum ad felicitatem parant introitum. Præcedit autem ſicut diximus amorem cognitio,quod nemo poſſit ignotum vere amare. Propterea dixit patri Dominus noſter Jeſus Chriſtus in Evangelio: Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum, & quem miſiſti Jeſum Chriſtum. Quidnam aliud eſt illa ſupercœleſtis beatorum ſpirituum amœnitatis fruitio, quam divinæ majeſtatis cognitio & amor? Salutaris enim ſcientiæ cognitio annexum ſibi habet amorem, nec poteſt mens intellectualis ſempiternæ fruitionis habere conſortium,ſi aut cognitio fuerit ſine amore,aut amor ſine cognitione. Dæmones quidem mali cognoſcunt, ſed quia non habent amorem,ad fruitionem, quæ ex utroque & non altero ſolo naſcitur, minimè pertingunt. Amorem unius ſummæ veritatis Gentiles quidam, & extra Chriſtianiſmum poſiti hodie,forſitan multi habere videntur, ſed quia non cognoſcunt patrem univerſitatis ſolum verum Deum,& quem ille miſit dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, in ſuis cogitationibus evanuerunt, & ad fruitionem ſummæ bonitatis nequaquam perveniunt. Dicit autem ipſe ſalvator noſter Dominus Jeſus Chriſtus, de illis qui ipſum in mundum veniſſe non cognoſcunt per fidem in ſancto Evangelio: Qui non credit,jam judicatus eſt. Vera enim cognitio ex fide eſt, & amor ex cognitione. Homo ergo fide carens nullam habet cognitio-

gnitionem. Qui autem non habet cognitionem, amore caret, & qui non habet amorem, fruitione fruſtratus eſt. Hoc enim eſt quod ipſe dominus Jeſus in cœlum aſcenſurus ſuis diſcipulis revelavit dicens: Euntes in mundum univerſum prædicate Evangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſalvus erit: qui verò non crediderit, condemnabitur. Prima itaque ad Deum via eſt ſcientia ſive cognitio per fidem, ſine qua nemo ſalvabitur. Ad hanc ſcientiam veram, omnes aliæ ſcientiæ ſtudiaque referri debent: quod niſi fiat, inani ſtultoque labore conſumentur iſti ſapientes, qui ſua ſtudia diſtinguunt ab illis quæ diximus. Scientia ſapientiaque vera quam propoſuimus, ſcientem ſuum compunctione plurimum afficit, non extollit, ſuperbire non ſinit, ac gementem efficit, juxta viri ſapientis dictum: Qui addit ſcientiam, addit & dolorem, eo quod in multa ſcientia multa ſit indignatio. Provideamus igitur, ut ſtudia noſtra vera ſint, dum tempus habemus: Hactenus ille. Ut per hæc ea quæ ſupra vobis expoſui de aſcenſu ternarij à binario per quaternarium, luculentius patefaciam, notate: Primus gradus aſcenſus ad ſuperos eſt ſtudium fidei, hoc enim diſponitur cor hominis ad ſolutionem in aquam. Secundus gradus eſt cognitio DEI per fidem, qua diſponitur contritum cor ad aſcenſum in aerem elevatum, & ad ſpem melioris vitæ. Tertius gradus eſt amor ex cognitione Dei per fidem & ſpem, ad amorem & charitatem diſponens aëreum noſtrum cor, & ad igneam flagrationem deſiderij per ſimilitudinem conjunctionis cum DEO. Quartus eſt frequentia, qua conceptus amor continuo cultu, per crebras contemplationes orationibus conjunctas, fovetur in augmentum fidei, ſpei, & amoris jam conceptórum, in ſupernis verſante corde his propemodum unito. Quintus gradus eſt familiaritas, quæ per frequentiam ejuſcemodi converſationum cum divinis acquiritur. Sextus eſt fiducia, qua nos intrepidè jam per fidem, ſpem & charitatem frequenter excultas, audemus offerre noſtras petitiones coram Deo, freti certitudine multa ac indubia nos obtentutos, quod à patre noſtro cupimus. Septimus eſt impetratio deſideratæ petitionis in nomine JESU CHRISTI factæ, qua fruimur ad ejus gloriam & ſalutem noſtri. Jam demum apti ſumus ad intelligentiam arcanorum omnium, tam naturalium quam ſupernaturalium, & adepti philoſophi à Deo creati replemur omni ſapientia. Notandum utique, ſicuti primo, ſecundo, & tertio gradibus, cor noſtrum à vili & ſordida corruptibilique terra recedens ſurſum aſcendit, haud ſecus per quartum, quintum, ſextum, & ſeptimum, in renovatam terram incorruptibilem, ſolidam, conſtantem, atque potentem quibusvis inſultibus inimici reſiſtere, & non amplius ſeparabilem ab unitate cui conjuncta eſt, deſcendit. Paulò immutatis verbis

Tithe-

Trithemius ante ſcalam hanc in novem gradus diſtribuit, quos ut ſupra, vel ad adeptam philoſophiam, vel ad ſpagiricam interpretari licet: quod ſanè haud aliter ſe habeant ambæ unius & ejusdem ſapientiæ partes, quam Theorica ſuperioris ſcientiæ aut ſupernaturalis, & Practica inferioris ſapientiæ naturalis. Verum quia ex ſupernaturalium cognitione pendet omnis cognitio naturalium arcanorum, dictos gradus fuſius ac dilucidius interpretabimur ex meditativa philoſophia, ad hunc modum.

DE PHILOSOPHIA Meditativa.

PHILOSOPHIA meditativa eſt benè compoſitæ mentis à corpore voluntaria diſtractio, qua facilius circa veritatis cognitionem verſari queat animus. Ad verè meditandum requiritur etiam bona corporis diſpoſitio, quæ mentem non impediat: hæc duplici via poteſt acquiri, natura ſcilicet, vel arte. Quæ naturalis eſt, arte juvari poteſt, & etiam acquiri quod à natura hac in parte negatum eſt: præcipuè rationis uſu, tandem ſobrietate victus, & ſpagiricis medicinis; horum uno vel omnibus ſimul adhibitis remedijs. Mens igitur benè dicitur eſſe compoſita, quoties animus cum anima tali vinculo junctus eſt, ut corporis appetitus & cordis affectus frænare valeat. Corporis verò bona diſpoſitio eſt, à corruptionum vitijs immunitas, eoque melior, quo majorem temperaturam ejus partes componentes nactæ ſunt vel adeptæ: tum minus quæ ſua ſunt appetit, mentique fit obedientius Quicquid enim appetit, corruptum eſt, verum nihil appetere poteſt, niſi per facultates animæ: quæ motrix eſt ejus: hæc autem ex prima ſui natura niſi corrupta fuiſſet, moveret ſimpliciter abſque boni vel mali conceptione. Sed quia in ipſam intravit malitia prius, per corpus conatur eam exequi, niſi reſiſtat animus: hic nil niſi bonum ſuadet. Eſt igitur anima inter bonum & malum ſita, ſuamque boni habet optionem, non per ſe quidem, ſed per bonum quo privatum fuerat, ſibi redditum, & mali per ſe, perq; malum: permittente bono, & non aliter, tale malũ fieri propter continuam & aſſiduam reſiſtentiam, quam facit anima corpore tracta, contra tractum animi ad bonitatem ſolummodo moventis: Ut iſta melius deducamus ex animi ſententia, notandam hoc loco, cur hominem tribus conſtare partibus aſſeramus. Certum eſt animam & ſpiritum indifferenter uſurpari; nos verò nullam aliam inter illa differentiam ponimus: quam reſpectu accidentium. Ut quum anima ſequitur ſpiritus domini tractum, & acquieſcit

quieſcit illi ſeipſam abnegans, animum & ſpiritum vocamus, à divino ſpiritu cui adhæreſcit. Contra ſi reſiſtat Spiritui Sancto teſtimonium in eam ſalutis imprimenti, & ſeipſam diligat ſeſe perdens, animam abſolutè vocamus; nec aliter hæc noſtra ſcripta intelligi cupimus, ne forte ab aliquibus inſimulemur alicujus impietatis, à qua procul abeſt animus, ac tantum, ut contra nitatur ad hanc totis viribus allicere. Animus igitur nobis eſt ſpiraculum vitæ æternæ, & anima organum animi vel ſpiritus, ut corpus organum eſt animæ: quæ vita corporis eſt per unionem naturalem, ut animæ vita ſpiritus eſt per ſupernaturalem unionẽ. Proinde ſi anima ſpiritui per aſſenſum vel conſenſum magis adhæſerit, quam corpori, mens exurgit, & internus homo per ſpiraculum vitæ æternæ ad imaginem Dei creatus olim, ac modo renatus: è diverſo quum adhæret anima ſuo corpori magis obtemperando quam ſpiritui, externus homo relinquitur, ac tenebrarum exteriorum contra naturam abyſſus. Tribus etiam delectatur animus, ratione videlicet, intellectu, & memoria. Ratio ſpeculationis imaginem intellectui repræſentat: hic eam arcanæ conſervandam exhibet memoriæ. Ratio prima eſt mentis æternæ perpetuus & inviolabilis ordo: cujus homo factus eſt particeps ex dono primo DEI ſimul & intellectus, ac memoriæ, quæ quidem amborum arca conſervatrix dici poteſt. Anima rurſus duabus veluti primis facultatibus conſtat, ſcilicet motu, & ſenſu. Motus eſt naturalis, vel per accidens. Senſus eſt auditæ, deguſtatæ, viſæ, olfactæ, vel tactæ rei, per cujusque proprium organum perceptio. Membra verò corporis per quæ ſenſus ab anima percipiuntur, ſenſuum propria vocamus organa. Senſuum autem perceptio præteritorum notitiam, præſentium rerum repræſentatione ad memoriam revocat: & hanc animalia bruta cum hominibus communem habent. Nam illa præſentibus oblatis duntaxat, eadem ſenſu recolunt. Eſt tamen alia radix memoriæ longè excellentior, quæ nulla repræſentatione media, ſed ſpiritus nunquam otioſi ſedula tantum agitatione, dictam colit memoriam, virereque perpetuò facit. Hæc memoriæ continuatio rationis cultum ſubſequitur, & eſt homini ſoli contingens. Ergo ſenſus communiter eſt animalis: ratio verò particulariter intellectualis. Etenim bruta non intelligunt extra ſenſum præſentem: animalia rationalia verò, per intellectum ratione motum, atque ſenſum, hoc poſteriore fine, vel medio. Iterum animus & corpus in rationalibus oppoſita ſunt extrema & contraria, quæ conjungi nequeunt, niſi per mediam animam de utroque participantem inimico. Sed quia alterum extremorum eſt perfectum, alterum verò imperfectum, ſi motus fiat à perfecto primum, per medium neceſſariò tranſit ad imperfecti perfectionem, & è contra. Hac de cauſa Deus omnia

omnia condidit ſub tribus, in unum ut convenirent. Ipſe namque pacis eſt auctor, unionis, & concordiæ, quæ ſine contrarietate, duorum ut minimum, fieri nequit. Proinde duo ſemper ſunt inimici, uſque dum per ternarium in unum conveniant, & per unum fiant amici. Rurſum animus omnibus eſt æqualis, ſed non æqualiter ab omnibus recipitur. Mens itaque non omnibus æqua nec æqualis. Pauciſſimi ſiquidem illi ſunt qui cum animo conjunctam habent animam: multi qui plus vel minus de mente participant: plurimi autem qui corpus in anima colentes, & hanc in corpore, non agnoſcunt animum, nec ejus monita percipiunt: his nulla mens, at inſania eſt illis pro ratione, & ſapientia. Mens itaque benè recipitur, quoties animus & anima convenientia, ſimul à corpore ſunt adeò ſtrictè recepta, ut ex his tribus unum fiat conſonum & inſeparabile. Porrò hæc amicitia nullo modo fieri poteſt alio, quam per diviſionem, qua ſine unio nullatenus adimpletur. Unum enim ſua propria natura ſolum eſt, quòd ſi ſolum manet, impoſſibile fuerit cum altero jungi, vel uniri. Si tamen alteri cuipiam uniendum ſit, alterum ex hoc uno, vel ab uno diviſum eſſe neceſſum eſt, cum nihil ſit præter id unum. Et quoniam partes unius ex uno ſymbolizant, vel ſympathiam habent cum uno, in unum facilè cõveniunt, eoque minus, quo per intervalla ſimilitudinis in claritate magis remotæ ſunt ab uno. Quapropter mentis à corpore diſtractio neceſſaria eſt, ut ejus & ſui domicilij fiat unio. Verum enimverò cum unio perfectionem utriuſque partium requirat, ab extremo perfecto (quod antea) per medium fieri debet ad imperfectum tranſitus, ut iſtud perficiatur. Per ejuſcemodi mentis à corpore diſtractionem, quam voluntariam mortem nonnulli vocant, acquirunt anima & animus ſimul juncta potentiam ac dominium in ſuum corpus, quam ſolus animus non ita liberam habebat, ob reluctans medium per quod ſupernaturalis tranſitus fieri debuit. Non conveniunt enim inimici, niſi per neutram ſequeſtrationem ex parte diſcordiæ, at benè participem pro parte reconciliationis cum utroque. Hoc ipſo labefit Aſtronomia judiciaria, quæ diſpoſitionem aſtrorũ inclinare docet. Aſtra quandoquidem hominum mentibus, propter quos creata ſunt, nullatenus poteſtatem habent in ipſis longè præſtantiorem & principem creaturam: quod ignobilius in excellentius non agat, etſi conetur. Si tamen humana corpora vincant animam, eamq; reducant in corruptibilis corporis ſervitutem, inficias non iero, quia tum aſtrorum corpora ſunt hominum corporibus nobiliora, ſuas actiones in iſta per influxum imprimere poſſe. Summatim, mens ſapientis dominabitur aſtris, inſipientis verò nedum iſtis, verum etiam inferioribus, & ærumnis quibuscunque ſubjicitur. Sapiens autem qui mentem adeptus eam excolit: inſipiens contra,

qui corpus in anima, vel hanc in corpore diligit, animo neglecto, ut ex verbo Dei: Qui diligit animam ſuam (intellige in corpore) perdet eam, & qui odit animam ſuam (modo qui ſupra) in æternum cuſtodit eam. Diligere dicitur is animam ſuam in corpore, qui pravos omnes appetitus ſui corporis exequitur: Item, qui non exequitur eos, attamen vanitatum cogitationibus imaginarijs delectatur, corpus hic in anima ſua videtur diligere. Contra quidem, odit animam ſuam in corpore, qui corporis frænat noxios appetitus, & corpus in anima, qui vanas imaginationum ſuarum cogitationes protinus pellit & eradicat. Hoc iter ad unionem priorem, animæ videlicet cum ſpiritu & ad mentem conſequendam: quam tandem, ſive ſpiritum, ſive animam vocemus, appellatione unius, non excludimus alterum, propter unionem jam factam. Attamen ſummè notandum nullam unionem eſſe perfectam, niſi fuerit inſeparabilis. Poſſunt nihilominus unionis initia jaci, quæ mox non conſequuntur effectum, non obſtat quin mens adhuc imperfecta magis aut minus appelletur. Qui verò perfectam adepti ſunt mentem pauciſſimi: qui inchoatam habent, multi: & qui nullam, plurimi. Cæterum & bona corporis diſpoſitio ad veram contemplationem eſt valdè utilis, etſi non perinde neceſſaria. Corpus nimirum ex ſui corrupta natura, qua morbidum totum effectum eſt, plurimum aggravat animam & impedit, quo minus ſpiritus actiones percipere poſſit. Nonnullis autem à natura contingit magis idoneos eſſe alijs, ad eam ſeparationem obeundam: quippe quibus ad naturalem corruptionem in ipſorum formatione, per accidens nulla prorſus; vel pauca ſaltem acceſſit corruptio. Minus apti ſunt, qui præter ortivam corruptionem, & acceſſoriam, ex propria petulantia, victusque diſſoluta ſerie, ſuam rationem impediunt: ut illi qui mundanis agitati curis, ea quæ ſunt extra mundum perpetua negligunt, & qui profuſius utuntur eis, quæ natura dedit ſolum in neceſſitatem, quam par ſit. Proinde uti per acceſſionem alicujus impeditur quidpiam, non ſecus ejuſdem amotione juvari poteſt. Fiunt itaque in hanc rem nonnullæ medicinæ per ſpagiricam artem præ cæteris excellentiſſimam, à proprijs ſemotæ corporibus, quæ per naturalem vim agendi, quam à natura habent in proprium corpus, & poſt amotionem ſuæ partis agentis, retinent, idipſum in alienum corpus objectum exequi poſſunt, imò longè excellentius, quam datum fuit eis naturaliter in propria corpora perficere. Quidquid autem reperitur in rerum natura formam & materiam habens, deſiderat in ſuo genere maximè perfici: innatus appetitus hic, eſt perfectionis omnium potiſſima cauſa. Cum etiam natura ſibi ſimili naturæ jungi gaudeat, ac delectetur in ea, vincente mente per ſibi ſimile medicamentum incorruptum adjuta, in diſpoſitione corporis,

poris, hoc in eandem condeſcendere naturam cogitur, ſicuti prius à contrario, vincente corpore ſibi ſimilibus corroborato corrumpentibus, anima cogebatur. Quod ne cuipiam videatur abſurdum, adjiciam. Quodvis nutrimentum in ſanguinem mutatur nutriti ejusdem complexionalis naturæ, cujus fuit nutrimentum: exemplo docetur in eis qui ferocium animalium carnibus aluntur aſſiduè, quos etiam contingit fieri ferociſſimos. Natura quidem nihil aſſumit in alimentum niſi quod ſubtilius, craſſa & fæculenta materia ſemota, & in excrementis ejecta: & iterum nutrimenti ſuperflui quodvis adhuc aliud excrementum per poros in ſudorem, vel per veſicam, nares, aut lacrymas ejicit. Hoc movit Paracelſum dicere, quodvis humani corporis membrum ſtomachum habere proprium, in quo decoquitur nutrimētum; & fit in eo ſeparatio ſuperflui à neceſſario. Si autem per membri cujuſpiam debilitatem ejuſmodi ſuperfluitas commodè nequeat ejici, ſuperfluum ob malam digeſtionem, carnes vel oſſa hoc loco præter naturæ conſuetudinem, vel in tumorem, vel in excreſcentiam nutrit, extendit, vel incurvat. Verùm enimverò in ſpagiricis medicamentis, craſſi nihil relinquitur, neque ſuperflui: quapropter pars quævis corporis totum hoc medicamentum aſſumit, ac ſine ſeparatione tranſmutat in ſibi ſimilem naturam, & vice verſa medicamentum ſimilem proprietatem imprimit quam habet, utpote corruptionis & ſuperfluitatis expertem, ut omnis eſt incorrupta natura. Cæterum incorrupta natura, eſt vitæ longæ balſamum naturale quibuſvis corporibus naturaliter inſitum, & ſpagirico medicamento natura ſimile, per quod eorum calor & humor etiam naturales, vel radicales, quantum fieri poteſt, è corruptione præſervantur, & quo deficiente corpus omne leproſum efficitur, convaleſcenteque per augmentum ab extrinſecis, quod jam ob ejus balſami paucitatem corruptum erat, in excrementum ejicitur. Differt igitur ſpagiricum medicamentum à vulgari & hactenus uſurpato, quod hoc una cum ſuo corpore ſuisque corruptionibus trajectum in ſtomachum, non ſecus quam cibus omnis decoquitur & ſeparatur, non ſine faſtidio maximo nauſeaque naturæ: illud verò ſumma delectatione præter omnem concoctionem & ſeparationem tranſmutatur illico in humidum radicale, calidum & balſamum naturalia. Sibi ſimilibus enim iſtas phyſici corporis tres partes potiſſimas, tum nutriri, tum inſtaurari oportet. Hinc fit quod cibi potusque quotidiani cum ſuis ſumantur corporibus, quia videlicet à natura ſunt in nutrimentum elementorum etiam ordinati, & non in medicamentum. Quodvis enim elementum ſibi ſimili ſuſtentatur elemento, ſed omnia conveniunt, & in temperie conſervantur ab ætherea ſubſtantia, cui noſtrum balſa-

mum, & ſocios quantum licet conformia reddimus. Eſt enim in humano corpore quædam ſubſtantia conformis æthereæ, quæ reliquas elementares partes in eo præſervat, & continuare facit. Spiritus itaque ſpagirici medicamenti cum anima ſua junctus, & à corpore craſſo & impuro ſeparatus, poſtmodum ei purificato rurſum per animam unitus, mentales imò ſpiritales, aut vitales partes in ſibi ſimilem ſubſtantiam nutrit, & inſtaurat, corpus quoque phyſicum etſi corruptum corrigit, & ab omni corruptione tuetur. Spagiricam autem noſtram medicinam eſſe corpoream non negamus, ſed ſpiritalem dicimus eſſe factam, quam ſpagiricus induit, ubi fixum fit volatile, & volatile fixum. Phyſicum ſane corpus excellentiori corpore curari non poteſt, quam ſpagyrico, neq; mens humana componi melius quam diſpoſitione ſpagirica & meditativa, poſt divinæ gratiæ donum tamen. Ex his omnibus concludimus meditativam philoſophiam in ſuperatione corporis unione mentali facta, conſiſtere. Sed prior hæc unio nondum ſophum efficit, nec niſi mentalem ſophiæ diſcipulum: unio verò mentis cum corpore ſecunda, ſophum exhibet, completam illam & beatam unionem tertiam cum unitate prima ſeparantem & expectantem. Faxit omnipotens Deus, ut tales efficiamur omnes, & ipſe ſit in omnibus unus. Cæteroqui unde ſit petenda mens, eſt etiam quod ſciatur. Eſt enim ut fides, verè Dei donum gratuitum, ſic & virtutes omnes. Inde nõ ſequitur, ad eas acquirendas non eſſe laborandum, quoniam Deus ignavos & ſegnes haudquaquam exaudit, imò potius eorum orationes, tanquam blaſphemias rejicit. Magna ſanè foret hominum inſania panem à Deo petere, arare tamen & ſerere nolle: non minor eſſet deſiderare mentem & expectare, nulla prorſus ad eam acquirendam adhibita diligentia: maxima profectò, ſi quis tam ignarus, ut putaret labore ſuo, gratia Dei non implorata prius, hanc acquiri poſſe. Diligentes benedictione ſua replet, dum ſalutaria petunt, negligentes Deus non exaudit etiamſi petant. Petere verè dicitur quis non ſolum ore, ſed corde, & affectu quid cum exigit. Quocirca priuſquam ad primum meditativæ philoſophiæ gradum veniamus, admonendos eſſe diſcipulos putavi auxilij divini implorationis, deinceps accuratiſſimæ diligentiæ in diſponendo ſe ad ejuſmodi gratiam recipiendam. De hac diſpoſitione tantum hoc loco diſſeritur, gratia verò petenda eſt deſuper à datore luminum Deo Opt. Max. Et quia hujus artificiatæ diſpoſitionis tres ſunt potiſſimæ partes, utpote ſpagirica, moralis, & meditativa, neceſſarium fuit in hac tractatione, quaqua via, modo hac, nunc illa progredi. Impoſſibile eſt enim vitæ malæ hominem poſſidere theſaurum ſapientiæ filijs reconditum, & malè ſanum ad eum acquirendum vel inquirendum, multò minus ad inveniendum aptum eſſe. Porrò in humano cor-

no corpore latet quædam ſubſtantia cœleſtis naturæ pauciſſimis nota,quæ nullo penitus indiget medicamento, ſed ipſamet eſt ſibi medicamentum incorruptum. Verum quia ſui corporis corruptionibus obruitur & impeditur, quo minus actiones ſuas exerceat,philoſophi divino quodam afflatu cognoverunt, hanc virtutem cœleſtemque vigorem à ſuis compedibus liberari poſſe,non contrario,ut infideles docent, at ſuo ſimili. Cum igitur tale quid ſive in homine,ſive extra ipſum inveniatur, quod huic eſt conforme ſubſtantiæ, concluſerunt ſapientes ſimilia ſimilibus eſſe corroboranda, pace potius, quam bello, contrariiſque eſſe pellenda contraria. Ad corporis igitur bonam diſpoſitionem artificiatam, utimur ſpagirico medicamento,quo remedio corruptionem ejus ad naturalem digeſtionem,& ſic per expulſionem arceamus, hoc operante natura per formam intrinſecus roboratam.Hæc eſt præparatio noſtri corporis phyſici ſpagirico artificio facta, per quam ad ſeparationem facilius pervenimus absque corrumpentium impedimento. Inde colliget ſtudioſus lector, à meditativa primum philoſophia, per ſpagiricam ad veram & adeptam ſapientiam tutiſſimum fieri tranſitum. Jam ad voluntariam diviſionem ut veniamus. Completa ergo corporis præparatione, facilè ſeparatur à reliquis partibus, cum ei quicquid præter phyſicam neceſſitatem appetierit ab anima,ſuaſu quidem animi, denegatum fuerit. Ex ea ſeparatione reſultat unio prima ſpiritus & animæ per ſtudium philoſophiæ moralis continuatum. Erant hæc ſtudioſis proponenda,ut cognoſcerent qua ratione moralia ſpagiricis,phyſicis, & meditativis immiſcuerimus, & quemadmodum ſingula ſibi correſpondentibus comparantur, ne fortè ſub labyrintho hærentibus introitum ad rem capeſſendam præſtruxiſſe dicerer lectoribus. Sed ad primum gradum meditativæ philoſophiæ nos invitat animus,qui circa ſtudium in meditatione verſatur. Meditativum ſtudium eſt,inquiſitio ſedula veri, & oblivio mundani quantumvis neceſſarij, juxta verbum domini: Primum quærite regnum Dei, non ſoliciti quid edatis aut bibatis, neque quo induamini,ſcit enim pater veſter qui in cælis eſt, quoniam his omnibus opus ſit: omnia quibus indigetis adjicientur vobis, ubi verbo Dei intenti ſolum obtemperabitis. Si ergo etiam neceſſaria nobis,ad vere meditandum abjicienda ſunt, & animo prorſum abigenda procul,quanto magis mundanæ curæ vanitatumque ſuperfluæ cogitationes bonum ſemen ſuffocantes, toties quoties inter meditandum inſurgunt,viriliter propellendæ ſunt verbis domini, quæ nos docuit in hanc rem efficaciſſimis: Abi hinc à me protinus Satana,nihil mihi tecum eſt commune, Dei totus eſſe cupio, cui me etiam dedicavi. Sed operæ pretium fuerit intelligere quid verum, quid item neceſſarium. Verum itaque eſt eſſe, à

quo nihil abeſſe, cuique nihil adeſſe, multo minus obeſſe poteſt nihil. Hoc ſolum eſt verbum Dei, circa quod tota noſtra meditatio verſari debet, ſi cuncta quæ in cælo & terra ſunt arcana nobis utilia & licita, velimus intelligere. Neceſſarium vero id omne quo carere minime poſſumus, ut ſunt victus & amictus. Superfluum eſt, quicquid non neceſſarium. Mundanum eſt nedum id omne, ſed quicquid nos ſolicitat per cupiditates corporis à diabolo ſuggeſtas, & inſitas, ut lolium inter bona grana; quo nos à veritate verbi Dei retrahat ſi poſſit, ne perſiſtamus in ea. At veritas eſt ſumma virtus, & inexpugnabile caſtrum, pauciſſimis adhærentibus amicis, innumeris tamen obſeſſum inimicis, quod pauló minus quam totus modus nunc odio proſequitur; quamvis ab agno ſolo & immaculato propugnatum inſuperabile tamen: pignus indubium & certum ijs qui ſe ad illud in aſylum conferunt, etiam tutiſſimum refugium. Hac in arce verus, & indubitatus continetur ille theſaurus, qui non eroſus à tineis, neque perfoſſus à furibus conſervatur in æternum, & aſportatur hinc poſt mortem, cæteris opibus atque divitijs totius mundi deficientibus eo tempore præſertim & in nihilum rediturꝭ, quod ex nihilo creatæ ſint, vulgo nihilominus precioſſimæ, quoniam non intelligit animalis homo, quid ſibi ad ruinam poſitum ſit, vel ad ſalutem. Veritatis itaque perpetuus theſaurus eſt, res illa mundo viliſſima, plurimum ſprcta, non tamen odibilis, ſed amabilis ſapientibus ſupra gemmas & aurum: omnium amatrix: ab omnibus ut inimica rejecta: ubique reperibilis, à pauciſſimis & ferme nullis inventa: per vicos acclamans omnibus! Venite ad me omnes qui viam quæritis, ego vos ducam in veram ſemitam. Hæc eſt res illa à veris tam inſigniter prædicata ſapientibus, quæ vincit omnia, nec ab ulla re unquam vincitur: corpus & cor omne durum penetrans, omne molle conſolidans, & ad omni quantumvis duro reſiſtendum confirmans. Nobis omnibus ſe facit obviam, & non videmus eam, vociferans & alta voce dicens: Ego ſum via veritatis, tranſite per me omnes, quia non eſt alius ad vitam, quam per me, qui ſum verum oſtium, tranſitus, at nolumus eam audire. Odorem ſuavitatis emittit, ſed non percipimus. Dapibus ſeſe nobis liberaliter etiam in ſuavitatem offert indies, & non deguſtamus. Blande nos ad ſalutem trahit, at reluctantes, & tractum non ſenſiſſe fingentes, obiter præterimus. Quoniam facti ſumus ſicut lapides, oculos habentes, & non videntes: aures habentes, & non audientes: nares, non olfacientes: ore linguaque muniti, non guſtantes neque loquentes; manibus & pedibus nil operantes nec ambulantes. O miſerum tale genus hominum quod lapidibus non eſt præſtantius, imo longe infelicius, quoniam ipſi, & non illi rationem daturi ſunt operationum ſuarum! Transmutemini (inquit veritas) è lapidibus mor-

tuus in

quis in vivos homines & ſapientes. Ego ſum (ait) vera medicina corrigens ac transmutans, id quod non eſt amplius, in id quod fuit ante corruptionem, & in multo melius, item id quod non eſt, in id quod eſſe debet. Ecce præ foribus ſum conſcientiæ veſtræ noctes ac dies pulſans, & non aperitis mihi tamen expecto mitis, nec à vobis irritata recedo, ſed patienter injurias veſtras ſuſtineo, cupiens per patientiam, ad eam exhortando vos adducere. Venite iterum atq; ſæpius iterum venite quæſo, quicunque ſapientiam quæritis, & emite gratis, non auro neque argento, minus laboribus proprijs, quod effertur vobis ultro. Sonora vox, ſuavis, & grata philoſophantium auribus. O fons divitiarum inexhauſtibilis veritatem & juſtitiam ſitientibus! O deſolatorum afflictibus præſentaneum ſolatium! Quid ultra quæritis mortales anxij? Cur infinitis animos veſtros curis exagitatis miſeri? Quæ veſtra vos excæcat dementia? cum in vobis id eſſe vult, non ex vobis, omne quod extra vos, & non apud vos quæritis. Proprium hoc eſſe ſolet vulgi vitium, ut propria contemnens, aliena quæ ſunt ſemper appetat. Proprium pro nobis appropriato vel uſurpato ſumimus. Etenim ex nobis ipſis nihil habemus boni, ſed ſi quid habere boni poſſumus, ab eo qui ſolus eſt bonus ferimus acceptum. Contra quicquid habemus mali, nobis ipſis uſurpavimus ex alieno malo per inobedientiam. Proprium igitur nihil eſt homini ex ſuo, præterquam malum quod poſſidet: quod ex bono bonum habet, non ex ſeipſo, ſed contribute proprium habet ex bono, modo receperit. Lucet in nobis licet obſcurè vita lux hominum, tanquam in tenebris, quæ non ex nobis quærenda, tamen in, & non à nobis, ſed ab eo cujus eſt, qui etiam in nobis habitationem facere dignatur, quoties velle nobis contingit. Hic eam lucem plantavit in nobis, ut in ejus lumine qui lucem inacceſſibilem inhabitat, videremus lumen: hoc ipſo quoque cæteras ejus præcelleremus creaturas: illi nimirum ſimiles hac ratione facti, quod ſcintillam ſui luminis dederit nobis. Eſt igitur veritas non in nobis quærenda, ſed in imagine Dei quæ in nobis eſt. Cæteroqui, quo definitioni veri faciamus ſatis, Uni quid adeſt quæſo, quid etiam deeſt, aut contra unum niti poteſt, cum nihil vere præter unum exiſtat? Quis ignorat perfectum eſſe nihil præter id unum, quod nec in aliquo diminutum, nec ſuperflui quid admittit, ſed abundans virtute ac potentia tribuere poteſt omnibus deficientibus, & ſemper ex æquo abundare? Quid enim tale poteſt eſſe præter id ſolum quod omni dat eſſe quod eſt, & eſſe non recipit ab alio, at ipſum eſſe totum eſt quod eſſe poteſt ac debet, cuique nihil obeſt, quia præter ipſum nihil eſt? Quicquid igitur extra veritatem eſt, vere non eſt, quia ſola veritas illud unum eſt omne, vere quod eſt. Falſitas autem econtra, quæ quia non eſt, niſi quod eſſe

vero contrarium eſt, & eſſe non debet, nec niſi per eſſentiæ veræ privationem eſt, nihil eſt aliud; quam quod vere non eſt. Unde concludunt aliqui peccatum & mortem tale nihil eſſe, quia non procedunt ab eo eſſe vero, ſed ab eſſentiæ veræ privatione. Proinde peccatum eſt privatio boni, quæ cauſa mortis efficiens eſt, quia mors eſt privatio vitæ, quæ vita boni finis eſt. Ex bono quidem veritatis ſtimulus reſultat, cui non prævalebunt aculei mortis, & contra quem cuique quantumcunque duro, durum eſt calcitrare. Veritati quicunque quidpiam adjicere vellet, falſum pro vero palliatione quadam ſubſtituere cogeretur, ideo quod veritas perfectionis amictu ſolo circumfulta, videri ſine pallio non veretur. Quod ſi noſter primus ille parens amictum hunc juſtitiæ non exuiſſet, nec fuiſſet veritus videri nudus, qualis anteà non videbatur nec erat, ſed omni decore veritatis munitus. Privatus autem veritatis amictu perenni, falſum quæſivit pallium à frondibus arborum, quo faſſus in ſeipſo ſuum errorem, ut coram Domino dixit, nudus ſum Domine. Cujus miſertus Deus, quod veritatem amiſiſſe per inobedientiam vereretur ac fateretur, pro terrenæ felicitatis amictu perdito, æternæ gloriæ veſtem nuptialem gratis illi dare ſtatuit, per proprium filium: qui veritatis viam ſe nobis ac vitam eſſe aſſeruit oſtenditque manifeſte, cum ſua morte quam non meruerat, mortem à nobis perpetuam, qua merito plecti debebamus omnes abſtulit. Videte fratres igitur quantus ſit veritatis effectus, ut etiam erga ſuos inimicos, modo recognoſcant eam, ſit benefica placidaque. Cum Adamo quidem peccavimus omnes, at noſtrum pauciſſimi ac fere nulli; qui cum ipſo nuditatem ſuam aperte fateantur, quinimo potius quiſque quoque cupit videri nedum, ſed eſſe perfectior, licet omnium ipſe ſit imperfectiſſimus, byſſoque coccineo & purpura inſigniter palliatus, maxime nudus. Vitium hoc hæreditavimus à primi parentis appetitu primo, quod caro noſtra præ cæteris maxime, jure vel injuria, ſcire, ſapere, ac poſſidere, & velut idolum honorari deſideret: quod potiſſimum hoc ſeculo hominum eſt ſtudium, ipſis, ut Adamo fuit, exitioſiſſimum. Nec deſunt inter nos, qui ad deteriorem, poſt Adami lapſum, partem ſe conferant, nec ſecus ac ille faciem domini fugientes, latebras tenebrarum quæritant exteriorum: quæ diffidentia, ut plurimum in deſperationem tendit, potiſſimum etiam indiget pœnitentia, qua revertatur ad lucem veritatis. Rurſus veritas nulli potentiæ ſubjicitur, vel mundanæ fortitudini, quapropter nihil ei poterit obeſſe, cum ipſamet ſit omnis fortitudo vera totius mundi potentiam ſuperans. Quodſi corpus veritatem poſſidentis in mille fruſtrà ſecetur, nil patitur ejus animus, imo potius in eo martyrio gaudet: ea demum eſt virtus & potentia, quam pauci admodum ſunt adepti. Comites habet juſtitiam &

tiam & pietatem inſeparabili unionis nexu conjunctas. Pietas autem eſt gratia divinitus prolapſa, quæ docet unumquemque ſeipſum vere, ut eſt, cognoſcere. Juſtitia vero retributio & reſtitutio cujusque cuique quod ſuum eſt: quisquis virtutes iſtas vere poſſidet, omnium eſt ditiſſimus. Operatur etiam pietas pacem & miſericordiam, de quibus omnibus poſtea ſuo loco dicetur amplius. Reliquum erit ut neceſſitatem intueamur. Victu ſane & amictu carere non poſſumus, ergo ut ſupra diximus, neceſſarij. Delicijs cum ciborum, tum potuum, veſtium quoque luxu & apparatu carere quivis, etiam ille qui poſſidet, poteſt: non ſunt igitur neceſſaria, ſed potius ſuperflua. Qui porro neceſſitatem obſervant philoſophicam, ſunt pauciſſimi: vulgarem autem quis non vel idiota quivis invite ſuſtinet, eoque ſolo carere cupit, quod aſſequi quocunque jure vel injuria nequit? Verum quia vulgus omnia judicat ſuperficialiter ac ſecundum apparentiam, & juxta centrum fere nullus, odioſa quum ſub lacero cortice prodit in medium veritas redditur. Plus poſſunt hac tempeſtate ſplendida veſtis, armillæ, torques, monilia, quam ipſa veritas & ſapientia. Quid mirum, cum ſapientia ſumma ſit facta mundo ſtultitia, hæc vero contra ſapientia? teſtantur ſacræ ſcripturæ. Veritas ipſa Chriſtus & vera ſapientia tollitur à mundi ſapientibus, quia ex mundo non eſt, attamen ſuperat mundum. Barrabas autem latro potius eligitur, quia fuit ex mundo vitioſus. Cur itaque miramur, ſi mundus verarum artium profeſſores, cum veritatem ipſam ſit perſequutus, tanquam venenum abhorret? Fatentur ipſimet ſapientes illi mundi ſequaces, cum doceant veritatem parere odium, & obſequium amicos: ſi hoc loco ſubticuiſſent obſequium ad aſſequendam amicitiam eſſe præſtandum, excuſari potuiſſent, ut conqueſti de odio veritatis. Sed per hoc paraſitari videntur ad ambitionem potius, quam ad virtutem & veritatem libere obſequi hominibus absque ulla ſpe lucri, vel alterius amicitiæ quæſtus. Hæc autem hoc loco ſunt adducenda; quippe quæ à noſtris meditationibus aliena, ut diabolicum fermentum excludere oporteat. Videmus hoc ferreo ſeculo, ſi quid in lucem adferatur ex veris meditationibus, & indubijs veræ philoſophiæ fontibus, quod etiam in utilitatem faciat omnis Reip. ſi non Græcorum & infidelium doctrinæ falſæ conſonum ſit, ab eis præſertim rejicitur, qui ſuccum illius hauſere ſtudij, quod inanis illa philoſophorum infidelium ſchola commenta eſt. Dicite quæſo vos viri judicioſi, qui fieri poſſit, ut infidelis carens omni lumine vero, lucem veritatis adferat alijs? Humanam habuerunt ſapientiam & mundanam, quæ ſtultitia maxima reputatur apud Deum, quia non eſt ex Deo; attamen parens omnis filium torquet ad eam addiſcendam per mediam ætatem. Poſtmodum ſi talem contingat philoſophum

ementitum, cum vero & meditativo conferre ſopho, mox erumpit in convitia, contemnens omne bonum ac verum quod à ſuo pædagogo non audierit: ac ſi nihil veri bonique eſſet, præter id quod ab infidelibus veritatem ignorantibus ortum eſt. Plus poteſt enim ſpeculativa mens adjuta lumine veritatis, unico anno vel momento conſequi, quam aſſiduus & improbus labor hominis, absque hoc lumine quærentis lucem, ab his qui luce carent omni. Cæterum videamus quænam ſit infidelium philoſophorum doctrina moralis. Summum bonum ponunt bene vivere, quod in honeſtum partiuntur, & utile. Honorum ambitiones, & laudes maxime reputant honeſtas, denique divitiarum partum & conſervationem quocunque jure, vel injuria, bello, vel ſudore, vocant utilia: patet quoniam ex iſtis omnibus poſt mortem aliud nihil expectant, quam ſuæ poſteritati, per memoriam ſui ſuorumque geſtorum famam, honores, atque favores reliquiſſe. Reſurrectionem partim ita negantes, partim ignorantes, poematum mille fabulas præter omnem veritatem, cujus etiam fuerunt expertes, in hominum perniciem, & ſui ipſius exitium excogitarunt miſeri. Ecce propter quam doctrinam oportet verarum artium profeſſores ijs maximè odio eſſe, qui de quibusvis artibus & facultatibus plus reportaſſe nomen atque titulos gerunt. Tametſi veritatem eis ob oculos ponat experientia: niſi per opiniones eorum qui veritatem nunquam ſunt experti comprobatum ſit, pro falſo verum rejicitur, & maximo clamore fatuus exiſtimatur, quisquis veritatem ſe profiteri velle dicat. Si quis etiam vanos auctores merito deteſtetur, mox eorum diſcipuli minantur in ſuis Univerſitatibus ejuſmodi viros, vel afficere ſupplicio, vel ſummo dedecore, quod equitationem aſini vocant. Interim non vident ipſi ſibi maximum eſſe ſolatium per vicos indies aſinorum equitare monſtra Sodomitica, & præter naturam coacte per malitiam hominum, genita, contraq; præceptum Dei, quo vetitum fuit olim, ne paſtores diverſarum ſpecierum animalia coire paterentur. Quid tandem ſubticebitur ob eorum minas ipſa veritas, quia, ut ajunt, ſuis profeſſoribus odium parit, & reticentibus obſequioſis amicitiam? Abſit, potius obire mortem philoſophum decet, quam negare veritatem. In omnibus eſt obſervanda, ut ſummum apud Chriſtianos bonum. Beati quibus datum eſt cælitus in ea perſeverare in finem usque, quod pauciſſimis (hei miſerum) contingit. Rogemus itaque Deum, ut hujus ſolius nos faciat participes. Uti jam de ſtudio per voluntariam ſeparationem meditatione factam in animo dictum, non ſecus docemur per eam de ſtudio ſpagirico fiendum. Etenim in eo requiritur inquiſitio rerum naturalium veritatis, quæ in earum occulto latet. Verum itaque ſpagiricum, rerum eſt à natura productarum centrum in quo virtus omnis &

ejusdem

ejusdem rei veritas atque potentia deliteſcit, per hanc artem ad actum deducenda. Quod ut fiat, earum diviſio neceſſaria ſuperioris ab inferiori, & utriusque partium repurgatio, tum demum per operationum ſpagirica media in unum reductio, vel unio. Proinde ſtudium ſpagiricum, & primus gradus ad ſpagiricam unionem eſt, rei diviſio, vel ſeparatio. Duplex eſt igitur elementorum ſeparatio, ut puriorum ab impurioribus, & hæc eſt vere ſpagirica: altera vero qualitatum eſt elementalium, & vulgata eſt omnibus ac familiaris. Natura tamen operatur per ſolam commixtionem ſub duabus tantum operationibus, alteratione videlicet, atq; animatione. De ſingulis agemus in ſequentibus: jam de ſeparatione puri ab impuro eſt quod loquamur. Fit in quibusdam corporibus per ſe, & in aliis cum vehiculo. Quanquam omnibus corporibus à natura productis ineſt eſſentia cæleſtis, quam quintam appellant, in nullo tamen æq; abundare dicunt philoſophi, atque in vino. Quare prætulerunt hoc ob faciliorem etiam ſeparationem. Non quod præſtantior ſit ea ſubſtantia de ſuo corpore, quam de quovis alio tracta. Nam univerſalis eſt virtus, nec niſi propter varietatem ſubjectorum (in eis adhuc hærens) diverſa, libera tamen ad ſuam unitatem redit. Hoc eſt unum ex arcanis naturæ, per quod ad altiora pertigerunt ſpagiri. Ceterum animadvertendum ne ſeducamur appellatione vini, duplex eſt enim, philoſophicum & vulgare. Philoſophicum de quovis corpore naturæ poteſt elici. Vulgare ab œnopolis venditur. Separabis igitur quum voles à corpore quovis ſpiritum & animam. Prius de vino philoſophico per exemplum doceamus. Grana tritici, hordei, vel ſiliginis, aqua fontana vel pluviali, aut alia quavis macerata ut intumeſcant, accumulentur in acervum, ac maneant uſque dum poſt aliquot dies incaleſcant, ac germinent. Quo percepto diſtendantur, & aliquantisper exiccari ſinatur humor ſuperfluus aquæ, poſtmodum mola terantur craſſiuſcule, & in vaſe ligneo poſitæ huic farinæ affundatur aqua ferventiſſima, & cooperiatur vas. Poſtquam refrixerit ac quieverit ejusmodi liquor, per ſetaceum vel ſaccum coletur à farina minime turbidus. Tum demum ad eandem farinam affundas aliam aquam ferventem, ut prius, & cola: proceſſum hunc affuſionum & colationum toties repetas, uſque dum perceperis omnem granorum ſubſtantiam in aquas eſſe receptam: quod experieris guſtu poſtremò colati liquoris, & farinæ. Tandem colatos liquores omnes effervere facias dum per evaporationem in mellis ſpiſſitudinem adducantur. Hac via tibi paraſti vinum philoſophicum ex granis, quod pariter ex omnibus aliis ſeminibus habere potes, necnon ex aridioribus quam ut per ſeipſa valeant præter áduſtionem ſeparari. Dicitur ad hunc modum facta ſeparatio per vehiculum. Cæterum à dicto vino philoſophico, per deſtilla-

deſtillationem ſeparabis animam cum ſpiritu ſurſum aſcendentem à ſuo corpore, ac toties ejuſmodi ſpiritum & animam ſublimabis, donec ab omni phlegmate ſeparetur, ac liberetur. Corpus in umbra, vel ad ignem exiccatum igne violentiſſimo reducas in cineres aridiſſimos, ad quos aqua affuſa fervens bulliat cum eis aliquandiu, quo habeas lixivium aſperrimum: quod ubi quieverit per inclinationem ſatis modeſtam à cineribus, non turbatum, ſed clarum ſeparabis. Ad cineres alia aqua ferventi affuſa ut prius, aliud rurſus lixivium para, quod addito priori colato, idque toties facito per lixivia, donec aſperitatis nihil amplius in cineribus eſſe reliquum percipias. Collecta lixivia per manicam lineam, (filtrum appellant) in limpidiſſimum liquorem tranſire facito, & hunc vitreis organis evaporare, quo habeas tartarum noſtrum, & ſal naturæ rerum omnium. Hoc ſuper marmoreum lapidem humido loco & frigido reſolvi poterit in aquam tartaream. Poſtquam igitur eſſentiam quintam à vino philoſophico, aut vulgari cujusvis coloris, modo merum & vehementiſſimum exiſtat, habueris optime rectificatum ut audiviſti, ſuccum hunc reducas ad ſummam ſimplicitatem continuis & aſſiduis rotationis motibus. Finito rotæ circulo, videbis iterum ab impuro purũ ſeparatum, ac natare ſuperius aeris colore ſereniſſimo tranſparens, & lucidum. Hoc ab impuro ſeparato per inclinationem & ſerva. Cælum hactenus ſpagiricum videris, quod ſtellis inferioribus non aliter ac ſupernum ſuperioribus munitum eſt, adornare potes. Mirabunturne jam infideles imitati Phyſicos, cælum & ſtellas manibus contrectare nos, aut ut reliqua omnia negabunt incognita ſibi? Parvi ſane refert quid faciant. Nullus livor aut invidia remorabitur inſtitutum, quo prodeſſe bonis conamur omnibus, & ſtudioſis veri. Proinde latius extendamus nos, ad hunc modum progreſſi ut cœpimus. Sunt igitur ſtellæ nobis inferiores, individua quævis à natura hoc in mundo inferiori producta conjunctione videlicet earum & cæli, tanquam ſuperiorum cum inferioribus elementis. Jam audio vocem multorum in nos frementium hæc reſonantem: Vah (inquiunt) apage, ſimiles tollantur homines qui cælum terræ ſe conjungere poſſe dicunt. At clamitent altius quantum volent, altiora his & majora cogentur audire. Cælum itaque eſt materia cæleſtis & univerſalis forma, continens in ſe formas omnes diſtinctas, ab unica tamen univerſali forma procedentes. Quapropter quicunque noverit individua, per ſpagiricam artem in genus generaliſſimum adduci poſſe, ac poſtmodum ei ſpeciales virtutes, unicam aut plures infigi, medicinam univerſalem facile reperiet, quæ corruptiones & morbos particulariter, aut univerſaliter ac indifferenter omnes tollere potens erit. Cum enim unicum ſit omnium corruptionum generaliſſimum exordium,

dium, & virtutum innovantium, inſtaurantium, & animantium fons univerſaliter unicus, quis niſi mente privus medicinam ſimilem in dubium revocabit? Ad hæc plura. Tractis artificio dato qualitatibus elementorum à vegetabilibus, præſertim ab his quæ ponentur inferius, eorum igneæ qualitatis ſubſtantia tantum rectificetur, modo quo ſupra vinum philoſophicum. Hac via Mercurius noſter exaltatione ſumma præparatus erit. Mixtio tamen fieri poterit cæli novi, mellis, chelidoniæ, florum rorismarini, Mercurialis, lilij rubei, ſanguinis humani, &c. cum rubei vel albi vini cælo, vel tartari. Fieri poteſt etiam mixtio eorum quæ dicta ſunt in cælum redactorum, & æqualiter mixtorum ſimul cum formis proportionate, juxta ordinem operis majoris atque practicam, & ad minus opus perfectum adduci, quod infra. Indeque poteſt & alia fieri mixtio, cæli nempe cum clave philoſophica generationis artificio. Poſtmodum ſi addatur minus perfectum juxta proportionem operis majoris, ea via pervenietur ad majus perfectum, quod ſuam ſpeciem in ſubſtantijs externis bis quinque numero millibus adauget. Verum quod iſta vix intelligibilia ſint, niſi vocum artis habeatur plena cognitio, has in ſecundo ſubſequenti gradu definire duximus, ubi prius meditativam cognitionem abſolverimus. Eſt igitur meditativa cognitio quædam opinionum de veritate quorumvis conceptarum, per expertam certitudinem indubia reſolutio. Opinio autem eſt veritatis in animo hærens atque dubia præſumtio. Experientia vero eſt veritatis manifeſta demonſtratio. Et reſolutio dubij depoſitio. Non poſſumus de quovis dubio certiores fieri, quam experiendo, nec melius quam in nobis ipſis. Quapropter quæ de veritate ſuperius dicta fuerunt verificemus à nobis facientes periculum. Diximus antea pietatem in cognitione ſuiipſius conſiſtere, hinc fit ut etiam ab ea meditativam cognitionem incipiamus elucidare. Nemo ſe cognoſcere vere poteſt, niſi primum videat ac ſciat ex ſedula meditatione, cum ſacrarum ſcripturarum inquiſitione, quid nam ipſe ſit, magis quam quis, à quo dependet vel cujus ſit, & in quem finem factus & creatus, item, à quo, & per quem. His cognitis incipit oriri pietas ipſa, quæ circa duo verſatur, utpura creatorem, & creaturam. Impoſſibile eſt enim creaturam ſe perfecte cognoſcere, aliter quam per ſuum creatorem. Nihil eſt ex ſeipſo. Qui poteſt ergo quis effectus ſiri prius quam cauſæ fieri certior? Nonne præcedit omne principium medium ſuum, & finem, aut à fine rem aggredietur quispiam? Deus autem eſt ſine principio & fine, per ſe exiſtens ab æterno, repletus omni gloria, quam ſolus poſſidere noluit, ſed ejus nos mera ſua liberalitate ſtatuit apud ſeipſum facere participes, ac ad ejus imaginem creare: primum ſuæ liberalitatis exemplar, atque myſterium non ignorandum nobis, neque

leviter

leviter prætereundum. Attamen vix unus arcanum hoc cognoſcit ex veritate, alioqui non adeò nos præberemus ingratos, ſtupidos, & ignavos ad arcana Dei ſcrutanda per ſcripturas ſcil. Audite fratres. Sicuti de viliſſimo luto contemtibili ac ſpreto ab omnibus creati ſumus, haud ſecus propter materiam primam ex qua cõſtamus, ad vile quodvis proni magis, quam ad eum qui nos ex vili precioſiſſimas creaturas, paulo minus angelis gloria & honore decoratas, creaverat olim. Admiramini igitur quotquot mecum eſtis mortales miſeri, nõ abs re factum eſſe credentes, ut ſummus rerum conditor viliſſimam omnium materiam ſibi delegerit, ex qua poſtremam & abſolutiſſimam creaturam excitare voluit, alijs complurimis ac omnibus precioſis, ut auro, gemmis, & id genus cæteris ad hanc rem omiſſis, quæ tamen cuncta propter hanc unam & in ejus uſum ac utilitatem ſunt condita: ſed enim ut agnoſcentes quidnam, & ex quo ſumus, ab elationis ſuperbia nos contineremus. Quod quidem ſecus omnino facientes, nemo noſtrum non pauperem quem Deus eligit, odit, cum tamen ex eadem maſſa unde prodiimus omnes, etiam ipſe conſtet: hinc fit ut perſonarum non ſit acceptor Deus, ſed paupertatis & humilitatis amator, ac inimicus elatæ ſuperbiæ. Cæterum nemo creatorem cognoſcere melius poteſt, quam à ſuis creaturis, ut ex opere ſuo noſcitur artifex. Videamus igitur quis ille ſit qui de viliſſimo potuit excitare precioſiſſimum; nullum alium reperiemus præter eum qui creavit utrunque. Nullus enim potuit unquam, nec poterit aquam in vinum convertere alius, quam ille ſolus, qui vinum & aquam creaverat. Præclarius quid fecit, quum terram in animam viventem transmutavit, imo quod maximum eſt, ſupremo beatitudinis dono, ſcilicet imagine ſimilitudineque ſua dotavit eam, per quam datum eſt omnibus ſalvos fieri, qui donum hoc cum gratiarum actione recognoſcentes, libenter accipiunt. Sed nolentibus accipere gratis quid dabitur? certe nihil? habeant igitur iſti quod ſuum eſt, ut ſervetur juſtitiæ locus. Proprium cuique ſuum eſt, quod elegit à principio, damnatio videlicet. Gratuitum eſt æternæ ſalutis donum, his qui cum gratiarum actione recipiunt. Cum itaque pretium vile charumque ſimus, videat quisque noſtrum, utrum iſtorum potius optare debeat: res per ſe clarior, quam elucidatione indigeat. Reliquum erit, ut perpendamus in quem finem creati ſimus. Creavit enim omnipotens Deus primum hominem ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, ut ipſi Deo foret ad gloriam, & eſſet immortalis, non anxius, nullius indigus, ſemper in Deo gaudens, terrenis paſſionibus minime ſubjectus. Verum quia tantum munus non agnovit, vilifecit: cognovit tamen quoniam perfectus eſſet è domino factus & ſapiens, at in ea cognitione non permanſit. Conſideremus igitur quantum

tum boni cognitio pollicebatur in ſimplicitate,quantumque mali tanti muneris & verbi Dei vilipendium attulerit, cum ex immortali perpetuo mox reddiderit moribundum. Qui moritur enim ſecunda morte, ſemper in agone mortis degit & nunquam deſinit mori: hinc fit ut perpetua dicatur, non ſecus ac vita contra dicitur æterna,quam Deo vivimus in æternum,eam ſiquidem nunquam ſinemus vivere. Cum enim primus parens una ſecum nos omnes Deo rebelles fecit inimicos,miſericordia motus omnipotens Deus, pacem inire nobiscum induratis ſtatuit, qui pacis eſt auctor. Quis erit æque lapideus, qui cum divinæ bonitatis hoc myſterium animo revolverit; cum inimico ſuo,licet etiam ab eo receperit maximam injuriam,non reconcilietur? Quinam igitur fit ut inimicorum inter mortales neuter, offendens vel offenſam paſſus alterum aggredi velit reconciliationis ergó? Profecto non alia de cauſa,quam quia nemo ſeipſum,neque Deum, neque proximam æquipollentem creaturam cognóvit; quo fit etiam ut pacem non amplectatur is, qui eam ignorat. Eſt enim pax miſericordiæ radix. Nam qui pacem non habet, non exercebit miſericordiam, nec etiam aſſequetur donec habeat. Non eſt quod hoc loco pacem & miſericordiam confundamus, quia pax eſt miſericordiæ cauſa, ut pacis cauſa pietas. Si ergo cognoſcere velimus utrum cum Deo pacem habeamus, examinemus conſcientiam prius,ut nos ipſos judicemus ex indicio,ſi cum proximo tam inimico,quam alio quopiam nobiscum ex æquo conveniat absq; invidia, vel odio. An non conſiderandum eſt nobis, quod ſummus rerum conditor homini vermiculo diaboli mancipio,per pacis amplexum ſuæ miſericodiam fecerit? Non expectavit ut qui delictum in ipſum commiſerat, ut æquum fuerat, adiret miſericordiam poſtulaturus, quinimó ipſe in quem illata fuit omnis ingratitudinis injuria,criminis auctorem ab ejus etiam facie fugientem & abſcondentem ſe, blande vocat, non durius corripit, imò pollicetur morbi ſceleris medelam, miſericordiam & pacem. O miſeri mortales, quotquot miſericordiam expectamus à Deo conſequi, coram quo miſeriam noſtram factis,ut ore,non agnoſcimus! Unde quæſo miſericordia, quàm ex delicti vera confeſſione per cordis contritionem in emendationem vitæ priſtinæ facta,movetur ad compaſſionem? Cæterum quoties noſtram fratrumque noſtrorum miſeriam non ignorabimus, at pari compenſabimus pondere,ſeculi hujus bonis omnibus opimiores facti, æternarum divitiarum nos abundantiores non exiſtimabimus illis, qui prorſum opibus mundi deſtituti ſunt. Quis mortales inter hoc vere conſiderat, bonorumque vel opum ſibi ſolum in hoc mundo concreditorum communione, fratrem egenum non ſolabitur?Da conſiderantem quæ dicta ſunt,& egó mox eum oſtendam

qui

qui arcana Dei hæc intelligat. Necdum iſtis omnibus Deus tantum erga nos amorem ſuum ſatis explicuiſſe voluit, quinimo ſua nos accuſante juſtitia (cui quidem nihil unquam diminutum eſſe poteſt, non magis quam ejus miſericordiæ) nobis potius quam proprio filio pepercit, in quo pax & juſtitia ſe mutuo ſunt oſculatæ. Cur viciſſim nos non oſculamur in Chriſto facti patres ac fratres, cum nos miſeros vermiculos ſummus rerum conditor in filio ſuo dignatus oſculari, & iterum præſtantiores, quam antea creaturas inſtaurare, ex miſerrimis proprio malo factis olim. Quotquot Deum agnoſcunt in filio, pariter & filium in patre per ſpiritum ſanctum, cui non reluctantur, fratrem etiam agnoſcunt, & non alij. Hæc ſunt vera & indubia veræ philoſophiæ fundamenta: ſed quia nondum omnibus cognita, licet audita multis, adhuc in aliquorum non bene reſolutorum animis poſſet hærere dubium, an imaginatio prædictorum amorem veritatis in nobis excitare queat. Operæ precium fuerit illis ambiguitatem hanc per ſeipſos, & in ſeipſis experimento facto deponere hunc in modum: Conſideret unusquiſque penes ſe diligenter ea quæ jam dicta ſunt abjectis mundanis ab animo curis omnibus, alijsque diſtrahentibus cogitationibus, deguſtataque ſæpius ruminet animo ſincero, ſic paulatim aliquot ſcintillas divinæ illuſtrationis, oculis ſuis mentalibus magis ac magis indies perlucere maximo gaudio percipiet, ac deinceps perſeverantia ruminationis in tantam lucem excreſcere, ut ſucceſſibus quævis innoteſcant quæ ſibi fuerint neceſſaria, nec amplius in veritate quovis hærebit modo: ſed pietatis exercitio, juſtitiæque paulatim aſſueſcens ritu viaque præmiſſis, animi tranquillitatem ſentiet, qua tandem allectus, intelliget majorem in eo delectationem eſſe, quam in corpore plus millies. Non prius enim incipit vera cognitio, quam perennium & labilium, cum vitæ, tum interitus comparatione, ſeligat anima cum animo jungi, delectatione hujus majori tracta quam corporis. Ex ea ſiquidem cognitione mens oritur, & corporis voluntaria ſeparatio completur, cum anima reſpiciens ex una parte corporis fœditatatem, & interitum; ex altera præſtantiam & felicitatem animi perpetuam, cum iſto (divino afflatu) connecti cupit, altero neglecto penitus, ut ſolum dein appetat quod à Deo concluſum eſſe videt ad ejus gloriam, & ipſius ſalutem: corpus tandem in amborum jam unitorum unionem condeſcendere cogitur, & obedire. Hæc eſt admirabilis illa philoſophorum transmutatio corporis in ſpiritum, & hujus in corpus, de qua dictum nobis relinquitur à ſapientibus, fac fixum volatile, & volatile fixum, quo noſtrum habeas magiſterium, ad hunc modum intellige: Fac de pertinaci corpore tractabile, quod per animi præſtantiam cum anima convenientem, conſtantiſſimum fiat corpus ad omnia ſuſtinendum

nendum examina. Probatur enim aurum igne, quo reprobatur etiam omne quod aurum non eſt. O præſtantiſſimum philoſophorum aurum, quo ditantur philoſophiæ filij, non illo quod cuditur! Adeſte qui theſauros tam vario conatu quæritis, reprobatum lapidem angularem cognoſcite, qui factus eſt in caput anguli, priusquam quæritis. Mirum eſt quem appetere poſſe quid ignotum, & quærere id cujus veritatem ignorat, quod nihil ſpei polliceri queat ejus quod quærit. Sapiens quærit ſolum quod amat, ſed non poteſt amare quod non cognoſcit, alioqui inſipiens eſſe dicetur, cum ex cognitione veritas, & amor ejus naſcitur. Fruſtra laborant omnes abditorum naturæ ſecretorum indagatores, cum aliam ingreſſi viam terrenorum virtutes per terrena detegere conantur. Diſcite igitur cælum, non per terram, ſed hujus per illius virtutes cognoſcere. Nemo enim aſcendit in cælum quod quæritis, niſi qui de cælo quod non quæritis deſcendit illuminet eum. Incorruptibilem quæritis medicinam quæ corpora nedum à corruptione transmutet in verum temperamentum, ſed etiam temperata dutiſſime conſervet: talem alibi quam in cælo reperire non poteritis unquam. Cælum enim virtute ſua per inviſibiles radios, in terræ centrum undique concurrentes, omnia penetrat elementa & elementata, generat, ac fovet. Fœtus hic utriusque parentis videlicet elementorum & cæli, naturam in ſe retinet, ut in eo parens uterque potentia, & actu ſit reperibilis. Quis hærebit adhuc niſi lapis in generatione ſpagirica? Diſce autem ex teipſo quicquid eſt, & in cælo, & in terra cognoſcere, præſertim quod hoc omne propter te creatum ſit. Ignoras cælum & elementa prius unum fuiſſe, divino quoque artificio ab invicem eſſe diviſa, ut & te, & reliqua omnia generarent naturaliter? Si hoc noſti, reliquum te fugere non poteſt. In omni generatione igitur ejusmodi ſeparatio eſt neceſſaria, qualem de te ſupra dixi fiendam, priusquam ad veræ philoſophiæ ſtudia velum applices. Ex alijs nunquam unum facies quod quæris, niſi prius ex teipſo fiat unum quod audiſti latiusque audies in ſequentibus. Nam talis eſt voluntas Dei, ut pij pium conſequantur opus quod quærunt, & perfecti perficiant aliud cui fuerint intenti. Malæ voluntatis hominibus, nihil præter id, quod ſeminaverint datur metere: imo quod magis eſt, perſæpe bonum eorum ſemen in lolium propter malitiam convertitur. Fac igitur ut talis evadas, quale tuum eſſe vis opus quod quæſieris. Tandem aggredere cognitionem ſpagiricam, quæ talis eſt. Inprimis opus eſt cognoſcere ſingulas dictiones hujus artis, priusquam ejus vera notitia haberi queat.

DE PHILOSOPHIA CHEMICA ad Meditativam comparata.

A PRIMO ût incipiamus, Chaos ſpagiricum, eſt formarum particularium,& materiarum ſuarum cum univerſali forma ſuaque materia confuſio. Quod quidem variis conſideratur modis. Pro confuſione intellectus hominum non intelligentium hanc artem. Secundo, pro confuſione partium iſtud extremum conſtituentium. Tertio, pro confuſione qua ſe habent confuſe cum extremis media quæque, & ſucceſſivè unum ad alterum potentia, nec non unum ad omnia, quovis in quibusvis, & his in quolibet exiſtentibus. Quarto, velut medium natura tenet inter elementa & elementata, non ſecus in arte medium, exiſtimatur artifex inter chaos, operationes, medicinam perfectam,& perfectiſſimam. Ex iſtis quatuor modis intelligi facilè poteſt, medicinas dictas de ſua potentia in actum deduci mediantibus materia, forma, cœlo, & operationibus intermediis. Motu namque per artificem excitato, chaos tranſit ad ſecundum extremum, quod eſt medicina perfecta, & iſta ad perfectiſſimam, juxta mediorum ordinem & diſpoſitionem ad alterutrum. Ut rem acutius intelligatis, Chaos noſtrum eſt univerſale quid, omnia quæ nos operamur in ſe concludens, à cujus ventre debet ingenioſus artifex elicere materiam ſuam, formam, cœlum, & elementa, ut ex iſtis medicinas conficiat quæ dictæ ſunt. Materia vero ſpagirica dicitur prima & univerſalis materia, ſive Mercurius ad vegetationem movens, & particularem formæ materiam primam extrahens à formante, & tribus modis conſideratur. Primo quidem ut ſubjectum paſſivum, quod ſub artificis excitatione per media requiſita motum patitur: ex quorum omnium operationibus oritur cælum de ſua materia. Secundo conſideratur ut quodvis corpus ægrum, quod formam patitur medicinarum, ut res elementares formam vegetabilem. Tertio pro formantis materia, veluti materia prima ſubjecta cæli actionibus, nam aliter formæ vim obtinet, ut infra. Hac ratione cælum, quod ſubjectum fit illarum formarum actionibus, quibus in albam vel rubeam tincturam evadit, materiæ rationem etiam habere dici poteſt, quum dictas formas formantium, ad medicinas perfectam, vel perfectiſſimam actione ſua movet, quod etiam infra latius audietur. Ex eo noſtri chaos optima cognitio habetur, quoniam una & eadem ſubſtantia, diverſis tamen rationibus, ad aliam ſubſtantiam ſe paſſive habet, & ad eandem active, & è diverſo. Pauciſſimi hactenus materiæ ſpagiricæ cognitionem habuerunt, ex qua cælum ſpagiricum exſurgit. Eſt enim ad hanc habenda ratio ſimplicis,

& com-

& compoſiti ad ſimplicitatem redacti per alterationem, mixtionem,&c. Forma autem rerum eſt virtus generativa, qua ſibi ſimile quodque producere poteſt, ut hominis forma latet in homine,& non in alio, arboris in arbore nec non in metallo metalli. Cruda non debet opus ingredi, ſed per ſublimationem evacuata ad latera ſublimatorij vaſis, ut ab inani ſuperfluaque terra ſua ſit libera. Dupliciter hoc in opere conſideratur, ut cauſa dirigens artis iſtius media per intellectum, quo quidem regimine, perfecta medicina perfectiſſimaque prodeunt in lucem, & ad modum deducuntur mediorum intellectualium, quæ ſunt veluti quædam inſtrumenta ſenſualia quibus artificium ad perfectionem ducitur. Similis forma dicitur hujus operis artifex. Unde patet media cauſativa cum naturalibus maximam habere concordiam. Aliter etiam conſideramus formam, ut agens in materiam perfectionis formationem ad album, vel ad rubeum: cujus virtute quasvis alias formas extrinſecas minoris facultatis ejusmodi medicinæ tranſmutant in ſibi ſimilem. Non poſſunt etiam ambæ quas diximus formæ per ſe magiſterium adimplere, ſed ſunt veluti maſculus à quo ſperma dejicitur in ventrem, & matricem cæli noſtri. Cæterum Cælum eſt Mercurius noſter cæleſtis coloris, quo ſignificatur eum eſſe de natura cæleſti, & hac de cauſa ob incorruptibilitatem intellectualis dicitur, ac eo modo quo cælum ipſum intelligere, ut homo qui ſenſualis eſt, & intellectualis. Habet enim proprietatem in ſe ſpiritus incorruptibilis, qui eſt velut anima habens in ſe conditiones corporis, quoniam generat & producit ex eo ſemen, ut fœmina: hac via differt ab alijs magiſterijs iſtud opus ingredientibus. Et quia ſenſu percipitur Mercurius dicitur ſenſualis. Hic, ut cauſa movens educit potentiam in forma alterutrius formantis exiſtentem, ad actum rubeum vel album, eamque non ſecus in utero ſuo geſtat, quam uxor infantem à viro ſuo conceptum. Ex eo colligi poteſt, cælum noſtrum actionem habere in alterutram formam, & in cælum iſtarum ac rerum omnium in eis occultum, de potentia in actum deducendi manifeſtum. Nam in eo virtus cum generandi, tum nutriendi conſiſtit, velut in menſtruali ſanguine maſculini ſeminis: hac de cauſa menſtruum in hac arte vocatur, & cœlum ratione motus. Non aliter ſiquidem atque cœlum ſupernum, univerſalem formam, & materiam primam, ac elementa, nec non ſpecies ad elementa elementata compoſita, & individua promovet, noſtrum cœlum etiam formas noſtras ad elementa quatuor movet, ac deinceps ad medicinam perfectam, & plusquam perfectam. Aliquoties vocatur ſanguis, quia nutritivum eſt, quo vegetare creſcereque facit dictas formas, donec ad ſuam perfectionem veniant, veluti ſanguis menſtrualis embryonem a modico

ſemine magnam in quantitatem, ſervata ſingularum partium diſcretione, per nutritiones & alterationes medij cujusvis in aliud quantitatis & formæ quarumlibet in aliam (exiſtentibus hujusmodi medijs & qualitatibus in quavis alteratione) in formas à primis diverſas, donec ens aliquod oriatur in continua quantitate conflatum ex varijs & diſcretis in corpus unum, anima ſpirituque vivum. Non aliter de ſpagirico fœtu contingit, qui generatur ex cœlo proprietatem vegetabilem habente, cujus etiam ſimilitudinem transfundit in medicinam perfectam & plusquam perfectam, ut vegetativa matrix in filium quem concipit ac parit: iſtam etiam proprietatem retinet ut ejus parens. Itidem medicina perfecta & plus quam perfecta retinent proprietatem ſuorum parentum, cœli videlicet ac elementorum, quam perfectionis ſuæ ſimilitudinem transfundit in ſubſtantias externas, & in ſuam ſpeciem transmutat. Hac de cauſa Mercurius vegetabilis dicitur natus ex duabus ſubſtantijs, uti ex muliere maſculi ſemen concipiente, ac formam alteram aliamque virtutem quam ante conceptionis initium habebat; & ex maſculi ſemine elementa reputantur in hac arte quatuor colores apparentes: item aliter quatuor modis etiam conſiderantur. Primò, ſicut à cœlo de materia tracta ſunt. Secundò, ut elementa ſimplicia cœli de craſſioribus elementis rotationis circulo ſeparata ſunt. Tertio modo ſunt in formis exiſtentia naturaliter, & cum cœlo junguntur. Quarto verò uti ſeparantur à forma cœloque, alteratione, mixtione, diſſolutione, & generatione medijs, per magiſterium ſeparationis qualitatum ſuarum, & ex dictis partibus aërea tantum aſſumitur, & exuberatur per rotationis artificium, & ita formis in cœlum commiſcetur. Notandum eſt igitur elementa poſſe de formis educi per cœlum ante conjunctionem, ut eorum materia prima cœlumve magis ad genus generaliſſimum accedens, habeatur, &c.

Diſſolutio eſt cognitio, vel coitus maris cum fœmina ſpagiricus, & iſtius ab illo concipientis id omne quod concipere debet. Hoc eſto generationis particularis initium, quo conjugij noſtri ſpagirici effectus ſenſualiter percipitur, & unio duplicis ſeminis in embryonem.

Alteratio eſt unius in alterum per ſimilitudinem converſio. Dupliciter conſideratur juxta duplicem operationem, in quantum per ſe fiat. Priore modo ut formæ in cœlum, & iſtud in formas alterantur. Poſteriore verò intelligitur formas & cœlum ita ſimpliciter eſſe converſa, ut in tertium numerum ita converti queant, ſcilicet in medicinam perfectam, & plus quamperfectam. Iſtæ alterationes vel converſiones dicuntur ſimplices. Aliæ reperiuntur quæ fiunt per accidens, ut quum ex imperfectis fit medicina perfecta per projectionem, alterationem, & transmutationem

Mixtio

Mixtio fit ex duobus coloribus, pallido & azureo, ut ex eis cognoſcatur formas & cœlum in opere majore commiſceri ſine quovis alio, ut in generatione hominis aliud nihil admiſcetur viro, fœminæ, vel ſeminibus eorum: & hoc loco fit conjugium inter formas & cœlum. Fit etiam alia mixtio, qua quidem aër & ignis, utriuſque iſtorum uti formæ, cœli, alterationis, mixtionis, diſſolutionis, generationis mediis, & cæli materiæ commiſcentur formis.

Digeſtio dicitur concepti ſeminis à ſemine fomentum, quo medio quidem oritur medicina perfecta & plus quam perfecta. Neceſſarium enim eſt ut in cœlo formæ tam diu digerãtur, donec ad medicinam ventum ſit priorem, & deinceps ubi viſum erit artifici, uſque ad alteram perfectiorem.

Hinc poteſt colligi duplicem eſſe digeſtionem, priorem qua fit à formis & cœlo tranſitus ad medicinam perfectam, & poſteriorem qua transeundum eſt ab hac & cœlo ad perfectiorem. Hac via ſunt alia media neceſſaria prioribus non abſimilia, mixtio videlicet alteratio, diſſolutio, generatio, & operatio: niſi quia ex prioribus imperfectius quid oriatur quam ex poſterioribus. At mox atque per digeſtionem croceus color apparuerit, formas denotabit; azurinus verò cœlum noſtrum; & qui medij ſunt inter iſtos deſignant conjunctionis medium cœli cum formis, connectens illud ad perfectam medicinam, vel iſtas ad perfectiſſimam.

Generatio diverſimodè conſideratur. Eſt enim in genere occultarum formarum maniſeſtatio. Primo modo conſideratur, ut eſt gradus generans perfectam medicinam ex cœlo & formis. Secundo quatenus ex perfecta & cœlo generat perfectiſſimam. Tertio quum incipit à diſſolutione per alterationem, & digeſtionem ad medicinam tranſire perfectam & in ea terminum facit, finemque minoris perfectionis attingit; aut verò quum hinc tranſiens majoris perfectionis ultimum gradum acquirit, hac poſteriore facilè percipi poteſt majoris perfectionis magiſterium natura potius quam atificio promoveri: ab iſto nihilominus excitari in minore perfectione, in qua hoc magis quam illa profuit. In poſteriore verò magiſterio, generatio non aliter fit quam fœtus in matrice, vel avis in ovo: quapropter & ovum philoſophorum appellatur ſuo modo. Iſtud artificium melius intelligi haudquaquam poteſt, eo quod reſultat ex mixtione materiæ cum formis ad pretioſos lapides, rubinos, ſaphiros, & uniones, qui ſunt in utero cœli noſtri philoſophici, mediante generatione cum eiſdem virtutibus quas naturales à natura nacti fuerunt. Inde ſequitur cœlum hoc attrahere poſſe virtutes omnes in lapidibus exiſtentes, virtute quidem unitatis, aut ſuæ ſimplicitatis magnetica. Hac via poteris ingenioſus artifex à naturalibus corporibus virtutes

elicere cœleſtes, & artificialibus virtutibus includere mediis hujus artis operationibus. Nam quicquid huic cœlo fuerit impoſitum ſolvitur: item ſi cōvenientia rei ſolutæ fuerint addita, fiet idipſum quod optabitur, etiam ex pluribus unum. Ex eo quidem operé plura colligi poſſunt, quæ ad opus lapidum pretioſorum compoſitionis attinent, mixtione materiæ, & formæ per aquas, &c.

Colores in hoc artificio ſunt mutationes apparentes, & primus eorum niger eſt: hic indicat formas cum cœlo concubuiſſe, & iſtud embryonem in utero ſuo concepiſſe. Eodem etiam colore demonſtratur diſſolutionem ſuæ perfectionis terminum attingere. Tandem eo diminuto, & albo ſtatim emergente, nobis indicatur naturam cum cœlo & formis initium facere tranſitus ad minorem perfectionem, & exin cum iſta, & cœlo formaque ad majorem: in cujus tranſitus fine digeſtio cómpletum habet terminum. Sed quum per ignis majorem excitationem diminui cœperit, ac oriri croceus, cognoſcitur partes & membra ſimul conjungi numero tertio, & in continuam quantitatem aggregari, ad eum etiam modum ut ſenſualiter infantis noſtri membrorum contignatio, vel colligatio nobis appareat: nam ſperma diffuſum eſt per totam ſubſtantiam cœli noſtri philoſophici. Orto mox iſtó colore, paulò poſt colligi videtur in rotundam formam lunæ formæ non abſimilem, aut circulari linea concludi. Evaneſcente colore hoc, rubeus oritur, quo noſtri lapidis membra partesve in tertio numero ad perfectionem congregari, reddimur certiores. Etenim poſt ortum iſtius coloris, certum eſt infantem noſtrum corpore potentiaque vegetabili cómpletum eſſe. A quo tempore numerum dierum artificem ſcire oportet, intra quos fœtus noſter ab initio conceptionis primo deductus eſt, uſque ad terminum apparitionis rubei coloris, & ſine intermiſſione duplex tempus ei adhibere, ſed paulò vivacius. Quo completo, quod quæſitum eſt acquiritur, utpote lapis durus multis involutus ſuperfluitatibus, non ſecus atque mulieris fœtus poſt partum apparet. Media verò inter croceum & rubeum colorem digeſtio, generatió, & mixtio ſunt, & ea quæ percipiuntur ab aqua materia, forma, & cœlo quorum quidem commixtione ſub eorum mediorum finem apparent aqua materia, forma ſine materia & cœlo. Nam ſi forma & cœlum adhuc ibidem eſſent, partes aliquæ minimè cum alijs colligari vellent, nec in tertio numero conjungi.

Separatio eſt virtutum extractio, quæ motu fit ignis in hoc particulari magiſterio, quo calore per accidens forma, cœlum, & elementa moventur, & excitantur alteratione, mixtione, generatione, coloribus, digeſtione, ſeparatione, & operatione ad minorem, vel majorem perfectionem. Quia gradus & media, ſeparando ſe ab alijs, ingrediuntur alia, & per iſtam ſeparationis ope-

rationem

rationem attrahitur formalis & materialis virtus à formis, & cœlo ad minorem perfectionem, & ab hac majorem. Et hac via formæ, cœlum, vel minus perfectum, mutant ſuas formas ſimplices in majorem vel minorem perfectione in ipſo minus perfecto exiſtente de altera forma, quam formæ, & cœlum per ſe; & majore perfecto exiſtente ſub alia forma, quam erant minus perfectum, forma, cœlum aut formæ & cœlum per ſe. Quæ quidem perfectiones, ſuas virtutes proprias exiſtentes ſub forma tertia, retinent in transformante veneno. Si talis origo per ſeparationem dictam non fieret, nec alteratio, neque generatio, nec proceſſio, ſed opus naturæ deſtrueretur in hoc opere philoſophico. Medium iſtud eſt elementorum ſimplicium indicium exiſtentium actu in cœlo noſtro, cum naturalibus elementis exiſtentibus in formis: itemque ignis, aër, aqua, & terra oriuntur, & ſeparantur etiam à cœlo in mixtionem cum aliis quæ dicta ſunt: & hæc omnia colores deſignant. Potentia hoc loco idem eſt quod alteratio, & per iſtum gradum intelligitur omnes alios gradus, & media quævis ineſſe potentia in noſtro chao primo: ſecundo verò in elementis potentia exiſtentibus in materia noſtra. Eſt igitur iſta potentia nihil aliud quam actus noſtri cœli, de quo latius agitur in opere lapidifico, ubi dicitur plures ſcire lapides conficere, qui virtutes eis indere naturales ignorant, de quo, per quod, & cum quo lapidum complementum, & perfectionis eorum augmentum conſiſtit.

Operatio eſt, in hoc opere, quatuor colorum excitatio quibus deſignatur varios eſſe modos operationum. Primus color denotat cœlum in formas actionem ſuam & operationem habere, vel in minus perfectum, & formam. Secundus innuit ignem externum habere actionem in cœlum, formas & elementa cætera, mediaque naturalia & actualia, per motum ad minorem perfectionem atque majorem. Tertius formas vel minus perfectum habere ſuam actionem in cœlum, iſtud informando, quo ad minorem & majorem perfectionem deveniat. Quartus color ſignificat operationum actiones, quas habet artifex in omnia quæ ſupra dicta ſunt per ignis adminiſtrationem, ut per cauſam in ſeparatione cœli, & operatione formarum: ſignificat etiam actiones perfectorum, tam minoris quam majoris, in ſubſtantias extrinſeſecas per projectionem, juxta ſuas facultates ad rubeum, vel ad album, quibus informata fuerint. Medium hoc denotat modum, & ritum ejusmodi fabricationis igne fieri permixtione materiæ cum formis, & cœlo philoſophico, & cum ſuis inſtrumentis arti convenientibus.

Perfectum minus dicitur lapis albus terminatus tribus coloribus duntaxat, etiam ad oculum apparentibus, ex quibus componitur. Iſta

tur. Iſti colores in unicum redacti denotant operis complementum,& ejus perfectionem,cœli videlicet,elementorum, alterationis,mixtionis,diſſolutionis,generationis,coloris,digeſtionis,ſeparationis,operationis,& ignis medijs. Iſto medio cognoſci poteſt ſubſtantiam ex cœlo & forma progreſſam eſſe potentia gradualium operationum. Quicunque hunc ſcopum pertigerit, omnes mundi ſapientes doctrina & ſapientia longè lateque ſuperabit,atq; medicos omnes. Nam infirmitates ac lepram metallorum nedum,ſed humanorum etiam corporum incurabiles, ut vocant, omnes facilimè curabit.

Fermentatio propriè dicitur minoris perfectionis multiplicatio,& ad majorem adductio,idque mixtione,diſſolutione, alteratione,generatione,coloribus,& digeſtione medijs, componendo cœlum,formam & minus perfectum in mixtionem, per ignis regimen tam diu adminiſtratum, donec per dictos gradus omnes tranſeat, & per generationem atque colores in majorem perfectionem,quantitate, qualitate, & virtute longè potentiorem, ad rubeum & album ac ad ſanitatem hominibus recuperandum. Ex iſtis facilè colligitur minus perfectum prædictis medijs in majus tranſire,operationum actionibus formarum, cœli, elementorum fermentatione, ſeparatione, operatione, & igne medijs per debitam adminiſtrationem; item intelligitur artificem non niſi ſemel tantum componere debere minus perfectum (ni voluerit) quoniam in infinitum poteſt multiplicari, ac ad majus perduci, & ex iſto in aliud abſque fine; non aliter quam genus humanum ſpeciem ſuam propagat,uno generante ſemper alium,donec ſeculum erit. Non abſimile de farina videtur,per proprium fermentnm in infinitam paſtam transmutari fermento ſimilem. Notandum etiam,minus perfectum in majus progredi in infinitum, mediante formà,& cœlo,tanquam fermentis: quod pauciſſimis etiam artificibus hactenus cognitum fuit.

Perfectum majus eſt ultima perfectio in opere majore. Quatuor componitur & conſtat coloribus,quorum duo denotant elementa quatuor in ipſo exiſtere cum virtutis omni perfectione atque numeri in unitatem concluſione, ut in colore viridi & rubeo apparet: reliqui autem ſignificant cœlum & formam ibidem exiſtere tum omni perfectione,ac unitatis ſimplicitate per magiſterium quatuor elementorum, & mediorum quæ dicta ſunt. Ex hoc poſtremo gradu poteſt percipi, perfectum majus habere poteſtatem multiplicandi ſuam ſpeciem dupliciter,ac ſui ſibique ſimile generãdi,videlicet in virtute per prædictas operationes,& in ſubſtantia externa per traſmutationem. Minore multò perfectius quod exiſtat virtutibus ac operationibus, cum in metallorum transmutatione, tum in morborum cura deſperatorum etiam,

non

non immeritò majus vocatur perfectum. Cæterum graduum ac mediorum omnium, quædam ſunt intellectualia, ut chaos, potentia, operatio, generatio, digeſtio: alia ſenſualia, ut vinum, & prima materia, corpus, forma, elementa, minus majusque perfectum, colores, fermentatio, ſeparatio, quia ſenſibus uti oculis percipiuntur: Nonnulla verò partim ſunt ſenſualia, & partim intellectualia, ſicut cœlum & omnia media gradusque minoris operis. Et præterea quodvis prædictorum graduum mediorumve ſuas retinet proprietates ſub ratione differenti: quarum quidem proprietatum aliæ ſunt naturæ, aliæ autem artis perfectionis. Media naturæ proprietatem retinentia ſunt, vinum, & media quævis minoris operis, quod ſe habent veluti forma univerſalis, & materia prima, ratione retentæ proprietatis antedictæ. Ex duobus autem iſtis oriuntur omnia media gradusque mediante quidem artifice, non àliter quam ab univerſali forma & à materia prima oriuntur elementa compoſita mediante natura.

Poſtquam de gradibus, & medijs majoribus dictum eſt, operæ pretium erit etiam de minoribus aliquid in lucem adferre, ſuasq; definitiones ex opere minore producere, ne lectoribus quid ad iſtorum intelligentiam deficere videatur.

Forma igitur hoc loco, idipſum eſt quod in opere majore diximus: verum hic ejus eſt uſus differens, quod in formationem præparatur, & non ad minus, vel majus perfectum. Item à lapidis forma differt, quia ſuam conditionem à forma, cœlo, elementis, alteratione, mixtione, diſſolutione, generatione, coloribus, digeſtione, fermentatione, ſeparatione, & operatione recipit.

Materia hoc in opere diverſimodè conſideratur. Primò univerſaliter accipitur: ſecundò pro clave philoſophorum: tertiò pro oleo: quartò pro ſulphure per informantium oleum informando, ſcilicet inceratione oritur operis perfectio.

Corpus accipitur hic pro corporibus imperfectorum metallorum, de quibus naturæ ſulphur oritur, hoc operante clave philoſophica, & per formam olei formantium diſponitur operationibus medijs, ut ſolutione & inceratione, donec fit opus quod quæritur.

Clavis philoſophica hoc loco non aliter quam cœlum ipſum in opere majore conſideratur, & per hanc fieri debet calcinatio, diſſolutio, evacuatio, multiplicatio, ſpiritus, argentum vivum exuberatum, ſulphur naturæ, tinctura, oleum, & inceratio, mediante ſublimatione, & igne, donec ſulphur dictum ad effectum operis perfecti adducatur.

Calcinatio diverſis modis conſideratur. Primò quum fit per Mercurium vulgi, ſub quo Sol & Luna patiuntur. Secundò quum fit per acetum fortiſſimum, quo crocus elicitur à Marte. Tertiò,

quum per ſulphur, & auripigmentum fit æs uſtum à Venere. Quartò quum fit per clavem philoſophorum, & hoc modo præparantur omnia corpora metallorum ad ſolutionem, evacuationem, & alias operationes antea dictas ingrediendum.

Diſſoletio eſt manifeſtæ formæ prædictorum corporum occultatio, non per ſe, ſed clave dicta mediante, quæ corporibus eſt valdè congrua: ſicuti videmus aquam igne corrumpi medio quidem aeris, ſine quo in vapores non elevatur. Differt à diſſolutione majore, quod iſta, formæ tantum, & minus perfectum reſolvantur; at illa, metallorum corpora quævis.

Evacuatio nihil aliud eſt, quam ſpirituum occultorum à ſuis corporibus extractio, ut formarum alterutra formentur oleorum informantium, & hac via per fermentationem & incerationem tranſeant in perfectum opus. Quod quidem hac operatione trahitur à prædictis corporibus, eſt materia de qua perfectum opus noſtrum à potentia deduci debet in actum, medijs & operationibus quæ dictæ ſunt.

Multiplicatio non eſt aliud, quam evacuationum iteratio, & continuatio. Per iſtam operationem corpora ſex ad nauſeam provocamus, & ad evomendum fœtum noſtrum à ſuis viſceribus.

Spiritus eſt argentum vivum exuberatum, & eſt ſpiritus corporum jam per evacuationem completam ſeparatus.

Sulphur naturæ ſpiritus eſt corporum per ſublimationem exaltatus in ſal excellentiſſimum quatuor colorum, pallidi ſcilicet, viridis, nigri, & rubei: & hic poſtremus ignem denotat, & per hunc colorẽ fieri tranſitum ad naturæ ſulphur, quod oritur ex argento vivo exuberato, & iſtud indicat ſe à ſuis ſpiritibus originem ducere, nec non à multiplicatione quæ ex evacuatione procedit: & iſtam à diſſolutione, hanc autem à calcinatione, quæ à corporibus omnibus. Eſt autem ſulphur hoc filius genitus ab imperfectis, ac diſpoſitus ad induendum albas veſtes & purpureas. Differt ab iſto filius qui generatur à perfectis, per oleum in quo formæ continentur filiorum imperfectorum: item quod eorum ſulphur ſit naturæ, & aliorum ſulphur eſt humiditatis ſuſceptivum, quia aridum.

Tincturæ ſunt colores in opere diverſis modis apparentes: primò viridis & croceus: ſecundò rubeus & croceus, viridis & niger, Primò colores denotant ipſam tincturam, qua ſulphur naturæ tingi debet, originem à Sole & Luna ducere, per operationum quæ ſuperius poſitæ ſunt artificium. Alij verò ſignificant quorumlibet imperfectorum ſulphura corporum eos colores induere debere, ut ex eis fiat fœtus habens & poſſidens parentum ſuorum poteſtatem, a quibus habuit originem. Si conjuncta non fuerint

ſulphura bina ſimul, tanquam fratres qui dictis induantur coloribus, non fiet id quod quæritur: poterunt nihilominus tria ſimul, & plura conjungi.

Oleum eſt forma duplicem colorem habens, viridem, & croceum, quibus indicatur eam à perfectis produci corporibus ſuis medijs opportunis.

Inceratio eſt fermentatio, vel potius informatio, prolis imperfectorum ad conditionem fœtus perfecti accipiendam.

Sublimatio, eſt ſubtiliatio quædam, quæ duplici fit modo, in pulverem impalpabilem, vel in liquorem. Hac poſteriore via, corporum ſpiritus multiplicatione media convertuntur in argentum vivum exuberatum: priore verò vertuntur in ſulphur naturæ. Alia ratione conſideratur etiam ſublimatio, ut materia quæ ſit propinqua magis alijs perfectioni, ut argentum vivum exuberatum magis quam ſpiritus, & quam illud propinquius eſt naturæ ſulphur perfecto fœtui.

Lapis eſt finis & imperfectorum omnium perfectió corporum, & operationum, in quo permanent, ut in igne quieſcunt ſalamandræ. Eſt hic tertium quid ex materia conſiſtens & forma ſupra naturam, & mediante natura, nec non artificis induſtria conflatum.

Elementa conſiderantur dupliciter hoc loco: priore modo, ut ignis agens exterius: poſteriore ſicut agens intrinſecus, ut ille qui tractus eſt à perfectis in oleum, &c.

Jam habes optime lector quæ faciunt ad cognitionem ſpagiricam, per ſimilitudinem ſumptam à cognitione meditativa. Reliquum erit ad tertium gradum philoſophiæ meditativæ progrediamur.

Tertius gradus meditativæ philoſophiæ dicitur, ex cognitione productus amor philoſophicus, eſtque ſecretorum ab uno rurſus in unum per pacem unio. Pax verò partium eſt in toto per unionem concordia. Unionem apprime diligit Deus, quia unus eſt, & quicquid creavit unquam, ſub unione concluſit. Ab uno determinato per unum indefinitum facto, procedunt omnia quæ finita ſunt, ac rurſus ad id unum inſtinctu naturali quæque tendunt: à quo ſi quæpiam declinaverint, à philoſophis ſub ſecreto binario contineri cenſentur, & per ternarium ad unionem reduci debere. Creavit Deus cœlum & terram, ac omnia quæ in eis ſunt occulto modo ſimul unita, manifeſto verò ſecreta. Et ut antea de Geneſi diximus, ſub appellatione terræ cōtinentur elementa, quæ quidem à cœlo tali fœderis amore complectuntur, qualem inter alias creaturas rarò videre licet. Videmus animalia bruta quæque, bina ſimul ejuſdem ſpeciei conjuncta divino quidem ordine, ac ea ſtrictiori vinculo, quæ purioribus conſtant elemen-

tis, ut

tis,ut ſunt volatilia: reliqua minus conveniunt pro materiæ de qua ſunt conflata puritate minori, tamen conveniunt licet promiſcuè magis,non tamen extra ſuam ſpeciem naturaliter. Animalis homo cæteris omnibus animantibus irregularius animal in obſervando hoc ordine Dei conſpicitur. Attamen ut firmius iſtius vinculum eſſet, Deus à maſculi ſubſtantia ſecrevit ſubſtantiam fœminæ, quod in nullis alijs factum eſt. Uniri ſiquidem propriè dicantur ea,quæ fiunt ab una & eadem ſubſtantia diviſa, ut unius ſubſtantia ſit ſubſtantia alterius,quod etiam de cœlo & elementis audivimus in Geneſi,aliter conjungi tantum dicuntur, quæ bina & bina conveniunt. Hac ratione præ cæteris humana generatio reverenda eſt, quia fit inter duos,qui una & eadem ſunt ſubſtantia,non ſolum una ſpecies: & potiſſimum quum divino matrimonio fiunt unum,teſtante ſcriptura ſacra, *& erunt duo in carne una*: quorum nexus eſt indiſſolubililis. Aliter nobis exiſtimandum non eſt,quam uxoris maritum, & iſtius illam, alterum alterius dimidiam eſſe corporis unius partem inſeparabilem ante mortem alterius. Cum viderimus eos alio modo ſe gerentes, non unitos judicabimus, ſed tantum conjunctos, vel turpis lucri, vel illiciti potius appetitus extinguendi,aut alia quacunque cauſa, cujus ignis ubi refrixerit,frigent omnia ſimul. Non talis eſt amor philoſophicus,nàm inextinguibili prorſum accenſus igne, haudquaquam extinguitur. Quicunque enim per ſpiritum uniuntur ſpiritus,in unione manent; quæ verò per corpus juncta ſunt,facile ſolvuntur corpora. Eſt & parentum erga natos,& horum erga parentes proprius & reciprocus amor, qui nulla ratione philoſophico amori comparari poteſt. Quis enim pro filio pater,aut pro patre filius,pro fratre,ſorore,vel amico,frater, ſoror, vel amicus, vel minimæ ſuæ juncturæ corporis pati jacturam vellet? Quis ille,qui pro ſeipſo mortem promeritam etiam obire libenter, quantò minus pro quopiam alio, patienterque ſuſtinebit? Ubi tandem quærendus amor? Certè non alibi, quàm unde proceſſit: Sic DEUS dilexit mundum intellige homines, ut proprium filium naſci voluerit hominem, qui pro nobis hominibus impijs mori poſſet,morteque ſua mortem,qua nos plecti debeamus, juſtitiæ DEI perſolvere. Non potuit enim filius DEI mori, ſed homo factus mortuus eſt perfectus homo filius hominis, juſtusque ſolus juſtitiam complevit. O admirandus amor DEI erga homines! Non ex mundana ſapientia tam felices undæ promanant, quas (dum nos vana figmentorum humanorum ſtudia detinent præterimus,ô miſeri mortales! ad aliam noſtros animos philoſophiam vocat amor iſte divinus, quo per aſſiduam meditationem beneficiorum DEI erga nos,anima noſtra conjungitur ſpiritus divini monitis,ad eis acquieſcendum. Non abſimilis autem

eſt amor

eſt amor naturalis inter inſenſatorum partes primas,& inimicitia, quales in hominis præcipuis tribus antea dictis. Verum in illis, non magis quàm in iſtis,unio vera fieri non poteſt, niſi prius ablata corruptione. Quapropter pacem inter inimicos eſt quod facias,ut amici conveniant in unum. In omnibus corporibus imperfectis,& ab ultimata ſua perfectione deficientibus, ſunt etiam inimicitia & amicitia ſimul innatæ. Si tollatur inimicitia hominis ingenio vel induſtria,neceſſe eſt ad perfectionem ultimam unionis arte pervenire. Separabis igitur per ignem ab unoquoque corpore ſuas partes, impuras mundifica; poſtmodum puris pura miſce, levioribusque graviora ſublimato prius, hoc ipſo fiet ut fixum reddatur volatile,corporeum quoque ſpirituale. Summatim elementis ineſt amor philoſophicè naturalis, hunc amplectaris arte ſi verè Phyſicus eſſe cupis, & non naturæ neglector, aut vaſtator potius. Ut audivimus in ſupernaturalibus & naturalibus,concordiam eſſe neceſſariam,in ſpagiricis etiam eſt admiranda quædam inter inſtrumenta media obſervanda cohærentia, ut ea quæ eſt intellectualium cum ſenſualibus. Forma ſiquidem perſonam quandoque refert artificis exiſtentis ut inſtrumentum, quo natura particulare ſpagiricum generat ovum ex intellectu, licet à forma noſtra (quam cœlum alias vocamus) diſtinguenda ſit, nihilominus,una ſine altera perſiſtere haud poteſt artificio ſpagirico. Etenim cœlum forma,eſt principium & ſenſuale medium generans,nutriens,creſcere vel vegetare faciens, & elementa movens ad particularem generationem,ſicuti cœlum majus inferiora,& à formante forma,quam per vegetabilem formam acquirit, ac indiſſolubili nexu conjunctam & colligatam habet, particulare quæſitum in ſubſtantijs extrinſecis multiplicare facit: ſic de cæteris quamplurimis in artis progreſſu reconditis, artifici cognitu poſſibilibus,& effectu. Verum forma quæ hominis eſt intellectus,initium eſt,medium, & finis in præparationibus: & iſta denotatur à croceo colore, quo quidem indicatur hominem eſſe majorem formam & principalem in opere ſpagirico, ac forma cœlo potiorem. Formæ reliquæ ſunt iſtis minores, & minoris perfectionis. Item coæquata permixtio crocei coloris cum viridi concordantiæ majoris vel minoris exiſtentiam, circa contrarietatem in æqualitate finis ultimati. Non poteſt enim una trium formarum abeſſe, quin deficiant omnia ſimul. Deficiente namque cœlo,deficeret elementorum generatio, ſequeretúrque privatio minoris majoriſque perfectionis. Forma igitur intellectiva, cum forma vegetabili,& forma motus,ita conjungi debent per intellectum,ut una penes aliam conditionetur: ſic de reliquis gradibus atque medijs uſque ad majus perfectum. Forma quæ motiva nuncupatur, eſt univerſale quoddam principium in gradibus

iſtius

iſtius artis, per omnes gradus unumquemque movens ad alium uſque in ultimum & in finem operis. Motus itaque forma dici poteſt motus excitans omnes ex ordine graduum, donec ad perfectionem ventum ſit. Forma verò & materia ſunt principia ſubſtantialia multò majora, quam accidentalia ſint: iſta namque ſunt mutationes tantum in opere, uti colores, alteratio, digeſtio, &c. Veritas hujus negotij demonſtratur potius per minus & majus perfectum, ab immenſitate virtutis eorum transmutantis, quam in gradibus accidentalibus. Nihilominus æqualia ſunt principia, media, & finis quæ dicta ſunt, propter ſimilitudinem ejusdem finis ad quem omnia tendunt, tanquam per cathenam admirabilem. Ut autem eorum quæ dicta ſunt majorem habeamus intelligentiam, ad univerſalem practicam artis hujus neceſſariò veniendum eſt. Projice tantam cœli ſpagirici quantitatem ſuper formarum alterutram, ut quatuor digitis latis ſuperemineat. Hoc omne poſitum in fimo contineatur per ſex dies naturales, aut uſque dum forma convertatur in aquam. Poſtmodum exemto vaſe, ac in cineribus poſito, quod ſolutum eſt deſtillatione evacuetur. Ad feces rurſum cœli tantum ut prius affundatur, ac in fimo teneantur ſimul ſeſquimenſe, vel diutius in putrefactione, tandem in furno ſecreto deſtilletur omnis liquor, donec ſtillare poterit. Deinceps in cineribus deſtilletur aqua priore ſpiſſior, quam aërem vocant. Rurſus ad ſiccas penè feces tantundem ut antea cœli affuſum, in fimo tanto ut prius tempore putrefactum, deſtilletur per cineres in aërem, uſque dum ſtillare nolit amplius. Poſtea fiat iteratio cœli fuſionis ſuper terram inſtar pluviæ, æquali ut ſupra pondere, tantoque tempore: poſtquam in fimo putrefactum erit, deſtilletur iterum per cineres donec aëris nihil exeat amplius. Demum aëris hujus quantitatem omnem fecibus affunde, vel prius ſuper marmoreum lapidem optimè tritis, ac in vaſe clauſo quadraginta dies à putrefacta materia in cineribus deſtillentur aër & ignis ambo ſimul: cavendum interea ne feces ante tempus igne vehementiori rubificentur. Deinde ſeparabis aërem ab igne per fimum, & ſi calor balnei non ſufficiat, cinerum calor lentus id ſupplebit: ſervetur utrunque ſeorſum. Aërem deinde refundas ad ſuam terram, ac in fimo per dies quindecim digeſtis, deſtillabis inde per cineres aërem & ignem ſimul ambò, ſeparabisque ut ſupra per balneum, quovis cum ſibi ſimili repoſito. Iſtas affuſiones inhumationes, atque deſtillationes toties repetas, donec à terra nullus ignis amplius prodeat, eaque nigra ſit aut ſubruffa. Tandem ab aëre in fimo balnei digeſto, diebus octo, per eundem calorem deſtilla quicquid aſcendere poterit: ſtillatum hoc refundas ad ſuas fæces, digere ut prius ac deſtilla, reaffunde, digere, deſtilla, &c. ſepties eundem proceſſum repetendo. Hactenus formatus

matus eſt triangulus ex aere, cælo, & fimo, in cujus medio eſt anima aeris. Præmiſſis etiam operationibus in fimo, convertere poteris ignem in animam ignis, & alium triangulum ex cœlo, fimo, & igne formare. Quibus omnibus peractis, elementalis rota finita eſt fixione, & eorum exuberatione aeris & ignis per corruptionem. Poſtmodum evacuata terra donec ſit deſerta, & in ſulphur naturæ converſa, formetur triangulus ex terra, fimo, & cineribus, in cujus medio ſtabit anima terræ. Nec prius corruptionis rota finitur, cujus inſtrumenta ſunt cælum, fimus furnus ſecretus, cinerum calor, &c. Jam demum ad rotam generationis progrediendum erit. Ut compoſitum ex igne & aere facias ad ſolem, ſume quatuor partes ignis, ac miſce cum partibus quindecim aeris, digeſtæ ſimul diebus quindecim deſtillentur per fimum. Hanc digeſtionem ac deſtillationem toties iterabis: donec in fundo vaſis maneat liquor inſtar olei ſplendidi, quod compoſitum eſt ex aere & igne, limusq; vocatur. Eodem etiam proceſſu convertes ignem & terram in ſuum compoſitum, ut binus jam formetur triangulus: prior ex igne, aere, fimo, & cineribus, in cujus medio compoſitum ex igne & aere jubilabit: poſterior ex igne, terra, fimo, & cineribus, in cujus medio ſtabit compoſitum ex terra & igne. Jam demum accipe compoſiti partem unam ex igne & aere, cui cæli ſextam admiſcebis, & in digeſtione continebis diebus triginta: ad hunc modum formaveris triangulum ex cœlo, compoſito ex igne, & aere, & fimo, in cujus medio perfectum hoc majus reperitur ad rubeum transformans, ortum & originem ex cœlo ducens, & compoſito ex igne & aere, & ex fimo. Hoc ipſum ex compoſito ex igne & terra quum feceris, ei partem unam cum dimidia cœli jungendo, triangulum habebis alterum ex cælo compoſito ex terra & igne, & in fimo, in cujus medio perfectum ſtabit minus ad album transmutans, &c. Si verò cœlum admiſcere nolueris, ut ingētem laborem evites, compoſitis antea datis elementa cerabis tam diu donec fluant ut cera. Ceratum hoc in digeſtione diebus decem contineto, poſtmodum extractum cerabis iterum ut prius, toties gutta poſt guttam injecta, donec facilem in eo perceperis liquationem. Materiam hanc in vaſe philoſophico perquam optimè clauſam in furno ſecreto continebis centum & quinquaginta, vel pluribus diebus, donec videas opus completum ex indiciis infra poſitis. Hic proceſſus eſt optimus in practica majore, per methodum operis minoris. Animadverte creationem etiam fieri poſſe cum igne & aere ſeorſim ante creationem, ipſis nondum in unum redactis. Hactenus completur generationis rota, per quam optatum acquirit artifex Deo dante. Ex iſtis duobus limis varia fieri poſſunt in opere ſpagirico, juxta latitudinem ejus, ut in regali practica primum, & in cerationis artificio

artificio terræ ſoliatæ propriæ, ſeu elementorum, cerando prius cum aëre & igne, vel cum dictis limis ex aëre & igne factis: in quo quidem artificio generationis rota ſuum finem habet extremum, cujus indicium eſt in nobis triangulus rubeus. Initium igitur operis eſt corruptio, & generatio finis, quibus operationibus corrumpitur una qualitas, & introducitur per generationem alia, velut corrumpendo aquam & generando terram: hanc autem occultando & ignem aëremque manifeſtando, quouſque majus minusque perfectum oriantur per ſua média, quæ ſunt calores fimi, cinerum, & furni ſecreti, quibus aqua in terram convertitur, & hæc in aërem & ignem. Eſt ergo terra medium inter aquā, ignem, & aërem: & fimus, cineres, furnusque ſecretus medium exiſtunt per quod ignis & aër convertuntur in animam ignis & aëris. Quapropter ignis & aër ſunt medium inter ipſam terram, animam ignis, & animam aëris. Deinde fimus, cineres, furnus ſecretus, & cœlum ſunt medium per quod anima ignis, & anima aëris convertuntur in compoſitum ignis & aëris, & in compoſitum terræ & ignis. Hac ratione cœlum eſt medium inter animam ignis, animam aëris, compoſitum aëris & ignis, & compoſitum ignis & terræ. Fimus item, cineres, & furnus ſecretus, medium ſunt per quod compoſitum ex igne & aëre, item compoſitum ex terra & igne conjunguntur elementis. Pariter ignis & aëris compoſitum, & compoſitum ignis & terræ, medium ſunt inter animam ignis, animam aëris, atque minus & majus perfectum. Poſtquam de univerſali practica operis ſpagirici majoris auditum eſt: ad minoris operis etiā practicam quandam generalē veniamus. In clavem ſpagiricam injice corpus metallicum, & ſuo vaſe contenta ſimul calore primi gradus vel fimi digeri permitte ſeptimanam unam: at priuſquam in clavem injiciatur, ad calcem redigendum eſt, quo corpus diſſolvatur melius & evacuetur clavis medio, caloreque primi gradus ex triangulo juxta naturalem ordinem. Facta corporis diſſolutione, vas ponatur ad deſtillandum eodem calore, & amittet clavem ac redigetur in terram. Hanc ſuper marmoreum lapidem optimè tritam in aquam reſolvi ſinitó per ſe: ubi nimirum ſicca terra fuerit, aſpergatur clave modica, & poſt dies tres incipiet in aquam compoſitam reſolvi quatuor elementa continentem. Aquam hanc deſtilla per filtrum, & quod reſiduum erit non ſolutum, ſolvatur iterum ut prius, ac filtretur, idque ſæpius donec ſatis bona quantitas aquæ habeatur. Hac operatione triangulus evacuationis fuerit abſolutus, in cujus medio terra eſt, quæ ſuam aquam ebibere debet ut ſequitur: Aquam filtratam in calore primi gradus ad digeſtionem contineto, & clavem ejiciet prorſus, ac in lapillos convertetur, qui quidem elixir adhuc non ſunt. Evacuatione prædicta, triangulus alius abſolvitur ex aqua,

calore

calore primi gradus,& clave,cujus in medio dicti lapides exiſtunt. Contritos in pulverem ſubtiliſſ. contineto in putrefactione, donec in aquam vel in oleum convertantur metallicum,in quo ſunt elementa quatuor: horum divide qualitates ut audiſti. Quibus diviſis purifica terram, aut redde ſubtiliſſimam debitis ſublimationibus,eamque demum elementis imbibe, cœleſti primum aqua,poſtmodum aërea, & poſtremò ignea, ut artis eſt, ac decoquantur in perfectionem quam audiſti. Juxta hunc proceſſum extrema principia,mediaque hujus artis applicantur ad quod volueris opus ſpagiricum. Abſoluto jam tertio gradu ſcalæ ſpagiricæ,qui amor dictus eſt philoſophicus, ad quartum gradum ſcalæ meditativæ pertigimus, qui frequentia dicitur, & concepti circa veritatem amoris perſeverantia. Non eſt enim alius quam per aſſiduitatem ad virtutes aditus. Si terra aſſiduè non repurgetur à ſuo lolio quod producit ultrò, pro ſuavitatis herbis ac floribus, nil præter carduos & urticas nobis producet. Haud ſecus eſt de homine animali vel ejus anima corporea. Quapropter nobis in coloniam data eſt. Quicquid in ea ſupercreverit præter divinam ſationem jam olim factam evellendum erit. Nec melius domare poterimus,quam auferendo primum omnium crapulam ipſam, quæ ſomnolentiam & pigritiam inducit. Otium quoque tollemus,ut vitiorum potiſſima radix areſcat in nobis. Nihil corpori præter neceſſitatē concedatur, quicquid enim ſuperabundaverit, excreſcet in vitium. Corpus corrigere ſuum anima quæ neglexerit, malè ſibi propter illud futurum eſt, quod animæ inprimis data ſit ratio ad ſuos uſus convertenda, quæ Dei vera eſt cognitio. Eſt igitur anima ſuo corpori tanquam pædagogus, qui diſcipulum non correxerit, una cum eo plectetur absque miſericordia. Ab hortorum cura non aliena eſt ea quæ ad diſciplinam habenda duplici conatu,videlicet priore ſupercreſcentes herbas inutiles eradicando,ne bonas augmento ſupprimant, itidem ex anima cogitationes pravas,inimicitias, & alia id genus abjiciendo prorſum, & excludendo ac ab omni opere malo corpus coercendo. Nec decet unum docere præceptorem,& aliud facere diverſum ab inſtituto. Quid ſi peccandi per exemplum dederit occaſionem ſuo diſcipulo,cur eum reprehenderit? Corpus nihil ſpeculatur,anima vero tacitas imaginationum operationes exercet, quas demum corpus ad imitationem exemplaris conatur exequi: conceptio enim eſt animæ,ſed exequutio corporis. Videamus igitur ne corpori plus adſcribamus quam poſſit. Quanquam corpus ipſum ad pravas animæ conceptiones exequendas magis pronum ſit,eisque magis delectetur,quam bonis: has illarum abjectarum jam loco ſi ſubſtituerimus,nil niſi bonum hoc operari poterit, vel ab omni malo deſiſtere. Hæc una corpus vincendi ratio; alteram audite

modo. Si hortos ab inutilibus duntaxat vindicabimus, parum admodum, aut nihil erimus adhuc operati, cum alia longe magis neceſſaria cura ſit eis adhibenda quæ ſata ſunt, videlicet irrigatio herbarum totius alimenti pars altera, qua ſine vegetare minime poſſunt. Non aliter aqua viva corpus & anima ſunt irriganda, quæ verbum eſt Dei: hoc noctu diuque meditandum eſt, & præter hoc nil niſi bonum, ut etiam corpus aliud nihil quam idipſum loqui facereque valeat. Videmus itaque hortis & agris optime comparari poſſe corpus & animam. Ut Chriſtus ait in Evangelio, ſemen bonum quod in bene cultam terram cadit, fructum bonum adfert: non aliter Dei verbum quod ſuper cor molle & contritum ceciderit, corpus fœcundabit in uberrimum fructum ad vitam æternam. Certum eſt, à primi lapſus tempore in hunc diem, indurata ſemper fuiſſe hominum corda, quæ niſi verbo Dei mollificentur, dura permanent. Pharaonis cor à ventre matris (ut omnium corda ſunt hominum) durum fuit, & quia verbo Dei mollificatum non extitit, induratum eſt ac manſit. Rebelles & inimici Deo naſcimur omnes, tales quoque manemus, donec eradicetur hæc inimicitia per ſummum agricolam, cujus te miniſtram ô mens eſſe oportet. Semen habes, agrum & aquam, nil amplius deficit tibi quam labor aſſiduus, non interruptus, nunquā ceſſes oportet ea revolvere cogitationibus tuis quæ jam audiſti, & audies, alioqui per intermiſſionem inimico tuo locum dabis. Notandum hoc loco, mentem amore prius unitam eſſe ex ſpiritu Domini & anima, in qua deinceps facit manſionem, eamq; ſpiritus ejusdem ductu motam ad corpus ulterius movendum corroborat. Haud ſecus in arte ſpagirica fuerit intelligendum. Impoſſibile eſt enim aliquem artificem promtum in ea vel idoneum fieri, niſi per frequentiam, & aſſiduitatem operis habitum ſibi contrahat. Nam ut in meditativa philoſophia, ex frequenti ruminatione eorum quæ per ſtudium cognovimus & amamus, tria conſequimur; utpote familiaritatem cum eo quod diligimus, ſimilitudinem, & communionem, quæ ſingula in unum convenire propemodum videntur: familiaritate ſiquidem ſimiles reddimur cum voluntate, tum moribus ei cui ſumus familiares, ut etiam communicemus cum eo in ſingulis actionibus atque deſideriis. Itidem in arte quavis per frequentem uſum efficimur promti, facilitate habituati, & aſſiduitate delectantes. Quid piſtoriam artem addiſcere volenti, piſtorem operantem duntaxat ſæpiſſime vidiſſe prodeſt, niſi manum in paſtam ipſemet mittens opus toties repetat, uſque dum habituatus promtusq; piſtor factus, alium docere valeat quam profitetur artem? Quibusdam ſpagiricam artem lectura ſola diſcere cupientibus, evenire ſolet quod cani Æſopico, ut umbram pro reipſa ſolum habeat. Herculeus enim eſt hic labor,

mentem,

mentem,corpus,&ætatem hominum ſuperans,nonniſi miriadum inter centena datum eſt uni tantum vincere,id eſt,perfectum artis ſcopum attingere. Poſſunt vero nonnulla naturæ ſecreta, & arcana quædam ſummo ſtudio laboreq; detegi,quæ faciunt in rem medicam longe magis quam alia quævis extra dictam artem inventa. Verumenimvero medicinam illam univerſalem reperire, de qua ſupra,pauciſſimis,imo fere nullis hactenus,nec niſi pro miraculo contigit: iiſque ſolum qui ſeſe Dei miſerentis gratia prius, in idpſum quod optant ſimilitudine quadam reduxiſſe potuerunt: hoc eſt, qui corpora ſua repurgarunt ab immunditia per mentem, & tandem ut mentis nubes omnes pariter & corporis abſtulerunt. Suadeo quibusvis artis hujus inveſtigatoribus, ut aſſidue Deum orent,ſtudeant,operentur, fieri non poterit quin aſſequantur id quod nomine Jeſu petierint à datore luminum. Sed primo conſiderent,quid ſit petere patrem in filio: non aliud ſane quam id ſolum exigere quod ſit ad gloriam patris & filij. Solent multi quod utile ſibi videtur optare, ſed nil niſi quod vere utile eſt conſequuntur à Deo. Diligentes & frequentes conatus Deus adjuvat, & negligentes deſpicit. Sic ergo diligamus bonum,ut malum non appetamus. Reliquum eſt,ut ad ſpagiricam frequentiam tranſeamus ad hunc modum videlicet,ut ruminemus ea quæ ſuperius dicta ſunt. Natura igitur corrumpens aliquod individuum, primo hoc putrefacit, poſtea ſeparat ab eo elementa compoſita quæ ſunt in eo magis propinqua, poſtmodum iſtorum quodlibet ad ſummam ſimplicitatem adducit,& demum ad primam ſui materiam, quo peracto corruptiōis rota completa eſt, ac à materia prima generationis rota ſumit exordium, ad elementa ſimplicia tranſiens. Poſtremo per iſtorum commixtionem oriuntur elementa cōpoſita,ex quibus fit elementatum ſubjectum juxta propriam ſpeciem & formam,ſub qua trahuntur elementa ad individui compoſitionem. Hunc itaq; debet ſpagiricus artifex obſervare proceſſum,ut ubi natura finierit,ipſe per corruptionis rotationem incipiat greſſu retrogrado, ſcilicet à fine per medium tendens ad principium corruptionis rotæ, medijs adhibitis, quæ ſunt calcinatio,diſſolutio,putrefactio,diviſio,purificatio, &c. Deinceps ad rotam generationis veniendum eſt,cujus media ſunt mixtio, inceratio,decoctio,quæ optime diſpoſita,ſunt inſtrumenta fœtus ſpagirici. Quibus ad eum modum peractis habebit quod optat artifex.

Forma hujus operis triplici modo conſideratur. Primo ut prima cauſa: Secundo ut artifex: Tertio pro mediorum quolibet alio.

Materia tribus etiam modis conſideratur: Primo pro ſubjecto de quo Mercurius artis elicitur. Secundo pro elementis: Tertio pro ſulphure naturæ.

Cælum etiam triplicem habet conſiderationem: Primam ut cælum majus: Secundam ut Mercurius vegetabilis: Tertiam ut metallorum anima.

Elementa dupliciter conſiderata ſunt hoc loco: Primo ſimpliciter: Secundo vero compoſitive.

Potentia vel alteratio tot modis differt, quot ſunt media diverſa.

Mixtio ſignificationem habet quadruplicem: Primam cæli cum forma: Secundam aëris cum aqua: Tertiam aquæ cum igne: Quartam aëris cum aqua & cælo.

Diſſolutio ſolam unam habet conſiderationem, quæ eſt inter cælum & formas.

Generatio duplicem habet ſignificationem: Priorem qua generantur elementa: Poſteriorem qua ex iſtis & cælo generatur fœtus ſpagiricus.

Colores etiam duplicem habent ſignificationem: Priorem in in evacuatione corporum, & elementorum rectificatione: Poſteriorem in fœtus generatione ſpagirici.

Minus perfectum unam ſolam habet, ut patet ex ſenſu.

Fermentatio triplicem: Primam ex virtute: ſecundam ex quantitate: Tertiam ex utraque ſimul.

Separatio triplicem etiam habet operationem: Primam quidem inter elementorum qualitates: Secundam purificationis & fixationis eorum: Tertiam Mercurij vegetabilis & fæcum.

Operatio tot ſignificationes habet, quot artis hujus exiſtunt media.

Majus perfectum unicam ut minus habet, ut ex ſenſu.

Principia mediaque Philoſophiæ, ſunt in artis hujus principijs & medijs omnibus, ut motus orbis, qui tanquam forma conſiderandus eſt, naturales inſtinctus & appetitus omnes continens.

Subtiliſſimum ac potiſſimum in opere medium eſt Reiteratio rotæ corruptionis metallorum, quæ fit ut ſequitur: Formis in cælum itaque poſitis, inhumatis, diſſolutis, & per brevis artis practicam evacuatis, donec ad ſulphur naturæ ventum ſit in metallis, tunc rota finitur corruptionis.

Reiteratio fit, quum terra ſublimata ponitur in cælum, & in eo putrefactione diviſioneque ſolvitur. Poſteaquam aër, ignis, & aqua fuerint evacuata, redigat iterum artifex terram ad ſui puriſſimam ſublimationem, qua finita ſequatur inde generationis rota cum ſuis principijs & medijs, donec ad finem perducatur: & hæc eſt operatio ſubtilior alijs, licet longior tamen perfectior. Hac via minus perfectum, quod fœtus eſt non fermentatus, in majus & fermentatum fœtum ſpagiricum convertitur per elementorum ſe-

rum ſeparationem & compoſitionem, ut infra Natura nullo modo permittit elementa ſeparari per ſe, nam ita maneret quodlibet ſolum unicam tantum qualitatem habens, & nullum haberet ad generátionem appetitum, quod contra naturam eſt.

Separatio igitur elementorum, eſt unius in & ſuper aliud prædominatio & victoria, mixto quopiam modo, non diviſo. Color autem ignis eſt rubeus, & priusquam ad ſphæram ejus ventum ſit, per ſphæram aëris tranſitur, ante rubedinem apparet citrinus color clarus & diaphanus, quia conſtat ex ignis cum aëre permixtione. Priusquam etiam ad ſphæram aëris perveniatur, oportet per ſphæram aquæ facere tranſitum, hac ratione color albus apparet aqueus & ſplendidus. Verum quia terra centrum eſt ac principiū à quo debet aſcenſus fieri, dum fœtus ſpagiricus adhuc in ejus ſphæra fuerit, niger in eo color terræ proprius apparet. Nota igitur ſeparationem iſtorum, & in unum rurſus conjunctionem, id eſt, in ignem. Item ſi priusquam niger color apparuerit, rubeus vel albus, aut quivis alius apparet, certo deſtructam eſſe fœtus operationem credito, ob mediorum deſtructionem. Differentia pariter notanda, quæ eſt inter elixir & lapidem, per crudum & coctum. Eſt enim elixir medicina compoſita ex aëre, aqua, & terra, ergo ſolum ad album. Corpus in aquam reſolutum ſi rubeum fuerit, colorem excellentiſſimi carbunculi refert, quum in compoſitum ex anima ignis & aeris fuerit converſum, & in compoſitum terræ & ignis. At ſi fuerit album, colorem viridem nigredine permixtum proferet. Varij ſunt etiam errores artificibus notandi. Primus & potiſſimus in eo conſiſtit, quando naturam imitari non norunt: ſecundus quod quandoque lapidis initium, finem eſſe judicent, & finiviſſe putent ubi vix inceperint, ut in opinione falſa trianguli rubei. Compoſitio namque lapidis majoris durat annos duos, illis qui nunquam antea compoſuerunt: expertis vero per annum cum tribus menſibus. Nonnulli ſunt rami in artis amplitudine, qui menſibus quatuor vel ſex abſolvuntur: hos ſi reperire poterit artifex, bene quidem, ſin minus, ingenij ſui capacitatis exiguitatem deploret, cum aperte ſatis ubique deſcribantur. Jam ad majores differentias veniendum eſt.

Forma duplex, ut ſimplex, & compoſita. Simplex eſt unitas abſoluta ſuæque rei ſingularitas in ſeipſa conſiſtens, & non cum alio. Compoſita ſuarum eſt camerarum primordialium quatuor unio.

Materia quatuor ſunt elementa: ſimpliciter ut ſignificatur per formam priorem: aut compoſite ſicuti per poſteriorem denotatur.

Menſtruum vegetabile, quod cælum aut clavis philoſophica nominatur, alterum eſt reſolutivum: alterum vero eſt reſerabile.

Reſolutivum eſt cæleſte quoddam: alterum vero non, ſed magis corporeum. Cæleſte eſt eſſentia quinta, vel tartari, de cujus natura ſuum reſolubile deducitur in actum. Aliter vero ſic definitur, ardens eſt aqua perfecte rectificata, cujus virtute corpora quævis reſolvuuntur, putrefiunt, ac puriora redduntur, elementa ſeparantur eorum, & exaltantur in ſal mirabile, terramque, virtute ſua plurimum activa quam habet. Quicunque aliam aquam exiſtimant, ignari ſunt & inſipidi. Reſolubile menſtruum eſt, vapor potentialis exiſtens in quocunque corpore metallico, ſulphur & argentum vivum conjungens, ſine quo nihil deducitur ad actum. Ultimo autem ſic etiam definitur, eſt medium conjungens imperfecta & perfecta metalla in lapidem. Menſtruum hoc reſolutivum eſt calidum uſque ad ſecundum punctum quarti gradus: quapropter ejus virtutem oportet augmentari calidis vegetabilibus, uſq; ad ultimum punctum gradus ejusdem, ut ſunt apium ſylveſtre, napellus, oleander, anacardus, piper nigrum, piretrum, euforbium, &c. ſine quibus non niſi longo tempore ſolvit. Hactenus de quarto gradu ſcalæ meditativæ, frequentia videlicet, familiaritatem, ſimilitudinem, & communionem operante animæ cum ſpiritu divino, & de comparatione ad eam facta, per aſſiduitatem in opere ſpagirico, promtitudinem, habitus facilitatem cum ſumma delectatione proferentem, dictum ſit. Modo vero ad quintum gradum pervenimus, qui virtus eſt, hanc igitur audiamus. Virtus rerum eſt & cujusque rei centrum atque veritas: hæc autem, efficacia per experientiam nota: at illa, cæleſtis influentia. Quicquid ex cælo non eſt, virtus dici non poteſt, ſed ſimulacrum ejus & plærumque falſum. Depingere voluerunt olim virtutes Philoſophi Deum ignorantes, at falſo, quia filium ejus in quo Dei virtutes omnes patefactæ ſunt, non intellexerunt. Solent etiam eorum diſcipuli in Theologicas & Ethicas partiri, non conſiderantes iſtas poſteriores virtutes nullo modo eſſe aut dici debere, niſi quatenus ex Deo ſint. Romanorum autem contra hoſtes fortitudo pertinacia fuit; magnanimitas, ſuperbia; prudentia, fraus & dolus; abſtinentia honorum ambitio, ſic de cæteris, vitia potius quam virtutes extiterunt, quia non ad gloriam Dei, ſed hominum & ſibi propriam parrata ſunt. Chriſtiani quidem Philoſophi cujuscunque profeſſionis, veritatem ſolam habent pro virtute, quam in fidem, ſpem, & charitatem dividunt. Ex his tribus & in iſtis ſolum tota veritas conſiſtit, atque virtus omnis, extra quas nil niſi falſum. Fides autem, eorum eſt certitudo quæ audiuntur & non videntur. Hac ratione dictum eſt à Paulo fidem eſſe ex auditu, quia quod videtur non eſt fides, ſed potius certa quædam ſcientia tanquam ad oculum demonſtrata. In ſacra ſcriptura habemus ejus rei teſtimonium ex Evangelio:

Credi-

Credidiſti (inquit Chriſtus) quia vidiſti: Beati qui non viderunt & crediderunt. Spes eſt fidei ſtimulus ad futuræ veritatis certitudinem, & firma conſtantia. Niſi quis enim certo ſciat acquiſiturum ſe quod proſequitur, friget admodum in eo conatus, at ubi fide ſuam ſpem confirmaverit, & econtra, frequentia tandem adjutus & ingenio nihil non aſſequitur. Cæterum hoc loco fidem per charitatem comprobari certum eſt, ſicut etiam per bonum vel malum mota, bene vel male poteſt operari. Eſt igitur charitas fides actu abſoluta. Quis de vera fide judicare debet alius quam ipſemet in quem fides ſolum cadit, ac loquitur ab operibus eam eſſe cognoſcendam? Nonnulli rem (ut opinor) intelligentes à ſeipſa dixerunt incipiendam eſſe charitatem, quod ad hunc modum quis interpretari poteſt: Chriſtianum oportet hominem per frequentiam amoris erga Deum & proximum, ſibi virtutis ejusmodi habitum contrahere prius, antequam illum in alios exercere valeat actu. Diſce mens igitur in proprium corpus operari caritatem veram, vanos ejus appetitus à maligno ſatos in anima coercendo, hoc fiet ut ad omnia bona tecum ſenſim promtum evadat. Haud aliter rebus naturalibus veritas quædam ineſt occulta in earum centro, quæ non videtur oculis externis, ſed mente ſola primum percipitur. Hujus experientiam fecerunt philoſophi, ejus quoque talem eſſe virtutem compererunt. ut miracula quædam fecerit. Quapropter mirandum non eſt homines fide feciſſe miracula, cum inſenſata etiam virtute ſibi à Deo contributa itidem præſtare valeant. In eo tota conſiſtit ars potiſſimum, ut à ſuis compedibus corporeis rerum ſpiritus liberetur, non ſecus atq; de homine dictum eſt ſupra, mentem ejus à corpore fieri liberam debere. Corpus igitur cujusq; rei carcer eſt, quo virtutes animæ rerum detinentur, ac impediuntur, quo minus earum ſpiritus naturales in illam vires & actiones ſuas libere poſſint imprimere. Talis eſt & ejusdem efficaciæ ſpiritus ejusmodi rerum inſenſatarum pro ſui ſubjecti ratione, qualis eſt in homine fides indubia. Hominum itaque virtus vera fides, & reliquorum omnium, eorum eſt efficaciæ veritas. Cuique rei ſuam ineſſe virtutem & cæleſtem influentiam oculis non niſi ab effectu perceptibilem docet magnes lapis, in quo non videtur vis illa magnetica vel attractiva ferri, quia ſpiritus eſt in eo latens, & ſub ſenſum non cadit. Vinum etiam cum vulgare, tum philoſophicum, in ſe diverſas virtutes habet, quæ per experientiam artis prodierunt in lucem à ſeparatione: ſpiritus enim ejus calefacit & exiccat, corpus vero contrariū prorſus efficit, nam humectat cum refrigerio, ut ab aqua ardente, & aceto videre licet. Iſtæ facultates omnino unius & ejusdem compoſiti naturalis, contrariæ ſunt propter ſeparationem, ante quam non ita diverſæ, quod tum de mixtione per naturalem

unionem communicant. In omnibus alijs corporibus naturalibus tales ineſſe virtutes, juxta magis & minus, quis niſi mente captus ibit inficias? Non erit philoſophus quicunque negaverit panem vel frumentum, ac alia quævis habere ſpiritum non minus efficacem quam ſit vini ſpiritus (licet non ita ſit abundans) pro pari tamen quantitate, parium etiam virium. Si talis ergo poteſt à pane, vino, & cæteris, ſpiritus artificialiter ſeparari, quanto magis naturaliter fit in homine ac longè ſubtilior diviſio? Ex his duntaxat poſſent philoſophicæ transmutationes intelligi. Nonne ſcimus panis & vini puriorem ſubſtantiam, in carnem & ſanguinem hominis à natura transmutari, ac de vegetabili forma non viſibili, formam viſibilem animalem fieri. Non propterea mutantur ſpecies rerum, ſed formæ. Quis adhuc dubitabit transmutationes philoſophicas fieri poſſe per artem & naturam in homine longè meliores, quam faciat ipſa natura ſola panis & vini ac reliquorum, artis non adjuta miniſterio? Cum alia multa corpora ſint in rerum natura, quæ majorem virtutem naturalem, atque cæleſtem influentiam habent, à quibus non aliter quam à vino & pane ſpiritus ſeparari, & in hominis ſubſtantiam, carnem, & ſanguinem transmutari valeant, & arte quam natura excellentius, hac tamen etiam cooperante. Sed cur ea ſæpius repetam quæ luce clariora ſunt philoſophis? Qui fidem adhibere noluerit, expectiatur, ſin pertinax erit, valeat; nemo talis pro ſuo commodo cogendus eſt, ſed ſolum admonendus: ſi contemnat, proprio non admonentis damno fecerit. Cæterum quæ dicta ſunt, ad ſpagiricam artem accomodemus ex virtutúm attractione. In corpore quovis elementato Mercurius noſter habetur: in nonnullis tamen eſt tam remotus, ut vita prius hominis deficiat, quam ab eis valeat ſemoveri: in alijs vero tam propinquus ut facilimæ ſit extractionis. Aliqui arcanum hoc non ignorantes, nempe Mercurium ineſſe quibusvis, à lapidibus, ſtramine ſiliginis, floribus, & lignis extrahere conati ſunt, ſed fruſtra. Nonnulli ex proximis, uti chelidonia, floribus rorismarini, mercuriali, lilio albo, atque ex ſuccis eorum per balnei fimique magiſterium extraxere Mercurium, colore, pondere, qualitate, quantitateque non abſimilem à Mercurio vulgi: maximum itaque ſecretum inveniſſe putantes, cum corroſivis eum ſublimarunt, & naturam illius corruperunt, quo factum ut opinionis ſuæ finem minimè ſint aſſequuti, quoniam iſtius artis ignorarunt principia, media, & extrema, quibus mediantibus ſpagiricum opus abſolvitur. At quisquis Mercurium philoſophorum in tali ſpecie converſum, aut vulgarem acceperit, ipſumque ſine materiali quovis in aquam reduxerit (quod fieri poteſt cum phlegmate medij, ſi aërem ejus ei dederit infra vas, ſeptiesque deſtillaverit) lumen perlarum habebit: nam hæc eſt earum

pars

pars heterogenea, quæ lapidis conditione philoſophici caret. Non eſt igitur ad artem transmutatoriam ejusmodi Mercurij extractio neceſſaria. In aliquibus individuis Mercurius noſter liberum quodammodo habet actum, ut in tartaro: patet enim ex operationibus aurifabrorum, quum in Venere lunæ quidpiam fuerit, & in album vinum ponatur, aut in ejus animam, lunæ tincturam ad ſuperficiem adducet vis Mercurij philoſophici. Quo revelatur vinculum ejus concordantiæ cum luna. Melius ubi Venerem ignitam extinxeris in tartaro per vinum album diſſoluto, contrahet albedinem, ſed non eſt color permanens, quia deficit ei ſubjectum ſpiritale fixum. Fit etiam aliud experimentum ejus, ubi Mars in ſolutione dicta ſæpius extinctus fuerit, ſolis & lunæ mollitiem contrahet. Mars namque ſiccus eſt, & valde remotus à Mercurio plusquam cætera quævis corpora, & omnis ſiccitas vacuitatis rationem habet, quapropter in eam facilè Mercurius philoſophicus recipitur, quo etiam ad illam mollitiem adducitur.

Cæli vero philoſophici forma, eſt aliud individuum, in quo duæ cernuntur operationes liberæ: prior eſt, qua cuncta ſibi impoſita realiter convertit in ſpeciem ſub qua fuerit ipſum. Hoc eſt evidens ſignum admirabilis potentiæ vegetabilis, ratione cujus transmutantur ſubſtantiæ in alias formas. Conſideret igitur artifex quid operari valeat Mercurius hic forma ſua nudatus, & informatus alia. Eſt & alia quidem operatio pariter evidens, ut perfectorum corpora terantur ſuper porphirium lapidem cum ea forma, & utrunque horum reducetur in amalgamationis formam, à qua per annum extrahetur Mercurius: quia hic exiſtens in ſole & luna movetur ad eum qui continetur ea forma, & econtra. Proinde in angulo concordantiæ colligantur ſic, ut in cælo philoſophico perfecta corpora multiplicentur, & iſtorum Mercurius nullo modo reſiſtere valeat, quin cum alio nexu naturali reducatur in amalgamatis ſpeciem. In alijs etiam individuis conſignari poſſent iſti philoſophici cæli operationes, quod brevitatis cauſa relinquimus, tum quia ex c[illegible] quæ dicta ſunt, intelligi poterunt. Totius magiſterij finis hujus eſt, ut Mercurius Philoſophicus ſit in ſphæra cælica poſitus, alioqui perperam & fruſtra operabitur artifex. Mirum videtur quod iſte Mercurius in ſupercæleſti loco ſitus, colorem pondus, qualitatem, & quantitatem non retineat, cum hæc omnia ſint de natura ipſius, ac ratio hujus eſt, quia ſub alia formà poſitus eſt, quam ubi ſub individuo latebat. Modus hic etiam habetur extrahendi Mercurium in hoc artificio, ſcilicet ut vinum album vel rubeum optimum ponatur in ſeparationem, & ex eo deſtilletur ardens aqua uti conſuetum eſt. Poſtea rectificetur ad majorem ſubtilitatem quater, at ſolum ter ſatis erit, ne ſpiritus comburens exhalet: errarunt igitur ſepties rectificantes. Rectifi-

cationis indicium hoc eſto, quum ſaccarum impoſitum una cum aqua totum exuritur nihilo relicto. Materia hæc eſt ſubjectum de quo trahitur eſſentia quinta per vas pellicanicum: qua quidem operatione fiet, ut per lineam diametralem ſuperior pars, vel eſſentia quinta ſeparetur ab inferiori, ſcilicet à fecibus turbidis.

Ex tartaro poteſt etiam extrahi Mercurius, calcinando ipſum in furno vitriariorum diebus tribus in magna tamen quantitate, quia plurimum diminuitur. Aduſtum ſuper lapidem teratur marmoreum, & ſuper illum contentum humido frigidoque loco diſſolvetur in aquam, per maniçam filtream poſtea deſtillandam, vitreoq; vaſe recipiendam. Poterit ex ea Mercurius extrahi duplici via: priore, ſicuti de vino diximus: poſteriore vero per artificium ſeparationis qualitatum ab elementis, &c. Ex eo ad hunc modum tracto fieri poteſt opus optimum, ut infra.

Cujusvis individui cælum cum cælo vini rubei vel albi, tartarive tracto per magiſterium ſeparationis qualitatum ab elementis, cum utravis forma poſitum juxta majoris operis doctrinam, obſtructo vaſe ne cælum fugiat calore aſſiduo balnei coquatur ſine intermiſſione diebus aliquot. Poſtmodum aperto vaſi de quorumlibet aere dictorum pro ſecunda cæli parte imponatur, & coquatur tot ut antea diebus. His etiam finitis, rurſum aperto vaſi imponatur de cælo ignis quorumlibet eorum tantum quantum vini cælum fuit, obſtructoque vaſe rurſum coquantur aſſiduo calore per alios dies quindeçim. Et completo mixtionis artificio, mixta tranſmutari videbis in minus perfectum coloribus mediantibus, juxta quos artifex opus hoc regere debet, quouſque ad perfectiſſimum opus majus perveniat, quod ſpeciem ſuam in externis ſubſtantijs transmutare permutareque, virtute per ſpagiricum opus acquiſita, in ſui ponderis millibus ter poſſit.

Mixtibilium individua ſunt flores rorismarini, mel novum, mercurialis, chelidonia, lilium rubeum, ſanguis humanus, &c. Cæterum quia virtute dignitas acquiritur, priusquam ad potentiam recipiatur initiatus, æquũ judicamus addere hoc loco, quæ dignum reddere poſſint operari volentem ad majora.

Proinde fœtum ſpagiricum de triplici genere individuorum, ex abbreviato opere producemus in medium.

Tota igitur via mineralium in duabus conſiſtit aquis: prior lapidem facit volatilem ſine labore, ſineque periculo: poſterior fixat eum & cum eo fixatur cum periculo. Quia hæc aqua trahitur ex menſtruali quodam fœtenti immaſſato ex rebus quatuor. Hac fortior in mundo nulla reperitur aqua, mortalis eſt, &c. Breviori tempore producitur quam cæteri lapides.

Animale tamen opus vix finem habet ob regimen elementorum, & major eſt in eo ſcientia, quam in quovis alio lapide.

Lapis

Lapis vero vegetabilis quanquam prolixus admodum, ſupremæ tamen eſt compoſitionis. Debet nihilominus animalem ſequi lapidem, quoad ratificationem elementorum, & rectificationem: ad hunc modum itaque præparatus efficacior eſt animali.

Eſſentia quinta ſpiritus eſt in lapide minerali mortificativus, & vivificativus.

In animali ſumma quandoque medicina corporibus humanis exiſtit, cum tracta fuerit ex ſanguine potiſſimum.

In lapide vero vegetabili ſpiritus eſſentiæ quintæ, eſt inſtauratio juventutis, & corporis humani ab omni corruptione potiſſima conſervatio.

Proinde in libras duas ardentis aquæ rectificatæ, fermenti conjice unciam unam, pellicanico digeri ſinas artificio dierum ſpacio viginti, vel viginti duorum, & hac via convertetur in lapidem. Poſt congelationem in fimo, vel balneo ſolvatur iterum, & deinde congeletur. Idipſum fiat tertio vel ſæpius donec amplius coagulari nequeat, ſed inſtar olei liquidum maneat. Albo cum fermento non tam cito ſolvitur, ſed coagulatur citius. Iſta medicina transmutat non aliter quam fuerit ejus fermentum, & non altius.

Si cum propria terra fermentaveris, univerſalis erit medicina, non tam efficax tamen atque cum fermentorum altero. Si in prædicta aqua decima deſtillatione peracta ſolveris aurum, & poſtea ſiveris aquam evaneſcere lento calore vel igne, & materiam loco humido continueris, ſolvetur per ſe ſpacio dierum quatuor in aurum potulentum, ad ſanitatis humanæ conſervationem. Item ſi cum eo Mercurium ſepties ſublimatum cum vitriolo, ut auri ſit pars una cum ſeptem argenti hujus, ac toties ſublimaveris uſq; dum figatur Mercurius, medicinam habebis tingentem & penetrantem. Rurſus ſi auri hujus ſic diſſoluti pars una ponatur ad ignem lentum per ſe diebus octo, cum centum partibus Mercurij, mixtum hoc totum in aurum congelabitur. Hoc ipſum ex parte ſpiritus aquæ provenit, quæ in auri ſolutione cum eo fixatur inſeparabili nexu. Poterunt hac via miſceri mineralia vegetabilibus, & ex eis fieri medicina ad hunc modum.

Ex vitrioli pellucidi optimique, nec non excellentiſſimæ cinabaris partibus æqualibus ſimul tritis, & ad ſolem exiccatis, poſtmodum ad ignem lentum, ut omnis aquoſitas abſumta videatur, affuſa aqua lento prius igne deſtilletur & ſenſim aucto, ut in aqua philoſophorum acuta ſolet fieri. Spiritus eſſentiæ quintæ vitrioli, & cinabaris, vel antimonij, qui lapidem potiſſimum conſtituunt mineralem, cum ſpiritu quintæ eſſentiæ, philoſophorum ardentis & benedictæ miſcetur, qui ſpiritus eſt anima lapidis vegetabilis. Hanc deſtillationem decies continuato (puta

poſt

poſt quintam deſtillationem) cum ea ſcilicet mixtione recentium ſemper dictorum materialium optime ſiccorum ut prius antequam injiciantur. Poſt decimam deſtillationem imponatur aurum pondere ſupradicto in lapide vegetabili per ſe, & in furno philoſophorum ſpacio decem dierum complebitur tota fixatio, quæ in vegetabili per ſe viginti quinque vix compleretur, quia ſpiritus unus alium denſat. Excellentiſſimum opus eſt hoc ad artem transmutatoriam, & non ad medicinam. Facta fixatione procede ad ſolutionem in balneo per ſe, ut in vegetabili per ſe dictum. Notandum hunc lapidem ex mixtis non ita cito ſolvi ut vegetabilis per ſe, at citius quam lapis mineralis per ſe: tenet ergo medium ſolutionis, quia fit novem diebus. Oportet iſtas ſolutiones & congelationes iterare ſæpius, ut medicina melius penetret.

Item ex plumbo philoſophorum extrahitur oleum aurei coloris, cum quo ſi lapidem mineralem, aut mixtum vel etiam animalem poſt fixationem primam ſolveris, tribus aut quatuor diebus, vel vicibus, excuſaberis à labore ſolutionum & congelationum? ſi benè riteque noveris ab aqueitate ſeparare, ac juxta modum operatus fueris mixtionis antea poſitum, triginta diebus poteris abſolvere lapidem Hoc oleum in vegetabili per ſe non eſt neceſſarium, quoniam in eo ſolutiones cito fiunt. Si tamen ibidem fieret ſublimatio, lapis ampliari poſſet.

Abſoluto etiam quinto gradu ſcalæ meditativæ qui virtus eſt veritatis dignificantis ad potentiam ſextum gradum, hoc de jam agere tempeſtivum erit.

Proinde potentia eſt acceptæ virtutis à Domino Deo conſtantia. Non eſt quod quiſpiam hominum putet ſe vel minimam ſcintillam virtutis aliunde quam à Deo habere poſſe. Si contra quis à ſeipſo vel ab alio quam diximus quærat, loco virtutis vitium in ſui perniciem conſequetur. Sic ſoliti ſunt Gentiles infideles olim heroicis (ut vocant) operibus virtutes non alia de cauſa venari, quam ut ſuæ poſteritati familijsque famam de ſe poſt mortem relinquerent, in eo ſummum bonum, ſuamque felicitatem omnem ſibi miſere ponentes. Verum quinam eis ſucceſſerit, ejusmodi memorabilium exitus aperte nos docuit. Regnum enim eorum quod in arena fundatum eſſet, & non ſuper petram, ruere fuit neceſſe: cujus ruinæ quidem non majus veſtigium relinquitur, quam ut poſteris eorum ſtultitia pateat. Non ſunt hominum ſequenda veſtigia, ſed veritatis & petræ ſuper quam ſtabilia ſunt omnia. Ut aurum purum in igne purius magis ac magis, glorioſiusque absque detrimento diutiſſime jubilat, haud ſecus in omni martyrio veritatis confirmati profeſſores maximè gaudent. Item non aliter quam ſupra diximus ex frequentia amoris meditativi familiaritatem, ſimilitudinem, & communionem cum divino ſpiritu nobis

nobis divinitus tribui, ex obſervatione etiam ſedula veritatis & virtutis tam dictis quam factis, conſtantia virtutum cælitus infunditur ad potentiam. Similiter & in Spagiricis, licet à corporibus naturalibus inſenſatis virtutes per hanc artem extrahantur, niſi tamen ulterius ad extremam ſuam deducantur potentiam, ad actum miraculoſum non erunt idoneæ. Sed quanto magis depurantur & ſubtiliantur, tanto propius accedunt ad primam quam habent cæleſtem influentiam, eidem ſimiliores factæ; & per conſequens efficacius penetrant ac operantur, ut pro miraculo reputandum ſit, quod in curis quarumvis infirmitatum efficiunt. Sed modo videndum quæ ſit potentia rerum naturalium ſenſu carentium, ut ſunt mineralia, & cætera id genus alia. Corporum itaq; imperfectorum filij ſunt ſpiritus eorum evacuati, vel ipſorum argentum vivum exuberatum, vel materia prima apta nata ad quamcunque formam recipiendum. Eſt tamen inter iſtos ſpiritus differentia, & alios a perfectis evacuatos: nam iſti formales exiſtunt: illi vero materiales. Item imperfecta juxta ac perfecta converti poſſunt in oleum, fitque hoc modo præparatio formæ ac materiæ. Neceſſario quidem ſulphur naturæ perfectorum converti debet in oleum, aliorum vero non, quoniam oleo perfectorum informandum eſt, ni forte quis volet omnia in oleum redigere, quo lucidius fiat opus. Ejusmodi oleum fit per ſeparationem qualitatum in elementis. Saturnus igitur & Jupiter unius & ejusdem naturæ ſunt, quum in ſpiritum reducuntur, argentum vivum exuberatum, ſulphur naturæ, tincturam, oleum, aut lapidem, iſtis in iſtorum utroque exiſtentibus extra numerum. Item ipſis & alijs omnibus antiquum eſſe retinentibus, aliam naturam habent, individuatam, & aliam in ſua virtute ſimplici multiplicata per viam generationis & proceſſionis in ſpiritum, ſulphur naturæ, tincturam, oleum, & lapidem. Et hoc in lapide magis propriè dici poteſt quam in alijs, quia ſubſtantia eſt multiplicata ex eorum unitatibus, quæ quidem virtutem unam habent ex omnibus iſtis. Quandoquidem ultimatam unitatem quodlibet metallorum habet, quam non habebat antea quam in lapidem eſſet converſum. Extenditur hæc unitas multiplicatione principiorum extremorum, ſicut in ſubſtantijs dictis fiat argumentum ſuæ formæ, virtutumque multiplicatio. Ad hunc modum finit ac terminat doctrina minoris operis.

Calcinatio, diſſolutio, evacuatio, multiplicatio, ſpiritus, alembicus, argentum vivum exuberatum, ſulphur naturæ, tinctura, oleum, inceratio, ſublimatio, lapis unam conditionem habent in Saturno, aliam in Marte, in Venere item aliam, ſic de reliquis. Unam etiam Saturnus in quolibet iſtorum cõditionem habet aliam cum Jove, aliam cum Marte, aliam cum Sole, aliam cum Venere, cum

cum iſtorum altero Jovem & Saturnum, aut Venerem & Jovem cum Saturno, vel cum ipſo Marte. Hac ratione multiplicari poterunt conditiones metallorum, unum vel plura miſcendo cum alio. Quotquot modis facta fuerit mixtio, tot variabitur conditio lapidis.

Calcinatio rurſus æqualis eſt ſolutioni, & diſſolutio evacuationi, hæc multiplicationi, & iſta ſpiritui, &c. pro conſtitutione ſubjecti, quod lapis eſt. Item alembicus æqualiter ſe communicat omnibus juxta ſuum officium.

Naturæ ſulphur majus eſt quam argentum vivum exuberatum, & iſtud ac illud quam ſpiritus.

Opus minus abſque ſulphure naturæ fieri minime poteſt ab imperfectis tracto, quia deficeret medium eorum naturam ſapiēs, quo abſente non poſſent perfecta in ſuam ſpeciem imperfecta transmutare. Hoc enim vult definitio medij, ſcilicet ut lapis componatur ex ſulphure naturę, argento vivo ab imperfectis exuberato, cum perfectorum oleo: ſic ut lapis ſit medium participans ex utraque natura, concordantiæque ratione quam habet cum imperfectis; hæc ipſi dat locum per omnes ſui partes, ut in eorum parte minima ſit minima pars lapidis: quas etiam partes in illis exiſtentes penetrat ratione ſuæ ſubtilitatis. Et quia materia lapidis quæ abſtracta fuit ab imperfectis, formata eſt per omnes ſui partes, & colligata formæ cuidam extraneæ vinculo indiſſolubili, proprietateque vegetabili, quam à clave philoſophica recipit, ita per formam iſtam informatur, ut in minima ſui parte realiter & vere minima pars inſit ejusdem formæ: & imperfecta ſuas antiquas formas deponunt hac via, quæ ipſis inerant actu, ut perfectorum formas, quæ in illis inſunt potentia, recipiant, & in perfecta corpora transmutentur metallica.

Alibi dictus eſt operandi modus cum ſulphure naturæ Saturni vel Jovis: modo vero cum duobus, tribus, quatuor, vel omnibus juxta voluntatem operantis mixtionem dicimus poſſe fieri, ut ex eis conditionem eſſe volet artifex. Oleum etiam eliciendi modus ex perfectis alio loco ponitur, quorum unus & idem eſt, ac aliorum omnium per calcinationem, diſſolutionem, evacuationem, multiplicationem, ſpiritum, alembicum, argentum vivum exuberatum, ſulphur naturæ, tincturam, oleum, incerationem, ſublimationem, & per ignem.

Quum vero duo conjungere voles, ponas in calcinationem clave philoſophica mediante, poſtea in diſſolutionem, & in reliqua prædicta uſque ad ſublimationem incluſive. Si autem perfecta fuerint, & in Sulphur naturæ facta, ponas in multiplicationem, item ſi nimis durum, affunde aliquam portionem ſanguinis menſtrualis ut in oleum convertatur.

Notan-

Notandum etiam elementa metallorum per Mercurium vegetabilem ab eis tracta, materiam primam eorum dici ad genus generaliſſimum ſuum proxime accedentem, & eſſentiam quintam, vel cœlum etiam ipſorum appellari.

Hæc vero materia converti debet (ſi perfectorum ſit) in formarum naturam, & alia imperfectorum nempe natura in illam, & compoſitum fermentum vocatur, quoniam fit ex materia prima, & metallorum natura, & oleo gutta poſt guttam inſtillata: & poſtea Mercurio philoſophico naturali inceratione, quæ medium eſt conjungens Mercurium cum dicta prima materia, fitque hoc modo gumina philoſophicum.

Fermentum ſimplex eſt cui nihil admixtum eſt, ut ſunt elementa, vel evacuata metalla per ſe exiſtentia, & ſimpliciter ſumta.

Compoſitum eſt quum plura ſimul, & inter ſe commiſcentur. Qui non poterit perfectorum juxta ac imperfectorum corpora ſpecialiter in ſui materiam primam convertere, nec ſimplex etiam fermentum habere, neque compoſitum, ſine quibus lapis inanis erit & vacuus.

Terra quidem à corporibus metallicis in ſulphur elevata naturæ ſal dicitur philoſophorum, vel Mercurius vegetabilis, vel medium extrema conjungens omnia ad unum finem, id eſt, cælum cum forma, vel clavem philoſophicam cum perfectis corporibus: & hæc terra etiam dicitur elementa Mercuriata.

Minus perfectum, lapis eſt philoſophicus, non fermentatus in virtute, neque in quantitate: componitur ex igne & aere, aut ex terra & igne.

Fermentatio eſt operatio denotans multiplicationem duplicem, ſcilicet quantitatis & virtutis. Quantitate quum fit multiplicatio, virtus minuitur, & econtra. Fit etiam alia virtutis & quantitatis ſimul: cum Mercurio vulgi prima: ſecunda cum Mercurio metallorum: tertia vero cum vegetabili Mercurio, vel menſtruo philoſophorum, &c.

Fermentatio fit in abbreviationem longi temporis ex forma, cælo, & Mercurio vulgariter intellecto.

Evacuatio dicitur puri ab impuro ſeparatio.

Multiplicatio eſt evacuatæ rei ſuper terram ſuam reductio ut mundiciei ſpiritus oriatur.

Spiritus corporum, eſt res quæ per ſolutionem à corporibus mediante clave philoſophorum evacuatur.

Argentum vivum exuberatum ſpiritus eſt corporum aſcendens una cum clave, tranſienſque per alembicum.

Sulphur naturæ terra corporum eſt ſublimata, & in terram foliatam converſa, quæ metallorum prima proximaque materia vocatur.

Tinctura

Tinctura eſt ex aere & igne, vel ex terra & igne compoſita.

Oleum eſt elementum fixum faciens ad liquationem & fixationem.

Lapis eſt terra foliata, in quam oleum fixum ſata germen eſt.

Ignis lapidis conſtat ex igne eſſentiali corporis, & ex igne coeſſentiali menſtrui vegetabilis, ex quibus unicus ignis componitur, qui momentò metalla transmutat omnia, juvante quidem igne prædicto vegetativa ſua potentia.

Elementa corporum toties deſtillari debent cum ipſo menſtruo, ad magnum fœtum philoſophicum & ſpagiricum, uſque dum ſint fixa, & menſtrui nihil apparet cum eis actualiter, ut ex dictorum conditione proprietateque oriatur ignis fulguris inſtar metalla quævis imperfecta ſubito comburens, eiſque formam aliam inducens, eamque perfectam.

Hæc de potentia ſexto gradu ſcalæ meditativæ ad ſpagiricam applicato, reliquum eſt ut ad ſeptimum & extremum ſcandamus, in quo miraculum, ut ſupra conſtantiæ ad lapidem fixiſſimum, eſt fundatum. Eſt igitur miraculum conſtantiæ per veritatis virtutem effectus, in cujus declarationem non niſi exemplis uti poſſumus aliorum, quibus tanta contigit felicitas, ut eſt ad hujus philoſophiæ adeptiſſimæ ſcopum & metam pertingere. Cumprimis hoc eluxit in illo beato Stephano protomartyre, qui dum lapidibus ob veritatis conſtantiſſimam profeſſionem, obrueretur, nil ejus animum paſſum fuiſſe exemplo fuit, cum cælos videret apertos, & pro ipſum trucidantibus oraret. Idipſum etiam contigit illis tribus pueris in ardentis ignis caminum projectis, qui dum conſtanti admodum animo veritatem profiterentur, nihil paſſos fuiſſe doloris argumento fuit, cum in medijs flammis Deo veritati hymnum & laudes canerent, alacri gaudentes animo. Quod non ſolum Chriſtianis accidiſſe ſapientibus legimus, verum etiam infidelibus philoſophicis, ut cuidam Abderitæ philoſopho Democriti ſectatori Anaxarcho nomine. Hic ab imperatore quodam Cypri tyranno Nicocreunte, propter veritatis etiam profeſſionem exceptus hoc martyrio, ut dum in lapidea pila, ferreo piſtillo contunderetur, diceret: Tunde tyranne, tunde Anaxarchi corpuſculum hoc, mentem Anaxarchum ipſum minimè tundis. Quod cum tyrannum peſſimè haberet, ne veritatem amplius loqueretur philoſophus, quam etiam audire non ſuſtinebat, tortori commiſit ut ipſi linguam truncaret. Verum proprijs dentibus abſciſſam ſibimet in os tyranni patens expuit, priuſquam ejus corpus in pultes contuſum eſſet. O admiranda virorum conſtantia, quæ nullis perterrita martyriis, quin potius mortem ſummo cum gaudio ſuſtinens ob veritatis amorem, mundi tyrannidem vicit.

Haud ſecus in ſpagirico fœtu, poſtquam ad miraculum ſpagiricum

ricum adductus per ſingulos antecedentes gradus fuerit videre, eſt, cum in igne jubilans,nullisque flammis unquam cedens, omnem totius naturæ tyrannidem & corruptionem ſuperat, nedum in ſeipſo,verum etiam in alijs omnibus,quæ ſecum tuta reddit ab ignis omni violentia. Hujus audite generationem: Corporum formantium alterum, poſtquam vulgi Mercurio, & ſali communi permixtum & calcinatum erit, argentum ab iſto compoſito ſublimetur,aut aqua vinum recipiatur, ac ſal aqua calida à corpore prorſum abluatur. Poſtmodum elementorum dividantur qualitates,ac ad cæli philoſophici libras tres,addantur minoris formæ duæ unciæ: ad majoris verò formæ duas uncias cum dimidia,cæli mediam libram accipies,& ex eis facito conjugium ad mixtionem in vaſe perquam óptime clauſo, & aſſiduo calore fovebis,donec per diſſolutionem in alterationem transeat, aliusque color incipiat oriri,ſcilicet niger,non prorſus,at in modum obſcuri mali granati. Hoc ſigno judicabis formam alterutram & cælum tranſire per alterationem, generationem, amoris colligantiam,& vinculum eſſe factum inter formam in cælum converſam, & hoc in illam. Deinceps continuata ſemper decoctione temperata, incipientibusque forma & cælo digeſtionem & generationem ingredi (quæ quidem operationes durant uſque ad minus perfectum) niger ille color mortificatur, & aſſiduitate ſomenti color albus oritur. Cum ſub iſto colore ſingula fuerint, indicium eſto oſſa & nervos fœtus philoſophici cum tertio numero conjungi: quæ tamen operatio durat uſque ad croceum colorem. Hoc autem apparente,ſignum erit corpus ejusmodi fœtus eſſe formatum,& ſuis organis completum, incipereque præparari ut ſpiritus vegetabilis in ipſum ingrediatur: & hæc operatio durabit quoad in præparatione color croceus evaneſcat & rubeus oriatur. Quo tandem orto judicabis fœtus corpori animam ineſſe vegetabilem,& ejus corporis & animæ terminationis adeſſe finem. Tum demum artificem oportet interſtitios numerare dies inter generationis initium & finem, quos etiam cognoſcere poterit ad oculum à diſſolutionis actus fine completo: bisque tanto tempore continuo, ab ignis adminiſtratione minime ceſſare,finito hoc ſpacio frigefieri ſinere. Jam reperietur fœtus in modum ovi,quod extractum atq; mundatum ponatur in vas vitreum & mundum, contineaturque rurſum in furno decoctionis, qui balneum eſt ſiccum, per ſex dies naturales, ignem adminiſtrando ſucceſſive ad eundem ut antea modum, ut vix manus in eo calore ſine læſione contineri queat. Extrahatur poſtmodum & accuratiſſimè ſervetur. Hujus pondus unum ſuper duo millia projectum in ſubſtantijs externis,potens eſt generare ſimilem formam illi de qua duxit originem. Multiplicationis aliud habetur arcanum:

videlicet uni libræ menſtrui dicti addantur unciæ duæ vel duæ tum dimidia formæ vel formæ, juxta prædictam conditionem, & minoris perfecti drachma tantum: eisdem operationibus ut antea ſpacio triginta dierum, in majus perfectum hoc omne converti poterit, igne temperato ex colorum regimine, juxta magis ac minus: donec videris corpus rotundum & rubeum, ſi tamen opus ad rubeum fuerit, ſi ad album cum albedine metalligena. Notandum igitur diverſos eſſe colores horum fœtuum, ut maſculi majorisque perfecti rubeum, feminei perfectique minoris albi, colorem primo viridem rubore permixtum: ſecundo croceum, etiam rubedine ſplendida mixtum, qui denotat conjunctionem partium cum ſuo toto: tertio quidem album & ſplendidum, quod ſignum eſt terminationis corporis fœtus: quarto vero alboniveum & melligeneo colore mixtum, & hic ingreſſum denotat animæ in ſuum corpus. Iſto colore tinctus à ventre matris naſcitur fœtus, cujus pondus unum ſuper tria millia materiæ ſpeciem ſuam potens eſt multiplicare: tertia repetitione eſt ſuper millia trecenta. Iſtius poſtremi, ut prioris perfecti majoris etiam fieri poteſt multiplicatio. Notandum præterea in opere ſpagirico præciſum aut certo determinatum tempus non haberi, nam aliquando fœtus oritur citius, quum calor per accidens æquo vehementior erit; nonnunquam tardius ob remiſſionem ejusdem, ut apparet in humano fœtu.

Colores optima ſunt indicia hujus artificij, quibus etiam regi debet. Ut quum fœtus ſpagiricus fuerit in diſſolutione, totuſq; liquefactus, incipit oriri color niger: ex eo judicabis ipſum in mixtione eſſe, ac tranſiiſſe per alterationem. Et poſtquam apparet croceus color, formatum eſſe corpus exiſtimabis, & ſuis membris cōpletum. Apparente vero colore poſtremo, rubeo videlicet, corpus cum anima junctum eſſe judicato. Quo peracto continuandus eſt ignis, ut dictum eſt, non ſecus de coloribus albi juxta ſuas qualitates intelligendum erit. His indiciis optimè cognitis atq; notatis, ſumma diligentia & animadverſione ſedula, poterit artifex alacri animo & abſq; metu ſpagiricum opus aggredi, ac Deo dante perficere. Expedito jam opere majore, veniamus ad opus minus.

Calci cujusvis corporis in vaſe philoſophico longi colli poſitæ ſucci tantum affundatur philoſophicæ clavis, ut quatuor digitis ſuperemineat. Poſtmodum bulliat ſuper cineres moderatè calidos uno die naturali, & deinceps in fimo calido balneove ut melius digeratur, ac materia per ſubtiles partes ſeparetur, puras ab impuris videlicet.

Finito ſeparationis hujus termino vas eximatur, à quo per modeſtam inclinationem, ne turbetur fæcibus, effundes totum, vel paulo minus, liquorem in aliud vas, quod occluſum ſervetur. &

facta

facta poſtmodum evacuatione, clavem aliam priori ſimilem affundes, ut emineat ſicut antea dictum: bullire facias & in fimum ponas, ut prius. Toties ejuſmodi operationes iterato facies; donec à ſuis ſpiritibus corpus evacuetur. Si tibi clavis defecerit, evacuationum aquas omnes per alembicum deſtillabis igne lento, vel calore balnei, donec duas evacuationis partes habeas: Hujus aquæ quantitatem, ut ſupra dictum fuit, ad materiam affundas; continuandus eſt iſte proceſſus donec terra ſit omnino vacua: ad hunc modum experieris: Terræ hujus parumper ad ſolem exiccatæ prius ponito ſuper laminam ignitam; ſi fumum emiſerit, operationes dictæ ſunt repetendæ quouſque nullum exhibeat. Evacuationum aquas humido & calido loco repoſitas ſervato.

Facta hac experientia materiam in cucurbitam ponas & galeâ ſuperpoſita per deſtillationem exiccabis. Terram exiccatam pondera, cui clavis optime rectificatæ ut ſcis triplum affundas, & è cucurbita galea ſua roſtrata cooperta, & ad commiſſuras optime occluſa, deſtillabis igne lentiſſimo, donec iterum ſiccetur ut prius, claveque ſimili madefiat ut antea, deſtilleturque, ſingulis deſtillationibus ſimul congregatis in ampulla clauſa. Ejuſmodi deſtillationes toties etiam repetendæ ſunt, uſque dum in pulverem ſubtiliſſimum, & inter digitos vix palpabilem terra ſit redacta. Deſtilla poſtmodum evacuationum aquas omnes per alembicum & balneum maris, donec in fundo vaſis materia tanquam cera fuſa vel mellis inſtar appareat. Frigente balneo rurſum ad materiam affunde aquam, quam per deſtillationem abſtraxeras, ut quatuor digitis emineat, & ponatur ad digeſtionem in fimo vel in balneo, per diem naturalem clauſo vaſe. Deſtilla tandem per alembicum ut antea, & frigefacto vaſe rurſum abſtractam aquam reddito materiæ, digere, deſtilla, redde, & aſſiduè continua proceſſus hujus iteratas ejuſmodi operationes, donec perceperis totam materiam unà cum aqua ſurſum aſcendiſſe. Iſta volatilis materia lac virginis appellatur à philoſophis, & argentum vivum exuberatum. Tandem accipe terræ prædictum pulverem ſubtiliſſimum, & madefac medietate ſui ponderis de aqua ſuperius dicta, & fimi calore digeri facito per dies octo, quibus finitis, deſtilla per alembicum ut prius aquam à terra lento igne. Pondere hujus iterum cognito, ſuperfundatur aqua jam recepta, ſupplendo ſi deficiat vel diminuta ſit, per priorem exuberatam, ad ponderis medietatem ut ſupra. Iſtæ omnes operationes, uti humectationes, digeſtiones, calcinationes vel congelationes tantiſper iterandæ ſunt, donec terra medietatem ebiberit ſuæ humiditatis; ſatis bibiſſe cognoſces, ubi tantillum ejus ſuper laminam ignitam poſitum in auras prorſum evolet nihilo ſuper laminam relicto: ſi autem eò non de-

ventum ſit,repetendus eſt proceſſus uſque dum id fiat. Quo quidem percepto,ſublimetur per cineres in phiala moderato calore primum,tandem aucto ſenſim & ſucceſſivè quouſque totum ad latera vaſis aſcendat, & exaltata materia fuerit in ſal admirabile, quod philoſophi lapidem & naturæ ſulphur vocant. Iſtud oleo perfectorum eſt incerandum, donec ut cera facilimè fluat. Medicinam hoc modo perfectam habebis, cujus pondus unum ſuper cētum ſtanni pondera, ſi ſal Jovis erit,vel quinquaginta plumbi,ſi fuerit ex Saturno projectum, optimè transmutabit in corpus perfectum naturali quovis perfectius. Oleum namque perfectorum virtutem habet fixativam in omnia ſalia ex imperfectis tracta. Proinde perfectorum limatorum aut foliatorum, atque ut alibi dictum calcinatorum uncia una ſumatur,ex qua per ſuccum philoſophicæ clavis humiditas vel argentum vivum extrahatur liquefactionis aut evacuationis artificio. Evacuationum liquefactiones omnes per balneum deſtillentur ex alembico, uſque dum in fundo materia maneat inſtar mellis liquidi ac deſpumati viſcoſa. Frigefacto vaſe, ad hanc materiam affunde philoſophicæ clavis tantum ut quatuor digitis emineat, & in digeſtione fimi vel balnei contineatur per diem integrum & naturalem. Frigefacto vaſe quod ſolutum eſt evacuetur inclinatione modeſta. Poſtmodum vas cum alembico ſuo ut eſt coopertum, in balneum ponatur ad materiam exiccandum igne lento: ſuper quam aquam iſtam & clavis tantum recentis natate facito ut ſupra: digeſtioni demum per diem ſimilem exponito,factaque digeſtione ſolutum evacuato. Repetendus eſt hic proceſſus toties donec materia tota ſit in aquam claram converſa. Deinceps aquam hanc in digeſtionem octo diebus ponito,à qua poſtmodum elementorum extrahito qualitates. Primo per ignem balnei ſuaviſſimum, recipias aquæ tantum ac iſto calore poterit aſcendere. Ceſſante deſtillatione frigefactoque vaſe refunde totum liquorem jam deſtillatum ad ſuas fæces, & in digeſtione vaſe clauſo contineatur fimi vel balnei diebus aliquot. Poſtea per cineres & ignem de ſerraturis per regiſtra gubernatum deſtilla totum oleum quod iſto calore poterit aſcendere. Deſtillatum hoc iterum deſtilla calore balnei, quod aſcendit,aquam appellant,quod autem in fundo manet, aerem. Deſtillatam aquam rurſum ad fæces affunde, & ubi ſteterint in digeſtione diebus ſeptem,deſtillentur nudo igne vel in arena lento calore primum, donec aqua tota per alembicum tranſierit,poſtmodum aucto ſenſim ad quartum gradum ſurſum pellatur omnis liquor,donec in fundo materia prorſum exiccata & ſuper marmor trita ſit inpalpabilis alcool, aut pulvis. Liquorem balneo deſtilla, quo ſepares aquam ab oleo quod ignem appellant.

Perfecta

Peracta quidem evacuatione hac, ad prædicti pulveris pondus, medietatem adde ſui ponderis argenti vivi prædicti per imbibitionem, & vaſe clauſo pones in digeſtione fimi vel balnei diebus octo. Finito hujus digeſtionis tempore, ſingula perfice, ut in alijs reductionibus alibi dictum eſt: hoc diligenter notato, ut materia quælibet proprium ſuum argentum vivum habeat. Sublimatione completa, quod ſublimatum erit, cum ad vaſis latera, tum ad ſummitatem ejus, in vaſe clauſo poſitum in digeſtione fimi calidi vel balnei maris contineatur diebus octo: quibus completis, ſi materia nondum erit diſſoluta, maneat diutius donec in aquam claram reſolvatur, quæ dicitur unguentum & oleum philoſophorum. Si fortaſſe durioris fuerit ſolutionis, adde parumper ſalis jam cogniti, bis terve diſſoluti & congelati, quod cœlum eſt noſtrum & clavis philoſophica rectificata quater, & ſolvetur optime. Hoc ipſum facito in omnibus tuis reſolutionibus.

Poſtremo ſalis cujusvis metalli tigillo ſuper cineres calefacti portionem aliquam, oleis jam dictis incerabis, gutta poſt guttam infuſa, donec ad ſpiſſitudinem frigidi mellis reducatur. Amotæ ab igne materiæ portiuncula flammæ ardentis candelæ admoveatur, ſi facilime liqueſcat, bene eſt, ſin minus incerationes iterato, uſque dum materia fluat ante Mercurij fugam. Iſtam incerationem etiam facere poteris perfectorum eſſentia quinta, modo qui ſupra dictus eſt. Olea hæc ſunt incombuſtibilia.

Hactenus de ſcalæ meditativæ philoſophiæ gradibus dictum, quos tamen breviter recenſere minimè gravabor.

Haud aliter quàm ſeptem ſunt gradus philoſophici per quos ad ſublimia menti patet aditus; ſeptem ſunt etiam præcipue operationes ſpagiricæ, per quas artifex ad arcanum illud univerſalis medicinæ præſtantiſſimum pervenire poteſt. Studio ſiquidem philoſophorum comparatur putrefactio ſpagirica. Quoniam ut philoſophi per ſtudium ad cognitionem diſponuntur, ita res naturales per putrefactionem ad ſolutionem præparantur: cui comparatur cognitio philoſophica. Etenim uti per cognitionē philoſophorum dubia reſolvuntur, non ſecus per ſpagiricā ſolutionem corpora metallica aperiuntur ad ſuorum ſpirituum extractionem. Non aliter quam ex amore meditativo ſtudiorum oritur frequentia, & inde cum ſapientia familiaritas, cum veritate ſimilitudo, & cum virtute communio, pariter ex congelationis poſt ſolutionem frequenti repetitione, unius ſemper poſt alteram, corporum naturalium partes aſſiduitate dictarum operationum cum puritate ſimilitudinem acquirunt, ad communicandum cum unione ſpagirica: ut etiam frequentia ſtudiorum acuuntur ingenia philoſophantium, ſpagiricis ablutionibus ſubtiliantur etiam corporum naturalium partes. Eo modo quo per virtutem uniuntur

cum veritate philoſophi, per ſpagiricam mixtionem & compoſitionem elementa per minima componuntur. Per potentiam philoſophicæ virtutes ſtabiliuntur, dignitateque confirmantur, per fixationem ſpagiricam etiam ſpiritus in ſuis corporibus figuntur, ut non amplius ab igne fugiant. Perinde ac per miraculum adepta philoſophia ſuam virtutem & veritatem palam facit hominibus, ſpagiricæ medicinæ per projectionem patefaciunt ſuam perfectionem. En breviter habes omne quod philoſophia vera cum arte ſpagirica commune habet in operationibus. Nihil hoc loco vobis arcanorum ſtudioſis deficere video, quod ad vitam longam faciat, præter idipſum quod aliquando de arbore vitæ longæ narravimus. Nec iſtud gravabor addere, quod ſub brevitate multa comprehendat eorum quæ præceſſerunt, ſic fiet ut quod vobis uno loco videbitur obſcurius, alio manifeſtetur apertius. In ſequentibus econtra poſiturus ſum arborem aliam, ubi de vita brevi tractare nonnulla propoſui. Proinde rem hilariter aggrediamur. Summa cum reverentia venerationeque Triadem in unitate coluerunt olim adepti philoſophi, tam illi qui Chriſtum partim ignorarunt, partim aliquo radio vel tantillo per umbram & eminus apparente (de quorum numero Anaxarchus ille fuiſſe videtur) quam noſtri, qui quidem cominus illuminati Chriſtum amplexi etiam profitentur. Quandoquidem ea quam in Divinitate ſummo decore colimus atque fatemur, Trinitas, in unoquoque naturaliter producto rerum omnium quæ creatæ ſunt ab eadē, illis qui ſecreta naturæ perquirunt abditiſſima, ſui ſpecimen atque figuram ob oculos ponit. In corpore primum humano, tria ſunt quæ requiruntur ad ejus ſanitatem conſervandam vitæq; longæ tuitionem, utpote Sol, Jupiter, & Luna phyſicè ſpagirica. Plantetur igitur ex his tribus arbor vitæ longæ, cujus radix, atque ſolidiores partes Jupiter ſit, per cujus truncum & ramos, lunaris liquor tranſiens ad Solem aſcendat. Perfectiores temperatioresque tres Planetæ ordine pulcherrimo in longa vita jubilantes, animum & mentem in corpore humano referunt, ut infra quatuor imperfectiores corpus. Hinc factum ut antiqui philoſophi rem verè philoſophicam adepti, quum alicui vellent amico felicitatem imprecari, ternam atque quaternam illis beatitudinem optabant: id eſt, animi corporiſque ſanitatem, ſub his verbis: Faxit Deus ut ſit mens ſana in corpore ſano. Ne ergo hæc antiquiſſima pulcherrimaque ſententia prætereat indeciſa, mentis primo ſanitatem exponamus, ad quam aſſequendam tribus facultatibus potiſſimum indiget, utpote ratione, quæ Solis eſt: intellectu, quæ lunæ: & memoria, quæ Jovis facultas exiſtit. Quibus tres potiſſimi gradus ſpagirici non inconcinnè comparantur, ad ſummam adeptionem ſcalæque faſtigium ducentes, utpute, Jovis virtus, lunæ potentia,

Solisque

Solisque miraculum. Dixerunt olim doctiſſimi rerũ naturalium experti, Solem generare Solem, ideoq; rerũ omnium (poſt Deum tamen) patrem eſſe, lunamque matrem, aerem (qui Jovi dicatus eſt, ventrem, terram vero nutricem, uti ſupra ſat ſuperq; diximus. Certius eſſe nihil poteſt, Solem illum qui viginti quatuor horarum ſpacio totum orbem circuit, rebus omnibus à natura productis vitam influere naturalem. Ergo Sol omnibus ineſt potentia & virtute per vitam Solem à Sole genitam. Deinceps uti Sol idem ſuos influxus ad inferiora mittit per lunam, haud aliter ignis ille ſolaris atque vitalis rerum, infundit ſuas virtutes animales, quas à ſuperiore ſole recepit, in omnia ſui corporis membra per ſuam lunam, id eſt, aquàm aut liquorem, aut ſi vis ſanguinem, quem ſupra diximus eſſe fomentum ignis & nutrimentum. Jupiter autem vel aer, qui ventus antea dictus fuit, medium tenet inter ſolem aut ignem, & lunam aquam, quo ſine vita medio perſiſtere non poteſt, non magis quàm extrema ſine ſuis medijs.

Quid nutrix & ubera naturæ ſint, audiVimus.

Ecce quod antiqui tot ænigmatibus velarunt, innumeriſque voluminibus, cum proſa, tum carmine cecinerunt occultiſſimè, brevibus apertiſſimiſque verbis in tui gratiam optime lector, revelatum munus offero. Nihil à te cupio quod retribuas, præterquam in poſterum quod ignoras, id ipſum etiam non vituperes, neque detractes amplius. Quinimò toto conatu hanc artem diligas ameſque, nec ſecus ac ipſum te colas, & ingentem uſuram inde colliges, quam ut aſſequutus fueris, Deo primum gratias agas immortales, ac in uſum dilectionemq; proximi tui, quod ex eo collegeris, convertas, ac eroges. Quod ſi feceris, labores tuos benedicet Deus. Opt. Max. animabiſque profeſſores artis hujus ad majora tibi probiſque viris magis indies ac magis detegendum, quæ hactenus latuerunt. Porro Solis & Lunæ veſtrorum, ô vos qui longam ſanamque vitam agere cupitis, curam agere decet per Jovis temperiem. Abunde ſupra dictum eſt quid Sol in homine, quid Luna, & quid ſit Jupiter. Verùm ne cuipiam ob ſegnitiem defeciſſe dicar, clarius explicabo. Temperatura cibi & potus etiã temperatorum plurimum poteſt ad ſanæ longæque vitæ conſervationem. Atqui in uno ſolo temperamentum non fit, neque proportio. Conſiderandum igitur ut minimum duo eſſe debere quæ temperiem admittant, atque tertium eſſe temperatum hoc. Proinde in Jove noſtro duas ineſſe qualitates aſſerimus, utpote caliditatem naturalem ignis, & humiditatem radicalem aquæ, hæc admodum æquari debent, ut quaſi librata bilancem ad angulos rectos utrobique ſuſpenſam habeant; alioqui ſana vel longa vita ſubſequi minimè poterit. Diverſas rationes hujus temperamenti cum tuendi, tum acquirendi & conſervandi præſcribunt non-

nulli medici, & præſertim Marſilius Ficinus de triplici vita, nec non alij quamplures, quorum ſcripta legi poterunt. Omnes in eo potiſſimum conveniunt, ut Jovem, tam in cibis & potibus temperatis temperateque uſurpatis, quàm in aliis vitæ motibus & actionibus concilient. Supervacaneum eſſet ea recenſere, hoc ſolum addam, ingentem, ſed curioſiſſimum eſſe laborem in cibis, reliquisque ſemper Jovem obſervare. Quapropter ſi fortè per exceſſum, vel defectum alterutrius partium inæquata reddatur proportio, quia non eſt humanum poſſe cognoſcere naturæ proportionem æqualiter, non ſuaderem ut quis per ſupplementum defectus, vel exceſſus detractionem (quod fieri conſuetum eſt hactenus) progrederetur: quin potius hoc muneris & officii naturæ, cujus eſt, etiam relinqueret. Cæterum ſi quis ob exceſſum cibi vel potus oppilationem ſtomachi pateretur, ignisque naturalis vires digeſtivas debilitaſſet, conſulerem potius ut à potu ciboque tantiſper abſtineret, donec alios ipſamet natura ſagax appeteret: ipſa namque ſibimet ipſi medicus potiſſimus & præcipuus: ſi autem hoc tardius æquo fieret, paucis admodum ab initio, ut ad ſuſtentationem ignis vitalis, uteretur, ijsque præſertim quæ ſuo temperamento Jovem maxime referunt: inteſtinorum interea obſtructionem etiam laxare molliter, ut cliſtere, aut ſimili juvabit. Contra qui per nimium exercitium, aut alia via vitalem ignem accendiſſet, ſuaderem ut obſervata quiete quadam ederet & biberet ad nutrimentum ea moderate, quæ ut plurimum joviam naturam habent, ne propter alimenti defectum, ignis qui ſua natura eſt edax, radicale ſuum humidum abſumat: quo veſcitur ac alitur in defectu alterius extrinſeci nutrimenti. Binas has methodos obſervatione cuique facilimas quicunque ſequutus erit, ſanitatem ad longam vitam facile tuebitur abſque ſtomacho nauſeam adferente quovis medicamento. Porro philoſophice ſpagirico modo, dictarum partium excedentium vel deficientium, uti Martis, Veneris, Mercurij, vel Saturni, quælibet ſeparatim aut ſimul, per ſolam transmutationem emendari poſſunt. Siquidem ſpagirice philoſophica medicamenta non agunt per quantitatem, ſed per qualitatem duntaxat. Proinde ſi ſolaris in homine virtus defecerit, ac in martialem imperfectionem ſit elapſa, per ſolarem medicinam ex altero quopiam corpore tractam eſt inſtauranda: ſympathia quidem & non antipathia. Quoniam natura naturam appetit, & in ſui ſimilem transmutari plurimum gaudet.

Hæc ſunt quæ de arbore vitæ longæ dici oportuit, quo præcedentia fierent aliquatenus lucidiora. Porro vita longa apud nos eſt incorrupta natura, non qualis ante lapſum erat, ſed uti poſt reſtituta. Ne quis putet hic de arbore vitæ paradyſi dicere nos in præſentiarum, eſt quod notet nos ad vitam addere longitudinem,

cum

cum arbor illa vitæ ſit abſolute vocata, forte quia non erat unquam ceſſatura, quinimo Deus loquitur, ne forte mittat Adam manum ſuam, & ſumat etiam de ligno vitæ & comedat,& vivat in æternum. Conſtat igitur vitam eam, quæ per arborem vitæ potuit Adamo vitam etiam æternam reſtituere, non eſſe longam vitam de qua loquuti ſumus. Sed hæc eſt quam pius pater filio rebelli perdito reſtituit his verbis: Adam ubi es? potuiſſet enim prævaricantem morte jamjam devorandum reliquiſſe; quod ſi contigiſſet, admodum ſupererat Adamo vita brevis, quæ tandem adventu Domini prolongata fuit in vitam longam, ea ipſa eſt, de qua tractavimus. Reliquum modo fuerit ſequenti tractatulo videre, quid vita brevis,& unde ſumſit originem, à tertio Geneſeos capitulo facientes exordium.

Finis prioris tractatus de Luce natura vitaq; longa.

TRACTATVS ALTER

DE TENEBRIS CONTRA NATVRAM, ET VITA BREVI.

Sed & ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ.
& quæ ſequuntur.

PRIORI tractatu de natura integra, & in vitam longam reſtituta diximus, modo vero de corrupta poſt lapſum in vitam brevem degenerata nonnihil adferamus, & ſimul ea quæ ad ejus inſtaurationem atque medelam facere videbuntur. Naturæ ſiquidem per ſerpentem introducto morbo, lethalique inflicto vulneri quærendum eſt remedium. Quod quidem nos facere docet pius parens, & conditor miſericors Deus ad Adamum jamjam moribundum inquiens. Adam ubi es? In eo verbo ſolo, cum mentis, tum corporis omnis medela ſumſit originem. Mentis remedia ex verbo Dei pendent, per meditativam philoſophiam, ut ſupra, à quo petenda ſupernaturalia. Quæ vero ad medelam corporis idonea ſunt, ex verbo ſimul & natura fuerint inveſtiganda, non ut modo corrupta, ſed ut antea dictum eſt reſtituta ad ſimilitudinem primitivæ & incorruptæ naturæ. Qua via tamen id fiat, ex præcedentibus colligere eſt. Inprimis dicendum quid ſit morbus contra naturam in genere. Nihil aliud ſane quam defectio balſami vitæ naturalis, ob ſui fomenti defectum vel exceſſum. Balſamum vero vitæ, calidi naturalis cum ſuo radicali humido temperamentum eſſe dicimus.

Mundi vitam enim antea diximus eſſe naturæ lucem atque cæleſte ſulphur, cujus ſubjectum eſt firmamentalis humor æthereus & calor, ut ſol & luna. Haud ſecus in ſpagirica nobis conſiderandum, rerum omnium naturalium vitam eſſe lucem earum, in ſuo firmamento non impedite lucentem. Impeditur autem, ne libere clareque luceat per tenebras ſuorum elementorum, dum violentia quadam, & præter naturam firmamentum penetrant rerum, & præſertim in humano corpore, ac ſeſe luci permiſcent in iſtius obfuſcationem. Ex ſuperioribus didicimus, ordine divino cautum eſſe, ne inpoſterum luci naturæ tenebræ permiſceantur amplius, & in hoc interpoſitum eſſe firmamentum, quod arceat aquarum inferiorum tenebras, eaſque retineat intra ſuos limites. Haud ſecus admonemur ut agamus in mundo minore. Curandum utique ne in ipſo id quod vetat ordo naturæ eveniat, inſtaurandum cumprimis hujus firmamentum, quo ſuorum elementorum tenebræ ſuo loco cohibeantur, coganturq; manere: ut ſi fortaſſe luci ſuæ quandoque fuerint permixtæ, pellantur facta diviſione ſuarũ aquarum corruptarũ à ſuperioribus incorruptis. Sed enim quo medio id fieri valeat, in ſuperioribus aperte ſatis declaravimus. Quid obſtabit quin luculenter intelligamus hoc diviſionis & moderaminis medium eſſe roborandum, & inſtaurandum ſibi ſimili, ſcilicet incorrupto medio ſumto, ac ſeparato ab aliquo naturali corpore maxime apto, & idoneo, impuris elementis prorſum abjectis una cum ſuis tenebris. Non quod iſta ſint penitus inutilia, verum apta minus, quam ut poſſint aut debeant, niſi latius cum alijs ſumme præparata, ad intrinſecum uſum abſumi: Ad extrinſecum vero, à ſuis etiam tenebris purgatiſſima, chirurgis præ cæteris omnibus ſunt aptiſſima remedia, ut ſervetur naturalis ordo ſimilitudinis, quo docetur paſſim ſimilia ſimilibus eſſe applicanda, ut corporea corporeis, & ſenſualioribus extrinſecus: item extrinſecis & vitalioribus vitalia. Si ergo morbus vitæ ſit, propter corruptionem elementorum, ſucceſſivus interitus: quis non judicabit vita ſolum opus eſſe ad retinendam vitam, & non illis quæ, quia corruptionem facilime admittunt, pariter & vitam adimere poſſunt, ut ipſa ſunt elementa? His igitur diviſis per ſeparationem, purum ab omni corruptione liberum, ſuas etiam vires exercere libere poterit, & non impedite in quodvis corpus agere, cui fuerit inditum. Ut tamen illi magis ac magis videant qui tam atrociter in ſpagiricam artem ſævierunt hactenus, qua ratione id fieri queat, etſi ex præcedentibus intelligi poſſit; ne tamen de obſcuritate tractationis in hac arte, conquerendi, ſi non habeant, ſibi nihilominus faciant anſam: naturæ primam arcam oſtendere decrevimus, de qua ſpagiricum artificium olim prodijt in lucem: Deo prius invocato, ut clavem ad eam reſerandam, iis duntaxat commu-

communem eſſe faciat quos ad arcana ſuæ filiæ naturæ videlicet dignos cenſere voluerit. Sinceriores viri bonæque voluntatis homines ſecum & cum alijs omnibus in Deo pacem habentes, illuſtrati luce ſupernaturali, naturalem ſuis contemplationibus aſſequuti ſunt ad hunc modum. Inprimis opificij divini conſiderarunt ordinem atque progreſſum ex Moyſis narratione. Tandem afflatu divini ſpiritus hominum pios conatus omnes adjuvantis, ad imitationem ejus, quantum fieri licuit, ex Deo in utilitatem humani generis ſeſe totos contulerunt: non ſine tamen plurimis ad Deum prius directis invocationibus, ut dignum tandem teſtimonium habentes de non læſa hac in re divina Majeſtate, rem aggrederentur felicius, ad honorem & gloriam ejus cui ſoli ſumma cum laude cõveniunt. Ex arca igitur naturæ qualibet, præſertim ea quæ præſtantiſſima videretur ad quæſitum opus perficiendum, aquas inferiores à ſuperioribus diviſerunt, id eſt elementares à firmamentalibus, idque per ignis exterioris miniſterium tanquam per inſtrumentale medium. Iſtas vero ad firmamenti cælici naturam adduxerunt, calore digeſtivo rotationis, uſque dum, ſi quid ex elementaribus eſſet reliquum, diviſum accederet iterum ad elementa ſua, ut in iſto rei firmamenti lux appareret ejus puriſſima, unitatis & ſimplicitatis naturam induta. Hac paſſim uſi fuerunt, ad medelam omnium quæ ſub cœlo reperiri poſſunt excellentiſſimam, puriſſimam, atq; ſimpliciſſimam, tantæque virtutis, ut cuncta in humano corpore inæquata, per ipſam ad iſtam temperiem redacta fuerint, ut pro miraculo viſum & exiſtimatum ſit ab omnibus. Quid mirum? cæli virtus & firmamẽti, prout ſupra narratum eſt ſæpius, rebus eſt naturaliter inſita ab initio ſuæ generationis, quando formam acceperunt ſpecificam, potentia nihilominus ſub univerſali degentem. Cæterum inferiores aquas à dicta diviſione reſiduas congregarunt in locum unum, ſua quam vocant ſtillatione, ut apparuerit arida: hoc artificio ſepararunt maria rerum à ſua terra. Sub iſtis itaque duobus elementis latitant alia duo, aer ſub aqua, & ſub terra ignis & ſub his omnibus tenebræ, quas etiam per ſeparationẽ amoverunt ad hunc modum. Ignibus torrendam primo terram exhibuerunt, & proprio ſmegmati, etiam igne repurgato, poſtmodũ abluendas, aut alieno tantiſper, dum quatuor, quæ dicta ſunt elementa coactæ ſint in unum corpus diaphanum & clarum, à ſuis tenebris omnino repurgatum; quod alcali rerum vocavit Paracelſus. Hujus uſus in chirurgia potiſſimum fuit antiquioribus ſpagiricis medicis frequentiſſimus, ad ulcera quævis & vulnera proſpero admodum ſucceſſu, præ cæteris alijs omnibus. Ad intrinſecos tamen uſus nondum idoneum, uſq; dum multo majore induſtria cum alijs ſui generis mortificatum ſit, ac tandem ſuo tempore in præſtantiſſimum pharmacum potulentum

etiam

etiam revixerit,nectaris inſtar divini vivificum. Summum hoc eſſe dicunt arcanum in rerum natura,ſummaque naturalis ſapientia,ad quam phyſicus omnis aſpirare deberet,omnibus Græcorum infidelium ſomnijs,atque figmentis à tergo relictis. Verum enim vero ad iſta feliciſſima loca non alia quam per ſpagiricam artem patet aditus. Etenim clavem fabricare docet,qua naturæ ſeras,& arcas quaslibet reſerare licet omnes in genere & in ſpecie,ſine qua etiam nihil perficitur arduum aut præclarum ex arte naturalis ſapientiæ,id eſt,veræ Phyſices. Proinde nōn merentur dici Phyſici, neque medici, quotquot ſpagiricam artem ignorant: quanto minus digni his appellationibus qui calumnijs in eam invehuntur, ac illius veros profeſſores odio perſequuntur multa cum invidia. Quid illis prodeſt ex ſuperficie tantum res cognoſcere naturales, niſi quod in iſtis latet ex centro pariter diſcant, cum ſcire,tum experiri?

Cadaverum anatomia ſcholæ medicorum hactenus delectatæ ſunt. Cur non etiam anatomiam corporum naturalium arte ſpagirica per ignem,& non per novaculam profeſſi ſunt? ea ſiquidem humano generi longe eſt utilior magiſque neceſſaria. In cadavere porro quid præter mortem quærimus? Atqui in anatomia ſpagirica contra, nil niſi vitam invenire licet. Locationes, ſitus,& cohærentias partium in humano corpore rite probeque cognitas habere,quamvis arduum ſit in medico (ut ingenue fateamur attamen longe glorioſius ei fuerit,deficientem vitam vita ſana & longa inſtaurare, quam dislocatum aliquod membrum ſuo loco reſtituere. Nec aliter eos errare hac in re judicamus, quam quod pro minimo maximum relinquant. Et quamvis unius obliviſci minime deceat eorum, alterius tamen non immemores eſſe oportuit, quod maxime videbatur neceſſarium. Summatim,quis ingenio præditus,& ſagaci mente dotatus,non videt ſpagiricam artem ex penetralibus naturæ prodiiſſe, per contemplationem divinorum operum in Geneſi, & non ex opinionibus aut fallacijs hominum? Si pariter ex eadem Geneſi deduci queat ſcholarum infidelium Phyſica,hactenus palam atque publice lecta, digna ſane videbitur quæ cum eo quam profitemur locum habeat. Sin minus, quid eſt cur nos Chriſtiani prophana magis quam divina percipere debeamus?

Hactenus quæ de morborum,& medicamentorum origine diximus obiter tranſcurrendo, paulo fuſius clariusve repetere maxime fuerit opportunum,quo magis ac magis lectorum memoriæ conſulamus,& ingenio, in re alioqui per ſeipſum ſatis difficili, ni ſæpius innovetur. Antea diximus naturæ ſanæ & incorruptæ per ſerpentem illatum fuiſſe morbum ad mortem, quo non laborabat priuſquam lapſus eſſet Adam. Sequitur inde morbum eſſe

præter

præter naturam, & ejus finem aut exitum eſſe mortem etiam rerum naturalium. Colligimus enim ex ſacra Geneſi, ſerpentem introduxiſſe in primum parentem naturalem duplicis mortis occaſionem, mentis & corporis videlicet: quanquam ſtatim à commiſſo peccato non interijt, nihilominus obnoxius utrique factus eſt. Ut etiam non eſt peccatum illico ſubſequuta mors, ſic etiam initium morbi corporis non ita cito fuit in prævaricatoribus evidens, ſed ſucceſſivè tandem in exitum ſuum abijt ſuo determinato tempore. Nonne videmus in ſua poſteritate ſemper magis ac magis vitæ vires defeciſſe, ut hac tempeſtate decàdes decadum in hominum ætatibus vix etiam ad decades pervenerint, imo vix unus detur, qui tot vitæ ſuæ denarios annos compleat, quot centenarios antiqui patres ſupervixerunt? Annon idipſum pro morbo hæreditario reputabitur, ad exemplum vitæ longæ & vitæ brevis? Etenim argutus ille calumniator non ceſſat ab incepto; quinimo in has horas homines ad inordinatæ vitæ genus omne vehementiſſime ſollicitat. Quo fit ut parentes indies magis ac magis debiles facti, ſibi ſimiles fœtus progignant auctioriſque infirmitatis. Qui quidem poſtmodum (ex propria nimirum quiſque ſuæ vitæ petulantia nedum in ſeipſis, verumetiam in ſua poſteritate pullulandi propagandique dederunt occaſionem, ut ex uno ad alium, quæ longa fuit olim ſanaque vita, tranſiit paulatim & ſucceſſivis incrementis, in breviſſimam, eamq; corruptiſſimam. Haud alio credendum aculeo ſerpentem introduxiſſe hominum utrique vitæ mortem, quam per petulantem, titillantemque inobedientiam, qua reluctarentur, uti ſubeſſe divinis præceptis, non ſecus & naturæ legibus. Hæc eſt potiſſima radix, quæ tenebras elementorum commovet, armatque tenebris exterioribus: ad bellum gerendum luci firmamentali rerum naturalium, ut ſi qua poſſint, vetitam a Deo permixtionem inferre, poſtmodum intemperiem, deinceps morbum, & ſucceſſivè mortem valeant. Ut igitur iſtis machinationibus à ſerpente ſatis contra nitamur obſiſtere, extrinſeco nobis firmamento eſt opus, quod elementorum noſtri corporis tenebras intra ſuos limites contineat, & ejusdem lucem tueatur ab inſultibus. Quod & quale ſit ejusmodi remedium, & quo debeat artificio parari, dictum fuit. Verum quod ex naturæ penetralibus ſit petendum, non ſine clave reſerantur capſulæ naturales, & præſertim mineralium atque metallorum. Nam ut adverſarij noſtri loquuntur, iſta ſunt à natura tam admirando compacta vinculo (& præſertim aurum de quo gloriatur ſpagirica) ut nullis ignibus cedere videatur, imo flammis vivacius validiusque reddi. Tantum abeſt (inquiunt) ut chemiſtæ polliceri ſibi debeant ignem eſſe clavem aurum reſerantem, quem potius claudentem experiuntur. Subſcribemus eorum opinioni tantiſper, ut falſo credant

nos

nos hiſce frivolis argumentis ſuccumbere. Mox inde ſubjungamus quod eos prorſum à fruſtranea ſua ſpe dejiciat. Diximus antea ſuperficiales phyſicos aliud nihil intelligere, præter hoc ſolum quod eis verſatur ob oculos. Quo fit ut non videant alium ignem quam & ipſi ruſtici puerique ſimul cum ipſis vident, & quo paſſim utuntur fabri, mechanici, & id genus hominum. Fatemur (inquam) nullis ignibus aut flammis elementaribus obnoxium; contra quidem aſſerimus ipſum artificiali chemicorum igni ultro ſeſe dedere, ac nihil magis in rerum natura quam ipſum ignem appetere, in quem etiam ſeipſum transfert, atque ſummo gaudio convertit ſine controverſia. Etenim aurum ipſum totum eſt ignis, ac ſimilis ei per quem diſſolvitur, non in hydrargyricum liquorem (ut nonnulli putant) non per chryſulcam, ut nobis perperam obtrudunt adverſarij, ſed in & per ſuccidam, transparentē ac fluidam ſubſtantiam rori cæleſti perſimilem. Cum igitur clavis hæc tam ſtrictè compactum corpus à natura reſerare valeat, alia non erit opus ad reliquas naturales arcas aperiendum. Structura clavis iſtius paſſim habetur in omnibus fere libris philoſophorum, ut non ſit opus ad fabricam ejus exponendam verba facere, ne ſæpius dictum ad nauſeam repetere dicamur. Quid multis? manifeſtior eſſe non poteſt, quam ſi vobis à naribus propendeat, ac in os delabatur. Repetamne clarius: unarius eſt ab unitate poſitus in rerum natura, qui per amotionem binarij, ſuum ternarium ad unitatis naturam adducit: tum demum fit potens ad omnem arcam reſerandum. Sed quod dubitem ea vobis adhuc ſatis obſcura, ſi velim quam fieri poteſt aptiſſime declarare, prius quid binarius ſit, aliter quam antea, definire eſt opus, alioqui ut decet intelligere non poteſtis, benignas igitur ac pias aures arrigite. Sciendum utique binarium eſſe duplicem, utpote naturalem, & contra naturam. Naturalis binarius à Deo eſt per diviſionem in Geneſi ſuperiorum ab inferioribus ortus, & qui ſub unitatis vinculo concluſus ternarium efficit, quum in unitatem redeundi ſit aptus. Binarius vero contra naturam, idipſum eſt quod nedum naturæ, ſed Deo primum inimiciſſimum, cuncta quæ creata ſunt perdere conatum eſt olim: hæc eſt radix morborum omnium & interitus, quandoquidem ſub nullo vinculo cohibetur, quin potius eſt primum divortium, nexum pacis & concordiæ ſolvere ſollicite procurans, nedum in ſupernaturalibus ſed etiam in creaturis naturalibus omnipotentis Dei conditoris omniū, ut patet in ſequētibus. Porro poſtquam altiſſimus Deus angelos ſuos, & ſuæ gloriæ miniſtros creaſſet ſub unione ſuæ pacis & concordiæ, ſurrexit acceſſorio caſu hominū intellectui minime cognito, primas inter creaturas, binionis atque dualitatis inimica Deo confuſio, quæ per aſſumtam multitudinem diſſenſionis, cōtrarietate ſuffragante, crea-

tam in ternario imaginem unarij, in binarii conditionem omnium miſerrimam allexit. Qui quidem binarius ex angelo diabolus & calumniator per ſeipſum factus, vel ſolo cogitatu, hoc videlicet, ut ſeſe monarcham efficeret, aut æqualem, aut Deo ſuperiorem. Verum non citius ab illo conceptum hoc fuit crimen læſæ divinæ Majeſtatis, quam dejectus è cælo binarius, una cum ſuis complicibus extra lucem in tenebras exteriores decidit, mortiſq; perpetuæ pœnas dedit abſque tormenti fine. Quo melius rem ipſam declaremus, rationem circini producamus in medium, cujus pes unus comparatur centro, tanquam fundamento fabricæ; pes alter vero circumferentiæ, comparatur delineamentis, & circumſcriptioni totius machinæ. Cum igitur angelus reprobatus, ſummum creatorem Deum in univerſi productione conaretur imitari, conſideretur proprium ſibi circinum fabrefeciſſe in animo perverſo. Verum enimvero ſuper aliud centrum fabricare coactus eſt, quod centra duo non conveniant in una monarchia, neq; duæ circumferentiæ. Hac de cauſa binarius merito vocatus, quia unitatem & veri centrum vel monarchiam ad multitudinem adducere numeri conatus eſt, aſſumptoque centro falſi duxit circumferentiam uſque ad medietatem, quo cum perveniſſet, circumferentiæ pes in alterum centrum fixus eſt, & aliam priori ſimilem circumferentiam mediam nihil concludentem, ſed interruptam falſi figuram præ ſe ferentem, interſectione cum altera delineavit. Unde brutalis beſtiæ, ſerpentisque incurvati ac duplicis effigies, cornua quatuor erigentis in cælum, & contra veri monarchiam erepſit. Perpetrato crimine hoc radice malorum & vitiorũ omnium, cecidit iſtud regnum in ſeipſum diviſum una cum ſuo principe Lucifero, ſuisque legionibus commilitonum. Non eſt ergo quod miremur, ſi Deus in creatione mundi Geneſis die ſecundo non dixit, ut alijs quinque diebus, hoc verbum ſcilicet: Vidit quod bonum eſſet, ob numeri primordium, ex quo multitudo ſumſit originem confuſionis, diviſionis, & controverſiæ per binarium contra Deum & naturam. Non ideo (ut ſupra diximus) duo ſemper eſſe damnanda aſſerimus, modo tamen in unione perſiſtant, uti duo in carne una; ſed quoties diviſa fuerint in binionem, id eſt, bis unionem efficere volent contra monarchiæ naturam, cum binario eſſe reprobanda, una cum ſua prole quaternaria monomachiæ, vel potius quaternario, vel variato quadricornio, ex bivariato generato. Quoties igitur duo vel plura pacem obſervant in unitatis veritate, bene conſtitutam eſſe dicimus duernionem, & non dualitatem. Non ita de binione vel bis unione cenſendum, quia non debent, nec eſſe poſſunt duæ uniones, ſed una tantum, ut non niſi Deus unus, & non plures, neque pauciores. Ternarium etiam nolumus interpretari ternarium, quia proles eſt & fœtus

unarij,

unarij, qui nunquam variavit ab unitate, quod fecit binarius. Ut nos tandem animum recolligamus ad ea quæ propoſuimus dicere. Auditum eſt nuperrime, binariam illam diviſam monomachiam, cornua quatuor erexiſſe partu binarij procreata. Hæc legerunt ſibi ſapientes infidelium medici pro fundamento ſuæ medicinæ, quo diſtraherent medicam unionem, & in quatuor partes lacerarent, & hoc ipſo diabolum duplo ſuperarent, qui tantum in duas partes unionem ſeparare ac divellere, (ſed fruſtra) conatus erat. Exemplo patet, cum ex unico humore quem Deus creare eſſeque voluit, quatuor humores ſtatuerunt male cautis & non mente ſanis hominibus perſuadere. Mirum cur magis quatuor humores eſſe debeāt, quàm quatuor ſiccitates, quatuor calores, & totidem frigiditates, item quatuor terræ, quatuor ignes, quatuor aquæ, & quatuor aeres, & inde quatuor mundi. Miranda & abſurda confuſio, qua infideles veritatis omnis ignari, nos Chriſtianos veri ſectatores ad ſuam inſaniam, ſi potuiſſent, attrahere conabuntur miſeri. Nonne videbant quocunque ſe vertiſſent, nihil præter inquietudinem animi (ut etiam eorum plerique faſſi ſunt) certi nihil, veri, ſtabilisque reperire poſſe, de quibus apud Apoſtolum, ſemper ſtudentes, & nunquam ad veritatis cognitionem pervenientes, quod uniti nihil in ſuis ſtudijs, ſed contraria veritati cernantur omnia? Argumento eſt ſuæ medicinæ maxima, qua docent Contraria contrariis eſſe curanda. Quid aliud hoc eſt, quam fateri ſe natos ex falſi binario, qui radix eſt omnis contrarietatis? Quid etiam Diabolum contrariorum patrem contra ſeipſum agere exiſtimant? Ipſe eſt qui contrarietatem in naturam introduxit; qua ratione putant iſti Doctores diabolum tam amicum naturæ factum, ut tandem ab ea removere velit, quod potius propria ſua conditione adaugere ſummo ſtudio procurat? num æque ſtupidus eſt atque illi qui talia docent? Serpentis enim prudentia in malum, & non in bonum confirmata eſt, ut etiam etſi velle poſſet homini prodeſſe, nunquam valeat. Siquidem omnipotens Deus non vult homines curari per diabolum, ſed per veritatem ac virtutem, quam ipſe in hanc rem condidit in rebus naturalibus ad unionem, id eſt, ad medicinam adductis. Quapropter mendaces doctrinæ ſunt hominum, quæ bellum bello pellere, & ignem igne docent extinguere, diabolumque diabolo propulſare: iſta namque contra ſententiam infidelium etiam pugnare videntur, quia non ſunt contraria, ſed omnino ſimilia. Dicet argutulus ſpagirorum ſententia hæc eſt, ut ſimilia curentur ſimilibus. Siccine rem intelligitis, ut non videatis differentiam inter curationem & expulſionem? Non curantur morbi, ſed morborum ſubjecta, quæ ſua natura priuſquam ingrueret morbus erant ſana. Si ergo ſanari debeant, ſimili ſano fieri neceſſum eſt. Si tamen pellendus eſt

dus eſt

lus eſt morbus,non ſimili, quia incrementum adderet, ſed contrario nimirum ſano. Stulte igitur loquutus quiſquis ille fuerit, qui contraria contrariis eſſe curanda ſtatuit. Sanius prudentiuſque locuiſſet ad hunc modum: Similia ſimilibus curanda, & contraria contrariis pellenda. Non perceperunt ingenio, morbos non curari,ſed morboſas partes,quæ ſuapte natura morboſæ non ſunt, niſi quatenus ad tempus obſeſſæ morbis. Concludendum igitur infideles ejusmodi Doctores doctrinam ſuam hauſiſſe ex falſi binario, cui etiam quadricornem beſtiam genuerunt humorum,ſuaſu quadricornuti binarij,cujus nomina cornuum ſunt, ambitio,brutalitas,calumnia,& divortium: quæ quidem exponeremus juxta ſuam ſibique dignam interpretationem, niſi ad alia nobis accelerandum eſſe videremus. Sed brevitatis ergo prætereuntes,ſuo loco temporique reſervamus: erit namque nobis, ut video,propter hæc,& alia multa, pugnandum. Quoniam tetigi diabolum,& ſuos,ulcusque aperui malorum. Interea ab incepto non eſt nobis deſiſtendum, quod pro phyſica & ſpagirica veritate digladiamur. Cum igitur ſummus conditor Deus videret quos crearat angelos ab unitate defeciſſe, providentia bonitateque ſuis,ternarium vel microcoſmum ultimam ſuam creaturam condere ſtatuit,& in locum ſubſtituere dejecti è cælo falſitatis auctoris & apoſtatæ binarij Quod percipiens miſer ille diabolus, videns jamque eſſe in propatulo qui beatitudinis ſedem,è qua fuerat ejectus, aliquando eſſet occupaturus, invidia quadam innata captioſisque ſophiſmatibus, hominis debiliorem partem aggreſſus eſt femineam, pomumque vetitum, & inobedientiæ radicem in iſtius monarchiam jaculatus fuit. Quo quidem ab una parte duntaxat laceram (non tamen ita diviſam quin medio cohæreret adhuc)ad mortis latam viam adduxit ſub omegæ faciem, ac pomum perditionis panem in duas partes diſtribuit,ad fœminæ mariſque ſeductionem.

Proinde notanda qua via ſibi fecit calumniator ille ſerpens in monarchiam humanam aditum,& irrepſit miranda quadam aſtutia. Scivit enim, ut omni aſtutia plenus, Adamum unario inſignitum, hac de cauſa primum non eſt aggreſſus, dubitavit nimirum ſe nihil efficere poſſe: item non ignoravit Evam à viro ſuo diviſam tanquam naturalem binarium ab unario ſui ternarij. Proinde à ſimilitudine quadam binarij ad binarium,& multitudinis ad mulitudinem armatus, in mulierem fecit impetum. Sunt enim omnes numeri pares fœminei, quorum initium duo ſunt, Evæ proprius, & primus numerus. Atqui numeri omnes impares maſculei, quorum fons & origo eſt ternarius Adamo proprius: hic numerum nullum,neque multitudinem primo & immediato inſultu diaboli potuiſſet admittere, quia proles eſt unarij. Quare

diabolus,qui binarius eſt contra naturam,primo binarium naturalem aggreſſus eſt. Jam demum conſideremus unde proceſſerunt errores in medicina, & corruptiones omnes in reliquis philoſophicis profeſſionibus. Nemo ſanæ mentis negabit, ex pane morſuque vetiti pomi, hæc ipſa per ſerpentem falſi binarium in microcoſmum vel ternarium irrupiſſe. Non poteſt ergo tolli morbus à ternario per binarium, neq; per ejus prolem quaternarium, ſed per unariū ſolum,ternarium ad ſuam ſimplicitatē & unionem revocantem, abjecto pulſoq; inimico binario. Et quamvis diabolus ternarij monarchiam pomi jaculatu ab una parte lacerārit, effeciſſe tamen haudquaquam potuit, ut in duas partes à ſe mutuo disjunctas diſtraheretur. Alioqui niſi reſtitiſſet illa partium cohærentia,ea parte qua calumnia ſecluſa fuit à reliquis cornubus, periculū imminebat deſperabundæ reconciliationis cum Deo ſuo. Nam ſi tantū præſtare potuiſſet calumniator,ut pariter hominem Adam ad calumniam in ſuum creatorem traxiſſet, qua ſolitus eſt ipſe in Deum & ſuos uti,exiſtimabat actum eſſe de homine. Verum miſericors Dominus noluit eatenus hominemvirum ſibi reddere inimicum,ut quanquam exutus omni ratione & vera ſapientia, in tantam ingratitudinem prolaberetur. Tantum fugit à facie Domini brutalitate quadam imbutus, quia putavit latere poſſe eum,qui nuſquam non præſens eſt. Faſſus tamen errorem ſuum, ſtatim ſine cunctatione, cognovit ore coram domino ſuam nuditatem : exemplar nimirum primæ pœnitentiæ: non quod propter hanc conſequutus ſit miſericordiam, nondum enim audierat dulciſonum hoc verbum Domini ad ſerpentem: Semen mulieris conteret caput tuū. Quid quæſo hæc omnia ſibi aliud velle videntur, quàm Dei miſericordiam erga hominem ob oculos mentis noſtræ proponere,ut meditemur eam dies & noctes, eo ſtudia noſtra prius dirigentes,quo pervia nobis eſt omnis in omnibus ars atque ſapientia?

Poſt lapſum igitur prima hac omnium promiſſione ex ore proprio Deus ratificare voluit quicquid per ſuos prophetas erat in futurum promiſſurus, & effectu poſtmodum in filio præſtiturus. Ab eo momento igitur Adam à Domino libertati donatus & emancipatus,à ſervitio diaboli ad ſuam monarchiam eſt reſtitutus, excepto ſolum radicis pomi tantillo reliquo,propter quod monomachia tantiſper nobis exercenda eſt,dum in corruptibili hoc domicilio morabimur. Ut rem clarius intelligamus ejus reſidui pomi,eſt quod circinum à binario per imaginationē fabrefactum latius examinemus. Nuper auditū eſt,imaginarium hoc inſtrumentum,unà cum fabro ſuo dejectum è cœlo in tenebras exteriores: hoc ipſum indies adhuc in manus reſumere nō ceſſat calumniator, quo monomachiam in noſtris imaginationibus contra Deum &

nos

nos crudeliter exerceat, ut nihil non perturbet, ſi quandoq; boni quidpiam contingat meditari cupere nos ad exercitium emendatioris vitæ, lolium immiſceat, & ab omni bona frugiferaq; cogitatione divellat inq; vanas præcipitet. Hoc eſt pomi reliquum in nobis, per quod monomachia ſua nos exagitat falſi binarius, ſed fruſtra. Quandoquidem invicta & inſuperabilis DEI poteſtas (contra quam nulla violentia, nulla tyrannis quicquam poteſt) animos noſtros corroborans virtute divini ſui ſpiritus, armat, protegit, atque tuetur, ne circini binarij machinulis irretiti unquā ſuccumbamus. Quin potius falſi machinatorem, architectum impuritatis, & inſtrumenta ſua toties à mente noſtra procul facit, ac relegat in foveā confuſionis atq; perditionis æternæ, quam ſibimet fodit quoties artes ſuas & technas dirigere nititur contra monarchiam noſtram, per imaginationes animis noſtris obtrudens, ac præfigurans illud malorum inſtrumentum falſi circinum videlicet. Cæterum novit, ob lapſum in quem nos traxit, injunctam eſſe nobis laborum pœnam, atque vultus noſtri ſudorem, ad acquirendum panem & neceſſaria victui & uſui. Proinde hinc occaſione ſumpta, in artes ſuas nefarias trahere nos nititur, quibus ea comparemus quæ minimè neceſſaria ſunt. Verum enimvero Deus contra nobis inſtrumenta propoſuit, quibus vult nos uti ad per noſtras artes parandum panem. Non quidem indiguit conditor altiſſimus Deus in mundi creatione aliquibus inſtrumentis, ut opificium ſuum in ordinem redigeret, ſiquidem nutu ſolo ac momento ſingula potuit perficere: niſi quatenus docere nos voluit eiſdem uti, quibus uſus eſt, numeris videlicet, menſuris & ponderibus, juxta quæ ſingulas actiones noſtras temporaneas, artium & ſcientiarum normas ordinaremus, & renunciaremus binarij calumniatoris inſtrumentis atque imaginario circino. Reliquum erit ut conſideremus qua via quibusve inſtrumentis, lacera noſtri ternarij monarchia ſit ad unitatis ac ſanitatis vitæ longæ priſtinam integritatem reducenda. Primum omnium ad veri centrum increatum, & univerſi creati centrum animum advertamus, in quo numerus, menſura, pondus, & omnis ſapientia latet. Vera igitur medicina, qua lacera noſtri ternarij monarchia (quod ad ſpiritū attinet) fuit reparata, veri centrum eſt: non ſecus atq; medicina corporis, centrum eſt univerſi creatum. Quæ quidem non duo centra, ſed unicum, uti ſpiritus & corpus hominis unicus homo. Diverſis tamen reſpectibus, ob diverſa duntaxat, quibus aſſumuntur, animo diſcernenda, tanquam increatum & creatum, quæ à Deo ſub unione concluſa ſunt. Rejiciendum eſt igitur imaginarium illud centrum binionis, à calumniatore poſitum, ut ternarius ad verum unarij centrum, & ad priorem monarchiam à monomachia liber, adepta victoria per ſuum redemptorem adducatur. Diximus

 antea

antea non poſſe in unica monarchia plura centra eſſe, niſi ſub unione facta ſint unum, neque pluribus circumferentijs unicum includi ſpatium. Hæc de medicina contra ſpirituales ægritudines: jam ad corporalem illam & phyſicam eſt veniendum, ut ejus quaternarius cum ſuo ternario, per copulam unionis ambo ſimul conveniant in ſeptenario. Quaternarius enim adſcribitur ut binarius materiæ, ob elementa quatuor quæ naturæ materiam univerſam exhibent, uti cœlum eidem præbet omnem formam, & actionem in dictam materiam. Morbus itaque eſt impreſſio mali, per actum centri falſi in corpus, ad paſſionem actioni ſimilem, diſpoſitum. Ex adverſo medicina eſt repreſſio mali, per actum veri centri & univerſi in corpus, quo diſponitur ad paſſionem actus ejusmodi ſuſceptibilem. Cum igitur ex unica radice morbus omnis, ex una radice pariter omnis medicina progreſſum habet: ut ex binario confuſionis atque diſcordiæ multitudinis origine, ſiquidem hac in monarchiam irrupit morbus tam mentis, quam corporis, quapropter ex unario ſimplicitatis omnis medicina eſt. Quid quæſo generare de ſe poteſt unum aliud, præter ſolum ternarium unionis & omnis temperamenti ac ſimplicitatis ſuſceptivum, in quam nulla cadit multitudo, erga nulla contrarietas? Rurſus quæ fatuitas fuit, infidelium medicinæ fundamentum ponere quaternarium, cum proles ſit binarij? Oſtendant nobis infideles quomodo poſſint eſſe rerum plura principia naturalia. Interim ad inſtaurationem laceræ monarchiæ redibimus. Summa virtus itaque & immenſa bonitas inviſibilis centri ac indiviſibilis, tantæ eſt efficaciæ, ut omne quod ſibi conforme ſimplicitate fuerit ac rotunditate, ad ſe trahat. Quo factum ut homo, qui ad ſimilem ab initio creatus eſt imaginem licet in ea non permanſerit olim, nihilominus, ubi deperditam ſanitatem corporis & mentis recuperare volet, ad amuſſim ſtudeat centrum cognoſcere ac ſcire, eoque ſe totum conferat, & centrum liberabitur ab omnibus imperfectionibus & morbis, ut ad prioris monarchiæ ſtatum reſtituatur: ablatis atque deletis quatuor cornubus, cum mētalibus, tum phyſicis. Quæ binarij cornua quatuor melius ut intelligamus, nuperrimè dictum eſt, diabolum iſta in cœlum erexiſſe decidens ac dejectus ab eo, nec non illa poſtmodum in mentem humanam infigere conatum fuiſſe, videlicet ambitionem, brutalitatem, calumniam, & divortium. Fruſtratus tamen ſua ſpe pro parte calumniæ, quam infigere nequivit in Adamum, tria tantum lethaliter intruſit, mutatis nominibus duntaxat, uti ambitionis mentalis, in ardorem morborum corporis: brutalitatis, in bullitionem liquorum ejus: & divortij in diſſolutionem temperamenti præcedentium. Calumniam voluiſſet in omnimodam iſtorum cōſumptionem adducere, non permiſſum eſt illi

tamen

tamen invertere naturam à ſuo temperamento: hæc vero aliam non admiſit unquam temperiem præterquam in tribus, ut in calido naturali, quod eſt organum vitæ: in humido radicali, quod fomentum eſt illius: & in luce naturæ, quæ ambobus temperatam vitam exhibet ac longam. Iſta, per naturæ lucem illuſtratus ſupernaturalem Paracelſus, didicit experimento ſe ad hunc modum habere. Proinde calidum naturale vocavit ſulphur & naturæ corporeæ lucem: humidum radicale Mercurium vitæ corporis: corpus vero vocavit balſamum vitæ corporeæ, ſalque lucidum ac diaphanum. Atqui per binarium inquinata, ut diximus, appellavit his nominibus, quando morbos introduxerunt per binariam illam diſtractionem à ſua temperie, quod cornu divortij dictum fuit: videlicet naturale calidum recedens à ſuo temperamento, ſulphur vel urens adustū cætera conſumens ac devorans, ut eſt à ſuis morbis quod efficit evidentiſſimum: humidum radicale pariter devians ab unionis temperie, Mercurium congelatum vel ſublimatum: item balſamum vitæ non perſiſtens in ſuo ſtatu naturali appellavit ſal reſolutum. Cauſæ autem ſolutionis temperamentorum & inde provenientes morbi, alibi dicenda ſunt. Proinde ſi locum dare quatuor binarij cornubus oporteat, ex infidelium ſententia, nuſquam eſt quo ſe recipiant præterquam in elementa. Atqui in ſuperioribus naturæ partibus æthereis, nullus eſt ipſis locus, quod etiam priore tractatu clarè ſatis liquet. Ut igitur laceram ternarij noſtri monarchiam in omegæ formam diſtractam, finem vitæ notantem, tribus ejus deletis cornubus, utrinque ſublevemus in alphæ principij vitæ reſtitutæ longæ, loco perpetuæ, figuram, ad eum nos convertamus, qui dixit: Ego ſum alpha & omega, principium & finis: ipſe nos docebit alia via gradiendum, cum in ſupernaturalibus, tum etiam in naturalibus, quam per labyrinthum infidelium, ad morbos omnes a nobis propellendum. Ipſe namque principium non habet, neque finem: ergo hæc verba in noſtri doctrinam de nobis tantum intelligere nos voluit, ac de omnibus quæ propter nos creavit ac fecit, ut in eo ſolo noſtræ vitæ ſanitatis & felicitatis initium & finem agnoſceremus, ad ejus gloriam primum, & noſtri ſalutem tendere. Cæterum etſi ad initium prioris ſtatus, monarchia nobis per Chriſtum reſtituta ſit, ne tamen ejus tantique beneficij unquam eſſemus immemores, pomi lacera ſemicircumferentia, monarchiam noſtram adhuc interſecare percipitur, monomachiamque ſuam exercere contra nos, cum in animo, tum in corpore, dum in caduco verſabimur, ut ab alphæ nota patet, in qua circulum interſecat arcus, uti ſemicirculus integrum. Ternarij igitur animi ſive mentis medicina, eſt increata unitas ex increato veri centro data: Corporis vero medicina creata eſt unitas, ex univerſi creati centro nata,

Unitas autem haudquaquam indiget medicina, quoniam ipſamet eſt ſanitas. Dualitas contra morbus eſt, qui nullatenus medicinam eripere poteſt, cum ad perpetuam condemnata mortem fuerit in binario falſi abſque miſericordia. Solus vero ternarius eſt is in quem cadit medicina per unarium, quia dignatus eſt gratia per eum qui ſolus eſt unus & miſericors. Quamobrem igitur infideles medicinam quaternario tribuant non videmus: condemnatus eſt enim una cum ſua radice binario, ex quo generatus ejuſdem conditionis atque naturæ cujus & parentes. Fructus enim ex arbore mala nequaquam bonus producitur. Ædificium itaque ſuum ſuper arenam ſtruere pergant, culmineque protegant, ventis nihilominus & fulmini Jovis obnoxio, dum nos in ſolidis petris ædificamus. Breviter, hoc eſt noſtrum fundamentum in medicina: Uti quidem longæ vitæ ſanitas per unitatem à Deo nobis data eſt, per eandem, & non aliter unquam, recuperanda Haud ſecus vitæ brevis morbus omnis, per ſolam Dualitatem ortum habet. Porro memini me ſupra vitæ longæ ſanitatis arborem plantaſſe ternario: reliquum erit ut examinemus quæ binario naturali plantata fuerat olim, & per falſi binarium ſupplantata ſit his ſophiſmaticis verbis: *Nequaquam* (nequaquam inquit) *moriemini* & quæ ſequuntur. Quatuor in cœlo planetis imperfectioribus, quatuor in corpore noſtro correſpondere volunt elementa, ut Saturno, Mercurio, Veneri, & Marti, terra, aqua, aer, & ignis, ex quibus conflatum eſt, & infirmum propter partium imperfectionem. Plantetur itaque arbor ex eis, cujus radix adſcribatur Saturno, per quam varius ille Mercurius ac Venus truncum & ramos aſcendentes, folia, floreſque fructum ferentes Marti præbent. Occurrit hic inter ſpagiricos & infideles medicos maximum diſſidium: quod hoc ponere loco viſum eſt, ut iſti videant illorum opinionem; exactè ſatis examinent ac omni ex parte viſitent, ſi quid inveniant auctoritatis ex luce naturæ quod eam labefactare queat, & Hermetem Triſmegiſtum una cum ſuis ſectatoribus reddere diſcipulum Hippocratis & Galeni; ſin minus, iſti fiant Hermetis diſcipuli. Non eſt quod partium alterutra ſuos ſcriptores adferat in auctoritatem ſuæ doctrinæ alioqui lis indeciſa perpetuo manebit. Solum auctorem ſtatuant medicinæ judicemque naturam, cujus etiam auctoritatibus ex ejus luce deductis inter ſe pugnent. Aggrediar interim opiniones tam unius quam alterius partis, quantum in me fuerit, deſcribere à ſupplantatione dicta, per falſi binarium elementis non ſecus atque æthereis introducta, & per verbum *nequaquam moriemini*. Infidelium opinio medicorum eſt, quatuor in humano corpore humores exiſteſtere, quos atram, flavamque bilem, ſanguinem, & pituitam vocant, ex quibus corpus phyſicum ſuum conſtituunt. Hac nimirum

ducti ratione, quod humano ſanguini de vena vel alio loco tracto, videant aquam ſupernatare, quam pituitam vocant: huic etiam flavi mixtum quid, & atri coloris aliud, judicarunt inde quatuor elementa conſtare quatuor humoribus, & ex iſtis corpus humanum: cum tamen ex unico humore, qui fuit aquarum inferiorum, Deus elementa ſegregarit, non in quatuor peculiares humores, ſed in unicum, & reliqua tria longe diverſa, & ab humore prorſum aliena forma. Quid mirum? cum ipſi manifeſtam ſolum ſectati naturam, occultæ penitus ſint ignari: non aliter de quibusvis rebus judicare poſſunt, quam ſuperficialiter. Verum non ita ſe res habet in occultioribus ut putarunt. Nunquid percipere potuerunt, corpus & ſanguinem eſſe duo diverſa corpora: prius quod alitur, & ex ſemine productum fuit: poſterius vero, quod alit ex potu ciboq; proveniens externis? Judicium igitur eorum eſt in alente, & externo corpore, non autem in eo quod eſt ſubjectum accidentium & morborum ſuſceptivum. Proinde cibis & potibus in ſanguinem & excrementa converſis medebuntur, potius quam indiſpoſito corpori naturali, accidentali cuipiam & excrementali. Si dicant nullam eſſe differentiam inter ſperma & ſanguinem, quod affirment ex iſto ſuperfluo illud generari: Negamus quod aſſerunt, nempe ſanguinem ut in venis aut alio loco hærētem, eſſe ſpermatis originem: inde ſequeretur abſurdum, videlicet generari corpus humanum ex liquidis tantum, & non ex reliquis etiam ſolidioribus membris, totumq; corpus generati ſanguineum eſſe, non carneum, neque oſſeum &c. Contra fatemur quidem ſanguinem à natura transmutari in alimentum ſingulorum corporis membrorum, ſed tum non eſt amplius ſanguis, nec formam ejus habet, ſed enim eſt abundans nutrimentum transformatum in carnem & oſſa, priusquam formam accipere valeat ſpermatis: item non etiam ex ſuperfluo quopiam, at ex potiſſima & maxime neceſſaria ſubſtantia ſingulorum corporis membrorum deciſum eſſe, alioqui membris omnibus completus non eſſet fœtus. Non eſt igitur prima ſpermatis materia, neq; proxima, ſanguis humanus (etſi remotiſſima) ſed hæc eſt membrorum omnium atq; partium facultatumve congregatum chaos in centrum unum intenſum, ad extenſionem ſuæ formæ. Rurſus ſanguis puriſſimus, à reliquis tribus dictis humoribus utriusq; bilis & choleræ ſemotus, quatuor in ſe continet elementa puriora & ſincera, quam ſint illa quæ ſuper ſanguinem apparent. Sed hactenus elementorum arbor ſupplantata eſt à falſi binario, quæ ad hunc modum reſtituitur: Radix ejus eſt ſaturnia & omnes ſolidiores partes. Succus omnis qui per radicem aſſurgit in truncum, ramos, frondes, flores, atq; fructus, mercurialis exiſtit. Calor & ignis qui ſuccum ejusmodi ſugens attrahit, partim eſt martialis, & partim venereus. Etenim

 à Marte

à Marte Venus, non magis quam aer ab igne ſeparari non poteſt, quod inter iſta duo ſit indiſſolubile conjugium. Nullus enim aer igne vacuus,& nullus ignis vires ſuas exercere poteſt abſque aere. Quare pro uno & eodem ambo ſulphure naturali haberi debent. Ab iſtis ergo tribus quæ dicta ſunt, morbos omnes in ſuum corpus phyſicum (quod ſpermatis eſſe dixerunt veri ſpargiri,& non alimenti) imprimi per tria genera generaliſſima conſtantiſſime docuerunt, cuilibet etiam generi ſuas ſpecies aſſignarunt. Haud ſecus igitur atque radix in terra,ut etiam rami ſupra terram, per truncum in varias extremitates dilatantur, Saturnus phyſicus & infirmus, varios ſuos morbos in humani corporis terram, id eſt, in omnes ſolidiores partes ejus imprimit,Mercurius etiam infirmus per truncum & ramos omnes in humanum liquorem ſuos morbos infundit. Et male ſanus Mars una cum ſua Venere phyſica,humanum ignem varijs flammis incendit. Hoc opus, hic labor eſt cuivis horum trium generum ſuas peculiares aſſignare ſpecies,ut vice verſa queat arbor infirmitatis vitæ brevis, in ſanitatis arborem vitæ longæ tránsmutari,de qua ſupra diximus.

DE DVELLO ANIMI CVM Corpore.

HActenus de peculiari medicina ſpagirica, quod ad corpus attinet. Cæterum quæ ſupra de meditativa medicina diximus,hoc loco repetere non erit incongruum, maxime quod faciant ad reſiſtendum ſerpentis cavillationibus & aſtutiis, quas in animum noſtrum exercet indies absque intermiſſione, per ſophiſticam ſuam interrogationem. *Quare*(inquit)*Deus prohibuit* & per calumnioſam reſponſionem: *Nequaquam*(ait)*moriemini.* Ne igitur,ut Eva,illi præbeamus aures,at occludamus non dignati diabolum alio reſponſo, quam dedit ei Dominus & redemptor noſter Jeſus: *Abi à me Satana*: quum igitur per cogitationes & imaginationes noſtras aſtute proruperit,viriliter expugnemus eiſdem verbis,quibus auditis loco cedere mox cogitur. Saturnus igitur infelix in mentem humanam imprimere conatur ignaviam, pigritiam,acidiam,& ſocordiam: item in corpus, terreos, graves, ac ſaturnios morbos: Mercurius in mentem, avaritiam, nequitiam,circumventiones,furta, & id genus alia: item in corpus aqueos & mercuriales morbos,Mars & Venus ambo ſimul in mentem infligunt Mars pro ſua parte,latrocinia,jugulationes, ſeditiones,homicidia, &c. in corpus igneos & ſimul aereos martiales. Venus concupiſcentiam,corporumq; turpem ſocietatem: in corpora vero aereos & igneos una morbos ac venereos. Contra fortunati bonas imaginationes imprimunt, ut ſi quando ſint feli-

cibus

ibus planetis comitati. Saturnus itaque in eo ſtatu bonam imaginationem & ſpeculationem, ob ſtudij gradum primum quem obtinet, nonnunquam adminiſtrat: per quas ad Mercurium fortunatum pervenitur, hic perceptionem juſti verique diſcrimen à falſo, cognitionis gradu, cui præeſſe dicitur: Venus autem fortunata, quia gradui præeſt amoris, pudicitiæ, caſtiq; dilectionem, & amoris honeſti nobis imaginem ob oculos depingit. Mars vero fortunatus vigilantiam, animum & audaciam ad reſiſtendum malis tentationibus addit. Non quod abſolute id faciant, quod ſolius eſt Dei, ſed mediate per ipſum ſic diſponente natura cæleſti, cui Deus hanc poteſtatem dedit. Non dubito quin hæc multis ridicula videbuntur, quod quo tendant non intelligunt. Verum addiſcant priusquam judicent. Rurſus tentabo ſi alia via poſſim eorum ingenijs inculcare. Septem ſunt humanarum inclinationum duces, totidem quoque ſunt comites, ut quisque dux ſocium ducem habeat & quinque comites. In univerſum ſunt iſti: Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna. Qui ducem utrumque habent propitium, & non reluctantes comites, fortunati dicuntur, & ad ſapientiam adeptam idonei: contra vero inepti, quibus iſta non contingunt. Si hujus aſtrononmiæ cupis aliquam habere notitiam, judicium à teipſo facias oportet, ut teipſum cognoſcas prius quam de alio ſis judicaturus. Saturnus itaque dux eſt omnium ſtudiorum univerſalis, & præſertim abditorum: Jupiter quidem religionum. Mars bellorum & controverſiarum: Sol regnorum dominiorumque. Venus amorum: Mercurius negotiationum, & mechanicarum artium: Luna autem conſtantiæ. Qui ducem habent Saturnum priorem, Jovemque ducem poſteriorem, Solem comitem primum, ſecundum comitem Lunam, tertium Mercurium, quartum Venerem, & quintum Martem, facile ad ſublimia ſcandunt. Contra quibus dux prior eſt Saturnus, & Mercurius dux proximus, comes primus Mars, ſecundus Venus, tertius Jupiter, quartus Luna, quintus vero Sol: iſtis non facile contingit adire Corinthum, à natura tamen ſi non juventur, arte hac videlicet: Summo ſtudio conatuque maximo Mercurius eſt in Jovem convertendus: Mars in Solem: & Venus in Lunam. Exempli gratia, quicunque ditari plurimum appetunt, ut absque ſolicitudine vivere poſſint, & qui ſibi ſolis quum bene ſit, alios minime curant, obliti fraternæ charitatis in pauperes exercendæ, Mercurium ſecundum ducem habent avarum quem ſequuntur: iſtis contra nitendum eſt, ut non tam opes multas appetant, quam univerſalem illam medicinam, de qua nuper dictum, adipiſcantur, quâ, ægros, & egenos à ſuis calamitatibus ſublevare queant: hac via ſordidum ſuum & avarum Mercurium, in candidiſſimum, ſplendidiſſimum, ac liberalem, pietatiſque plenum &

charitatis Jovem converterint. Horum etiam hominum comes prior Mars,ſtudium atque Saturnum eò direxerat, ut in alios dominium appeterent, in ſeipſos verò nullum: contra jam auxilio Jovis quem modo poſſederunt,nitantur vanos ambitioſos, & ſuperbos appetitus ſuos regere & frænare: hoc modo Martem in alios imperioſum, in Solem ipſorum dominantem, ſuæque vitæ malæ reformatorem transmutabunt. Venus etiam eorum hominum ſuaſerat, in adimpletionem appetituum carnis omnium, divitias iſtas ut quærerent. Contra jam eſt,quod caſtitatis & honeſtatis amorem conſtanter proſequantur, & ſic laſcivam ſuam Venerem in pudiciſſimam & caſtiſſimam Lunam commutabunt. Quod ſi non ſatis intelligas explicabo latius. Mox atque ſenſeris in animo tuo avari Mercurij loculos ſtimulare tuas imaginationes,Chriſti voluntariam paupertatem recole. Contra Martis vindictam atque tyrannidem, oppone Chriſti patientiam. Contra Veneris laſciviam, templi Dei munditiam, quod cor tuum eſſe debet. Brevius contra hæc omnia,mortis memor & reſurrectionis eſto. Si idipſum facere cupiens à diabolo retraharis,& à bonis meditationibus,ad alias vanas & pernicioſas cogitationes (ut fere ſemper fieri ſolet)contra mox prolato verbo domini noſtri Jeſu, dic: Abi hinc à me Satana, & ſubinde ad bonas redi meditationes,aſſiduoque prælio ſic bono vince malum,id eſt,oratione propelle tentationem. Arma ſunt potiſſima quibus in hoc duello præliandum eſt,oratio, qua robur & vires contra noſtrum inimicum acquirimus. Rurſus, ut melius intelligatur hoc genus doctrinæ,repetam: Quatenus Saturnus generalis ſtudiorũ omnium dux prior eſt, primo menſe fœtum regit in utero matris,adjungitur illi ſocius dux alter (alioqui ſemper in omnibus unum idemq; ſtudium operaretur,quod abſurdum foret) qui ſecundo loco ducem priorem comitatur: tertio comes primus. quarto ſecundus: quinto tertius: ſexto quartus: & ſeptimo comes quintus. Verbi gratia,ſi quis ducem alterum Jovem habeat, ſtudium ejus ad pietatem, charitatem & ſanctimoniam dirigetur, modo comes primus fautor ſit iſtius inclinationis,uti Sol,ad regnum Dei: ſi Luna, conſtantiſſima profeſſio futura: contra ſi Mercurius,mercenaria: ſi Mars,contentioſa,movensque turbationes in eccleſia: ſi Venus, deliciis inquinata. Studium autem quod Marte duce regitur, primo comite Sole, bello regnum appetit: ſi Jupiter ducem ſequatur,ad pietatem: ſi Venus, ad laſciviam: ſi Mercurius,ad avaritiam & opum ac divitiarum ampliationem: ſi Luna, in conſervationem pacis. Studium Solis primo comite Jove, regnum appetit in gloriam Dei: ſi Marte, in ſævitiam atque tyrannidem: ſi Venere, ad voluptates: ſi Mercurio, ad opes accumulandum: ſi Luna,in tranquillitatem patriæ. Veneris autem ſtudium primo

comite

comite Jove, ad honeſtum dirigitur matrimonium in obſervationem ſanctitatis: ſi Marte, ad explendas voluptates: ſi Mercurio, ad quæſtum vel ad lenocinium: ſi Luna, in conſtantiſſimum fœderis vinculum: ſi Sole, ad opes & divitias. Studium tamen ipſius Mercurij, primo comite Jove, mercimonium honeſtum, aut licitas artes abſque dolo ſignificat: ſi Marte, latrocinia & deprædationes: ſi Sole, dominium: ſi Venere, ſtuprum: ſi Luna, probitatem. Studium vero Lunæ primo comite Jove, conſcientiæ ſanitatem: cum Marte, pertinaciam: ſi cum Sole, ſapientiam: cum Venere, caſtimoniam: cum Mercurio, partorum conſervationem: ſic de reliquis comitibus ſecundis, tertijs, &c. judicandum erit. A ſeipſo quiſq; duces & comites iſtos, & in ſeipſo poterit ad hunc modum, ſi non alia ratione didicerit cognoſcere. Conſideret quod primũ & potiſſimum ſibi veniat in mentem, hæreatque tenaciſſime ſtudium atque deſiderium: ſi comperiat eſſe ut ditetur, jam habet indicium inclinationis Saturni ad Mercurium. Secundum ut otioſus vivere poſſet ac liber, jam habet Martis inclinationem, qui metere cupit ubi non ſævit, imperare & non obedire. Tertium ſi fuerit, ut in delitiis vivere valeat, jam habet Veneris inclinationem. Nec propterea deſpondeat animum ſi qui boni ſubſequuti fuerint comites. Ut ſi per quartum aliquando fratris calamitoſi vel egeni ipſum miſeruit, jam habet Jovis inclinationem, quam in Mercurij locum ſubſtituere poteſt. Si per quintum inde ſtudium, in mentem venerit Deo in poſterum diligentius, quam antea ſerviendi deſiderium, jam Solis inclinationem habet in locum Martis ſurrogandam. Sextum ſi fuit, ut abſtineret à vanitatibus, jam habet inclinationẽ Lunæ, quam pro Venere commutare poterit. Quod ſi fecerit, longe aliam aſtrologiam intelliget, quam docuerunt infideles ex mundi ſapientia, quæ ad veram ſapientiam collata, nedum ſtultitia eſt, ſed mentis inſania, de temporum eventibus judicare conata, quæ reſervata ſunt in arcanis Dei. Sed hæc irriſoribus poſita ſunt ab ea quæ apparet ſimplicitate, ut magis ad inſaniam ſi velint, rideant, audientes interim non intelligant. Etenim Quarenus ille ſerpens aures & mentis oculos tenebris occluſit & occæcavit, ne ſui videant ſuam nuditatem & quandoq; fatentes eam cum Adamo reſipiſcant. Quod ut faciant, ſerpentis calliditatem in fallendo, nudius eſt quod pro viribus detegamus. Ait propheta Moyſes: *Sed & ſerpens erat callidior cunctis animãtibus terræ quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem, quare præcepit vobis Deus ut non comederetis ex omni ligno Paradyſi?* Primo calliditas eſt nobis conſideranda calumniatoris, qui ſerpentis ſpeciem induere voluit potius, quam alterius animantis. Scivit enim hoc eſſe prudentiſſimum, ut ergo ſibi conciliaret auctoritatem à prudentia, qua major fides illi adhibere-

hiberetur à muliere, hoc pallio oblongo opus eſſe decrevit, ſub quo ſingulæ partes nequitiarum ſuarum à capite uſque ad pedes, hoc eſt, ab initio ad finem molitarum à ſe deceptionum, laterent & contegerentur: tum quod videret hoc genus animalis promtiſſimum ad per quaſcunque rimas vel fiſſuras penetrandum, hoc ipſo melius in mentem integram adhuc nullius mali conſciam, ſibi ſerpendo ſenſim faceret ingreſſum. Proinde ad hunc modum palliatus, & eam ſimplicitatem adorſus, captioſis atque mendacibus è ſophiſmatum ſuorum genere quæſtionibus ſic alloquitur: *Quare præcepit Deus omne lignum.* Ecce quam aſtute mox pater Sophiſtarum propoſita fallacia, per mendacē quæſtionem conatur mulierculam etiam ad mendacium trahere, tentans ſi quo modo hoc impetu rimulam faciat in integram adhuc monarchiā, & per eam irrepat, quod fecit. Reſpondens itaq; male cauta mulier, (quæ ſanius vel tacuiſſet, vel *abi*, dixiſſet, *hinc procul*) mendacio diaboli (de omni ligno) duplicatum addit mendacium (ne tangeremus, inquit, & ne forte moreremur) non autē dixerat Deus, de omni ligno non comedas, imo contra, *Ex omni ligno paradyſi comede.* Sed Sophiſta nequam eſca mendacij ad mendacium ineſcare conatus eſt. Non etiam Dominus Deus prohibuerat, ne tangerent arborem, neque reliquit eis aliquam occaſionem dubitandi de morte, ſi comederent; quinimo affirmative prorſum aſſeruit. inquiens, *morte moriemini*, quaſi moriemini, imo ſane moriemini. Facto ſibi jam introitu per mendacia utrinque prolata, mendacium replicat blaſphemus nequam, ſimulque Deum inſimulat mendacij: *Nequaquam* (inquit) *moriemini.* Ac ſi diceret, non ita ſe res habet ut Deus perſuaſit vobis. Addidit nequam quo falſum & ſophiſticum argumentum ſuum confirmaret: *Scit enim Deus, quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Primo Deum inſimulat invidiæ, quo reddat mulierem Deo hac parte inimicam, quaſi illis invideret felicitatem divinitatis poſſidendæ. Secundo perſuadere conatur mulieri, ut fructum aſpiciat oculis carneis, & hoc aſpectu alliciatur ad appetentiam, item loquitur ac ſi Deus faſcinaret oculos eorum, ne viderent in fructu felicitatem, quo magis ac magis Deo faciat inobedientes. Tertio concludit non eſſe obediendum, quin potius faciendum periculum eventus. Haud ſecus infidelium ſapientium doctrina, hominum ingenia hactenus captioſe fallere ſolita, primum omnium auctoritatem ſibi conciliat apparatu quodam palliato, cum veſtium ornatu in longam ſerpentis formam protenſo, & prudentiam ſerpenteam præ ſe ferente, tum elegantia ſermonis interſerti, modo Latinis, mox Græcanicis, jam Hebraicis Chaldæis, Arabicis (cum iſtorum nonnulli vix maternum idioma calleant)

leant)verbulis, ut hac varietate faſcinentur hominum aures, ac in admirationem tam variegati ſermonis tractæ,ſub talari veſte multam occultari credant ſapientiam. Sic olim Phariſæi ſuum ſerpentem ſub ejusmodi pallio contegentes,Chriſtum aggreſſi, non aliter quam ſerpenteus ille binarius Evam,ab interrogationibus ſophiſticis faciunt exordium, tentantes ſi qua parte ſibi facere poſſint ingreſſum ad irretiendum eum ſuis argutiis,utque non facile ſe queat extricare,quin trahatur in aliquem errorem,unde habeant occaſionem deridendi,confuſumque prorſum è medio tollendi cauſam prætexant. Verum ſua ſpe fruſtrati, non ipſis evenit cum Chriſto, quod illorum cum Eva præceptori Quareno mundi ſapienti, ſerpenti diabolo, falſi binario, ſophiſtæ primario,&c. Quid mirum,ſi qui jam ex infidelium ſecta faciant impetum in ſpagiricos philoſophos veritatis ſectatores,per ſophiſticas ſuas quæſtiones ab Athenis allatas? Quid erit illis reſpondendum? Nimirum quod Chriſtus Phariſæis ad hunc modum: Si male ſcribere judicatis ſpagiricos philoſophos, teſtimonium perhibete de malo ô vos Athenienſes; ſi vero bene, cur vos reluctamini veritati, niſi quod veſtros faſcinavit animos ambitio honorum,ſeu potius avaritia illius qui dixit: *Ecce hac omnia tibi dabo ſi pronus adoraveris.* Omnes poſſidere vellet ſuis falſis pollicitationibus,nec tamen alios præterquam ſuos habiturus eſt. Non magis tenemur falſis Athenienſium quæſtionibus, atque placitis, maximis,axiomatibus,problematibus, aut ſi vis propoſitionibus. quam ſerpenti binario debuit Eva, ſi manere voluiſſet obediens, aut ſi reſpondere, dixiſſet: abi hinc à me Satana, non ſum ex tua ſchola, nihil præter falſum doces quod ſomniaſti: meus autem præceptor,nihil niſi verum docet,huic obedio,non tibi, quare nec ad tuum quare reſpondere debeo. Verum ſi doctrina infidelium proceſſiſſet ex verbo Dei, aut inde ſumta probari valeret, amplectemur ſine ulla reſiſtentia. Sed potius miſer ille binarij ſerpens in angelum lucis redibit,quam id fiat.

Conſiſtamus igitur in centro veritatis, hoc nobis tutiſſimum eſt fundamentum contra ſerpentis callidi quosvis inſultus. Propugnacula multa nobis ſuppeditabit è ſuis theſauris & arma quibus defendamur à tyrannide hujus mundi, qui tranſiturus eſt, & omnia quæ ſua ſunt, verbum autem Dei manet in æternum: huic igitur ſoli adhæreamus, & amplectamur hoc in omnibus noſtris operibus atque profeſſionibus. Cæterum ut magis ac magis reddamur cautiores, ad reſiſtendum calliditati ſerpentis, in animum noſtrum ad ſingula momenta irrepere conantis,quo bonas meditationes avertat ei adiicetque, ſuas autem inſerat vanas imaginationes falſi circino delineatas, ad cupiditatum hujus mundi,ſimulacrorum ut umbra fugientium imaginem: eſt

quod

quod latius conſideremus archiſophiſtæ vafriciem, qua fuit uſus Evam decipiendo. Argutus ille ſupplantator noluit uti primum ſuo cornu primo, vel eodem argumẽto quo lapſus ipſe fuerat, hoc in finem reſervans (ut ſolent etiam aliquando ſophiſtæ præpoſtere poſteriora prioribus præponere, quo ſecurius per confuſionem fallant ingenia) ambitione ſiquidem ſeipſum transmutârat ex angelo lucis in tenebrarum angelum. Atqui altero cornu ex oppoſito ſemicircumferentiæ, calumnia videlicet in Deum directa prius, mentiens data opera, fuit uſus. Scivit contrarium, atque interrogat, non prohibuiſſe Deum omne lignum, ſed vel ignorare ſe fingit, aut potius per mendacium interrogationem inſtituit, quo interrogatam mulierculam ad reſponſionem etiam mendacem incitet, ut patet ex primis verbis Evæ quæ reſpondit, *De fructu lignorum veſcimur*, &c. ac ſi dixiſſet, non ita ſe res habet ut interrogas, ſed ad hunc modum. Ecce mox atque in colloquium cum diabolo ingreſſa fuit, etiam calumnia mendacij in Deum infecta eſt, cornuque ſaucia, binum protulit mendacium. Quid enim aliud eſt calumnia, quam mendacium cum cavillo, & econtra? Dicet quiſpiam, ante dixiſti monarchiam non niſi ab una parte laceram, quia non potuiſſet calumniator hominem ad calumniam adigere, quid modo diverſum adfers in medium? Nihil niſi idipſum quod prius dixi, Adamum ad calumniam nunquam fuiſſe redactum, imo potius puram & meram faſſus eſt Domino ſuo veritatem, inquiens: *Vocem tuam audivi & timui quia nudus eſſem, & abſcondi me*: item *mulier quam dediſti mihi ſociam, dedit, & comedi*. Quid mentiebatur? nihil omnino, quoniam ita ſucceſſerat ut loquitur. Quare pro parte ſua lacera non fuit veri monarchia, ſed cohærens, at pro parte Evæ aperta fuit via qua ſerpens irrepſit. Scivit enim per ternarium Adami non patere potuiſſe aditum unario protegente ternarium, binarium igitur Evæ tentavit ingredi, ut per ſimilitudinem numeri primi multitudinis & confuſionis id exequeretur: ſimilia namque ſimilibus attrahuntur facilius quam diſſimilibus. Rurſus interrogabitur, cum Eva creata eſſet perfecta, quinam ſeduci potuerit? alienum enim eſt ab omni perfectione, labi. Reſpondebimus per aliam interrogationem à ſimili, cui quum reſponſum exacte fuerit, clarius quam nunc, etiam reſpondebimus. Qui autem factum eſt: ut angelus lucis, qui longe perfectior creatus erat, in cœlo etiam incorruptibili, ſit lapſus, cum nullam haberet occaſionẽ, perſuadentemque ſibi neminem: Proinde maxime cavendum eſt nobis, ô fratres, à falſis imaginationibus, ne perſuadeant ea quæ ſunt extra veritatis monarchiam. Hac de cauſa vobis erant proponenda quædam exempla ſcripturæ ſacræ, quibus armaremini, & vigilantiores cautioreſque fieretis ad propulſandum inſidias

diaboli,

diaboli, quas modo melius quam antea percipitis ab imaginationibus & cogitationibus veſtris, per quas ut fur & latro ſubintrare nititur in veritatis atque ſimplicitatis monarchiam veſtram, ut eam allectione ad ſibi reſpondendum, vel tantiſper inſiſtendum laceret. Quiſque noſtrum in ſeipſo idipſum experiatur ad hunc modum: Nemo non ex morſu pomi hæreditavit appetentiam ſcientiæ boni & mali, & per eam cuncta perquirendi maxime anxiam cupiditatem, tam ea quæ noſtra minime interſunt, quam quæ ex re noſtra eſſe videntur, unde vel honores, vel opes pollicetur ille qui pomum hoc comedere ſuadet indies. Exempli gratia. Spiritus noſter nunquam eſt otioſus, imo vel quieſcente corpore maxime vigilat, multas in animo cogitationes verſat, easque diverſas, in diverſis & in quovis, juxta naturalem inclinationem, uti ſuperius audivimus. Adeſt mox ſerpens, qui ſuas ingerit phantaſias: quas niſi contingat agnòſcere, periculum inſtat ne in ſuas caſſes intricemur. Quid faciendum? Ad lydium lapidē, qui Chriſtus eſt, affricandæ ſunt, & ex ejus verbo examinandæ per ejusdem animi noſtri cogitationes. Ubi perceperimus ejusmodi imaginationes commune quid habere cum captioſis illis primis ſophiſmatibus binarij ſerpentis, ut ſunt: *Quare de omni ligno prohibuit? nequaquam moriemini: aperientur oculi veſtri: eritis ſicut Dij:* mox ad anchoram illam tutiſſimam cōfugiamus, Chriſti verbum, videlicet, *abi hinc à me procul Satana*, nihil mihi commune tecum eſt, ideo tecum in colloquium non intro. Jeſus Chriſtus eſt meus præceptor, ejus ego ſum diſcipulus, in ejus album dedi meum nomen, à tua ſum matricula deletus, per meū præceptorem, ereptus, ut in alia longe lateq; feliciori Academia diſcam quæ vera ſunt, perpetuoque duratura. Confeſtim abire cogitur, nec diu cunctaturus, quin ſubinde novum quid proferat in mentem noſtram, ut illud eſt, *Nequaquam moriemini.* Hoc falſo ſtrategemate nos ad executionem inobedientiæ hortari nititur, Dei timorem à cordibus noſtris eradicare cupiens, ut Evæ contigit. Ubi jam ex refugio ad ſacras ſcripturas, deprehenderis iterum hoc eſſe diaboli mendacium ut prius; habetur enim: *Quoties comederitis ex eo, morte moriemini*, ut antea: *De omni ligno comede, de ligno ſcientiæ non comedes.* En iterum deprehenſo ſecundo mendacio profligetur, ut prius, ſuaſor ille mendacij. Rurſum rediens, circino ſuo falſo fabricatum argumentum profert, ut illud eſt: *Aperientur oculi veſtri.* Ecce quā aſtute jam nos per ſenſum viſus tentat, ubi non per imaginationes potuit, ac ſi diceret: Faſcinavit Deus oculos veſtros, ut videre non poſſitis emolumentum ejus rei, ſaltem experiamini, facite periculum, & ſtatim videbitis verum eſſe quod vobis dico, aſpicite modo penitius, oculos paſcite, reſpicite quam ſit ejus pomi delectabilis conſpectus, diligenter

admo-

admodum reſpicite. Hoc aſpectu baſiliſci venenum transfundere nititur ad cor, quo quum pervenerit, imminet periculum vitæ, ad Aſylum igitur confugientes, verbum Dei volvamus in animo, ne videant vanitatem oculos avertendo. Cum nec ſic potuerit vincere, mox rediturus novum adferet alijs virulentius, ut eſt iſtud: *Et eritis tanquam Dij ſcientes bonum & malum.* Jam demum utitur primo ſuo cornu, quod ſcivit & expertus fuit in ſe ipſo eſſe omnium efficaciſſimam tentationem, qua lapſus inciderat in crimen læſæ divinæ Majeſtatis. Non enim fuit contentus ea felicitate, qua Deus ipſum dignatus erat, utpote ſuo conſpectu & ſuæ gloriæ fruitione ſummoque bono, quin etiam Deus eſſe voluit. Expertus jam erat quam deteſtabile ſit coram Deo, appetere id quod ſoli Deo convenit. Proinde in extremum animorum hominum tormentum ſervat ambitionem, omnium ut perſuadibilius vitium, ita etiam pernicioſius. Hoc ipſo primo ſuo cornu læſo cordi hominum lethali vulnere, ſecundum infligit vulnus, utputa cornu ſecundum, brutalitatis videlicet: quo jam totam rationem & mentem adimat hominibus, beluisque multo reddat irrationabiliores, ut nec Deum neque ſeipſos cognoſcant amplius, quo fiat, diabolo mancipati, facile, quocunque trahit, ferantur absque reſiſtentia. In hoc paſſu niſi Dei ſuccurrat miſericórdia, periclitatur miſer ambitioſus, ne poſtremo cornu, divortij videlicet à ſuo creatore (quod abſit) ipſum feriat quadricornuta beſtia, deque ſalute deſperatum ſit. Vide quæſo lector optime, quam ſit periculoſum incurrere per inclinationem, influxuum aſtrorum infernalium impreſſiones, quamque cæleſtem Aſtrologiam didiciſſe proficuum atque neceſſarium. Hanc deridere ſinas alios, qui jam brutalis cornu ſunt experti vulnera; tu autem ſi ſapis, à lata via quæ ducit ad inferos pedem extemplo retrahito, ni ſerius conatus nequeas. Hæc tibi ac omnibus ſerio dicta ſint, etſi à plerisque ut frivola & ridicula contemnantur, ut ab aſinis (quos vocant) prolata. Arcana multa geſtavit aſinus, quibus mulos & mulas minime dignatus eſt Chriſtus omnium arcanorum fons & origo. Non dedignamur nos hoc nomine: malimus enim aſino pullo inſidentes cum noſtro duce Chriſto, novam intrare Jeruſalem, quam ſuper mulos ornatiſſimos ad æterna ſupplicia duci. Ut igitur in omnibus, cum ſupernaturalibus, tum naturalibus cavere diſcas, amice lector, à reprobato binario, & à quaternario ſua prole, jam eſt quod latius demõſtremus, quam late ſuam ſeminarit imperfectionem, ut per univerſum videre licet hunc ſerpentem ſubintrare conatum fuiſſe. Verum excluſus ab unario cæli æterni, & extra ternarium creati cæli incorruptibilis projectus, in quaternariam & elementariam regionem decidit, quam etiam miſerrime corrupit, corrumpereque magis ac magis nititur indies.

Diximus

Diximus antea mundum eſſe creatum ordine, & hunc conſtare tribus, numero videlicet, menſura, & pondere: quibus Deus in noſtri doctrinam voluit uti ut inſtrumentis. Proinde à numeris incipientes, dicimus in ternario numeros omnes conſummari, & in eo omnium eſſe numerorum finem abſolutiſſimum. Ipſe namq; in ſeipſum reflexo, per generationem producit novenarium, ultra quem in numeris progredi minime licet, verum ad unitatem redeundum per quam oritur unitas ſecunda numerorum ſecundi ordinis. Idipſum accidere ſolet in tribus primis numeris accumulatis, 2.3.4. qui eandem etiam conſummationem abſolutam præſtant. Hinc videre eſt quam ſit omnium numerorum præſtantiſſimus ternarius. Contra binariam imperfectionem examinemus. Binarius vero ſui reproductione per generationem quaternarium efficit, longe ſane diſtantem à conſummatione numerorum. Etſi nonnulli velint in quaternario conſummationem iſtam eſſe, cum dicant, per accumulationem quatuor primorum numerorum fieri denarium: contrarium ſatis conſtat, etenim ſuperatur denarius quaternario, ut patet ex aggregatione primorum, 2.3.4.5. Unarius enim non eſt numerus, nec inter eos recenſendus, quod ſi nefas committentes, faciant ad hunc modum, 1.2.3.4. ut denarium conflent, negamus nihilominus denarium eſſe numerorum conſummationem per generationem, etenim hac via bis denarium ſuperat quaternario ea proles. Et quamvis ultra denarium progrediendo fiat regreſſus ad unitatem, non eſt exiſtimandum propterea hanc induere multitudinem, aut compoſitionem, quia in ſerie compoſitorum reperitur: ibidem enim eſt ad reductionem compoſitorum in ſimplicitatem & puritatem, ut ineſt denario veluti centrum in circulo; in vigenario tamen non ita, ſed binarius eſt vigenarij centrum ad monomachiam ſupra poſitam fabricandum. In centenario quidem, & millenario, ſibique ſimilibus, rurſus ut centrum ſeſe præbet unitas. Hæc apprime notanda, quod ad ſpagiricam ſumme ſint neceſſaria. Melius dixiſſent antiqui vates in ternario conſummationem eſſe omnis numeri per ſolum unarium, quam in quaternario. Non negamus quaternarium in ternario quieſcere poſſe, ad hebdomadis philoſophicæ conſtitutionem, de qua ſupra fecimus amplam mentionem; Atqui non prius quam ſui parentis binarij naturam exuat, per ternarium tranſitum faciens ad unitatis ſimplicitatem, atque deinceps ad adeptam philoſophiam. Pares omnes numeri maſculei cenſentur formales, quorum pater eſt ternarius. Impares vero ſunt feminei & materiales, quorum mater eſt binarius. Si quidpiam arcani latet in binario, præterquam in reductione ejus, ut ſupra, in ſuo quaternario per ternarium ad unitatis ſimplicitatem, quod faciat in promotionem ſtudiorum arcanæ veritatis, adferatur, & pergra-

to hilarique audiemus animo: interea tamen ad inſtitutum progrediemur. Eſt igitur noſter, de quo jam agitur, ternarius triplex, ut naturalis, artificialis, & ſupernaturalis. Rurſum naturalis, ſimplex vel compoſitus: artificialis vero, decompoſitus eſt, aut moralis, vel ſupernaturalis; qui poſterior plerumque ſubſequitur artificialem, & aliquando præcedit. Simplex non patitur compoſitionem, quia purus eſt à compoſito ſeparatus. Compoſitus ternarius quaternarium recipit, nec tamen ei bene permiſcetur, niſi per amotionem binarij ſui, quo ſuperato fit ſeptenarius. Decompoſitus, arte ſpagirica fit per omnimodam ſeparationem binarij à ſeptenario in unionem adducendo. Moralis ternarius, fit per ſcalam philoſophiæ meditativæ antehac poſitam. Supernaturalis autem, eſt donum Dei, & in unione mentis quieſcit. Totius hujus myſterij cardo vertitur circa abjectionem binarij: tum demum ternarius quaternario junctus efficit, ut hic in illo quieſcat per ſeptenarium, cui rurſum ternario reſtituto, pervenitur ad ſimilitudinem unitatis in revolutione denarij, ſub centri forma, ut diximus, latitantis, tam in naturalibus quam in alijs quibuscunque, & in ſupernaturalibus.

Hactenus de ordine mundi per numeros dictum quod ſatis ſit, jam ad ordinem menſuræ veniamus. Nuperrime diximus in numeris unarium eſſe ternarij centrum, & ejus fœtus novenarij ſcilicet, ut in circulo punctum. Fons igitur & origo menſuræ primæ centrum eſt, nam ex eo ſi punctum recta fluat donec quieſcat, fit recta linea, quæ ſi per punctum fluxile prius dictum circumvehatur immoto centro, donec redeat ſuo loco, fit circulus & imago triadis in unitate, vel monarchiæ; eadem recta linea præciſe metitur circulum in perfectum hexagonum, qui per intermiſſum angulum alternatim ternarij figuram delineat, & ex perfectione progredientem trigonum æquilaterum. Notandum porro, centrum eſſe unarium & circulum ejus eſſe ternarium, quicquid autem inſeritur inter centrum, & incluſam intrat monarchiam, pro binario habendũ eſt, ſive circulus alius, ſive trigonus, aut quevis alia figura ſit. Qua via vero binarius ab initio factus ex angelo diabolus ſit. menſura contemplemur allegorice. Dixi nuper tenebroſum angelum ſibi fabricatum fuiſſe circinum, cujus pes unus ambitionis volubilis fuit, alter autem calumniæ: cumq; calumniam figere conaretur, tantiſper ambivit uſque dum ad ſemiternariam figuram ventum ſit, tum demum ambitio in calumniam verſa, hæc in ambitionem abijt, unde reſultavit binarius ſub figura ſerpentis duplicis cornua quatuor erigentis, & inde monomachiæ regnum diviſum in ſeipſum per interſectionem ſerpentum, quapropter dejectum in tenebras exteriores. Quamvis illuſus ab arte nefanda, non propterea ceſſavit, quin ſecundo (ut ex binarij conditione eſt) pervicaciter

vicaciter

vicaciter reſumſerit inſtrumentum hoc,tentans,ſi quo modo valeret hac vice monarchiam ſtruere priore meliorem. Proinde ab interſectione dicta ſumens exordium, interſectionibus rem aggreſſus eſt. Circini pedem igitur utrumq; defixit,unū in brutalitatem, alterum in divortium, cumq; brutalitate circuiret uſq; ad circuli delineationis paulo plus tertiam partem, divortij pes ſuo loco motus,gliſcenti lubricitate ſuum fefellit artificem, ac centro ceſſit. Quo factum ut pes brutalitatis ab artifice nequam, ſuo loco, unde prius proceſſerat, revocatus, centri vicem geſſerit, divortij pede per primi primam Euclidis interſectionem faciente,in ambitum priori ſimilem. Atqui hoc ipſum de calumniæ pede contigit hac vice,quod de pede divortij,videlicet,nequitiæ machinatorem eo ipſo decepit,ut etiam lubricus loco cederet. Quo factum ut tria puncta nihil concludentia relicta ſint unum in interſectione, alia duo in extremitatibus ſerpentum ſeſe rurſum interſecātium. Cumque nequam artifex videret ſe bina jam vice deceptum,aliud quoque nihil effeciſſe,quam prius,tentare ſtatuit leo rugiens iracundia,quærensq; ternarium quem devoret,circuit in gyrum interſectiones auditas repetendo: quo factum ut per tres interſectiones tria puncta fixerit,& in univerſum ſex,quatuor per interſectiones, reliqua duo in extrema diviſa, & octo ſerpentes: quæ tamen omnia,neq; ad ſuperficiem quadratam, neque ad cubum ſoliditatis adducere potuit nequiſſimus artificiorum omnium corruptor. Etenim tota ſua ſtructura centro carebat omni,ſine quo nihil perfecti,ſolidi ſtabiliſque nihil eſſe poteſt unquam in tota rerum natura. Concludimus igitur,diabolum eſſe per accidens abſq; centro, id eſt,abſq; verbo Dei,*ſine quo factum eſt nihil quod factum eſt.* Solus enim Deus è nihilo poteſt aliquid facere, & ex invalido optimum, item ex eo quod non eſt, omne id quod eſt,idq; per ſolū verbum ſuum, quod ſupernaturale centrum eſt omnis virtutis atque veritatis omnium in omnibus. Ea per corruptionem ſui ternarij (ſub quo creatus erat angelus ab initio) figura dicta quaternaria, humani ternarij monarchiam ejuſmodi quatuor interſectionibus octo quoq; ſerpentibus binis ac binis interſectis, in tot tamque horridas partes irreparabiles ob centri defectum dilacerare divideréque conatus fuit, quod tamen efficere nequiit,quia veritatis in Adamo centri nonnihil reſidui delere non eſt ei permiſſum, inductione calumniæ & mendacij, ad quæ traxerat Evam. Quapropter miſertus omnipotens & miſericors Deus Adami & Evæ ſimul ærumnoſæ miſeriæ, ac ſtatus calamitoſi, decrevit introductam perditionis diſſectam notam, nec niſi punctulo adhuc tantillo cohærentem,delere,ac in ſuam integram monarchiam reſtituere,per inſtaurationem punctuli hujus in cētrum,quod verus eſt character, & nota tutiſſima noſtræ ſalutis in verbo Dei ſita.

Proinde neceſſarium fuerit monomachię centrum indere ad hunc modum videlicet: A ſingulis interſectionbus ſeſe mutuo ex diametro reſpicientibus, binis ſemper circumeundo prætermiſſis, ducantur tres lineæ diagonales, in punctulo interſectonis habetur centrum verum quod quæritur. Vt modo clare vobis demonſtrem imaginem reductionis ternarij ad unitatis ſimplicitatem, per abjectionem binarij, tum etiam qua ratione quaternarius per conjunctionem in ternario quieſcere poſſit, & una cum eo particeps unionis fieri, notate: A ſingulis poſtmodum ad ſingulas interſectiones ducite rectas lineas, hac via quaternarium habebitis triangulorum æquilateralium: quorum unum reliquis tribus includitur, at nullum eorum vitam aut centrum habet præter medium, quia in monarchia non poſſunt eſſe plura centra, nec vitæ plures una. Videtisne iam quaternarium in ternario concluſum, at nondum quieſcentem in veram hebdomadem philoſophicam, de qua nuper bis dixi; Ut igitur una cum ternario reducatur ad unitatis ſimplicitatem, abjiciendus eſt omnino ternarius ad hunc nempe modum: A centro totius ternarij ad quemvis trium conorum trianguli magni ducatur linea recta, quæ mentaliter intelligatur circumvolvi à parte ſuæ extremitatis, ab altera vero extremitate in centro fixa manere, tum quicquid punctorum & linearum eſt, per iſtiusmodi circumvolutionem, uſque dum redeat unde mota ſit abolere delereque. Iam nullus apparebit in monarchia circuli binarius, nullus ternarius, nullus etiam quaternarius, ſed hic iam in ternario quieſcit, latet, ac una cum eo jubilat ſub unitate, licet non conſpicuus oculis externis, at ſolum mentalibus. Sola ſemidiametri linea reſidua conſpicitur quæ pomi reliquum eſt, propter quod indies contra callidi ſerpentis monomachiam, dum in caduco hærebimus, nobis eſt viriliter, & non femineè, præliandum; ne delicti utriuſque primi noſtri parentis obliti, in idipſum relabamur. Ecce jam habes optime lector ideam monarchiæ triadis in unitate, per me tibi depictam & ob oculos poſitam, ex qua penitius quam litera præ ſe fert vel pictura, per tuæ mentis aciem penetrando cognoſces quicquid ad ſpagiricam & adeptam philoſophiam pertinet, adjutus tamen eis quæ nuper tibi hoc opuſculo revelavi. Per me non ſtabit quin tibi hac in re bene ſit, modo tibi ipſi per ignaviam & ſocordiam non invideas felicitatem intelligentiæ horum arcanorum, quæ præ cunctis omnibus in hac vita neceſſaria ſunt; quia per admirationem magnalium Dei, ad ejus veram cognitionem, tanquam manu ducunt, quinimo in ejus amorem trahunt, in quo etiam ſummum Chriſtianorum bonum latet, ac patet ſolum credentibus in Deum per verbum centrum veritatis ejus filium, in quo, & per quem ſunt omnia, cui ſoli cum patre & ſpiritu ſancto ſit laus, honor, & gloria in æternum

Reliquum eſt ex ordine,ut hunc per pondera libremus.

Diximus antea creationis ordinem conſtare numeris, menſura, & pondere. Duo præcedentia per unarium & ternarium ſolos abſolvimus abſque aliorum adminiculo. Jam per eoſdem etiam expendamus pondera in infinitum, quod nullis alijs melius neque aptius fieri poteſt. Duobus tantum ponderibus: priore unius libræ, poſteriore trium, libratio progreditur in infinita pondera. Ut unum his libratum duo pondera; hoc & unum, tria vel tres libras pendunt: hoc pondus ſemel,& ſemel unum,quatuor: tria ſemel, & bis unum,quinque: tria bis,ſex pondera: tria bis & ſemel unū, ſeptem:tria bis,& bis unum,octo:tria ter,novem : tèr tria & ſemel unum,decem ter tria &bis unum,undecim:tria quater,duodecim: ſic in millenariorum millenaria plurima. Quod ſi leviori negotio facere quis volet,ad iſta duo alia conficiat ſibi tria pondera imparia,ex quinario,ſeptenario, & novenario: vel ponderatam materiam in augmentum addat ponderatæ materiæ quoties expedire videbitur. Verum enimvero ſpagirica pondera manent in unitate,nec niſi per unitatem ad augmentum progreſſum habent,ut unius centri ad ſuam primam monarchiam & circumferentiam, decadem videlicet: ac ejuſdem centri ad ſecundam unitatem, centum:ad tertiam mille: ad quartam millenariorum decadem: ad quintam, millenariorum centuriam: ad ſextam, millenariorum centuriæ decadem:ad ſeptimam, millenariorum centuriæ centuriam,& ſic in infinitum. Iſte progreſſus ordinis non tam ſpagiricus eſt quam naturalis,& in naturæ centro occultiſſimus, per ſpagiricam artem tamen in lucem prolatus & manifeſtatus, vel è ſua potentia in actum adductus. Hæc ſunt quæ de numeralibus ponderibus artificialibus, & naturalibus per unarium, ternarium, & denarium hoc loco dici oportuit. Attamen videamus quid ille binarius,cum ſuo quaternario præſtare valeat in ponderibus artificialibus. Pondere duarum librarum,& altero librarum quatuor, nulla via unarium, neque ternarium, in ſumma nullum pondus imparium librari poteſt,ſed ſola paria. In naturalibus vero ſuam exercent tyrannidem, cunctas naturæ partes per ſectiones extra juſtam proportionem & monarchiam trahentes.

DE LAPIDVM PRECIOSORVM ſtructura.

HACTENUS naturali ordine proportioneque per numeros, menſuras & pondera deductis; quo tamen ſingula quæ dixi dilucidius intelligi queant,& ne lapidibus feciſſe verba videar, vel ipſis obſcurum illum philoſophorum lapidem non ſatis illuſtraſſe: conabor aut lapideos lectores meos in gemmas perſpicuas reddere,vel in iſtas potius metalla transmutare,quo,ſi mihi non, aliis tamen,facere ſatis poſſim. Mercurialem igitur aquam extrahens

Mercurium ipſum philoſophorum, reſolve in ſuam quintam eſſentiam vegetabilem. Hanc in quatuor partes dividito, quarum una ſit quarta, altera vero tres quartæ. Sume ex tribus quartis unam cum dimidia, & ex una prioreque parte quarta mediam partem: quæ ſimul totius mediam partem efficiunt: adhunc modum reſtabunt tres octavæ in terra ſepeliendæ, & una octava aeri cum cæteris quæ poſtea dicentur, exponenda. In reſiduæ mediæ partis aliquota parte ſolve lunæ partem aliquam, ſolutam clarifica per filtrum & ſerva, fæces abjiciendo tanquam inutiles. Reliquos planetas omnes in aquæ Mercurialis reſidua parte conveniente pro quolibet, ſolvito, faciteque quod cum luna factum eſt. Quamlibet ſolutionem filtratam per ſe deſtillabis in balneo maris vaporoſo, donec tota humiditas conſcenderit, ac in vas ſubmiſſum ſe receperit. Poſtmodum hujus ſtillati tertiam partem redde fæcibus in cucurbita reſiduis, ac ſolum hoc ſervabis per ſe. Duas alias tertias in phialam longi colli poſitas (ſigillabis tamen ambas phialas ſigillo Hermetis) expones aeri tuto loco ne frangantur: alteram fæces continentem, in terram ſub dio ſepelias totam, præter extremitatem colli quæ parum emineat. Idipſum de reliquis alijs planetis ſeorſim efficies. Alijs duabus phialis includes mercurialem aquam ſervatam, & ſigillabis ut prius: in ea quæ ad aerem eſt ponenda, ſit octava dicta, in altera vero, quæ ſepelienda eſt in terram, ſint octavæ tres. Hoc negotio ſolutionem philoſophicam abſolveris: ut jam ad congelationem venias. Anno revoluto, cura tibi per vitriorum artifices duplex vas conflari, quod ſphæræ rotundiſſimæ per medium diviſæ formam habeat, ſuperius quoque vas inferiori ſic adaptatum ſit, ut ab eo deponi reponique valeat quoties opus erit. Quo peracto, confice tibi formas cereas & vacuas, vaſculorum aut cymbarum inſtar, quæ liquore valeant impleri, & natare ſuper aquam. Modus formas ejusmodi conficiendi hic eſt: Ferrum oblongum ab una ſuarum extremitatum limatum atque politum habeas, ea forma quam lapidem referre cupis? hoc tandem oleo tingatur, poſtmodum ceræ liquatæ mergatur ab extremitate dicta, deinceps aquæ frigidæ: obducta cera circumciſa liberetur à ferro, & formas quas voles habebis. Aliter: Quacunque rotunda vel rudi quapiam forma lapides effigiatos volubili rota, naturaliũ inſtar, ſcindi vel poliri curato. Tandem exime phialas à terra, & alias ab aere depone. Deinde ſphærici tui vaſis partem inferiorem aqua Mercuriali terrea, quæ medietatem ejus impleat, imbues, & ſuper eam natare formulas facito, Poſtmodum ſi Saturnium, Jovialem, Martialem, Solarem, Venereum, Mercurialem aut Lunarem volueris habere lapidem, cereas formulas paulo minus implebis quorumvis dictorum planetarum cælo, id eſt, aqua aerea, non ad ſummũ tamen, ne liquor effluat. Tum demum ſphæricum vas inferius ſuperiori ſua parte contega-

contegatur,& clauſum aliquot horis maneat, uſque dum videris aquas in formis aliquantulum denſatas. Hoc percepto vas detegens inverte formulas,ut paſtam aqua fixativa contingat, contectoque vaſe maneant in umbra donec dureſcant in lapidem. Attamen iſte proceſſus transmutatoriam artem magis redolet,quam medicam,ob terræ cum ſuo cælo commixtionem, quo fit ut lapides ad hunc confecti modum ſint obſcuriores illis qui parantur hoc artificio, videlicet: Cujuslibet metalli pars, aut aqua terrea, vel ſi vis,eſſentia quinta fixativa ponatur in vaſis partem inferiorem,& formis per ſe quoq; ſupernatantibus vacuis, claudatur ſuperiori parte, clauſumque vas per quartam horæ partem relinquatur,ut formæ vapore quodam inviſibili fixativoque imbuantur. Poſtmodum aperto vaſe, formæ cælo vel aqua repleantur aerea tantum,ac rurſus clauſo procedatur ut ſupra. Poterunt etiam omnes aquæ terreæ in vas inferius mixtæ ſimul effundi, formæ quoque cælicis aquis permixtis impleri, & eodem proceſſu habebitur lapis unicus planetas omnes in ſe complectens. Nonnulli duorum aut trium planetarum vapores antea dictos, juxta proportionem ex arbitrio depromtam commiſcent, ut infra poſitos lapides parent,ſuisque coloribus adornent.

Carbunculus fit ex cælo ſolis,& ex ejusdem terra.

Adamas ex lunæ cælo & terra.

Sapphirus ex cælo lunæ,& hujus terra,terræ Jovis permixta.

Topaſius ex cælo Martis,& Solis terra.

Hyacinthus ex cælo & terra Martis, cum terra ſolis mixtis.

Eliotropia ex cælo Veneris,& ex cælo & terra Martis.cum terra lunæ.

Alamandina fit ex cælo & terra Martis.

Pallax fit ex cælo & terra lunæ,cum æquali pōdere terræ Solis.

Beryllus, ex lunæ & Jovis cælis æqualibus, cum terra lunæ.

Unio fit ex una parte cæli Jovis & ejus terra,cum quinque partibus cæli lunæ.

Solaris lapis fit ex ex ejus cælo & terra. Similiter omnium aliorum planetarum lapides,quisque ex ſuo cælo & terra.

Smaragdus fit ex cælo Veneris,& ex terra lunæ.

Lapis mixtus, fit ex omnium cælis atq; terris æqualiter mixtis.

Poſſunt & alij multi lapides hac arte fieri ad naturalium imitationem, quos recenſere longum foret. Quisque autem juxta ſuam experientiam, quoscunque volet fabricare, ſuis ornare coloribus, atque virtutibus, characteribus inſculpere,ſub conſtellationibus (ubi tamen bonus fuerit mathematicus) brevi temporis ſpacio, priusquam aſpectus repente nimis tranſeant commodiſſime poterit. Quid aliud modo reſtabit, quam lapidum & metallorum vires omnium particulares diligenter inveſtigare,& ad medicinam coaptare?

Sapientes olim inſculptis lapidibus tempore conſtellationum atque metallis, collo duntaxat appenſis geſtatisque pleroſq; morbos & fere omnes curare noverunt abſque ſuperſtitione. Unde quæſo virtus hæc, niſi partim à materiali forma, partim à characteribus & imaginibus, & potiſſimum à virtutibus in ejusmodi materiam rite diſpoſitam, per cælum formaliter inditis & copioſius affluentibus, perque exacte obſervatas conſtellationes, mediantibus etiam applicationibus de potentia in actum deducentibus? Nil ſane mirum conſiderantibus, imo intelligentibus mundi ſuperioris ad inferiorem, & iſtius ad illum nexum, indiſſolubilemque conjugij naturalis conſœderationem. Siquidem apud nos moveri nihil poteſt arte, quod ſuperius itidem non commoveatur: econtra quicquid ſuperius agitur, imprimitur in inferiora, eoque potentius ac firmius, quo materia cujusque rei fuit accuratius diſpoſita præparata. Notandum tamen, ſimilia non niſi in ſibi ſimilibus naturali proprietate, & non in diſſimilibus agere. Exempli gratia, ſi membrum aliquod in humano corpore læſum fuerit marito, correſpondens in uxoris ejus corpore ſimile membrum, etſi non actu, potentia tamen, & naturali compaſſione quadam, ob conjugij divinum & non humanum vinculum, abſens præſensque læditur etiam: ſi modo verum ſit conjugium & utrinque non vitiatum. Hujus rei cauſam reddere norunt adepti philoſophi, triadis eſſe cum ſimili triade compactiſſimam ac indiſſolubilem unionem. Quanto magis in univerſa natura (quod in peculiari) hoc ipſum fieri neceſſum eſt? Etenim ipſa divino conjugio conſtat ex mundo ſuperiore & inferiore à Deo ſic ordinatis, ut unus eorum nihil contineat, quod non ſibi correſpondens habeat alter.

Cum igitur alter mundus qui minor dicitur, homo videlicet, corpore vitalique ſpiritu, ſit ad magni ſimilitudinem creatus, rationali quidem ad imaginem Dei, quicquid in majore fuerit, in minore ſimilitudine potentiave neceſſario eſſe oportet: alioquin negabitur ad imaginem ejus creatum eſſe, quod opera data contra ſcripturas ſacras pugnat è directo. Proinde ut in ſuperiori cælo nunquam ceſſant motus, hominis etiam ſpiritus vitalis, quieſcente vel dormiente corpore, motus exercere ſuos non ceſſat, imo potius & exactius operatur quam vigilante. Quapropter mox atque membrum aliquod in humano corpore tangitur, æque cito hujusmodi tactus ad ſpiritum pervenit. Ecquis dubitare poteſt? alioqui non ſentiretur, cum ſenſus omnis, & vita, & actio, utriusque fit ex ſpiritu, & non ex corpore. Vice verſa contriſtato ſpiritu vel afflicto, corpus torpeſcere ac pati eſt neceſſe. Porro ſimile conjugium videmus inter ſpiritum & corpus hominis, quale diximus inter cœlum & terram eſſe. Rurſus qualiscunque ſit in cælo motus, in hominem influit, aut in illa quæ propter ipſum & ad uſum ejus creata ſunt. Non eſt mirandum igitur, ſi fieri valeant arte la-

pides

pides pretioſis non abſimiles, qui homines curent, à morbis quoque vindicent, ubi ſub aſpectibus (ut ajunt) felicibus fabricati fuerint. Quanto magis in ſuos reſoluti liquores, & intra corpus adhibiti, remedia potentiſſima ſunt futura. Siquidem cæleſtis virtus omnis in hunc finem creata eſt à Deo, ut longam ſanamque vitam quocunque modo influxibus ſuis imprimeret homini, quotiescunque vitium contra naturam ortum ex ſerpente binario, in monarchiam illius irrepſiſſet. Reliquum erit, ut à mineralium temperatis lapidibus, ad animantium temperatiſſimos veniamus, cujus medium habetote.

Perfecti minoris (cujus nuper meminimus, & quod apertiſſimis verbis docuimus) partem aliquam è cucurbitula per cineres igne ſuavi admodum primi gradus deſtillato, uſque dum eo calore ſtillare poterit. Animadvertendum tamen, ut prius balneo maris diſſolutum ſit ante hanc primam deſtillationem. Amoto poſtmodum recipiente, clauſoque, admoveatur aliud, optimeque lutetur in commiſſuris, fortiorique deſtilletur igne, donec liquor aſcendere calore hoc omnis poterit. Secundum hunc liquorem in vaſe recenti poſitum deſtilla balneo maris tertiò, qualibet deſtillatione ſtillatum ad ſuas fæces refundendo; quæ viſcoſæ factæ poſtmodum ejuscemodi affuſionibus reſolvuntur: attamen tertia vice deſtilletur in cineribus. Poſtremum hoc ſtillatum in alio recenti vaſe poſitum deſtilletur balneo maris quater, ſingulis vicibus fæces amovendo & per ſe ſeorſim reſervando. Continuetur poſtrema deſtillatio, donec liquor limpidiſſimus & ſplendens nitore unionum efficiatur: cujus uſus hic eſt: Unionibus orientalibus, aut aliis pulcherrimis cujuscunque quantitatis, parvis aut magnis in vaſe vitreo mundiſſimo poſitis, affunde parum iſtius aquæ jam ultimo deſtillatæ, ut aliquantulum ſupernatet, & claudatur vas optime ne reſpiret. Poſt horas tres videbis uniones in paſtam albiſſimam reſolutos: in ſuperficie vero eminebit aqua inſigniter clara, hanc per modeſtiſſimam inclinationem in aliud vaſculum effundes abſque ulla turbatione: relicta in eodem vitro paſta in quo erat, ac in balneo maris poſita vaſe clauſo per dies tres maneat, tandem eximatur. Deinceps formam argenteam auro intus ad cavitatem obductam, inſtar illarum quibus formantur globuli ſphærici, tantæ capacitatis, quantæ vis unionē fieri, per aurifabrum jubeto confici. Ad utriusque partis cavæ orificium, aureum filum in transverſum aptetur ſubtiliſſimum ad diametrum, ut pro ſui medietate partem utramque formæ inſigniat, ut etiam protrudi ac retrahi queat. Poſtmodum utraque formæ cava pars impleatur unionum paſta, aurea tamen ſpatula, inde mox protenſo filo conjungantur, & filum huc atque illuc agitetur, quo forati ſint uniones. Aperta forma, eximantur maxima induſtria, & ponantur in vas latum aureum manibus non attingendo, cooperto

vaſe ſibi ſimili, ſiccentur in umbra extra ſolis radios. Formatos omnes dicto filo penetrabis nec manibus attingas, & in vitreo vaſe claram ſuam aquam continente ſuſpendantur, & occluſo vaſe ponantur ad aerem extra ſolis radios diebus octo. Poſtmodum ad ſolem diebus tribus contineantur, agitando vas ſingulis ternis horis modeſtiſſimè. Liquoris hujusmodi vapore perficientur & cogaulabuntur in duritiem. Eodem proceſſu poterunt carbunculi, & rubini plures aut unicus fieri tantæ quantitatis, quantæ volet artifex, Mercurio rubeo perfecto ſemel tantum ſoluto. Si reliquorum colorum lapides parare voles, cum albo Mercurio philoſophico feceris ut ſupra: quia color albus eſt aliorum omnium ſuſceptivus. Congelationem ad opus hoc neceſſariam, ex præcedentibus quivis invenire poterit induſtrius operator dicta longe præſtantiorem. Proinde cæleſtes aquæ mineralibus imprægnatæ virtutibus, aeri cum exponuntur per integri circuli revolutionem, latius ac fœcundius imprægnantur viribus ac virtutibus cæleſtibus, quibus ad reſolutionem omnium, ſolidiſſimorum etiam corporum aptæ fiunt & idoneæ. Inferiores tamen cæleſtes etiam expoſitæ ventri terræ, virtutes eaſdem accipiunt eodem tempore, ſed alio medio, nempe terreo, quo coagulandi omnia vim acquirunt, & ſuum argentum vivum. Inter ſulphura quæque hoc unicum eſt excellentiſſimum, ut etiam argentum vivum, quod docuimus præ cæteris præſtantiſſimum, ac magis philoſophicum: Quanquam & alia multa ſulphura ſunt philoſophica, pariter & argenta viva, non tamen in tanta ſubtilitate virtuteque ſublimata. Sunt igitur aquæ philoſophorum iſtæ cæteras inter præſtantiſſimæ, uti formalis una, cæleſtis & ſuperior: altera materialis & inferior: quæ tamen ambæ naſcuntur ex una & eadem radice, nec niſi per induſtriam & applicationem ad hoc artificium ſpagiricum differunt, ut confirmetur quod ſupra per Hermetem docetur: *Quod eſt inferius, eſt ſicut id quod eſt ſuperius, & econtra.* Ne in poſterum igitur quiſpiam (ut ſolitum eſt hactenus) conqueratur de obſcuritate lapidis & lapidum philoſophorum, jam ſatis claros, perſpicuos, diaphanos, & illuſtres ex obſcurioribus adhibui, illuſtravi, lucique ſuæ reddidi vobis lectoribus ingenioſis, quo reſponderent ultima primis, & econtra, videlicet artificialis lux & ſpagirica luci naturæ, quæ huic opuſculo fœtuique noſtro recens nato nomen dedit. Faxit omnipotens Deus ut omnibus lectoribus, quos novit eſſe dignos, utilis eſſe queat ac ſalutaris, ad ipſius gloriam, cui ſoli acceptam lucem fero, non ſcholis Athenienſibus, neque aliis. Indignos autem arceat ab iſtorum lectura, quoniam ipſorum non eſt fermenti genus: verumenimvero dignis ad adyta patet aditus, indignis abditus.

FINIS.

CONGE-

CONGERIES PARACELSICAE CHEMIAE DE TRANSMUTATIONIBUS METALLORUM.

Præfatio ad lectorem.

Omnis operatio proprium requirit ordinem, ſine quo pulcri laudatiq; nihil perficitur, quod ullam utilitatem adferre queat hominibus. Quid in hac vita quæſo confuſione poteſt eſſe pernicioſius? Nunquid ſcimus hanc perdidiſſe mundum ab initio, cujus adhuc veſtigia magno plurimorum malo ſunt ob oculos poſita, ut nihil non corruptum cernere liceat ubique gentium. Cuivis igitur bono viro, & Chriſtiano inprimis rejicienda ſummeq; vitanda, maxime quod ex inimico Dei hominumq; prodeat. An putamus Deum Opt. Max. fruſtra primum, in condendo hujus mundi fabricam, ordinem ſervare voluiſſe? Hunc nobis dubio procul meditandum, non modo cernendum propoſuit. Si probe cognitum eſſet quanta hinc nobis utilitas, quanta doctrina obtingere poteſt, nullos alios libros, nullos Doctores eo priores, qui teſtimonium veri ſolus perhibet in cordibus noſtris, optaremus. Hic nos doces in pace, qui pacis eſt auctor, quærere potiſſimum ordinem, qui ſi ſervetur, pacifica ſimul atq; tranquilla futura ſunt omnia. Contra cum violatur, mox eſt præ foribus nobis diſcordia per confuſionem. Hinc eſt quod Dominus noſter Ieſus Chriſtus, pacem toties diſcipulis ſuis inculcans, ab eis quoq; recedens pro teſtamento reliquerit, ac nobis in unione. Pacem meam (inquit) do vobis, pacem meam relinquo vobis. Quid aliud ſonant iſta ſacratiſſima verba, quam ſi audiamus, eſtote uniti in me, ſicut ego & pater meus unum ſumus? Alia ſane via non poſſemus uniri quam pace, quæ conſiſtit in ordinis obſervatione

tione divini. Tenendus eſt igitur in omnibus operibus, ſive ſpiritualibus, ſive temporalibus, ordo, tanquam pacis & omnis concordiæ radix potiſsima, ut omnes hominum actiones & exercitia quævis hunc ſpectent. Proinde Paracelſus medicinæ ſummum & præcipuum arcanum tractaturus, in transmutatione rerum naturalium ad ultimum perfectionis gradum, quis ſit ordo tenendus inprimis indicare voluit. Ob hunc ſiquidem exacte non ſervatum plurimi ſeducuntur in transmutationis artificio, qui poſtmodum erroris ſui culpam in artem rejiciunt, hanc una cum ſuis ſcriptoribus falſo falſitatis inſimulant, acſi jucundum eſſe poſſet, multos impendere labores in deridendis hominibus. Quicunque talia vel cogitant, vel proferunt, etſi multam ſibi ſapientiam adſcribant, idiotarum more loquuntur. Natura ſatis hoc genus hominum palam arguit in omnibus. Verum quis ejus ordinem conſiderat, vel ullatenus contemplatur, eorum etiam qui profitentur Phyſicam (ut interim de cæteris taceam) quis inquam profunda ſcrutatur ejus myſteria, à ſuis operibus manifeſto licet apparentibus & rerum transmutationem inſiciabitur? Quicquid enim operatur natura, juxta ſibi præſcriptum ordinem divinitus, idipſum efficit abſque variatione, ut ſi per externum accidens nonnunquam impediatur, quo minus hunc obſervare valeat, in monſtrum abit recedens à natura quod producitur. Non eſt hic error ejus, at impedimenti. Quis impedivit, inquies? Confuſionis auctor per ſuos miniſtros id ſemper molitus eſt ab initio, nec deſiſtet in finem uſque. Quapropter non eſt ab hominibus vel ſcriptoribus addiſcendum potius quam ab illa, quam indies videmus transmutare compoſita ſua elementa in aliam formam decompoſitam, & non in aliam materiam. Porro cõmunis hæc omnibus rebus & elementis, ut non niſi forma ſpecies inter ſe differãt. Hujus exemplum eſto terra vacua, ſterilis, & inanis, quæ ſub dio tantum poſita, ſola rigatione per pluviã, radiisq; ſolaribus præter omne ſemen aliud, ſuas

produ-

producit herbas, animalcula, nec non mineralia. Quis quæſo non videt hanc eſſe naturalem transmutationem formarum, & non materiæ? Hoc etiam docemur exemplo, ſi formæ ſeparantur ab elementis naturalium, hæc ad quamcunq; formam idonea fieri. Quandoquidem una & eadem elementorum materia: non unam aut aliam, ſed omnes formas in triplici genere productorum ſuſcipit. Nec opus eſt perquirere utrum elementa vegetabilium ſuis ſpoliata formis, valeant formam recipere mineralem; res per ſe clara eſt? porro cadaverum elementa in terram reverſa, fiunt elementa vegetabilium & aliorum, ſic de reliquis. Cum igitur elementum unius generis, alterius generis fiat elementum, quanto magis elementum unius ſpeciei, fieri poteſt elementum alterius ſpeciei ſub eodem genere. Formæ namque non ſunt ex elementis, at ex firmamento. Proinde nemo ſane transmutationes rerum negare poterit, qui formas ab elementis ſeparari videt. Experientia ſit lignum igne conſumtum & in cineres verſum, forma ſua vegetabili in auras abeunte, quæ ſi per ſpagiricum vas excipiatur ne avolet, ac iterum ad ſuos refundatur cineres, purificentur ſimul in muſcilaginoſam ſubſtantiam, terræque rurſum demandentur, in priſtinam redibunt formam, quod quidem cineres per ſe non effeciſſent, ut ponit auctor libro de reſuſcitatione rerum. Qui credere nolit, experiatur, ac ordinem præſcriptum ſervet, alioqui non eveniet ob confuſionem, quod ſine hac optime ſucceßiſſet. Vt igitur propria forma ſeparari poteſt à ſuis elementis, ac rurſum in ea redire, ſi hæc alterius ſpeciei forma ſint imbuta, ſub eodem genere tamen; quid obſtabit quin eam induant? Elementa ſiquidem nullam de ſe formam edunt, ſolum eam, quæ eſt in ſemine, quemadmodum terra non elementi cujuſpiam formam producit, ſed bene frumenti ex frumento, & arboris è nucleo. Primum igitur ac præcipuum hujus rei negotium in eo conſiſtit, ut rite juxta ſpagiricum ordinem à natura mutuatum, fiat ſeparatio formarum à ſuis elementis.

mentis. Hunc non ſomniarunt ſpagiri philoſophi more Græcorum, ſed à natura tantum edocti, vitreis utuntur organis, ut illa ſtomacho, quibus & igne ſuam coquunt materiam, ut ipſa naturali calore cibum in chylum macerat coquendo, ſubtiliat, ſolvit ac putrefacit priuſquam ſeparet. Ars pariter ſuam materiam calcinando ſublimat, ſolvit, & putrefacit antequam deſtillatione ſeparet. Poſtmodum ſegregat purum ab impuro, videlicet firmamentales partes ab elementis, & rurſum utraſq; à ſuis impuritatibus ſuperfluis. Idipſum naeura docet, quæ chylum ſuum putrefactum in duas partes dividit, unam ut puriorem hepati rurſum decoquendam exhibet, alteram autem ut impuriorem ad inteſtina relegat in ejectionem. Ab hepate ſit & altera ſeparatio, quarum una inſervit nutriendis elementis corporis, altera vero vitalibus & firmamentalibus partibus alendis atq; fovendis, ad ſpiritus vitæ retentionem in ſuo ſubjecto, radicali humido videlicet. In hoc paſſu controverſia cernitur Græcorum cum ſpagiris: illi volunt ſeparationem in hepate fieri quatuor humorum tantum, quos tribuunt elementis, & ita firmamenti rerum nullam vel mentionem faciunt, neq; diſcretionem, ac ſi vita eſſet ex elementis, confuſam de his tradunt abſq; diſcrimine doctrinam: contra ſpagiri docent, elementa ſibi ſimilibus ali tantum, & vitalia vitalibus. In dubium ſiquidem nemo phyſicus revocare poteſt, vitam rerum naturalem deberi firmamento poſt Deum, & non elementis: item corporea nutriri corporibus, ſpiritibus quoq; ſpiritualia corpora; vel ut melius intelligatur, materialia materialibus, quēadmodum formalia formalibus corporibus: ne dicamur ab argutis formas abſque materia ponere, vel econtra. Dicimus enim elementa propriam, & formam, & vitam à firmamento etiam eſſe ſortita, ſed hæc ipſa ſola generare minimè poſſe præter alios firmamentales influxus peculiares, non magis quàm ſine viro fœmina. Deus porrò vitam in creatione per lucem dedit omnibus, ad propagationem verò quibusq; ſemen in quo

ſorma deliteſcit, ordinavit. Sunt itaq; influxus firmamenti ſemina, per quæ matrices elementorum & concipiunt, & pariunt, cum ſine his nihil efficere valeant quod ad generationem faciat, etſi ſemen propaginis in utero geſtent. Rurſus dicimus ſpiritus cœleſtes naturæ, quanquam ſpirituales ſunt, quemadmodum radij ſolis exiſtunt, nihilominus ex conjunctione cum elementis, corpora ſortiuntur ſibi congrua, & ſpiritualia pro vehiculis. Quapropter iſtorum in Phyſica maxima eſt habenda ratio potius quàm elementalium humorum, vel qualitatum. In hoc plurimum elaboravit ſpagirica ſchola, ut vehiculum vitæ ſemper à corporibus craßioribus liberet, veluti de carcere, quo vitam foveat, inſtauret, ac diu retineat in humano corpore. Non minus opus fuit invenire materiam, quæ plus in ſui creatione hauſiſſet influxuum ejusmodi vitalium & cœleſtium: hanc eſſe comperit, quæ proximius ad centrum accederet. In iſto namq; radij cœleſtium omnium, non ſecus atq; jacula undiq; ad ſcopum unicum laxata concurrunt. Hinc fit ut compreſſa vis, & confluentia virtutum, intenſißimam nanciſcatur actionem atque vehementißimam in extenſione. Quanto magis igitur à centro diſtant influxus, tanto rariores & laxiores inveniuntur, minorumque virium atque virtutum, quemadmodum à vegetabilibus videre licet. Quamobrem experientia meditationem ſubſequuta, docuit in metallis, & mineralibus, quæ centro ſunt viciniora, præſtantißimas omnium & copioſißimas ineſſe virtutes. Hæc igitur prætulerunt cunctis aliis, ex quibus elicerent medicinæ quandam univerſalem formam unitißimam atque temperatißimam, qua ſingula tandem ad unionem & verum temperamentum adducerentur. Vnione ſiquidem nihil unquam temperatius, generalius, latiusve, nihil etiam copioſius extenditur, quàm centralis eſſentia phyſica. Proinde medicina talis, per ſeparationem ordine requiſito tracta de metallis aut mine-

mineralibus, cuncta quibus applicatur, ad centralis unionis atq; temperaturæ naturam, ſummumque perfectionis gradum transmutat. Inde factum, ut ob univerſalem ejusmodi potentiam atque virtutem, quod olim Ægyptiaca vetuſtas (ab Hebræis nimirum edocta Moſaicas traditiones ex Geneſi) ad medicinam præſertim elaborarat, Græcorum avaritia, necnon ambitio perverterit in theſauros accumulandos, lolioq; ſuæ falſitatis conſpurcarit, quemadmodum reliquas artes infinitis ſophiſticationibus. Paucos, imò ferè nullos hujus artis libros reliquerunt integros, qui non poterant ænigmatica Ægyptiorum ſcripta reſolvere (ut ipſe teſtatur Ariſtoteles) invidia moti corruperunt ſuis fabulis, ut jam ſit impoßibile per libros antiquorum è limine vix eam ſalutare. Verum enimvero, quanquam vix è centum millibus unus hanc artem adeptus ſit, præter hunc nonnulli tamen intelligentes, animos verè philoſophicos alunt, vel ſola meditatione tantæ raritatis tantæque profunditatis divinæ ſapientiæ, pro ſcintilla in hoc arcano maximo relucentis, quibus apprimè jucundum eſt in ejuſmodi magnalibus Dei verſari magis, quàm pleriſque aliis in ſuis opibus atque delitiis. Alacriter igitur ad ſcalam transmutationis tandem veniamus, & videamus quidnam ſit ex mente Paracelſi transmutatio. Tandem ad ſecundam hujus operis partem transibimus, quæ Genealogiam narrabit mineralium.

CAPUT I.

De ſcala transmutationis.

EST rerum naturalium transmutatio, formarum ſuarum in alias alteratio, ut metallorum & lignorum in lapides, aut in vitrum; lapidum in carbones, &c. Compertum eſt metalla ſub terra, etiam in monetā excuſa prius, à natura fuiſſe quandoque in lapideam ſubſtantiam verſa, quæ ſuorum principum adhuc retinerent imagines; item quercuum radices fulmine, vel alia

ſideratione quavis ictas, in lapides veros transmutatas fuiſſe. Fontes etiam plurimis locis ſcaturiunt, qui naturali proprietate conjecta quæque transformant in duriſſimos lapides. Hæc & ſimilia naturæ opera contemplati ſapientes viri, didicerunt arte pariter ſimilia fieri poſſe, modo ſervetur ſimilis, quem natura docet à ſuis inſtrumentis, ordo. Idipſum videmus in pleriſque montibus fieri, ut ex lapidibus carbones Ætneo quodam igne naturaliter generentur, quorum etiam in fabrilibus officinis uſus eſt frequentiſſimus. Ut iſta poſtrema tranſmutatio fit per ignem in terra, reliquæ ſupra poſitæ, per aquam & aerem fieri videntur. Hæc igitur ſunt inſtrumenta naturæ, ſunt etiam ipſi pro materia, motus verò pro forma. Quid igitur, ſi naturale compoſitum terra fiat per ignem, & illa aqua per aerem, hic autem ignis per ignem, & iſte rurſum deſcendens aer fit per aerem, & hic denuo per aquam fiat aqua, poſtremo tandem iſta per ignem in terram redeat: quam putatis inde futuram transmutationem quæſo? Siquidem experti fueritis, cognoſcetis. Ignarum vulgus hæc non videt, nec alia de cauſa, niſi quod naturæ non conſideret arcana. Quicunque igitur una cum iſto hæc ignorat, ac inficiatur, quæ natura cunctis ob oculos ponit, is quantumvis doctus aut literatus eſſe videatur, non eſt philoſophi neque phyſici nomine dignus. Unde quæſo Phyſica fundamentum primum habet, an ex apparentia tantum vel rerum naturalium manifeſtâ ſuperficie? Nihil minus, at ex occultiſſimis operationibus naturæ, ad manifeſtiſſimos effectus comparatis. Quandoquidem ut ipſa natura ſenſibus omnibus eſt inperceptibilis, non ſecus & ejus operationes omnes. Quis quæſo vidit unquam arborem creſcere, ſolem & aſtra moveri? nemo. Creviſſe tamen illas, & iſta mota fuiſſe per intervalla, quivis animadvertit. Mente potiſſimum in phyſicis igitur eſt opus, magis quàm oculis vel alijs ſenſibus. Quanquam iſti nobis indiciorum vice ſunt, ut ulterius progrediamur, alioqui inter philoſophum & ruſticum nulla futura differentia eſt. Ut autem ad inſtitutum redeamus: Scala transmutationis ſeptem gradus principes habet, ut ſunt: Calcinatio, Sublimatio, Solutio, Putrefactio, Deſtillatio, Coagulatio, & Tinctura. Sub calcinatione continentur hæc ejus membra: Reverberatio, Cimentatio, item Incineratio. Quibus omnibus operationibus cuncta vertuntur in calcem, vel in cineres. Primo igitur transmutationis gradu, elementata corpora naturalia convertuntur in terram, medio quidem igne tanquam inſtrumento. Hoc loco inprimis notanda differentia inter elementa materialia, & inſtrumentalia, de quibus obiter dictum eſt. Hæc enim externa ſunt, illa autem interna. Completa utique prima, ſive per calcinationem, ſive reverberationem, cimentationem, aut incinerationem, operatio-

ne; ſuccedit ex ordine præparationum ſublimatio, qua terra jam calcinata, vel in aquam, vel in aerem convertitur, juxta rei convertendæ naturam atq; proprietatem. Etenim ſiccorum potiſſimum, eſt elevatio volatilium partium à fixis, quapropter iſtiusmodi conditionis rebus convenit ſublimatio. Si tamen humidorum ſeparatio fieri debeat, ut vegetabilium, aut animantium, tum iſtorum ſublimatio quinto gradui cõvenit, deſtillationi videlicet. Sed quia hoc loco maximè de ſiccis agetur, uti metallis atque mineralibus, ordo pariter his congruus erit obſervandus. Proinde ſublimata pars volatilis, non ſecus atque in humidis, per cohobationes, id eſt ſeparatarum partium reconjunctiones, & iteratas vel repetitas ſeparationes, eo fixationis deveniunt ut cum fixis partibus infra maneant, & non amplius aſcendant, ſed in olei forma conſiſtant, aut lapidis: per aerem enim ſolutione transeunt in oleum, coagulatione verò per ignem in lapidem. Exemplo ſit omne metallum armoniaco ſale in ſublimationem actum, hoc enim ſucceſſibus lapideſcit. Hac operatione ſublimationum corroſiva multa dulceſcunt, vel miteſcunt, & econtra, cum additione tamen alterius ſubſtantiæ. Item acria multa dulceſcunt, aceſcunt ex adverſo dulcia, nonnulla per ſe, vel cum aliis ad hunc modum præparata. Ad ſecundum poſtea, tertius gradus accedit, ſolutio videlicet, eaq; duplex, una frigoris, altera vero caloris. Salia, corroſiva, & calcinata quævis per ignem coagulantur, frigore tandem aeris reſolvuntur in liquorem, aquam, vel oleum, humido loco ut in cella, vel in aere ſuper marmoreum lapidem, aut vitrum poſita. Pinguia tamen & ſulphurea calore ignis reſolvuntur. Summatim autem quod ignis calore ſolvitur, aeris frigore tandem coagulatur: contrà, quod frigore ſolvitur aeris, ignis calore coagulatur. Notato qua ratione frigidum aerem eſſe dicimus, quod pugnare quodammodo videtur contra nonnullorum philoſophantium opinionem: volunt enim iſti calidum & humidum eſſe. Verum ex quibus conſtat aer, non conſiderant. An non ex igne & aqua? quid enim aliud eſt aer quàm aqua per ignem reſoluta? Quandoque igitur ab una ſui parte, igne ſcilicet, calorem & ſiccitatem, ab altera vero frigiditatem, & aquæ ſuæ humiditatem mutuatur. Sunt enim duæ qualitates principes tantum, reliquæ vero duæ harum miniſtræ. Nihil enim natura calidum, quod etiam neceſſario ſiccum non ſit naturaliter, nihil item frigidum quod ea ratione humidum non ſit. Quicquid præterea his contingit, natura non, ſed per accidens fieri judicato. Non aliter de elementis, principem locum obtinent ignis & aqua, terra vero frigiditatem à ſocia videlicet aqua mutuatur, & ſiccitatem quam habet ab igne, per ſe autem nunquam calida, neq; humida, imò neq; frigida neq; ſicca, ſed alijs ſuis duobus principibus inſervire videtur haud aliter, quàm cera cuivis ſigillo.

gillo. Pariter de aere judicandum: ſic enim à ſuo patre calorem & ſiccitatem habet ab igne ſcilicet, frigiditatē & humiditatem ab aqua ſua matre. Generantur ergo tanquam à ſuis parentibus igne & aqua, maſculus aer, ſeu potius hermaphroditus, & fœmina terra. Adhuc de naturalibus inſtrumentis & materia. Quartus gradus eſt putrefactio, hic ob ſuam excellentiam meritò primum locum obtinere deberet, niſi contra verum ordinem, & arcanum, hoc loco multis occultum, & pauciſſimis manifeſtum, pugnaret inverſio. Manere debet igitur quæ poſita ſeries, & non variari, non magis quàm in cathenis annuli, in quibus ſi fortè deficiat unicus, qui detinetur eis captivus aufugerit. Putrefactionis itaque proprietas eſt, ut veterem naturam rerum conſumens, novam introducat, & nonnunquam producat fructum alterius generationis. Viva namque omnia corruptione moriuntur, mortua putreſcunt, iterumque per generationis transmutationem in ea vitam acquirunt. Spiritus etiam corroſivi per eam dulceſcunt atque miteſcunt, omnes colores in alios tranſmutantur, item purum ab impuro ſubſidente deorſum ſeparatur. Putrefactionis membra ſunt digeſtio, & circulatio, Quintus denique gradus eſt deſtillatio, quæ nihil aliud eſt quàm humidi à ſicco, & rari à craſſo ſeparatio. Hujus membra ſunt aſcenſio, lotio, imbibitio, cohobatio, & fixatio. Cohobatio vero quæ ſingula concludit, eſt liquoris deſtillati ad ſuas fæces repetita ſæpius affuſio, deſtillatioque. Ut vitriolum cohobationibus per propriam ſuam aquam fixatur, atque tum vocatur alumen ſaccarinum, quod ſolutum in liquorem, & deinceps putrefactum per menſem ac deſtillatum, aquam exhibet in modum ſaccari dulciſſimam: arcanum ad medicinam præ multis excellentiſſimum, ad extinguendum ignem microcoſmicum foſſoribus metallorum advenientem, quod lib. de morbis foſſorum mineralium habetur amplius. Ad eundem modum & alia mineralia quævis & aquoſa, veluti ſal nitrum, figi poſſunt cohobationibus. Sextus gradus eſt coagulatio, quæ quidem, ut ſibi correſpondens ex adverſo ſolutio, duplex etiam eſt, frigoris & caloris, id eſt aeris & ignis. Rurſus utraque coagulatio duplex, ut frigoris duæ, totidemque caloris exiſtunt. Frigoris prior fit ex aere communi extra ignem: poſterior autem ex ſuperiori firmamento per hyemalem lapidem, qui aquas omnes in nivem & glaciem congelat. Caloris tamen coagulatio prior, fit per induſtriam in arte gradationibus ignis obſervatis, & eſt fixa; reliquæ vero frigoris in alchemia non ſunt fixæ. Poſterior caloris coagulatio fit ab Ætnæo, & minerali ſub terra, nec non ſub montibus igne, per naturalem Archeum terræ gradato: huic non uſque adeo diſſimilis eſt ignis, qui per alchemiam ad coagulationem gradatus excitatur. Quicquid hoc Ætnæo coagulatur igne, fixum permanet,

ut a metallis & mineralibus videre licet, quæ ſingula conſtant, ab initio, ex muſcilaginoſa materia quadam, per Ætneum ignem, & Archæum terræ naturalem artificē in montibus in lapides, metalla, marcaſitas, ſalia, &c. coagulata. Septimus atque poſtremus ſcalæ transmutationis gradus eſt Tinctura, nobiliſſima præ cunctis omnibus ex arte Chemica conflata medicina, qua quidem corpora quævis metallica, nec non humana tinguntur in longè, quàm erant antea naturaliter, meliorem, nobiliorem, & præſtantiorem ſubſtantiam, ac ad ſummum ſanitatis, coloris, & perfectionis gradum, potiorem & excellentiorem naturam adducuntur. Ejusmodi tincturarum variæ ſunt ſpecies, hoc loco minime recenſendæ. Corpora primum à ſua coagulatione metallica per ignem amovenda, liquandaq; ſunt, alioqui tincturā non recipiunt activam, niſi reſerata ſint & aperta. Metallorum etiā tincturæ quævis eſſe debent admodū fixæ ſubſtantiæ, facileq; fuſibilis & incombuſtibilis naturæ, ut ſuper ignitam laminam poſitæ mox ut cera fluant, citiusq; metallum absque fumo penetrent, quam oleum papyrum, aut aqua ſpongiam ſubintrare videtur, idque tingant in album rubeumque colorem in igne permanentem & examini cuivis expoſitum. Primo igitur gradu calcinationis ad ejusmodi tincturas metalla in alcohol adducta, facilem acquirunt liquefactionē ſecundo gradu ſolutionis videlicet, ac deinceps per putrefactionem, ac deſtillationem eorum tincturæ figi debent, & incombuſtibiles fieri, colorëque non variabiles. Ad humanorum vero corporum ſanitatem inſtauratione & innovatione recuperandam aut conſervandam, ex auro, unionibus, antimonio, ſulphure, vitriolo, ſimilibusque trahi debent. Ignium etiam varia ſubjecta, varias habent operationes in alchemia, ut aliam lignorum flammæ quem vivum ignem vocant, & quo calcinantur ac reverberantur omnium corpora metallorum aut aliorum: aliam continuus candelæ, vel lychni calor, quo volatilia figuntur, aliam carbonum, quo corpora cementantur, colorantur, & purgantur à ſuis excrementis, item aurum & argentum ad altiorem gradum adducuntur, Venus dealbatur, & in ſumma cuncta metalla innovantur: aliam operationem habet ignita lamina ferri, ſuper quā fit examen tincturarum: aliam calor per ignem excitatus medio limaturarum ferri: aliam in cineribus: in arena item aliam: & in balneo Maris vel Mariæ (ut vocant) aliam, quo quidem fiunt variæ deſtillationes, ſublimationes, & coagulationes: aliam etiam habet balneum roris, quod vaporoſum vocavi alias, quo multæ rerum corporalium fiunt ſolutiones: aliam venter equinus habet, in quo præcipuæ fiunt putrefactiones atque digeſtiones: item his omnibus longe aliam habet inviſibilis ignis, id eſt, radiorum Solis, qui per ſpeculum aut cryſtallum palam fit à ſuis operationibus, & de quo veteres non

meminerunt. Hoc igne tria cujusque rei principia ſuper ligneam menſam, absque metu flagrationis vel aduſtionis ſeparari poſſunt, ac metalla quævis præter viſibilem ignem liquefieri, nec non aduſtibilia quæque in carbones & cineres concremari. Cæterum transmutationes metallorum imperfectorum ad perfectionem, fieri non bene poſſunt absque lapide vel tinctura, de quibus infra ſuo loco tractabimus. Proinde etiam infra de transmutationibus imperfectorum in imperfecta nonnulla dicemus ad probationem transmutationum duntaxat adducta, non prius tamen quam ignis tractationem in quo totius artis cardo potiſſimum vertitur, compleverimus, & aliquot lapidis proceſſus ex Paracelſo docuerimus.

De ſimplici Chemicorum igne.

CAP. II.

POſtquam de transmutationum artificio per ſcalam & ſuos gradus quod ſatis eſt ingenioſis diximus, ut ſervetur (de quo ſupra narratum eſt) ordo, neceſſarium erit inſtrumẽta prius, quam materiam ipſam initiandis proponere, ne rudes & inepti pedem prius quam manum admoveant. Huc igitur non accedant quibus mens oculus non eſt, cuique manus inſervire nequeat: pes enim & carneus oculus absque mente ſana & incorrupta, prorſum inepti. Potiſſimum itaque maximeq; requiſitum inſtrumentum eſt ignis, qui quidem ex propria natura vivens, à nullo alio vivificatur igne. Hinc fit etiam, ut poteſtatem atque vires habeat quemcunque alium in rebus occultum vivificandi. Qualis in hoc mundo Sol à Deo creatus eſt, ut quieſcentem ignem in omnibus expergefaciat, utque Lunæ, Mercurij, Veneris, Martis, Jovis, atque Saturni, & reliquorũ aſtrorum ſphæras omnes accendat igne ſuo, quæ alioqui de ſe nullũ habent, nec de ſe præbere poſſunt: etenim per ſe ipſa mortua ſunt, accenſa tamẽ igne ſolari, vivunt, ſuas quoque, juxta cujusq; proprietatem, operationes perficiunt. Sol vero lumen & vitã quam habet ignem, ab alio nullo recipit aſtro, ſolum à Deo ſuo creatore regitur, ut ſemper & æqualiter in ſeipſo ardeat ac luceat quamcunque aliam lucem naturalem illuminans. Haud aliter in arte ſpagirica judicandus eſt ignis athanoris, furnique ſecreti philoſophorum, qui furnum, & ſphæram vaſis accendit ignemque materiæ, quemadmodum ſol in univerſo mundo videtur operari, ſine quo nihil in eo prorſum generari poteſt. Pariter in arte nil efficitur absque hoc igne ſimplici, cum ſit potiſſima pars & operatio hujus artificij, reliquas omnes in ſe complectens, & à nulla comprehenditur, per ſe quidem conſiſtit aliarum non indiga, ſed reliquæ omnes indigent igne hoc ſimplici quæcunque fiunt operationes, à quo vitam recipiunt una cum ipſa materia.

Alibi de igne ſimplici loquitur Paracelſus ad hunc modum. Philoſophorum (inquit) celeberrima hæc eſt ſententia: Ignis & azot tibi ſufficiant, ſolus enim ignis totum opus eſt & ars integra. Porro quotquot ignem ſuum carbonibus ſimpliciter extruunt, errant vas in eo vel ſuper illud continentes. Igne fimi equini fruſtra nonnulli tentarunt. Carbonum igne ſine medio materiam ſublimarunt, & non diſſolverunt. Alij calorem ſuis lampadibus excitarunt, aſſerentes hunc eſſe philoſophorum ignem ſecretum, ad ſuum lapidem fabricandum. Nonnulli poſuerunt in balneum, & hoc in formicarum acervis: alij in cineribus juniperinis: aliqui in calce viva hunc ignem quæſierunt, in tartaro, vitriolo, nitro, & ſimilibus. Alij in aqua ardente, uti Thomas de Aquino falſo de hoc igne loquitur inquiens, Deum & Angelos ſuos eo carere non poſſe, ſed indies uti. Quæ blaſphemia hæc eſt? an non manifeſtiſſimum mendacium, Deum carere non poſſe elementari igne aquæ ardentis, imo ſuis creaturis omnibus quoties velit? Calores omnes medijs quæ dicta ſunt excitati per ignem, ſunt ad noſtrum opus proſum inutiles. Vide ne ſeducaris etiam ab Arnaldo de Villa nova, qui de carbonum igne ſcripſit, ipſe namque hoc ipſo te decipiet. Almadir ait, ſolos radios inviſibiles ignis noſtri ſufficere. In exemplum adducit alius, calorem cæleſtem ſuis reflexionibus ad Mercurij coagulationem & perfectionem maxime facere, continuato ſuo motu. Iterum idem: Fac (inquit) ignem vaporoſum, digerentem, & coquentem, continuum: non tamen volantem, aut bullientem, ſed alterantem & penetrantem: jam dixi & vere omnem ignis excitandi caloris modū, ſi verus es philoſophus, bene intelliges: hæc ille. Salmanazar ait: Ignis noſter corroſivus eſt ignis, qui ſupra noſtrum vas aerem & nubē obducit, in qua nube radij hujus ignis occulti ſunt: hoc rore cahos, & humiditate nubis deficientibus error commiſſus eſt. Rurſum Almadir ait, niſi ignis noſtrum ſolem humore ſuo calefecerit per fimum montis, aſcenſu temperato, non erimus participes albi neque rubei lapidis. Hæc omnia demonſtrant ſatis aperte nobis occultum ignem ſapientum. Summatim hæc eſt materia noſtri ignis, videlicet ut accendatur per quietum ſpiritum ſenſibilis ignis, qui ſurſum pellit velut calefactum cahos ex oppoſito ac ſupra materiam noſtram philoſophicam: qui calor ſupra vas noſtrum gliſcens, ad motum perfectæ generationis, conſtanter intermiſſione ſine temperate quidem urgeat. Hæc ego (inquit) Paracelſus de ſimplici philoſophorum igne.

De multiplici igne philoſophico.

CAP. III.

POſtquam de ſimplici diximus, congruum eſſe videtur, ut etiam de multiplici quid in medium adferamus, copioſius clariusque quam antea: nam de hoc poſteriore nonnihil tanquam per tranſennam attigimus. Ignis itaque multiplex eſt, qui pro diverſitate ſubjecti in quod influit, & per quod poſtmodum in alijs excitatur ſubjectis, variatur, ut ignis cinerum, arenæ, balnei, limaturarum, &c. mediatum calorem habent ab immediato profluentem in ſubjectam materiam inſtrumenti, & hinc in materiam arti ſubjacentem. In iſto quidem igne multiplici conſiſtit differentia ſuppoſiti, hæc eſt cauſa, propter quam nihil in rerum natura poteſt videri, in omnibus & per omnia ſimile cuipiam alteri, licet ambo ſint ſub eadem ſpecie, imò ſub eodem individuo membra. Ut metallum aliud producit aurum, ab eo quod argentum generat; aliud, ſaturneum, venereum, martium, &c. profert; item iſtorum quodlibet pro loci differentia unde fuerit erutum natumque variatur. Nec duo homines, neque duo corporis unius membra, non ejusdem arboris folia duo ſimilia reperiuntur: ſic de reliquis. Diſſimilitudo non eſt ex primo creaturarum igne, ſed ex elementorum vario regimine per planetas, & non per ſolem. Etenim quolibet momento calor in elementis hac diſpoſitione mutatur, ſimul & forma decompoſitorum à compoſitis, & non à ſimplicibus. Ubi non uſque adeo magna fit elementorum mixtio, ibidem generatur Sol; ubi paulo major atque impurior, ibi Luna; item ex imperfectiore Venus: ſic de reliquis, juxta mixtionum mutationes, cujusque metalli minera non ſimilis alteri, neque ſpiritus eorum inter ſe per omnia conveniunt. Si vero generarentur ex igne ſimplici ſolo, non interveniente multiplici, proprietatum atque formarum nulla fieri diſcretio valeret, nedum in metallis verumetiam in alijs omnibus creaturis. Cur autem non plura veniant in uſum quam ſeptem numero, quorum ſex ſolida, ſeptimum fluxile rarumque, ſuas rationes habet in adepta philoſophia, & non in alchemia; proinde ſuo loco reſervandæ, ne ab inſtituto digrediamur. Hactenus de multiplici dictum ſit igne philoſophico, ex phyſicis rationibus deducto.

De viſibilibus & localibus inſtrumentis, & primo de utero ſpagirico.

CAP. IV.

PRiusquam ad materiam deveniamus, inſtrumenta ſingula, tum actualia, tum localia declarare viſum eſt ex ordine, quibus ad hanc artem opus eſt. Actuale primum, ignem eſſe diximus, locale

vero primum eſt furnus, Athanor chemico nomine vocatus ab antiquis: hic uteri vicem in ſpagirica generatione refert. Hermes Triſmegiſtus etſi non inventor hujus artis, non minus quam Paracelſus ſpagiricæ medicinæ, inſtaurator tamen dici meretur. Ille ſpagiricum hoc opus, in quo philoſophia humana manum extremam ponit, ex meditativa contemplatione majoris mundi ſumſiſſe exordium aſſerit, innuens ad imitationem cæli & terræ ſpagiricum Athanor extrui debere. Sed comparationem hanc ingeniorum exercitij gratia brevibus examinare minime pigebit, quo prodeſſe queam lectoribus. Nemo phyſicus inficiabitur Solem generare Solem ſibi ſimilem, ſed non omnis fatebitur hunc in centro fœtum exiſtere, potiſſimum eorum diſcipuli philoſophorum, qui nullam ignis Ætnæi cognitionem aliam quam ex oculo carneo, ruſticorum inſtar, habuerunt. Hic Sol terrenus vel inferioris aut elementaris machinæ, per ignem ſuperioris Solis accenditur; non ſecus & noſtræ materiæ centrum, à centro mundi noſtri vel athanoris, quod ignis eſt, Solis naturalis vicem hac parte gerens per ſimilitudinem incenditur. Ecquis non videt (quæſo fratres) univerſi creati mundi formam, habere furni ſimilitudinem, vel ut reverentius loquar, uteri matricem continentis, elemēta videlicet, in quibus ſemina Solis & Lunæ, per aſtra varijs influxibus demiſſa corrūpuntur, coquuntur, atq; digeruntur in generationem omnium? Sed vel pueris, ne dicam philoſophis, hæc liquido manifeſta ſunt, quapropter latius non urgebimus. Ad Athanoris noſtri conſtructionem igitur veniamus. Primo conſtruatur furnus altitudine ſex ſpithamarum, & interna rotundaque latitudine unius ſpithamæ, ut inferius tamen ſit aliquantulo amplior quam ſuperius intrinſecus, atque politus, ne carbones injecti ſcabredine hæreant, ſed facile deſcendere queant, dum aduruntur infra prope craticulam. Ad hujus æquationem ſint aliquot foramina, quibus laterales vel uterales furni duo, vel tres correſpondeant, aut ſi voles unicus: oſtiolorum latitudo ſit quatuor digitorum idque latorum. Cuilibet fornaculæ ahenum adaptetur cum aqua cætera concludatur, ut ovum in gallina, vitrum in utero ſuo pro induſtria magiſterij. Deinceps ubi fuerit operandum, & omnia diligentiſſime parata, carbonibus quantitate nucis juglandis vel paulo majore confractis, impleta ad ſummum turricula ſuccendantur infra ad oſtiola, turriſque ſuperius obſtructa ſit, ne carbones in medio vel ſuperius accenſi, calorem totum opus vaſtantem excitent, unaque vice conflagrent omnia ſimul. Quum vero calor excedere juſtum videbitur, admoto ad oſtiolum aliquo laterculo cohiberi poterit; contra ſi remiſſior erit, ferrea rudicula cabones ſubtus craticulam commoveantur. Sed regiſtris (quæ gubernacula vocant) aptius moderabitur ignis: ſingula docet uſus in

uſus in præparationibus eorum quæ neceſſaria ſunt, antequam eo deventum ſit. Igne igitur ad juſtam æqualitatem proportionis moderato, ut ipſa natura docet in omnibus, calor fermentum excitabit, ac deinceps hoc materiam in ovo latentem. Proinde non aliter quam ſol in magno mundo lucet, illuminat, vitamque tribuit reliquis aſtris omnibus & elementis, ignis ſpagiricus illuſtrans athanorem ſuum, ac inſtrumenta quæque, maris quoque balneum fovens, ut gallina, ſuum ovum animatum excludit. Sed gigantem audio tanquam leonem rugientem contra furnum, quærens quem devoret Paracelſum. En (inquit) quemadmodum ſibi ipſi contradicit, nuperrime vetuit ne ſtruatur ignis carbonibus, idque admodum ſevere; modo vero docet carbonum ad hanc ſuam artem potiſſimum uſum. Tetigiſti ſcilicet, non melius quam reliqua omnia judicaſti ſecum pugnare ſcripta Paracelſi. Alterum tamen oculum eſt quod aperias, ne monoculus, aut cæcus prorſum de coloribus judicaſſe hactenus videaris. Non vidiſti quid ſibi velit hæc particula (ſimpliciter & ſine medio) ad carbonum interdictionem adjecta? Viden' quinam præter ſpem tuam Paracelſus licet mortuus, ſcriptis vivis adhuc ſuis tibi cæteriſque reſpondere calumniatoribus valeat, ac dicere, qui me judicas errare, tu erras per teipſum judicatus? Nunquid ſæpius admonui te, tuique ſimiles invidos homines paſſim in omnibus ferme ſcriptis meis, ne verbulum probe non maſticatum pertransires, alioquin eveniret vobis gigantibus cum pygmæo meo homunculo, quod olim Goliæ cum Davidulo puero? Cavete inquam, iterum atque iterum, ne hoc noſtro lapide tanquam myſterio magno corruatis, ac ſimul cum illo deſcendatis ad barathra, quo me relegare fruſtra conamini. Hæc intonare videtur Paracelſus in tumulo. Non ita fratres de mortuis loquendum eſt præter æquitatem, imo non de male meritis. Maneant in ſua requie omnes, quemque ſua facta manent. Facile quidem eſt carpere, judicium evitare hodie difficile, & in extremo non poſſibile. Quid es tu quod non ego, quid ego quod non tu? rurſus quid utrique, quod non alteri contingere poteſt, errare videlicet? Homines ſumus omnes, quibus hoc præſertim accidit magis quam brutis irrationalibus, quæ ſolo ductu moventur. Error fateor in plurimis, erras tu, tuum eſt fateri, meum admonere, non judicare: tuum igitur officium eſto ut meum, non per invidiam, fratrum non rite geſta palam facere, prius quam aliqua cum modeſtia juxta veræ philoſophiæ diſciplinam admonuiſſe: alioqui nec tu, nec ille, nec ego, ſecus facientes philoſophiæ nomine digni ſumus. Sed hæc philoſophica diſciplina (proh dolor) etiam à doctiſſimis impugnatur: tantum invaluit gentilium philoſophorum dogma hac tempeſtate celebratiſſimum in ipſis, ut non videant hoc omne qualecunque eſt

 forin-

foriníecus, & intrinſecus, nil niſi meram honorum ambitionem prætexere: hic ſtudij ſui laborumq; potiſſimus ſcopus fuit. Hinc factum ut quiſque famam ſibi per labefactationem vel denigrationem alterius parare conetur. At non conſiderant miſeri, nullam æque magnam injuriam fieri poſſe, quæ non longe majorem expectat, ſi tamen ex æquo fatui ſimus omnes, nemoque reperiatur qui ſapere pro menſura velit. Multi plus ſatis ſapiunt, aut minus plurimi, qui medium ſervent fere nulli. Viderimus igitur, ne quam prætendimus ſapientiam, juſto Dei judicio, in manifeſtam ſtultitiam etiam hoc ſeculum transformetur, idque proprio noſtro conatu. Si quid igitur à nobis erratum eſt, accuſante nos propria conſcientia, quo ſcandalum præbuiſſe videamus aliis in ſeductionem tendens, ſcriptis pariter ut etiam patratum, Deo coram & hominibus retractemus absque verecundia. Hominum, ut antea diximus, à ſapientiſſimis agnoſcitur communis error, à ſtolidis & fatuis vero non, quibus omne delirium vera ſemita, & è contra. Sed miſſos faciamus amentes probisque ac intelligentibus cum agamus latius. Adhuc de furno vel athanore, modo de vaſe quid audiamus.

De ſecundo ſpagirorum inſtrumento locali, matrice vel ovo philoſophico.

Cap. V.

Multa de ſe temere præſumentes philoſophi, perperam intellexerunt occultum atque ſecretum vas philoſophorum, & pejus id quod Ariſtoteles alchemiſta (non ille vero academicus Græcus) loquitur inquiens, materiam in triplici vaſe decoquendam: item peſſime quod ab alio dicitur, materiam in prima ſeparatione, primoque gradu, vas metallicum expetere, in ſecundo gradu coagulationis videlicet ac dealbationis ſuæ terræ, vas vitreum, & in tertio gradu, qui fixationis eſt, vas terreum. Nihilominus per hæc omnia, ſolum unum vas intelligunt in omnibus operationibus, uſque ad perfectionem rubei lapidis. Cum igitur materia noſtra, ſit radix noſtra ad album ſimul & ad rubeum, neceſſario vas noſtrum ad hunc modum eſſe debet, ut in eo materia regi valeat à cœleſtibus corporibus. Influentiæ namque cæleſtes inviſibiles, & aſtrorum impreſſiones, apprime neceſſariæ ſunt ad opus, aliter autem impoſſibile fuerit orientalem, Perſicum, Chaldaicum, & Ægyptiacum lapidem inſuperabilem alijs medijs adimpleri; per quem Anaxagoras totius firmamenti vires cognovit, ac præſagivit magnum lapidem de cælo deſcenſurum in terras, quod etiam poſt ejus mortem accidit. Cabaliſtis utique vas noſtrum innoteſcit potiſſimum, id juxta vere Geometricam proportionem atque menſuram, & ex certa quadam circuli quadratura fa-

tura fabricari debere,quo ſpiritus, & anima noſtræ materiæ ſeparata à ſuo corpore,hoc pro cæli ſui altitudine ſecũ elevare queant. Si vas præter æquum ſtrictius,amplius, altius, demiſſiusve fuerit, quam dominantes & operantes ſpiritus animaq; deſiderant, calor ignis philoſophici noſtri ſecreti (qui quidem acutiſſimus eſt) materiam violentius excitatam ad operationem urgebit nimiam, ut quandoque vas in mille fruſtra diſſiliat, non ſine periculo corporis ac vitæ operantis. Contra ſi capacius,quam ut calor juxta proportionem operari valeat in materiam, irritum etiam erit opus & fruſtraneum. Quapropter ſumma diligentia cum induſtria vas noſtrum philoſophicum eſt fabricandum. Quæ vero materia ſit hujusmodi noſtri vaſis, intelligunt illi ſoli, qui in prima ſolutione materiæ noſtræ fixæ & perfectæ,hanc in ſuam primam eſſentiam adduxerunt, de quo ſatis. Operator etiam diligentiſſime notet, quidnam in prima ſolutione materia deponat, à ſeque rejiciat. Vaſis hujus deſcribendi ratio difficilis eſt: talis tamen eſſe debet forma, qualem ipſamet natura expoſtulat: ex uno quidem & ex alio petenda ac inveſtiganda eſt. In ſumma talis, ut ex altitudine cæli philoſophici à terra philoſophica elevati,queat in fructum ſui terreni corporis operari. Hanc formam utiq; habeat,ut ſeparatio & purificatio elementorum,quando ignis unum ab alio pellit,fieri poſſit,utq; quodlibet ſuum locum, in quo hæret, occupare valeat, ac Sol & alij planetæ circumcirca terram elementalem ſuas operationes exercere, & curſus eorum in circuitu nõ impediatur, aut velociori motu agitetur. Juxta hæc omnia quæ dicta ſunt, juſtam proportionem habeat oportet rotunditatis & altitudinis. Quæ verò faciunt ad primam mundificationem corporum mineralium,ſunt vaſa fuſoria, tenaculæ,folles,cupellæ,teſtæ, cimentoria vaſa,cinericia, cucurbitæ,bociæ ad aquas fortes & regias,tum quæ ad projectionem in opere poſtremo ſunt neceſſaria. Cæterum de vaſe ad hoc opus: alio loco loquitur Paracelſus ad hunc modum: Ad hanc artem eſt quod habeas rite juſteque proportionatum vitrum: etenim ſi capacius erit,quam par eſt, dilatatur materia,id eſt, humiditas,ut nihil inde naſcatur; ſi verò ſit anguſtius vel compreſſius,germen ſuffocabitur, ut nullum fructum edere valeat. Exemplo patet ab eo quod ſub umbra, vel tecto ſatum fuerit,nil inde boni frugive produci. Quapropter plurimi refert ad vitrum hoc animum advertere: nam per ipſum vel in ipſo commiſſus error,non facilè corrigitur, imò non perducitur opus ob ejus impedimentum ad optatum finem. Peoinde ad uncias duas materiæ, ſumito uncias duas cum dimidia vitri vel ovi philoſophici,hoc eſt,quod pondus hoc referat: habenda ratio tamen eſt juſtæ vitri ſpiſſitudinis. His obſervatis non facilè hac parte committitur error. De localibus inſtrumentis igitur dictum ſit hactenus.

De

De ſubjecto vel materia philoſophica in genere.

Cap. VI.

Antea ſatis clarè diximus quæ ſint inſtrumenta chemica, jam verò quam ſibi materiam ſpagiri ad ſuum opus inchoandum elegerint audite: Poſtquam vegetabilia mortificata ſunt, cōcurrentia duorum mineralium, ut puta ſulphuris & ſalis, in mineralem naturam transmutantur, ut inde tandem perfecta mineralia reſultent. Etenim in terræ cavernis mineralibus vegetabilia nonnulla reperiuntur, quæ longo temporis ſucceſſu, & continuato calore, ſulphuris naturam vegetabilem exuerunt, induerúntque mineralem. Idque potiſſimum accidit ubi hujusmodi vegetabilibus proprium adimitur nutrimentum, ut coacta ſint poſtmodum à ſulphuribus & ſalibus terræ ſuum alimentum ſumere tantiſper donec in minerale perfectum, quod antea vegetabile fuerat, abit. Et ex minerali conditione hac, metallica quædam eſſentia perfecta nonnunquam oritur, idque progreſſu unius gradus in alterum. Sed redeamus ad lapidem philoſophorum, cujus materia eſt inventu difficilima nec non intellectu. Hujus ut aliarum quarumcumque modus inveſtigationis, & norma certiſſima, quid contineant valeantque, radicis eſt earum, & ſpermatis examinatio ſedula, qua pervenitur ad materiarum cognitionem. Ad hoc facit plurimum, conſideratio principiorum valdè neceſſaria, tum qua via quove medio natura primum ex imperfectione ad perfectionis finem devenerit. Cui conſiderationi conducit imprimis, habere compertiſſimum, creata quævis à natura fuiſſe compacta tribus primis principiis, Mercurio videlicet, ſulphure, & ſale naturalibus in unum permiſtis, ut in nonnullis volatilia ſint, in alijs verò fixa. Quoties enim corporale ſal, cum ſpirituali Mercurio, & animato ſulphure permiſcetur in corpus unum, tum demum incipit operari natura locis, quæ loco vaſorum ſuorum habet, ſubterraneis, per ſeparantem ignem, quo ſulphur craſſum & impurum ſeparetur à puro, & à ſale terra ſegregetur, nec non à Mercurio nubes, ſervatis prioribus partibus iſtis, quas natura decoquit rurſum ſimul in conſtans corpus unum geogamicum. Quæ quidem operatio habetur à magis ut mixtio conjunctioque per unionem trium, ut puta corporis, animæ, & ſpiritus. Adimpleta hac unione, reſultat inde purus Mercurius, qui ſi per meatus ſubterraneos defluat ejusque venas, obviamq; factus ſit cahoico ſulphuri, hoc ipſo coagulatur pro conditione ſulphuris. Eſt tamen adhuc volatilis, ut vix centum annis poſtea decoquatur in metallum. Inde ſumſit originem vulgatum hoc, nempe, Mercurium & ſulphur materiam eſſe metallorum, ut etiam ex relatu foſſorum mineralium conſtat. Non tamen vulgaris Mercurius, neque ſulphur commune metal-

metallorum ſunt materia, ſed Mercurius & ſulphur philoſophorum incorporata ſunt, ac innāta metallis perfectis eorumque formis, ut nunquam ab igne fugiant, neque vi corruptionis elementorum depraventur. Utique per ejusmodi naturalis mixtionis diſſolutionem, Mercurius noſter domitus eſt, inquiunt ſpagirici philoſophi. Sub hac igitur verborum forma, noſter Mercurius ex perfectis corporibus, viribusque terrenorum planetarum venit eliciendus: quod etiā Hermes his verbis aſſerit: Sol (inquit) & Luna ſunt radices hujus artis. Filius Hanuel ait, philoſophorum lapidem aquam eſſe coagulatā, videlicet in Sole & Luna. Unde ſole clarius patet, materiā noſtri lapidis nihil aliud eſſe præter Solem & Lunam. Idipſum etiā eo confirmatur, quia ſimile quodq; ſibi ſimile naturaliter parit generatque. Et non aliter quam duos eſſe ſcimus lapides, album & rubeum, duæ ſunt etiam lapidis materiæ, Sol & Luna ſimul copulata proprio matrimonio, cum naturali, tum artificiato. Et quemadmodum videmus virum & mulierem abſque ſemine utrumque ſuo generare minimè poſſe, pariformiter vir noſter Sol, fœminaque ſua Luna, ſine ſemine ſpermateque utrumque ſuo concipere non poſſunt, neque ad generationem aliquid moliri. Collegerunt inde philoſophi noſtri tertium eſſe neceſſarium, videlicet animatū ſemen amborū hominis & fœminæ, chemicorū ſine quo totum ſuū opus irritū eſſe judicarunt & inane. Hujuscemodi ſperma Mercurius eſt, qui per naturalem conjunctionem amborum corporum Solis & Lunæ, recipit iſtorum in ſe naturam in unione. Tum demum, nec prius aptum eſt opus ad congreſſum, ingreſſum, & generationem, per vim ac virtutem virilem & fœmineam. Hinc moti philoſophi noſtri dixerunt, Mercurium iſtum componi corpore, ſpiritu, & anima, eumque naturam elementorum omnium, & proprietatem aſſumſiſſe. Quapropter ingenio & intellectu validiſſimis adſeverarunt ſuum lapidem eſſe animalem, quem etiam vocaverunt ſuum Adamum, qui ſuam inviſibilem Evam occultam in ſuo corpore geſtaret ab eo momento, quo virtute ſummi conditoris omnium unita ſunt. Ea de cauſa meritò dici poteſt, Mercurium philoſophorum nihil aliud eſſe, quam compoſitum eorum abſtruſiſſimum Mercurium & non vulgarem illum. Sapienter igitur dixere ſapientibus, eſt in Mercurio quicquid quærunt ſapientes. Almadir philoſophus ait: Nos extrahimus noſtrum Mercurium ex uno corpore perfecto, duabusque perfectis conditionibus naturalibus ſimul incorporatis, hic ſuam perfectionem extrinſecus protrudit, qua reſiſtere valeat igni, ac iſta ſua perfectione forinſeca, ab extrinſecis inſultibus defendatur quicquid imperfecti jam in eo circumſeptum eſt. Per hunc philoſophi locum acutiſſimi, lapidis materia intelligitur Adamica, limbus microcoſmicus, materiaque philoſophorum homo-

homogenea, & unica. Horum dicta philoſophorum, de quibus antea mentionem fecimus, mere ſunt aurea, plurimæque ſemper exiſtimationis habenda, quod nihil contineant ſuperflui, nihil invalidi. Summatim ergo lapidis philoſophorum materia, nihil aliud eſt, quam igneus perfectusque Mercurius per naturam & artem extractus, id eſt, artificialiter præparatus, & verus hermaphroditus Adam atque microcoſmus. Hoc ipſum philoſophorum ſapientiſſimus ille Mercurius Triſmegiſtus aſſerens, lapidem vocavit orphanum. Noſter itaque Mercurius is ipſus eſt, qui Solis perfectiones, vires atque virtutes in ſe continet, quique per vicos ac domos Planetarum omnium transcurrit, & in ſua regeneratione vim ſuperiorum & inferiorum acquiſivit, quorum etiam matrimonio comparandus, ut patet à candore & rubore ſimul in eo conglomeratis. Magi per ſuam ſapientiam affirmarunt: omnes creaturas ad unitam ſubſtantiam adducendas, quam ſuis mundationibus & purgationibus aſſerunt in tantam ſubtilitatem aſcendere, divinamque naturam & proprietatem, ut operetur admiranda. Conſiderarunt etiam in terram redituram, & per ſupremam ſeparationem magicam, perfectam quandam ſubſtantiam emerſuram, quæ tandem plurimis & induſtrioſis, & valdè prolixis præparationibus, ex vegetabilibus ſubſtantiis in mineralem, & ex minerali in metallicam, & ex perfecta metallica ſubſtantia, attollitur in perpetuitati ſimilem ac divinam eſſentiam quintam, omnium cœleſtium ac terreſtrium creaturarum eſſentiam in ſe concludentem. Arabes & Græci per characteres occultos ſenſus denotantes, & per hieroglyphicas deſcriptiones Perſarum & Ægyptiorum, ad ſecreta & abſtruſa myſteria pervenerunt, quibus adeptis & partim intellectis, partim verò non, admiranda quædam experiundo viderunt oculariter. Sed quia ſupernaturalia profundius laterent, quam captus eorum poſſet aſſequi, arcanum hoc non juxta Magorum ſententiam vocarunt ſupercœleſte, ſed philoſophorum arcanum appellarunt, & ex ſententia Pythagoræ lapidem eorum. Hunc quicunque ſunt aſſequuti, variis adumbrarunt figuris ænigmaticis, deceptoriisque ſimilitudinibus, comparationibus, & vocabulorum fictionibus, ut poſteris ejus materia ſaltem foret occulta, ejusque nulla vel minima poſſet haberi notitia. Veterum plurimi hanc materiam ac præparationem ejus, apertè ſatis detexerunt ingenioſis parabolicis tamen & ænigmaticis verbis atq; figuris, ut arcerent indignos à tanto myſterio naturæ pariter & artis. Pauciſſimi nihilominus, etiam eorum qui ad hanc artem apti ſunt, balſamum naturæ perpetuum, lapidemque perfectum quæſierunt, ob ingentem laborem cum difficultate intricatum, qui paſſim occurrit inter inveſtigandum. Quo factum ut pigræ deſidesque mentes ab opere deſtiterint. Avari tamen, quibus auri

fames

fames & argenti viliſſimorum animum addit, omnium diligentiſſimè perſtiterunt in opere, ut præ hoc etiam vitam & opes neglexerint; verum quia non iſtis à Deo tanta felicitas mundana deſtinata eſt, oleum perdiderunt ac operam. Proinde ſtudio ac ingenio acutiſſimo ad hanc rem eſt opus, ut ex variis comparationum ſimilitudinibus mens auctorum ſcribentium in hac arte detegatur. Ut igitur ingenioſiores aliquatenus intelligant, ſimilitudinem aptam adferemus in medium, qua præfiguratur materia balſami perpetui, ſimili balſamo convenientis in humano corpore ad ſummam ſanitatem recuperandam, conſervandam, & propellendum morbum, inquit Paracelſus. Exemplo ſit communis ignis & naturalis: hic nobis eſt inviſibilis, quapropter in aëre in quo deliteſcit quærendus & inveniendus, per concuſſionem lapidis ad chalybem, in quibus tamen potiſſimum non conſiſtit, ſed in aëre, nec niſi ab objecto ſicco tanquam fomite retinetur. Siccitas enim calorem ſuum ſibique ſimilem ſtatim concipit; amboque ſimul operantur in ſubjecto tantiſper donec tota humiditas abſumatur, maneatque ſolum corpus aridum cinereumque mortis ſubjectum, igne vitæ pabuloque privum. Haud aliter materia philoſophis eſt inveſtiganda, cui pabulum & ignis vitæ maximè inſunt: hæc præparationibus elicienda ſunt, ut vitæ humanæ vitam augeant propemodum deficienti. Nam uti lignum paulò minus abſumtum, relictis adhuc valdè paucis carbunculis vel ſcintillis, addito ligno ceu fomento ſibi congruo, flamma vitaque revivifcit ignis, haud ſecus in humano corpore balſamum perpetuum additum vel atomo reſiduo vitæ, hanc in flammā prioremque vigorem ſuſcitat. Verum de materia quæſtio eſt in qua ſuſcitans hic ignis latet. Non æquum eſt, neq; tutum (ait Pararacelſus) clarè manifeſteque de hac omnibus ex æquo dicere. Nunquid ſufficit gratia Dei lucis filiis, qua lucem è tenebris umbrarum, figurarum, & ænigmatum educendi data eſt facultas? Tenebrarum filij hac ratione probantur, iſtis enim etiam ex luce nil præter meras umbras elicere contingit. Natura namque ſibi ſimilem naturam expetit, ea gaudet, ac velut ferrum trahitur à magnete, ſic tenebræ tenebras generant, lux verò lucem parit. Durus eſt hic lapis, ecquis ex eo nucleum eſſe poterit? quid cote & chalybe durius niſi adamas? Hic tamen atteritur: at quo nam artificio philoſophorum ſit lapis aperiendus, ut inde nobis, & ignis, & vita ſuppetat, non videmus. Aperiendi ſunt mentis oculi, ac inprimis conſiderandum, quæ medicina ſit humanæ vitæ præ cunctis omnibus, per naturam & artem magis congrua, ut ea conſervetur ac præſervetur uſque ad prædeſtinatum ejus terminum in ſanitate, ſitque à corruptionibus tutiſſima. Nemo, ſaltem verè phyſicus, in dubium revocabit metallicas eſſentias, præſertim corporum perfecto-

rum eſſe

rum omnium quæ natura produxit magis durabiles, minusque corruptibiles. Proinde ſi vita ſit ignis & calor formæ naturalis, humido ſuæ materiæ per lucem unitus, ut patet ex Geneſi, luxque non fulgentius vivat quam in corporibus corruptioni minus obnoxijs; quid obſtabit quo minus ignis calor, & humor radicalis in metallis incorruptibiles, à ſomno in vitam exicitati manifeſtam, organis humanæ vitæ junctis, hanc penè conſopitam ſuſcitent? Dormiunt enim in metallicis corporibus illa ſolum, & quieſcunt, ut homo ſomno correptus ac ceu mortuus jacet, nec niſi reſpiratione movetur, corpore verò non. Spiritus utique metallorum ſi liberetur à ſomno ſui corporis, motus & actiones ut ille ſuas exercebit in objecto ſibi corpore quovis. Non aliter de corporibus humanis judicandum, iſta dum ægra ſunt, ſpiritus vitales in eis obdormiſcere, non verè nec liberè ſpirare poſſe, ob ſomnolentiam ſui domicilij corrupti. Semotis igitur à corpore tenebrarum corruptionibus, non per medicum extraneum, ſed per ipſammet naturam auxilio medici corroboratam, acceſſuque vitæ extraneæ, metallorum videlicet incorruptibilis, liberè ſuos motus exercent ſpiritus ejusmodi vitales in hominibus. Nil mirum itaque ſi mirabiles curæ fiant à ſpagiricis medicis, alioqui per vulgarem Græcorum medicinam impoſſibiles; quo factum ut iſti morbos incurabiles judicarint, quos ipſi nequiverunt pellere dormientibus ac veluti mortuis ſuis medicamentis. Hinc perbellè differentia videtur ſpagiricæ medicinæ à Græcanica: hæc dormit cum dormientibus, illa verò vigil ab omni ſopore libera, dormientes facultates excitat vitæ. Sed ut ad inquiſitionem redeamus materiæ, hæc non melius innoteſcere poteſt quam ab inquirentium erroribus in hac parte commiſſis.

De variis in inquiſitione materiæ balſami perpetui, ſive lapidis philoſophorum erroribus.

Cap. VII.

Maximam hujus artis difficultatem obſervans Arnaldus ait in ſuo roſario: Varia huic materiæ lapidis nomina præfixerunt occultiſſima quædam, à ſimilitudinibus potiſſimum allata. Vegetabilem enim appellarunt, mineralem, & animalem, non juxta literalem ſenſum, ut facilè norunt ſapientes divinorum arcanorum, & miraculorum ejusmodi lapidis experti fingere. Hujus exemplum præ ſe fert Raymundi Lullij lunaria, quæ flores mirandarum virtutum edit philoſophis tamen familiariſſimos. Non fuit imponentis nomen hoc opinio, ut per id intelligeretur aliqua ſuper metalla projectio, vel præparatio ſimilis ex eis fieret, verum abſtruſa mens philoſophorum longè alio ſpectat. Simili nomine materiam ſuam appellarunt Martagon, cui etiam hinc

occultam

occultam operationem chemicam applicaverunt, cum tamen id prorſus nihil denotet præter quandam arcanam ſimilitudinem. Error etiam non minimus in vegetabilium liquoribus ortus eſt, quibus Mercurium coagulare plurimi conati ſunt, & poſtmodum fixatoriis aquis in lunam convertere, exiſtimantes eum qui hac via, citra metallorum auxilium coagulare poſſet, maximum aſſequi magiſterium. At quamvis nonnullorum vegetabilium liquores id efficiant, non aliunde fieri quam ob reſinam, pinguedinem, aut ſulphur terrenum, quo plurimum abundant, judicabitur: hoc Mercurij humiditatem attrahit, ejusque ſubſtantiæ permiſcetur coagulando præter omnem utilitatem. Nam craſſum & externum ſulphur nullum in vegetabilibus, ad perfectam projectionem in alchemia aptum eſſe, compertum eſt: quodque non ſine maximo diſpendio experti ſunt multi. Etſi nonnulli ſucco tithymalli albo, lacteoque, propter calorem intenſum, & acutum in eo exiſtentem, coagulaſſe Mercurium exiſtimarent, cum ſolo frigore in occulto potius contrario manifeſto id factum eſſet, unde lac virginis appellarunt, falſum tamen fundamentum hoc fuit. Non ſecus de ſucco chelidoniæ exiſtimandum, licet colore ſuo hominum imponat oculis, ac ſi dotatum eſſet auro. Colligentes inde vanum quid certo ac determinato tempore, vegetabile hoc eradicarunt, ex quo animam vel quintum eſſe venati ſunt, unde coagulantem ac permutantem tincturam efficerent, verum & hinc nihil præter fatuum errorē ortum. Alij ſuccum hunc ad ſpiſſitudinem (quam conſiſtentiam vocant) excoxerunt, ac Soli ut in duram maſſam coagularetur expoſuerunt, quæ poſtmodum in minutiſſimum pulverem tuſa, Mercurium (ut opinabantur) projectione verteret in ſolem, quod falſum eſſe compererunt. Aliqui admiſcuerunt huic pulveri ſal armoniacum, alij colcotar vitrioli, opinati ſe hac via tandem ad optatum finem pervenire poſſe. Poſtmodum ſolutionibus in flavam aquam adduxerunt, ut ſal hoc tincturæ præberet ingreſſum in Mercurij ſubſtantiam, nihil tamen inde factum fuit. Nonnulli prædictorum loco ſuccos perſicariæ, bufonariæ, dracunculi, foliorum ſalicum, tithymalli, cataputiæ, flammulæ ac ſimilium ſimul una cum ipſo Mercurio per dies aliquot vitreo vaſe concluſos, in cineribus tenuerunt: accidit ut inde Mercurius in cinerem vel pulverem potius verteretur, ſed perperam, & nullo fructu. Decipiebantur enim iſti vanis vulgi rumoribus, quibus proſeminatum erat Mercurium abſque metallis eſſe coagulandum, ut ante meminimus. Multi ex vegetabilibus ſalia, olea, ſulphura, &c. extraxerunt, ſed fruſtra, cum per hæc nulla Mercurij vera coagulatio, neque perfecta tinctura vel projectio fieri queat. Similitudine ſola philoſophi non ſubſtantia materiam ſuam arbori cuipiam aureæ ramo-

rum ſeptem comparant, intelligentes eam in ſuo ſpermate metalla ſeptem cōcludere, ac in ipſo latere, quapropter vegetabilem eſſe dixerunt: tum etiam quia non aliter quam naturales arbores ſuo tempore varios flores proferunt, materia lapidis colores pulcerrimos palam facit, in florum ſuorum productione. Item quia et terra philoſophica materia quædam exurgit, ceu virgultum ſpongiæ terræ ſimilitudine, dixerunt arboris ſuæ fructum ad cœlum tendere. Ideò protulerunt in vegetabilibus naturæ totius artis cardinem verti, & non in vegetabilibus materiæ: tum etiam quia ſuus lapis animam, corpus, & ſpiritum in ſe continet, ut vegetabilia. Non diverſa multum ſimilitudine materiam hanc lac virginis eſſe dixerunt, & roſei coloris benedictum ſanguinem, qui tamen ſolis prophetis & filiis Dei convenit. Inde Sophiſtæ collegerunt materiam philoſophicam in animalium vel hominum ſanguine conſiſtere: occaſione ſumpta, quod ex vegetabilibus nutriantur. Alij quidam in capillis, in ſale urinæ, in rebus: alij in ovis gallinarum, in iſtorum calce, in lacte, & ſimilibus quæſierunt, quibus omnibus Mercurium figere poſſe putarunt. Extraxerunt aliqui ſal ex fœtido lotio, nec defuerũt qui lapillos in rebis inventos materiam eſſe crederent. Alij membranas ovorum aſperrimo lixivio macerarunt, quibus etiam ovorum cortices admiſcuerunt, his attribuentes arcanum fixationis ad Mercurium perficiendum. Aliqui ovorum albumen argento comparantes, & auro vitellum, in ſuam materiam elegerunt, admixtis ſale communi, armoniaco, tartaroque uſto, ſimul iſta vitro concludentes balneo maris putrefecerunt, idque dum albus color in rubicundiſſimum ſanguinis inſtar abiret. Hoc ipſum in fœtidiſſimum deſtillarunt liquorem, ad opus quod quærebant, prorſum inutilem. Alij putrefecerunt albumen & vitellum ovorum, & inde baſiliſcus generatus eſt, quem in rubicundiſſimum pulverem exuſſerunt, eoque tingere putabant. Hujus rei fuit auctor Gilbertus Cardinalis in ſuo tractatu. Plerique fella boum, & aliorum animalium, ſale communi permiſſo macerata deſtillarunt in liquorem, quo cimentationum pulveres imbutos exiſtimarunt metalla ſua tingere poſſe, magiſterio quodam quod partem cum parte vocant, & inde nihil actum eſt. Aliqui tutiam eligentes additionibus aliquot, uti ſanguine draconis, & alijs ejuſcemodi frivolis nugis ſeducti, cuprum aut electrum in aurum permutare conati ſunt. Alij juxta Venetorum artem (ut ajebant) viginti plus minuſve ſtelliones olla concludebant, fameque redigebant ad inſaniam, ut unam alia famelica devoraret, unica ſuperſtite, quam cupri vel electri limaturis paſcebant, exiſtimantes genus hoc animalium in ventriculo ſuo digeſtione ſola permutationem optatam efficere: poſtremò hoc animal exuſſerunt in rubicundiſſimum

pulverem.

pulverem, quem cum crederent aurum eſſe, miſerè decepti ſunt. Nonnulli tandem in piſcibus trutis nomine, per liquationem concrematis, aurum invenerunt, non alia de cauſa, niſi quia genus hoc piſcium in fluminibus ſquamulas aureasque ſcintillas à torrentibus eo delatas, & nonnunquam ex montibus defluentes, colligere ac devorare ſolitum ſit, à natura doctum: raro tamen idipſum contingit. Tales impoſtores potiſſimum inveniuntur in aulis principum. Non eſt ſanè materia chemicorum philoſophorum in animalibus quærenda, hoc omnes admonitos ſemel velim. Eſt tamen quod ſciatur philoſophos lapidem ſuum animalem appellaſſe, quia in poſtremis ſuis operationibus, virtute hujus ignei nobiliſſimi myſterij, liquor obſcurus ac rubeus inſtar ſanguinis, ex ſua materia ſuoque vaſe guttatim exudat: inde præſagium protulerunt, poſtremis temporibus hominem puriſſimum in terras venturum, per quem liberatio mundi fieret, hunc ipſum guttas roſei rubeive coloris & ſanguineas emiſſurum, quo mundus à labe redimeretur. Pariformiter & ſanguis ſui lapidis, in ſuo genere, leproſa metalla nec non homines liberabat à ſuis infirmitatibus contagioſis. Quare non immeritò dixerunt ſuum lapidem animalem eſſe. De quo Mercurius ad Regem Calid loquitur ad hunc modum. Myſterium (inquit) hoc ſolis Dei prophetis permiſſum eſt cognoſcere, quo fit, ut lapis animalis vocetur. Nam in ſanguine lapidis hujus latet anima ſua: componitur etiam ex corpore, ſpiritu, & anima. Simili ratione vocarunt ſuum microcoſmum, quod rerũ omnium totius mundi ſimilitudinem habeat, & inde rurſus animalem eſſe dicunt, veluti Plato magnum mundum animal vocat. Acceſſerunt ignari credentes lapidem eſſe triplicem, atque triplici genere ſecretum, utputa vegetabili, animali, & minerali, quo factum ut etiam in mineralibus quæſierint. Hæc verò ſententia longè diſtat à philoſophorum opinione; aſſerunt enim ſuum lapidem uniformiter vegetabilem, animalem, & mineralem. Notandum adhæc, naturam minerale ſperma ſuum in varia genera diſtribuiſſe, videlicet in ſulphura, ſalia, boracia, nitra, armoniaca, alumina, arſenica, atramenta, vitriola, tutias, hæmatiten, auripigmenta, realgara, magneſias, cinabarim, antimonium, talcum, cachimias, marcaſitas, &c. in quibus omnibus nondum adimplevit materiam noſtram. Quamquam in aliquibus dictarum ſpecierum ſeſe miro nonnunquam patefacit aſpectu, quod ad imperfectorum metallorum transmutationem attinet. Longa ſiquidem experientia, & ignis per exercitium multifariam transmutationem oſtendunt in materia mineralium, nedum ex coloribus aliis in alios colores, verum etiam ex una eſſentia in aliam, & ex imperfectione in perfectionem. At licet ipſa natura quandoque his mineralibus mediis ejusmodi

demonſtrationes faciat multis præparationibus intervenientibus, non propterea volunt philoſophi ſuam lapidis materiam potiſſimum ex ullo mediorum mineralium progredi, tametſi lapidem ſuum mineralem vocant. Unde Sophiſtæ ab hac appellatione ſumentes occaſionem, ipſum Mercurium variis torturis perſecuti ſunt, aliqui ſublimationibus, coagulationibus, præcipitationibus, mercurialibus aquis fortibus, &c. quæ omnes erroneæ viæ vitandæ ſunt, cum cæteris Sophiſtarum præparationibus mineralium, purgationibus, & fixationibus ſpirituum atque metallorum. Proinde lapidis plurimæ præparationes, quin imò omnes quæ de mineralibus deſcribuntur ad hunc modum, uti Geberi, Alberti cognomento Magni, ac ſimilium, ſunt ſophiſticæ purgationes tantum, cimentationes, ſublimationes, deſtillationes, rectificationes, circulationes, putrefactiones, conjunctiones, ſolutiones, aſcenſiones, coagulationes, calcinationes, & incerationes prorſum inutiles, cùm in tripode, furno reverberatorio, athanore, liquefactorio, acidioſo, fimo, cinere, arena, ſimilibusque, tum in cucurbita, pellicano, retorto, phiala, fixatorio, & id genus alijs. Idipſum de ſublimationibus Mercurij per minerales ſpiritus ad album, & rubeum, ut per vitriolum, ſal petræ vel aliud, alumen, crocum Martis, &c. judicandum eſt, de quibus omnibus falsò fabulatur Jo. de Rupeſciſſa tractatu ſuo de lapide philoſophorum albo & rubeo, quæ ſimul ementita cum alijs ſomnia ſunt omnia bonos ac ſimplices viros miſerè ſeducentia. Fugienda ſunt etiam illa particularia ſophiſtica Gebri, ut ſunt ſeptenæ ſublimationes, aut mortificationes, item revivificationes Mercurij cum præparationibus, per Sal urinæ, vel per ſepulcrum factis, quæ ſingula ſunt ad lapidem falſiſſima. Quidam alij mineralium & metallorum ſulphuribus Mecurium fixare conati, ſummè decepti fuerunt. Vidi nihilominus hac arte Mercurium in corpus metallicum per ejuſmodi fixationes adductum, ſimilitudine quidem in omnibus & per omnia bonum argentum fingentem ac repræſentantem, verum in examine teſtæ vel cupellæ falſum ut extitit etiam apparuit. Sophiſtarum nonnulli tentarunt ex iſto Mercurio ſepties ſublimato, ac toties diſſoluto fixum oleum emungere, medio quidem aquarum fortium, quo metalla imperfecta quævis ad perfectionem adducerent, at fruſtraneum iſtud opus relinquere coacti ſunt. Aliqui vitriolum ſepties purgarunt calcinatione, ſolutione, coagulatione, & cum duarum partium armoniaci ſalis additione, ſublimationeque, ut in aquam albam ſolveretur, cui tertiam partem addidere Mercurij vivi, ut ea coagularetur aqua, totiesque poſtea Mercurium à dicto vitriolo & armoniaco ſale ſublimarunt ut in lapidem durum abierit: hoc affirmarunt ex vitriolo conceptum, rubeum ſulphur eſſe philoſophorum, cujus quidem ſolutionibus &

nibus & coagulationibus progreſſi ſunt, in projectione autem factum eſt nihil. Alij Mercurium coagularunt per aquam aluminis,& in maſſam duram alumini ſimilem, quam aquis acutiſſimis fixarunt inutiliter. Sophiſtæ plurimas rationes fixandi Mercurium ſibi præſumunt, fruſtra tamen quod in eo perfecti conſtantisve nihil habeatur. In vanum igitur addunt ei mineralia per ſophiſticos proceſſus, quibus omnibus ad majorem excitatur malitiam, vivus quoque magis ac magis efficitur, impurusque potius quàm perfectus. Non eſt igitur ab eo philoſophorū petenda materia, cum ſit imperfectum quid; quod ſi ad perfectionem etiam adduci queat, ſophiſtarum progreſſibus valdè difficile fuerit, imò impoſſibile, cum in eo nihil habeatur quod in perfectionem excitari cogive queat. Nonnulli ſumpſerunt arſenicum aliquoties ſublimatum, ac multoties oleo tartari diſſolutum & coagulatum, idque fixare prætenderunt, quo cuprum in argentum verterent; idipſum & nihil præter ſophiſticam dealbationem quandam attulit. Etenim hoc minimè figi poteſt, niſi tingens in eo ſpiritus probe cognitus erit, in quo quidem omnes ferè dormitarunt philoſophi fruſtra conantes ex arſenico boni quippiam efficere Quicunque igitur ſpiritum hunc ignorarint, ſpem ipſum figendi nullam etiam habeant, aut virtutem ullam ei tribuendi per aliud, qua transmutationis perfectionem acquirat. Quamobrem notum facio cunctis in eo ſuam operam impendentibus, dealbationem de qua mentio facta eſt, ex falſo fundamento depromptam, eaque falſo cuprum dealbari ſolum & non aliter immutari. Sophiſtæ Venerem etiam ad hunc modum larvatam atque fucatam duplo ſui admiſcuerunt lunæ, mixturam vendiderunt aurifabris atque monetariis: poſtremò verò ſeſe in falſos monetarios transmutarunt, nedum ipſi qui vendiderant, verum etiam qui emerant. Aliqui ex ſophiſtis albi loco rubeum arſenicum ſumpſerunt, & hoc ipſum ut prius in falſam artem abiit. Quoniam quocumque modo præparetur, nihil præter albedinem exhibet. Nonnulli progreſſi ſunt ulterius ad ſulphur commune, quod flavum ut erat, coxerunt aceto, lixivio, vel urinis acerrimis per diem & noctem, uſque dum album emerſerit. Poſtmodum elevarunt à calce communi & calce ovorum, coxerunt ac ſublimarunt, idque multoties, combuſtile ſemper nihilominus extitit, licet album: eo tamen crudum fixare Mercurium in aurum conati ſunt fruſtra, cinabaris tamen inde pulcherrima & omnium optima, quam viderim unquam, reſultavit: hanc fixare putantes oleo ſulphuris per cimentationem & fixationem, apparentiæ nonnihil habuit, verum ſecus atque res ipſa deſiderabatur, evenit. Alij ſulphur commune redegerunt in formam hepatis, olei lini, laterini, vel olivarum admixtione, coquentes in aceto, poſtmodum ſuper marmoreum la-

pidem effundentes. Hoc ipſum deſtillarunt in oleum citrinum igne lento primum, ſed ſuo damno ſunt experti ejus ſe nihil quod optabant, lunam ſcilicet in aurum minimè vertiſſe. Ut igitur mineralium infinitus eſt numerus, præparationum etiam eorum eſt multa varietas; quarum hoc loco latiorem facere mentionem distuli, quod peculiarem tractatum requirant. Cavendum etiam à ſophiſticis oleis vitrioli & antimonij, item ab oleis metallorum perfectorum & imperfectorum, etiam auri & argenti. Quoniam etſi horum operatio potentiſſima ſit in rerum natura, tamen verus eorum proceſſus in hunc uſque diem eſt paucisſimis cognitus. Abſtinendum etiam à ſophiſticis præparationibus Mercurij vulgi, arſenici, ſulphuris, & aliorum ſimilium, per ſublimationem, deſcenſum, fixationem, cum aceto, ſale petræ, tartaro, vitriolo, ſale armoniaco: ea tamen via rationeve quam docent libri Sophiſtarum. Item fugite ſophiſticas tincturas a marcaſitis & croco Martis deſumptas, & ab ea ſophiſticatione quæ pars cum parte dicitur, lunæ fixæ, ſimiliumque nugarum. Nam etſi aliquam ſuperficialem veritatis apparentiam exhibeant (quæ quidem lunæ fixatio parvi laboris eſt ac induſtriæ) tamen ejusmodi progreſſus præparationis eſt nullus, ac invalidus.

Audiamus jam quæ ſit vera materia philoſophici lapidis. In arte fermentorum & fermentationum (inquit Paracelſus) plurimum laborarunt philoſophi, quæ potiſſima videtur inter alias, de qua etiam nonnulli Deo votum & philoſophis exhibuerunt, ſe nunquam ejus rei prodituros arcanum, aliter quam ſimilitudinibus atque parabolis. Cum tamen Hermes libro ſeptimo ſuorum tractatuum, fermenta luculentiſſimè patefaciat inquiens, non niſi ex ſua conſtare paſta: latius, fermentum dealbare confectionem, & aduſtionem impedire fluxumque tincturæ prorſum retardare, corpora conſolari, & unionem ampliare. Dicit etiam eſſe clavem atque finem operis, concludens fermentum aliud nihil exiſtere niſi paſtam, ut ſolis nil niſi ſolem, & lunæ aliud niſi lunam. Alij fermentum affirmant animam eſſe, quæ niſi rite probeque præparata ſit ex magiſterio, nihil etiam afficere poteſt. Hujus artis nonnulli zelotes quæſierunt fermenta ſua in variis mineralibus primis & mediis, at in vanum ſe cucurriſſe compererunt. Quoniam eſt eadem ſubſtantia quæ quæritur, cum ea ex qua depromi debet. Notandum igitur ejusmodi fermentationes ex voto quærentium ſuccedere minimè, ſed ex naturalibus concordantiis gradatisque ſucceſſibus tantum,

De

De præparatione materiæ ſpagiricæ in genere.

CAP. VIII.

NAtura inprimis requirit ab artifice, ut philoſophicus Adam in Mercurialem ſubſtantiam adducatur, ac demum in orientalem ſolarem, ac lunarem lapidem enaſcatur. Porrò notandum communes illas præparationes Geberi, Alberti Magni, Thomæ Aquinatis, Rupeſciſſæ, Polydori, ſimiliumque, nihil aliud eſſe quam particulares quaſdam ſolutiones, calcinationes ad noſtrum univerſale minimè pertinentes, quod quidem ſecretiſſimo ſolum igne philoſophorum indiget. Ignis igitur & azot tibi ſufficiant. Philoſophos aliquarum præparationum facere mentionem, uti putrefactionis, deſtillationis, ſublimationis, cerationis, fixationis, &c. idipſum intelligas oportet in eorum univerſali naturam ipſam quaſvis operationes adimplere in dicta materia, & non operarium, in philoſophico vaſe duntaxat, igne ſimili & non communi. Album namque & rubeum ex una radice proſiliunt abſque medio quovis. Solvitur per ſeipſum, & copulatur per ſe, albefit & rubefit, croceum & nigrum efficitur per ſeipſum, ſeſe deſponſat, & in ſeipſo concipit. Decoquendus igitur, aſſandus, & fundendus: aſcendit atque deſcendit, quæ quidem operationes omnes unica ſunt igne ſolo facta. Nonnulli tamen philoſophi per ſummè gradatam eſſentiam vini, corpus ſolis diſſolverunt, volatileque reddiderunt, ut per alembicum aſcenderet, putantes veram eſſe materiam volatilem philoſophorum, cum non ſit: etſi non contemnendum arcanum ſit, corpus metallicum perfectum in volatilem & ſpiritualem ſubſtantiam adducere, tamen errant in elementorum ſeparatione: qui proceſſus monachorum, videlicet Lullij, Richardi Angli, Rupeſciſſæ, & aliorum eſt erroneus. Opinabantur enim aurum hac via in ſubtilem ſpiritualem & elementalem potentiam ſeparare, poſtea ſeparatim utramque per circulationem, & rectificationem rurſus in unum copulare, ſed fruſtra. Siquidem etſi unum elementum ab alio quodammodo ſepararetur, nihilominus quodlibet ad hunc modum ſeparatum, in aliud iterum ſeparari poteſt, quæ partes poſtmodum pellicanica circulatione, vel deſtillatione rurſus in unum coire minimè poſſunt, quin ſemper maneant volatilis materia quædam, & aurum potabile, ut vocant. Cauſa verò cur iſti ad ſuam intentionem pervenire non potuerunt, hæc eſt, quia natura hac via minimè diſtrahi vult, nec ſeparari humanis disjunctionibus, uti per terrena vitra, & inſtrumenta. Sola ipſa novit ſuas operationes, & elementorum pondera, quorum ſeparationes, rectificationes, & copulationes exequitur abſque adminiculo cujusvis operantis,

ant manualis artificij, dummodo contineatur in igne ſecreto materia,& in occulto vaſe. Per hominem igitur impoſſibilis eſt elementorum ſeparatio,quæ licet appareat,non eſt vera tamen; quicquid de Raymundo Lullio dicatur, & Angelico ſuo nobili aureo quod fabricaſſe falſo putatur. Habet enim ipſamet natura proprium in ſeipſa ſeparatorem, qui quod ſeparat, iterum conjungit abque hominis auxilio, novitque omnium optimè uniuscujuſque proportionem elementi, & non homo, quicquid ſcribentes erronei ſuis frivolis falſisque receptis de volatili hoc auro ſuo fabulentur. Hæc eſt opinio philoſophorum, ut cum ſuam materiam in ignem ſecretiorem poſuerint, calore hoc philoſophico circumquaque fovetur,ut incipiens per corruptionem tranſire, nigreſcat: hanc operationem putrefactionem eſſe dicunt,nigredinem, & caput corvi nominant: materiæ hujus aſcenſum atque deſcenſum appellant ſuam deſtillationem, aſcenſionem & deſcenſionem: exiccationem dicunt eſſe coagulationem,dealbationem verò calcinationem. Et quia continuato calore fluida fit ac mollis materia,cerationis mentionem faciunt. Quum autem aſcendere deſinit,& liquida manet in fundo,fixationem vocant. Ad hunc modum igitur operationum philoſophicarum appellationes intelligendæ ſunt,& non aliter. Declaratis igitur inſtrumentis & materia cum fermentis, ex ordine veniendum eſt ad pondera, ſine quibus irritum eſt opus noſtrum.

De proportione materiæ & formæ ſpagirici lapidis.

Cap. IX.

Formalis noſtri fœtus pars, eſt Mercurius philoſophorum, & ſolis ſpiritus ſive tinctura: vivus autem pars eſt materialis altera. Proinde compoſitio hujus ſacratiſſimi lapidis Adamici, fit ex ſapientum Adamico Mercurio, cum eorum Evena muliere per matrimonium & unionem unius & alterius Mercurij in tertium. Eſt igitur unica materia philoſophorum conſtans ex ſpirituali Mercurio, corporali, & animali. Corporalis Mercurius eſt ſubjectum tincturarum: ſpiritualis verò & animalis medium exhibent illas conjungendi. Verum in iſtorum conjunctione debita proportio ſervanda eſt, nam ſi plus unius quam alterius accipiatur, vel ſemen projectum in agrum ſuffocabitur,ut nō poſſit tamdiu vivere,donec à Mercurio philoſophorum unitum igne perficiatur: vel contra ſi minus, ſolvi non poterit omninò, quo fiet ut arefactum nihil fructus allaturum ſit. Proinde quantum unius & alterius ſit accipiendum audite, ne ob ejus proportionis ignorantiam totum deſtruatur opus. Sumatur itaque pars una ſeminis,ad duas terræ partes, vel tres ad quatuor, & non errabitur,quin imò ad optatum finem opus perducetur hac parte,modo

reliqua

reliqua moderentur. Alibi de hac proportione loquitur Paracelſus ad hunc modum: Duplici ratione pondus obſervandum eſt, naturale prius, alterum autem artificiale. Naturale conſequitur effectum in terra per naturam & concordantiam, de qua Arnaldus. Si terræ plus aut minus additum erit quam natura patiatur, ſuffocatur anima, nullusque fructus percipitur, nullaque fixatio. Idipſum de aqua cenſendum, ſi plus iſtius aut minus accipiatur, non inconvenientius damnum attulerit, cujus ſuperfluitas materiam ſupra modum humidam reddit, ejusque defectus eam juſto ſicciorem efficit ac duriorem. Si plus æris adfuerit, tincturæ nimium imprimitur; ſi parum, pallidum corpus evadet. Itidem ſi vehementior ignis exiſtat, aduritur materia; ſi remiſſior, poteſtatem exiccandi non habet, neque ſolvendi, nec alia elementa calefaciendi. In iſtis pondus elementale conſiſtit. Verum artificiale eſt occultiſſimum, cum in arte magica ponderationum ſit concluſum. Inter ſpiritum, animam, & corpus (ajunt philoſophi) pondus conſtat ſulphure tanquam operis rectore: etenim anima ſulphur apprime deſiderat, neceſſarioque obſervat ratione ponderis: ad hunc modum intelligito. Materia noſtra eſt unita rubeo ſulphuri fixo, cui tertia pars regiminis commiſſa eſt, uſque in ultimum gradum, ut perficiat in infinitum operationem lapidis, & cum eo perſiſtat una cum igne ſuo, & pondere conſtet æquali cum ipſa materia, in omnibus, & per omnia, ſine ulla variatione alicujus gradus transmutationis. Poſtquam igitur materia adaptata eſt, & proportionato ſuo pondere mixta, vaſe philoſophorum optimè ſigillo ſuo concludenda, & igni ſecreto committenda, in quo Sol philoſophicus orietur ac ſurget, nec non illuminabit omnia quę ſuum lumen expectarunt, ſpeque plurima deſiderarunt. Sed qnia rite hæc intelligi nequeunt, niſi tincturarum ſpiritualium in metallis perfecta habeatur notitia, de his eſt quod etiam diſſeramus.

De tincturis & ſpiritibus metallorum, & primo de tinctura Solis.

CAP. X.

PRincipem locum tenet Solis tinctura, quæ eſt ex ſubtili admodum igne puriſſimo perfectiſſimoque nata; quapropter ſpiritus hic ab igne minime refugit, ſed fixus in eo manet jubilans & gaudens, ab eo non abſumitur nec uritur ut reliqui omnes, quin imo ſplendeſcit ac ſemper clarior efficitur, nulli corruptioni ſubjicitur, caliditati neque frigiditati vel alijs qualitatibus, quæ nihil ipſi detrimenti ullatenus adferunt: quo fit ut corpus quod ſemel induit, ab omnibus accidentarijs corruptionibus & morbis tuetur atque defendit, ut hoc etiam pariter cum eo ſuſtineat ignem abs-

que læſione. Virtutes ejusmodi corpus à ſeipſo non habet, ſed à ſuo ſpiritu ſolo hoc ipſum efficiente. Certum eſt ſolis corpus eſſe Mercurium, qui tamen ignem ſuſtinere haudquaquam poteſt, at citiſſime fugit ab eo. Cum igitur in auro exiſtens minimeque fugiens conſtanter perſiſtat, dubium non eſt ejusmodi fixionem à ſpiritu ſibi contigiſſe. Quod igitur in Mercurio munus & officium habet, quin idem à ſuo corpore liberum, inque humanum corpus aſſumtum operetur, quid obſtabit? quin etiam iſtud ab omnibus corruptionibus, morbis & accidentibus quibuscunque tutum reddat, vitamque longam & ſanam æque atque noſtris olim primis parentibus conferat? Haud ſecus aliorum metallorum proprietates ac vires cognoſcendæ, ſola nimirum experientia certiſſima ac vera, & non ſubtilis intellectus ratione quapiam alia, cum hæc ſapientia per ſolam opinionem cōcepta, coram Deo & veritate mera ſtultitia ſit, quapropter in hanc ſperantes atque credentes fraudari contingit ſimul & errare. Adhuc de ſpiritu ſolis atque tinctura, modò quam luna habeat videamus. In hac alba tinctura latet, ut in ſole rubea; naſcitur etiam ex ſubtili ſpiritu, non tamen æque perfecto ac ſolis, reliquas nihilominus aliorum metallorum ſubſequentium tincturas longe ſuperat puritate, & conſtantia. Plumbum enim ignitum, cuncta metalla & ſeipſum abſumit igne præter ſolem, & lunam, cui detrimenti nihil adfert. Cum igitur ſpiritus lunæ corpus quod ſemel induit, Mercurium ſcilicet, ab injuria tueri valeat ignis, & aliorum accidentium, conſtansque reddere, facile hinc eſt colligere, ſi hoc in tam inſtabili volatilique corpore Mercurij efficiat, quanto efficacius operabitur à ſuo corpore liber, & in corpus humanum projectus; an non iſtud etiam à quibusvis corruptionibus & morbis tuebitur? Sane quodcunque operatur in Mercurio, hoc ipſum in humano corpote poteſt, atque vitam longam & ſanam conſervare, pulſis omnibus morbis qui ſub ejus poteſtate comprehenduntur juxta gradum à natura ſibi præfixum. Siquidem quo ſublimior, ſubtilior, atque perfectior quæque medicina fuerit, eo perfectius etiam curat in ſuo genere. Proinde rudes admodum ſunt illi medici, qui ſuam artem fundarunt potiſſimum in corruptibilibus medicamentis, uti ſunt vegetabilia, quibus nihilominus permanentes & fixas curas inconſtantiſſimis aggrediuntur mediis, quod quidem ipſis impoſſibile eſt ſuſcipiunt. Quid autem de his dicam? aliud nihil hactenus in ſuis academiis didicerunt. Proinde potius quam ab initio diſcere, ſtudereque, penes antiqua larvataque ſua ſtudia manendum eſſe judicant. Spiritus Veneris ex permixtione craſſiorum elementorum oritur quam præcedentes, quapropter iſtis eſt ſubjectus; perfectior tamen ſubſequentibus aliis ſpiritibus atque tincturis, quas fixatione & conſtantia ſuperat. Nam

igne

igne liquatum vel candens cuprum, non tam facile comburitur aut evaneſcit, ut ſubſequentia metalla, nec aere vel humiditate tam cito corrumpitur atque Mars: hic enim fixius in igne perſiſtit. Quam quidem virtutem Venus à ſuo corpore nequaquam habet, ſed à ſpiritu ſibi naturaliter infuſo. Quicquid operatur in Mercurio ſuo corpore cōſervationis, idipſum & in humano, juxta ſibi conceſſum à natura gradum: nam vulnera pariter & ulcera munit ab accidentibus, quæ his ab aere vel igne contingere poſſent; præterea morbos omnes propellit, qui ſub ejus gradu vel dominio comprehenduntur, & à radice penitus evellit. Ex adverſo metalla quævis quibus admiſcetur, imo corpora perfectorum dilaniat, ut malleum non admittant, nec amplius tractabilia tantiſper exiſtant, uſque dum ab eo liberentur. Haud ſecus efficit in humano corpore, præſertim ſi ad aliquem morbum aſſumatur, cui per ſuum gradum non eſt à natura deſtinatum, contracturas membrorum infert. Quamobrem probe medicus addiſcat prius, cui morbo conveniant quique metallorum imperfectorum ſpiritus & tincturæ, quam periculo patientum experiatur. Tutius tamen foret perfectorum uti ſpiritibus duntaxat, niſi aurum & argentum eſſent pretioſiora, quam ut à quovis ægro perſolvi talis medicina valeat, vel potius paratu hæc difficilior, quam uniuscujusque medici fert ingenium & induſtria; quo fit ut iſte cogatur facere quod poteſt quodque didicit, nempe tractare vegetabilia, & animantia; quæ ſuperantur, intervalloque plurimo à tergo relinquuntur à mineralibus, quantumcunque rudi Minerva præparatis. Tinctura martia conſtat ex elementorum aduſtibili craſſaque permixtione, ſed præ cæteris imperfectis duriorem minusque tractabilem ſubſtantiam habet, vix etiam fuſibilem, aere corruptibilem & aqua, quibus & ab ærugine vel ferrugine conſumitur, igneque facilime. Nihilominus duritie ſuperat alia quævis & ſiccitate metalla, quæ permixtione deſtruit ac diſcontinuat, perfecta non minus quam imperfecta. Non aliter membra corporis humani torquet, cum ad alium applicatur morbum, quam deceat. Verum ad ulcera forinſecus, quibus etiam convenit, aſſumtus hic ſpiritus, curat à radice, tollens omnem contagionis cauſam gradu ſibi parem, non tamen ſuperiorem. Non caret igitur viribus, atque virtutibus à Deo naturaque ſibi conceſſis in ſua ſpeciali proprietate. Spiritus Jovis naſcitur ex alba & pallida ignis ſubſtantia, intractabili malleo natura, non æque tamen ac Mars, permixtione cum aliis ea corrumpit atque diſcontinuat, præſertim lunam, ut ab hac vix ſeparari queat, nec, niſi prorſum amotus magno labore ſit, ipſa tractabilis. Simile quid in aliis metallis operatur præterquam in Saturno. Quod in ſuo genere, pariter extra in aliud aſſumtus, ut in hominem operatur, membra

diris

diris paſſionibus ac doloribus cruciat, roditque maximis ardoribus, ut naturales facultates exercere nequeant. Forinſecus tamen fiſtulis, cancro, carbunculo, ac ſimilibus applicatus, quæ ſuæ naturæ gradum non excedunt, optimū eſt remedium extirpans omne malum. Saturni ſpiritus oritur ex obſcura, tenebroſa, frigidaque permixtione elementorum, quo fit ut cæteris minus perduret in igne, celeriusque diſpareat cum ſuo corpore. Corpora ſolis & Lunæ mundat, & in examine purgat ab omni ſuperfluo, ſed ea confracta ac diſcontinua relinquit à lavacro: non ſecus in homine membra torquet intro aſſumtus, majore etiam dolore quam ſtannum & ferrum, quia tamen frigore coagulatur ejusmodi ſpiritus alijs multo intenſiore, non ita acriter exagitat. Habet nihilominus ad perſanandum fiſtulas, cancrum, & alia hujus generis ulcera maximas vires & facultates, item ad pleraque vitia, non ſecus quam ex auro & argento quasvis impuritates, educendum. Verum niſi peractis operationibus à corpore ſimul una cum morbo recedat, valde plus damni quam utilitatis adferet. Proinde hoc ſpiritu medicus uti cupiens, inprimis cognoſcat quibusnam conveniat morbis, & quorſum ordinatus ſit naturaliter in medicinis. Poſtremo vero Mercurij ſpiritus, cum nullam determinatam aut certam formam habeat, præcedentibus aliis omnibus, ut cera ſigillo ſubjicitur omni: etenim ſpiritum in ſe quemcunque recipit, ut quum ſolis ipſi ſpiritus imprimitur, in ſolem tranſit; ſi Lunæ, in lunam; ſic de reliquis: naturam ejus induit, cujus ſpiritum amplectitur metalli. Comparatur itaque juxta corpus ad alios ſpiritus dictos, non aliter quam ad virum ſua femina, non corporali mixtione, ſed quum ſpiritus eductus fuerit ex ſuo metallo, ac in Mercurium poſt præparationem projectus, tum demum ſuam transmutationem exhibet. Non ſecus mortua metalli femina tanquam incultus ager vel terra, ſi maceretur vel aratro philoſophico vivificetur (quæ femina hoc opere fixa manet ac incorrupta) corporali ſpiritu dicto per ignis gradus unitur in iſtius naturam atque ſubſtantiam, & hic cum mortuo metalli corpore: quod quidem cum craſſo Mercurij ſpiritu minime fieri poteſt. Et ſi corpus ſolis Mercurius vel argentum vivum exiſtat, ac fixum, nihilominus communis Mercurius non fixus adhuc, neque mortificatus etiam non reſurrexit. Nam reſurrectio metallorum, eſt immortificabilis regeneratio, mediumque per quod ejusmodi tincturæ promoventur ad ſui generationem. Quapropter cum corporibus mortuis uniri non poteſt in fixationem, at ſolum cum extractis ſpiritibus, uti corporalibus dictis, qui metallis ſubjiciuntur non aliter quam communis Mercurius ſpiritibus metallicis omnibus. Spiritus enim craſſus Mercurij, tincturam hanc in ſubſtantia minime generat, non magis quam concubina legitimos fœtus. Pariter de Mercurij

curij craſſo ſpiritu judicandum eſt tantisper, donec metallicus & corporalis fiat medio naturalis materiæ. Præter hoc medium impoſſibile fuerit boni perfective quid in ejusmodi tincturis perfici. Porro ſi fuerit ignis intenſior, generari nequeunt, ſi remiſſor, idipſum eveniet.

De ſpecialibus præparationibus materiæ lapidis, & primo per Electrum.

CAP. XI.

NIhil in rerum natura quod ſua forma careat: omne ſiquidem eorum quæ ſunt in ſua cōcordantia generatur, multiplicatur, ac deſtruitur, ſuumque patefacit initium, à quo ſenſualiter percipitur id ipſum in fine futurum, quod à principio, fierique debere. Quicquid intercipitur, imperfectioni ſimile quid eſſe videtur quod natura per accidens ad generationem urget. Cum tamen accidentia per Vulcanum amoveri queant ut nihil operentur, eatenus emendari natura poteſt, quod in iſto lapide contingit. Quoniam ſi hunc ex vera materia (quam à præced ntibus inſtructionibus facile cognoviſti) fabricare voles, oportebit ante omnia ſuperfluitates amovere, ut in ſua concordantia formetur, multiplicetur, & augmentetur. Natura ſiquidem reliquit imperfectam, cum ipſa non lapidem, ſed hujus materiam duntaxat formet, ex qua quidem fieri minime poteſt, quod poſt ejus præparationē fit per lapidem, accidentibus materiam impedientibus. Eſt igitur materia ſine præparatione, reſpectu lapidis, non niſi res ſemiperfecta, non conſiſtens in aliqua concordantia, quæ perfecta dici poſſet, aut humano corpori conveniens ad ſanitatem. In exemplum eſto Microcoſmus: hic per ſuum artificem non niſi vir fabrefactus eſt, non opus integrum, cum in ſua concordantia non reſiſtat, ſed medium tantiſper donec accedat virago femina ſibi ſimilis ex eo fabricata, tum demum integrum & completum opus efficiunt. Terra ſunt ambo, duæque terræ hominem unum conſtituunt integrum, qui augeri creſcereque poteſt, hoc efficiente formata concordantia. Proinde lapis philoſophorum (qui non minus hominem, quam ipſa metalla debet inſtaurare) purgatus à ſuperfluis accidentijs ac liberatus, nec non in ſua concordantia poſitus, operatur miracula quædam in omnibus infirmitatibus: alioqui fruſtaneus labor, qui præter concordantiam ſuſcipitur in opere philoſophico balſami lapidisque perpetui. Ut igitur ad ſuam concordantiam veniat, in primam reducendus eſt materiam, quo maſculus in feminam agere queat, ejusque manifeſtum occultetur, & hoc manifeſtum fiat, ut ſemen utriusq; maris & feminæ videlicet in ſua concordantia concluſum, & Vulcani medio plusquam perfectum, & in ſummo ſuo gradu exaltatum, qualificatas virtutes omnes

tes omnes una cum temperata clarificataque eſſentia, de ſe valeat in humanum corpus exerere, necnon in metalla, ſordes per viam pulſus expellendo, quodque bonum eſt in humano ſanguine, ſuo loco diſponendo per viam tactus, & conſervando, quo Microcoſmus in limbo terræ conſiſtens, & ex ea formatus hac medicina, tanquam ſibi ſimili, radicaliter & vere ad ſanitatem adducatur, ac in eadem conſervetur. Tantum naturæ myſterium, & arcanum maximum latere medicum nullum debet, ſaltem ex aſtrali medicina natum. Ut filiis itaque doctrinæ clarius materiam, & præparationem magis ac magis aperiamus tam admirandæ medicinæ: Sciatur à natura datam rem unam atq; productam fuiſſe, in qua tanquam in arca 2.3.4. ſunt myſterialiter concluſa, nec non occulta quieſcunt, cujus rei vires atque virtutes poſt præparationem, abundantiſſimam habent poteſtatem à Microcoſmo quoscunque morbos & infectiones pellendi. Verum eſt juventutis à ſenectute, & hujus ab intempeſtiva morte defenſivum, quod balſamum etiam vocamus. Proinde ſcitu neceſſarium imprimis, in quo ſubjecto natura hos numeros poſuit. Virtutes ejus ampliſſime deſcriptas invenies in archidoxis meis (inquit) libro de renovatione & inſtauratione. Cæterum aſtralibus diſcipulis materiam aperte ſatis jam demonſtrabo, cum totius operis præparatione. Qui aures habet igitur ad audiendum, & mentales oculos ad videndum, audiat ac videat quid Paracelſus doceat, priusquam judicet cum cæteris iniquè.

Electrum minerale immaturum ponatur in ſuam ſphæram, ut ſordes & ſuperfluitates abluantur, ſummeque repurgetur per ſtibium juxta chemicum uſum & conſuetudinem, ne damnum ob ejus impuritatem patiare. Solvatur poſtmodum in ſtomacho ſtruthionis in terra naſcentis, per acritudinem aquilæ fortificato. Abſorpto jam electro, cum flavos flores acquiſierit, vel in modum heliotropii florum à ſolutione, hoc ipſum non obliviſcaris quin ad ſpiritualem quandam ac transparentem eſſentiam adducas, quæ vitrioli ſimilitudinem habeat albi. Tum demum addito medietatem ponderis, quod corporale prius electrum habuit ante præparationem, ex aquila extenſa, & inde ſtomachum ſtruthionis, abſtrahatur ſæpius, hoc fiet ut electrum ſpirituale magis ac magis evadat. Quum vero ſtomachus ſtruthionis debilior operatione factus erit, innovandus atque denuo corroborandus venit, vice qualibet abſtrahendo: poſtremo cum rurſus acredinem amiſerit, addatur eſſentia quinta tartarizata, ut quatuor digitis emineat priveturque ſua rubedine, quæ una ſimul aſcendat. Toties id repetendum, uſque dum per ſe albeſcat ſatis (quod quidem oculis apparet magis ac magis ad ſublimationem ſe dedere) quo ſigno percepto ſublimetur, & electrum in albedinem aquilæ ſublimatæ

limatæ verſum erit, ac pauco levique labore eo adductum atque transmutatum: quod quidem ad uſum noſtræ medicinæ quærimus. Hoc ipſo poteris ad multas ægritudines progredi, quæ communibus medicamentis minime cedunt. Poteris etiam illud in aquam, vel in oleum vertere, aut in rubeum pulverem, ad omnes morbos quibus adhibere volueris aut indigueris. In medicina majus fundamentum haudquaquam inveniri poteſt, quam in electro latet. Fateor tamen & in aliis (inquit) mineralibus arcana maxima ſimiliter occultari, ſed majori prolixiorique labori ſubjecta ſunt, quorum uſus in abuſum ab imperitis vertitur artiſtis, quorum etiam manus plus in hac medicina deſtruunt quam ædificant. Quapropter minime laudandum eſt, unumquemque chemiſtam ſuſcipere medici munus & officium, cujus eſt ignarus, & huic ineptus. Merito foret in ejus farinæ medicos temerarios putaticios ac præſumtuoſos animadvertendum, qui mox vel lectura ſola, ſe chemicos & medicos putant, ac in has artes per feneſtram & non per oſtium irruunt. Culpam in me rejici nolo propter ſcriptionem, nec eos omnes pro diſcipulis agnoſco, qui ſeſe meos eſſe prædicant, aut ſcripta mea legunt, ſolos eos qui me & intelligunt, & veritatem ſectantur: alios vero voluntarios deceptores pronuncio, & vagabundos homines, qui veris diſcipulis panem ex ore præripiunt, ſub nomine meo nocentes omnibus, quod nullius artis quæ certa veraque ſit, curam habeant. Sed ad inſtitutum redeamus. Ut fractum electrum tandem ad optatum finem perducatur, ejus tantum accipiendum eſt volatilis ut antea redditi, quantum perficere volet artifex, & ovo concludendum philoſophico Hermetice ſigillato, ne ullatenus reſpirare valeat. Hoc in athanore poſitum contineatur, uſq; dum per ſe diſſolvatur ſenſim in ſuperficie, tum demum inſula quædam in hujus maris medio conſpiciatur, quæ paulatim decreſcens in nigredinem abeat inſtar atramenti ſutorij. Hæc eſt avis noctu volans absque alis, quam cæli ros primus continuata decoctione, ſurſum atque deorſum aſcenſione deſcenſioneque in caput corvi convertit, ac tandem in caudam pavonis, & poſtea candidiſſimas & olorinas plumas, ac poſtremo ſummam rubedinem acquirit, indicium igneæ ſuæ naturæ: per quem ignem accidentia morborum omnium extra corpus humanum pellit, ac emortua frigore membra, vel paralytica reficit. Hujusmodi præparatio fit (ex ſententia philoſophorum omnium) unico tantum vaſe, unico furno, & unico igne vaporoſo continuato. Quibus peractis omnibus medicina tanquam cæleſtis effecta eſt atque perfecta, quæ plusquam perfecta fieri poteſt per propriam carnem, & ſuum ſanguinem, perque ſuum internum & occultum ignem in manifeſtum adductum, quo pariter metal-

lorum

lorum ſordes abluuntur, & eorum occulta fiunt manifeſta. Perfecta medicina hæc omnia poteſt, penetrat omnia corpora, & ex eis corruptiones educit, unáque ſimul introducit velut momento ſanitatem, ut parem in hoc mundo nunquam admittat. In ea teipſum igitur exerceto medice, per eam tibi laudem atque decus maximum comparabis: per hanc in medicum verum evades, coactum ſane per iſtam ad fraternam charitatem, quod nemo mortalium divinum hoc arcanum intelligere vel aſſequi ſine Dei voluntate valeat. Item infinita virtus ejus ac ineffabilis Dei cognitionem operatur in ſuis cultoribus, tum in iis qui utuntur ea frequentius aſſumta ſingulis menſibus, aut noviluniis: impedimenta ſiquidem lucis intellectus amovet, ut cuncta in abditiſſimis occulta repurgatæ menti palam fiant.

Cæterum ſcitu neceſſarium, nullam electri ſolutionem fieri, niſi prius ſphærarum ſeptem circulum ter perfectiſſime tranſcurrat: nam iſte numerus ei competit. Proinde præparationem tuam diligenter obſervato, quæ ſolutionis eſt potiſſima cauſa, glorificato, ſpiritualique facto (ut auditum) electro tartariſatum arcanum adhibendo, quo ſuperfluitates per præparationem introductæ penitus abluántur, hoc fiet ut non fruſtra ſis operaturus. Arcanum tartari ſimiliter eſt amovendum, ut ſola puraque tua materia circulariter, juxta præſcriptum ordinem artis mota, in ovo philoſophico vapore ignis per ſeipſam facile vertatur in aquam philoſophicam, quam viſcoſam vocant; item per ſe coaguletur cum colorum omnium manifeſtatione; poſtremo vero ſumma rubedine decoretur. Plura de hoc abditiſſimo philoſophorum arcano ſcribere vetitum, quapropter Dei poteſtati quod convenit merito relinquendum, cujus ſolius eſt peculiare donum non omnibus contingens, nec intellectum cujusque licet acutiſſimi ſubintrans.

Æquum eſt etiam ut ejus uſum adjungamus. Hujus medicamenti doſis vel pondus adminiſtrationis tam exiguum eſſe debet, ut vix atomum referat, in vino, vel alio cordiali juſculo, nam ſi vel tantilla major quantitas adhibita ſit quam par eſt nimium operatur cæleſtis virtus in eo deliteſcens, ac ceu in centrum coarctata. Hoc naturæ myſterium ſupra naturam, nonnullis hominibus ad ſui gloriam D.O.M. innoteſcere voluit. Cui ſoli ſit laus, honor, & gloria perennis in æternum. Concludens Paracelſus ait: En habes amice lector brevibus omne fundamentum, & originem arcanæ divinæque medicinæ, quæ præordinatis à Deo ſolum obtingere poteſt. Tuum erit imitari cum intellectu quæ tibi ad initium præſcripſi, labores non ſubterfugias, non te carbones atri terreant, non operoſa diligentia cum induſtria hoc loco neceſſaria, ſed animo proponas oportet, aſſiduis ſpeculationibus orationibusque meditativis intervenientibus, occultiſſima quæque detegi piis

tegi piis mentibus, nec is labor ad te præter fructum redibit copioſiſſimum.

Ut igitur aliquid lucis, hæc Paracelſi ſcripta legentibus, adferam, nonnihil addere viſum eſt, quod electrum in duro cortice latens aperiat. Nemo non ſcit electrum metallicum vel minerale, duorum ejusmodi corporum vel plurium eſſe mixturam. Quapropter quærendum nobis inprimis eſt ejusmodi minerale immaturum, hoc eſt à natura compactum, quod plura contineat, veluti compoſitum arte fit ex variis, ut lato, campanarumque metallum, ac ſimilia. Sed vide quid infra dicetur de cinabari. Verum ut iſta magis eluceſcant, colligere tibi volui per ordinem, quæ ſibi ſunt affinia potius quam remotiora, proinde mox ſpagiricum ſubnectamus illud matrimonium, de quo ſupra parumper tetigimus, cum de ſpiritibus & metallorum tincturis ageretur.

De matrimonio ſpagirici vel philoſophici lapidis.
CAP. XII.

MErcurius philoſophorum ſeratur in Mercurium corporalem, tanquam ſemen in ſuum agrum vivum, hoc eſt Mercurius ſolis in terram projiciatur philoſophicam, ad generationem tincturarum, & vivus ager Mercurium ſapientum ſolvet ejus in ſe vires concipiens, ac iſtam ille vivam occidet, ſpiritum ſcilicet vivum corporalem, indeque matrimonium conſtans & inviolabile per ignem & in ipſo fiet. Mercurius namque philoſophicus, id eſt ſolis, ad corporalem ſpiritum Mercurij comparatur in conjunctione, quemadmodum maritus ad ſuam uxorem, cum ex una & eadem ſint ambo radice vel origine, quamvis corpus ſolis in igne fixum exiſtat, metallica vero mulier non fixa, nihilominus huic illud, non aliter quam agro vel terræ ſemen comparatum eſt. Quodcunque ſeminatur colligere neceſſum eſt, ut ex hordeo hordeum, ex tritico triticum, ſic de cæteris. Pariter in arte ſi aurum ſeminabitur, hoc etiam colligetur; ſi argentum, idipſum; ſi cuprum, idem, &c. Quapropter ex metallis oriuntur tincturæ, quævis in ſuo gradu, hoc efficiente Mercurio ſapientum, & non Mercurio vivo, ſed Mercurius communis eſt augmentatio, fructum edens, ut ex ſemine terra. Poſtquam igitur materiam ſuo vaſe concluſeris, ponatur in calorem naturalem, ut externus internum non ſuperet, alioqui nulla ſubſequetur unio. Nam calor nimius diſpergit aduritque materiam, ut nihil ex ea generetur. Conſideretur aerea pars mundi inter cælum & terram media, ſine qua; calore Solis & reliquorum aſtrorum creaturæ quævis exuſtæ nihil producerent. Inter ignem igitur & materiam ſit æthereum medium, ne forte deſtruatur opus. Contra ſi vivus ignis æquo ſit remiſſior, ſpiritus materiæ quieſcet, nihil in humidum ſuum agens aliud, quam ejus repentinam exiccationem & fixionem.

Etenim ſpiritus metallici mortui ſunt,& quieſcunt, ut nihil agere vel operari queant, niſi per vivum ignem ad vitam excitentur. In magno mundo non abſimile videtur, in terram projecta ſemina tanquam in ea mortua jacere, ut per ſe creſcere minime valeant, niſi vitam & motum à Sole recipiant. Proinde videat artifex hoc loco ut medium ſervet in ignis ſui regimine, alioqui non poterit voti ſui compos unquam fieri. Juſto calore mota materia mox incipit nigreſcere, ac operante poſtmodum ſiccitate in humiditatem, incipit hortus philoſophicus in ovo floreſcere diverſis ac variis coloribus in modum caudæ pavonis, quales operantem vidiſſe nunquam in vita ſua contingit. Nonnunquam apparebit vitrum intus, obductum auro, quod quidem indicium eſt, mariti ſeminis in ſemen conjugis actionis, id eſt, ſulphuris ſpermitis in Mercurij menſtruum, & mutuæ unius in alterum alterationis, atque mixtionis. Deficiente poſtea ſenſim humiditate per exiccationem ſucceſſivam, ejuſmodi flores coloreſque tranſeunt in pullulantem albedinem, uſque dum ad ordinatum à natura ſibi gradum perveniat. Notandum interea ne acceleretur in opere, quod plerique faciunt, cupientes fœtum hunc enaſci ſpacio unius anni, vel menſium novem, tanquam granum, aut homo in utero matris: non ita cito naſcuntur aurum & argentum, ut illa. Siquidem quo natura quid excellentius perfectiuſque fuerit, eo majore opus eſt tempore ut naſcatur: quod cito fit enim, cito perire videtur; ut herba, homo, & ſimilia, quorum ea de cauſa vita brevis exiſtit. Non ita cum auro & argento, quæ natura compactiora ſunt, & ex conſtantioribus, quam ſit caro vel ſanguis, proinde vitam longam hominibus exhibēt, magis quam cætera, conſervant etiam iſtis ſanitatem à corruptionibus, ut Mercurio vulgi. Albedine in ſummo ſuo gradu exiſtente, vas aperiri poteſt, & eximi lapis albus, cujus hoc eſto periculum perfectionis. Particula ſuper Veneris laminam ignitam poſita ſi fumum nullum edat, bene eſt, alioqui diutius digerenda, donec nativitatis punctum, addiſcas atque fixionis. Idipſum in lapidem rubeum cum progreſſus fueris. Fermentum multiplicationis hoc eſt cum Mercurio vulgi, non aliter quam antea de Mercurio philoſophico dictum eſt, ſub eodem pondere, loco, & moderatione pari. Hoc fiet, ut una pars centum ulterius quam antea partes optime tingat, idque repetitum ſæpius, materiæ tantam copiam exhibebit quantam voles, ut una pars mille Mercurij partes ad optimam lunam adducat. Ad majorem hujus operis declarationem, latius in hæc verba Paracelſus prorumpit inquiens. Ut melius intelligas, ſolvatur, inquam, Mercurius philoſophorum ſumme purgatus per ſuam conjugem, corporalem ſpiritum videlicet aut Mercurium vivum. Mulier virum ſuum diſſolvet, vir quoque mulierem uxorem ſuam

coagu-

coagulabit ac fixabit. Nam qui videtur mutuus inter conjuges amor, idem eſt inter Mercurium philoſophorum & terram metallorum. Natura ſiquidem naturam appetit ſibi ſimilem. Juxta corpus non differunt, nec niſi viribus, ac proprietatibus. Metallicus enim homo fixus eſt in igne, metallica vero mulier volatilis. Si vivus homo cum viva muliere miſceatur, fit inde generatio, non autem ex mortuo viro cum viva muliere. Quamobrem uniatur cum vivo, tum demum femina virum ſolvit, & iſte mulierem tingit fœcundamque reddit. Ponantur ambo tandem in vitrum ſtrictiſſimo ſigillo obſignatum, ne mulier aliqua ſpirans exhalet, alioqui vanum erit hoc opus: tandem in thorum conjugii balneumque maris, in quo cum probe moderato calore ſatis incaluerint, primo gradu mulier atro colore veſtietur, hoc indicium eſt conceptionis, & prima clavis ad arcam reſerandam hujus divini myſterij. Continuato calore hoc leviſſimo ſenſim conſumetur iſta nigredo, ab alio ſuccedente colore, tanquam à verme vermis. Inde ſuccedent alij tot tamque varij quot in pavonis cauda conſpiciuntur, ſicco in humidum hoc ipſum operante. Continuetur calor ignis, donec verſicolor iſte ſecundus vermis, à tertio vel ab aquila alba plumas olorinas habente, devoretur, materiaque lunæ prorſum candida nivis iſtar efficiatur, vitrumque perfectum gradum ſuum receperit. Nata Regina ſic mundum alloquitur: Sum Regina laude præ cæteris digniſſima, viribus virtutibusque refertiſſima, quæ Venerem, Martem, Jovem, Saturnum, atque Mercurium, in lunam conſtantiſſimam transformo; nedum id, verumetiam languentes homines à variis infirmitatibus & morbis libero, utputa ab omnibus febribus, caduco, lepra, venereo, nec non aliis mineralibus corruptionibus. Aucto poſtmodum igne, regia mulier in regem potentiſſimum evadit, albedine ſenſim in flavum croceumve colorem terminante, ac deinceps in rubicundiſſimum rubini ſplendorem. Jam natus eſt rex orientalis, imperans omnibus totius mundi principibus, quos etiã alloquitur his verbis: Ego naturæ ſulphur, Rex Regum, Princeps principum, & dominus dominantium, perfectiſſima poteſtate ſuperans omnes, vincens, ac ſubjiciens, à nullo ſuperatus, neque coactus, invincibile poſſideo regnum, quo Lunam, Venerem, Martem, Jovem, Saturnum, atque Mercurium vulgi, in optimum aurum Hungarico melius transformans, confirmo ſtabilioque adverſus omnium examinum tormenta. Nec ſolum ego morbos metallorum pello, ſed etiam hominum, quos incurabiles hactenus exiſtimarunt præſumtuoſi medici, ut ſunt podagra, hydropiſis, lepra, caducus, atque reliquos omnes contra naturam advenientes. Præterea bonam tribuo memoriam, ſanum judicium & intellectum, vitamque longam his qui meo me-

 dio utun-

dio utuntur præſidio cum cibis & potibus aſſiduo: item exalto eum qui me cibo & potu mihi congruentibus reficit, in ſummos honores, infinitas opes ac divitias, potentemque reddo. Per me ſi quidem totus mundus regitur. Quicunque me fuerit adeptus, omnia mecum poſſidebit; nam qui poſſidet aurum hoc meum, aſſequitur omne deſiderium. Proinde ſi meo regno potiri voles, cibato me nedum corporali cibo, verumetiam ac præſertim verbo Dei; ſic adimplebo hic in terris, quicquid optare te contigerit, daboque tibi meum fermentum & balſamum perpetuum. Hoc ſolve humido ſuo, poſitum in conjugali thoro, longe citius quam antea ſuas fermentationum operationes complebit, paſtamque in ſuam convertet ſubſtantiam, inque precioſiſſimum præ cæteris mundanis omnibus theſaurum philoſophorum.

De alio ad lapidem proceſſu, per Paracelſum.

Cap. XIII.

Variæ ſunt viæ philoſophicæ, ad unum & eundem ſcopum & lapidem tendentes, ut ex præcedentibus atque ſequentibus patet. Quapropter varijs modis ab auctore hæc ars deſcribitur. Audiamus ergo quid alio loco de hoc lapide doceat. Natura mineralium (inquit) genus unum in viſceribus terræ produxit admirandum, idque duplex, hoc variis Europæ locis reperitur. Optimum quod mihi præ manibus oblatum fuit, & experimento comprobatum, ex figura majoris mundi, ab exordio ſphæræ ſolis eſt aſtrum: alterum in aſtro meridionali conſiſtit in prima ſua floreſcentia, viſcus eſt terræ per ſuum aſtrum in lucem productū, & in prima ſua coagulatione ornatum rubedine, in eo flores omnes mineralium & colores includuntur, de quibus multa penes philoſophos. Quod ad humidam frigidamque naturem attinet, ad aquam comparatione quadam fuit adaptatum. Verum ejus notitia perfecta ad experientiam collata, plurimos, imo fere omnes philoſophos, quotquot ante me ſagittas ſuas ad metam emiſerunt hactenus, adhuc latuit, fruſtra quoque conantes latiſſime declinarunt à ſcopo vero & completo. Opinati ſunt Mercurium & ſulphur matrem & patrem eſſe metallorum omnium, verum enimvero tertij non meminerunt. Imo quod magis eſt, horum nullus rete piſcatorium adhuc in manus aſſumpſiſſe potuit, quod aquæ veræ convenit matri metallorum, quæ quidem artificio ſpagirico ſeparata ſuos piſces palam facit, quos neque Galenica piſcatio, neque Avicennæ rete lacerum apprehendere potuerunt unquam. Si modernis phyſicis demonſtrare deberem, vel ſolum nomen conjunctionis, ſolutionis, & coagulationis, quas ipſa natura à principio mundi hoc in ſuo creato patefecit ac demonſtravit, annus mihi deficeret, omniſque papyrus quantacumque ad eos erudiendum.

dum. Dico quidem hoc in minerali tres haberi ſubſtantias, utpote Mercurium, ſulphur, & mineralem aquam, ex quibus compoſitum eſt, & arte ſpagirica ſeparatum: ſolvitur in proprio ſuo liquore nondum maturo, & uti pyrum in ſua arbore occultum eſt. Occultator pyri eſt arbor, in quam ut aſtra naturaque ſimul conveniunt, virides ramos edit, Martioque poſtmodum atomos & frondes atque flores palam facit, uſque in fructus pyrique productionem progreſſum faciunt, quæ in autumno tandem emergunt. Non abſimili modo cenſendum eſt de mineralibus in viſceribus terræ, quæ per aſtra protruduntur in lucem: hoc ipſum alchemiſtæ potiſſimum conſiderandum venit, ad naturæ theſaurum anhelanti. Cujus artificij modum ab initio, medio & fine, jam una cum aqua, ſulphure, balſamoque ſuis aperiam. Quorum trium ſolutione, & rurſus in unum conjunctione, totum rei negotium abſolvitur ad hunc modum.

Sumatur minera cinabaris, & abluatur aqua cæleſti per tres horas, tandem coletur, & ſolvatur aqua regia facta ex vitriolo, ſale petræ, & ſale communi. Per alembicum abſtrahatur, iterum affundatur, & cohobando curetur, ut purum ſeparetur ab impuro, quod infra. Putrefiat equino fimo per menſem, & poſtmodum ſeparentur elementa, ut quum ſigna ſua patefecerint, per alembicum deſtillentur igne primi gradus, quo aqua & aer primo aſcendunt, ac tandem ignis, idque reliquis gradibus, quæ ab experto operatore diſcerni poterunt. In fundo vaſis terra manet, in qua latet hoc omne quod à multis quæſitum fuit, à pauciſſimis tamen inventum. Terram hanc reverberatorio concluſam artificialiter calcinabis, à primo in quintum gradum procedendo, gradu quolibet ſpatio quinque horarum: hoc fiet ut ſal volatile habeas admodum ſubtile velut alcool, & conſtans aſtrum ignis & terræ, quod ſeparabis per elementa aquæ & aeris quæ ſervaſti prius. Tandem ponito in digeſtionem balnei maris octo horis, & videbis quod multis alchemiſtis hactenus incognitum fuit ac minime conſideratum. Separa juxta tuam experientiam artificioſe, & ſpagirico modo, reddetur ipſa terra mirum in modum alba, ex qua tinctura fuerit extracta. Conjunge deinceps elementum ignis cum ſale terræ alcoliſato, per digeſtionem & pellicanicum artificium, adhuc aliud ſedimentum ponet iſta ſubſtantia, quod quidem à puro ſeparabis. Tum demum accipe pellicanatum leonem, qui ab initio inventus eſt. Quum videris tincturam ejus & elementum ignis ſuper aquam, aerem, atque terram, ſeparato per tritorium, & Solem ejuſmodi cola per inclinationem, eſt enim aurum potabile. Alcoole dulci vini perfundatur & abſtrahatur, uſque dum acredo nulla percipiatur amplius aquæ regis. Separato hoc oleum Solis, & ponito in vas retortum Hermetico ſigillo

clauſum,ad elevationem,id eſt,ad exaltationem,ut ſuo gradu duplctur. Vitrum hoc optime clauſum ponatur in locum frigidum, non ſolvetur ibidem, ſed coagulabitur, idq; tertio repetendum eſt ſolvendo & coagulando. Hoc artificio tinctura Solis perficitur in ſuo gradu. Tandem ſumito hujus duplū de Venere ad ſummum & ſpagirico modo præparata,ad quam elementa aquæ & aeris affundas quæ ſervaras, ſolvito ac putrefacito per menſem, ut prius. Et quum ad perfectionem devenerit, videbis ſignum elementorum: ſepara unum ab altero, ſiquidem ocularitet apparet ab albo rubeum ſecretum. Hoc ab albo ſeparabis; eſt enim tinctura rubea tam potens,ut alba corpora quæq; in rubedinem tingat,vel rubea in albedinem,quod valde mirum eſt. Tincturam hanc per retortam urgeto, videbis nigredinem aſſurgere, quam iterum urgebis per retortam,idq; ſæpius donec albeſcat. Proſequere hoc tuum opus, nec animum deſpondeas præ nimio labore Toties rectificato quouſq; viridem leonem verum & clarum videas, ponderoſum,qui tingit in aurum perfectum. Non deſiſtas (inquam) ab opere cujus nunc memini, donec ſigna habeas & videas leonem atq; theſaurum non perſolubilem. Bene ſit illi qui repererit, & ad tincturam applicare noverit. Hoc eſt balſamum verum aſtrorum cæleſtium,quod nullum corpus in putrefactionem abire ſinit, lepramque nullam, podagram aut hydropiſim inexpulſas relinquit, adminiſtratione grani unius, ſi fermentabitur cum ſulphure ſolis. Omnia docebit ac patefaciet aquæ natura & omne quod ſcripſi. Sumito igitur liquoris mineralium quantum voles,ſalis rubeæ terræ partes duas, ſulphuris Solis partem unam. In pellicano poſita ſolvantur,& coagulentur,idq; tertio. Hac via tincturam habebis alchemiſtarum,cujus pondus hoc loco minime deſcribendum,ſed ſuo loco reſervandum. Quicumque Solis aſtri unciam unam habuerit,& ſuper aliquot uncias auri projecerit,proprium ſuum corpus tinget. Aſtrum Mercurij ſi habuerit, totum corpus Mercurij vulgi ſimiliter tinget. Si Veneris aſtrum,non abſimili modo Veneris corpus integrum in optimum aurum tinget,inque ſummam & conſtantem perfectionem: ſic de reliquis metallorum aſtris judicandum,ut Saturni,Martis,&c. Ex quibus etiam eadem ratione tincturæ trahuntur, hoc loco minime deſcribendæ,quod libris de natura rerum & Archidoxorum habeantur. His paucis primum ens metallorum & mineralium terræ, ſatis abunde veris alchemiſtis, una cum tinctura alchemiſtarum declaratum volo. Nec eſt quod quiſpiam operantum deterreatur ſpatio temporis menſium novem,ſed abſque tædio progrediatur ſpagirico ductu,quo quadraginta diebus alchemiſticis figere poterit, extrahere,exaltare,purificare,fermentare,& coagulare lapidem alchemiſtarum,ad honorem Dei,cui ſit laus,honor, & gloria.

Caba-

Cabaliſtarum expoſitio habet ſub nomine Phœnicis, aquilam eſſe volatilem, cujus plumæ ſine vento volant, & ſecum phœnicis corpus in ſuum nidum attollunt, in quo nutritur ignis elemento, cujus pulli roſtro eruunt matri oculos, & fit albedo in ſua ſphæra ſeparata, in qua conſiſtit vita ſui cordis, & balſamum inteſtinorum ſuorum, juxta Cabaliſticum ſenſum, ſulphur interpretatur cinabaris, de quo ſupra narratum eſt à Paracelſo. Nuperrime cum de electro tractaretur, ad cinabarim remiſi lectorem non ſine cauſa; maximam enim habent affinitatem. Quid aliud eſt cinabaris quam compoſitio vel mixtura duorum mineralium ſulphuris & argenti vivi? Quid etiam electrum, niſi mixtura duorum vel plurium, ſive mineralium ſive metallorum? Sulphur Solis igitur, cum Mercurio lunæ philoſophico junctum artificio, cur non electrum, cur non cinabaris erit? Sive natura, ſive per chemiam fiat utrunque, partes componentes non differunt. Sed in ſequentibus clarius.

De quarto ad lapidem Paracelſico proceſſu.

CAP. XIV.

PRiusquam de tinctura phyſica dicamus, operæ precium erit inprimis ſcire quod ſit ejus ſubjectum; hoc enim ſemper occultatum eſt hactenus. Eſt igitur tincturæ materia res quædam (ubi me tamen juxta ſpagiricum ſenſum intellexeris) quæ quidem ex tribus in eſſentiam unam arte chemica tranſit, aut manere poteſt. Verum ut eam ſuo nomine declarem juxta veterem uſum & conſuetudinem, Leo rubeus à multis vocatus eſt, à pauciſſimis vero cognitus. Hic per auxilium naturæ pariter & artis poteſt in aquilam albam transmutari, ut ex uno duo fiant, quæ ſpagiro ſupra ſplendorem aureum relucent, in uno ſervata magis lucent. Jam ſi Cabaliſtarum & veterum Aſtronomorum conſuetum ſermonem non intellexeris, à Deo minime ad ſpagiricam artem vocatus es, nec per naturam electus, imo non aptus ut os vix in arte hac aperias. Eſt itaque materia tincturæ margarita maxima precioſiſſimusque theſaurus, ac nobiliſſimum hoc omne quod ex altiſſimi conditoris manifeſtatione, meditationibus hominum obtingere poteſt. Hoc eſt Lili Alchemiæ, & Medicinæ, quod philoſophi tam accurate quæſierunt, verum ob defectum integræ cognitionis & perfectæ præparationis ejus, ad abſolutiſſimum finem perducere nondum potuerunt. Per inveſtigationes eorum & experientias, tincturæ tantum initium datum eſt nobis, attamen verum fundamentum quod meos imitari diſcipulos oportet, mihi relictum fuit, ut nemo ſuas larvas noſtris inventionibus immiſcere debeat. Ego (inquit Paracelſus) meritò poſt longas meas experientias ſpagiros corrigam, & falſum & erroneum à vero ſeparabo.

vero ſeparabo, cum prolixis admodum inveſtigationibus meis repererim, quo juſtè ſimilia reprehendere queam & immutare. Veterum ſi tamen experimenta meis excellentiora comperiſſem, tantos minimè labores aſſumpſiſſem, quos in gratiam, utilitatem & honorem proborum alchemiſtarum omnium libenter ſubij. Cum ergo tincturæ ſubjectum ſatis declaratum ſit, ut fratres inter duos vix fidelius queat ac liceat, præparationem ejus aggrediar, & ultra primi ſeculi experientias, addam & meas inventiones. Spagiri veteres lili putrefecerunt uno menſe philoſophico, poſtmodum ſpiritus humidos ab eo deſtillarunt, quouſque ſicci tandem elevati ſunt. Caput mortuum ſpiritibus humidis imbiberunt, & ab eo per deſtillationem ſæpius abſtraxerunt, idque tamdiu donec ſicci prorſum elevati ſunt. Deinceps abſtractos humores & ſiccos ſpiritus per pellicanum ter aut quater ſimul univerunt, uſque dum lili totum in fundo ſiccum reſederit. Quanquam experientia prima proceſſum hunc ante fixationem dedit, nihilominus anteceſſores noſtri ſæpius eo votum perfectè ſuum aſſecuti ſunt. Breviorem tamen viam habuiſſent ad rubei leonis theſaurum perveniendi, ſi concordantiam Aſtronomiæ cum Alchemia didiciſſent, quam in Hermetis Apocalypſi demonſtravi. Cum verò dies quilibet (ut Chriſtus loquitur in fidelium coſolationem) propriam ſuam eſſentiam habeat, ſpagiris ante mea tempora labor fuit ingens & gravis, qui jam auxilio Spiritus S. affluentis hoc poſtremo ſeculo mea theorica ſublevabitur atque practica. Cum ergò primum ſeculum tincturæ primam dederit experientiam, ex uno ſimplici duo ſpagirici fecerunt. Verum quod inventum hoc medio ſeculo periiſſet, eorum ſucceſſores diligenti perſcrutatione poſtmodum in ejuſmodi nomina duo ſimplicis inciderunt hujus, idque nominarunt unico vocabulo, nempe lili, tincturæ ſubjectum. Tandem imitatores naturæ materiam hanc, non ſecus ac in terra ſemen, tempore ſuo putrefecerunt, cum ante corruptionem hanc ex eo nihil enaſcatur, nec aliquod arcanum erumpere poteſt. Poſtea ſpiritus humidos abſtraxerunt à materia, donec tandem ignis violentia ſicci pariter elevati ſunt ac ſublimati, ut hac via non aliter quam ruſticus ex anni tempore, pervenirent ad maturitatem. Poſtremò tandem finito ſuo vere prodiit æſtas, quo tempore fructus iſtos & ſiccos ſpiritus incorporarunt, & magiſterium tincturæ eo perduxerunt, ut ad meſſem devenerit & ad extremam ſe maturitatem diſpoſuerit. Tam prolixo labore tædioſaque reiteratione ſpagiri veteres non indiguiſſent, ſi ex mea ſchola didiciſſent opus, longè citius ac minoribus impenſis votum fuiſſent aſſecuti. Proinde vobis dico (Paracelſus inquit) Roſei coloris tantum à leone ſanguinem accipite, & ex aquila gluten, quæ poſtquam ſimul conjuxeritis, juxta veterem coagulate proceſſum.

Tinctu-

Tincturam habebitis philoſophorum, quam infiniti quæſiverunt inveneruntque pauciſſimi. Quædam itaque ſimplicia componit Alchemiſta, quæ corrumpit ut eſt artis, indeque præparat aliud, ac tantiſper donec unum fiat: hoc plus efficit quam ipſa natura per ſe poſſet. Recte probeque me ut intelligas, leonem tuum in Oriente quæras, & aquilam ad Meridiem in aſſumptum hoc opus noſtrum. Inſtrumenta meliora non reperies quam Hungaria & Hiſtria producunt. At ſi cupias id ex unitate per dualitatem in trinitate, cum æquali permutatione cujusque deducere, tuum iter ad Meridiem dirigas oportet; ſic in Cypro votum conſequeris, de quo latius minimè loquendum. Arcana plura tranſmutationes exhibentia reperiuntur, etſi paucis cognita, quæ licet alicui manifeſtentur à Domino Deo, non propterea ſtatim erumpit rumor cum arte, ſed omnipotens cum ipſis dat pariter intellectum hæc & alia celandi uſque in adventum Heliæ Artiſtæ, quo tempore nihil tam occultum quod non revelabitur. Videmus enim in ſulphure Jovis maximam eſſe tincturam gemmarum, quæ quidem eas altius adducit, quam ipſa natura per ſeipſam valeat; ſed de his hactenus, ad phyſicam tincturam tandem redeamus. Poſtremò ſpagiri veteres lili pellicanatum, ignis ordinata quadam augmentatione materiam ſuam tam diu fixarunt, quouſque, poſt omnium colorum diſparitionem, rubeum inſtar ſanguinis induerit, & cum eo ſalamandræ conditionem. Rectè quidem ab eis proceſſum fuit, ac ad eundem unumquemque magaritā hanc ambientem, procedere modum æquum eſt ac decet. Hunc tibi clarius declarare poſſe, mihi difficillimum eſſet, cum tamen didiceris in Alchemiſtarum ſchola gradus ignis obſervare, vaſa quoque mutare, tum demum videbis, mox atque lili tuum in ovo philoſophico fuerit excalefactum, admirandis apparere demonſtrationibus, ut corvo nigrius fieri, cygno poſtmodum ſucceſſu temporis albius, & poſtremò tranſiens per flavedinem ſanguine quovis magis rubeum. Cum igitur Ægyptiorum theſaurum præ manibus habuerimus, eſt quod in utilitatem noſtram convertamus, idque duplici magiſterio, priore quidem ad inſtaurationem ſanitatis humani corporis, poſteriores in tranſmutationem metallorum. In hujus uſum ut veniat, ejus primò pondus unum ſuper mille ſolis fuſi pondera projiciendum eſt, Medicina tum demum præparata fuerit ad metallorum tollendam lepram. Item phyſicorum in Ægypto nonnulli per hanc tincturam annos centum & quinquaginta vixerunt. Aliorum vita prolixior fuit hoc medio, ut ex hiſtoriis patet. Eſt itaque tinctura phyſicorum univerſalis medicina quædam, quæ cunctos morbos conſumit non aliter quam ignis omne lignum. Doſis ejus eſt valdè exigua, ſed operatio potentiſſima. Per eam (inquit Paracelſus) curavi lepram, hydropiſim,

caducum, veneream labem, guttam, colicam, &c. item lupum, cancrum, noli me tangere, fiſtulas, & genus omne morborum internorum & externorum.

De quinto proceſſu lapidis breviſſime per eundem auctorem reperto.

Cap. XV.

Eius qui diverſimodè docetur à plurimis lapidis non ſum, nec eſſe volo doctor neque ſectator. Quapropter hunc & proceſſum ejus relinquens, eum qui per me cum uſu tum experientia repertus eſt, brevibus admodum ſcribere propoſui, qui non minus ac ille hominum corpora tingit etiam, tametſi juxta ſimilem proceſſum præparatus non ſit. Sumito igitur Mercurium, alias elementum Mercurij, & ſepara purum ab impuro: poſtmodum reverberetur uſque in albedinem, quam ſublimato per ſal armoniacum tamdiu donec reſolvatur: id calcinetur ac ſolvatur iterum, & in pellicano digeratur uno menſe, tandem coaguletur in corpus: hoc non uritur amplius, nec ullo modo conſumitur, at in eodem ſtatu permanet: corpora quæ penetrat in cineritio ſunt permanentia, ut in nihilum reduci minimè poſſint aut alterari, ſed à ſenſibilibus & inſenſibilibus, ut ſæpius narratum eſt, qualitates omnes ſuperfluas adimit. Et quamvis brevem admodum viam poſuerim atque proceſſum, laborem tamen prolixum requirit, ac multis circumſtantiis intricatum, tædio ſimiliter non afficibilem operantem, at ſummè diligentem & expertum.

De particulari quedam arcano alba tinctura per arſenicum.

Cap. XVI.

Nonnulli volunt arſenicum ex Mercurio & ſulphure compoſitum eſſe, alij ex terra & aqua, plerique ex natura ſulphuris. Quocunque modo id ſit, ejus natura talis eſt, ut rubeum cuprum in album transmutet. Ad eam etiam præparationis perfectionem adduci poteſt, ut verè perfecteque tingat, non ea via tamen quam docent multi Sophiſtæ, ut ſunt Geber in ſumma perfectionis, Albertus Magnus, Ariſtoteles Chemiſta libro perfecti magiſterij, Raſis, & Polydorus. Nam ſcriptores iſti quotquot ſunt, errant, vel ex invidia de ſtudio falſa quæque ſcribunt proponuntque recepta, placitaque ſua, quæ nonnunquam etiam ignorarunt. Arſenicum vero tres continet ſpiritus naturales: primum aduſtibilem, corroſivum, volatilem & omnia penetrantem. Hic ſpiritus dealbat Venerem, & poſt aliquot dies reddit ſpongioſam. Quod artificium ad eos duntaxat pertinet propriè, qui cauſticam artem exercent. Secundus ſpiritus eſt cryſtallinus ac dulcis. Tertius

verò

verò tingens eſt ſegregatus ab aliis prædictis. Has tres in arſenico proprietates naturales inquirunt veri philoſophi, ad perfectam ſapientum projectionem. Barbitonſores verò chirurgiam exercentes, dulcem & cryſtallinam expetunt naturam, à tingente ſpiritu ſeparatam, in uſum curationis vulnerum, & ad bubones, carbunculos, anthraces, & cætera ſimilium ulcerum vitia, non niſi miti quodam artificio curanda. Cæterum ſpiritus ille tingens, niſi purum ejus ab impuro ſejunctum ſit, à volatili fixum, & à combuſtibili tinctura ſecreta, projectionem ſuper Mercurium, Venerem, aut aliud quodcunque metallum imperfectum haudquaquam expediet ex voto. Philoſophi omnes arcanum hoc myſterium excellentiſſimum occultarunt. Spiritum igitur tingentem ab aliis duobus ſecretum ut ſupra, conjungito ſpiritui lunæ, ſimulque digeri permitte ſpatio triginta duorumque dierum, ac uſque dum corpus novum induerint. Poſtquam ad quadrageſimum diem naturalem, calore Solis ad inflammationem accenſus fuerit, apparet ſpiritus candore nitido, perfectoque tingendi præditus arcano. Tandem ad projectionem aptus eſt, videlicet ejus pars una ſuper ſedecim imperfecti corporis, juxta præparationis acutioris excellentiam. Reſultat inde luna lucens & excellentiſſima, tamquam è terræ viſceribus eruta. Hæc auctoris noſtri ſententia maximè comprobari videtur ex Sibyllinis verſibus vetuſtiſſimis ad hunc modum habentibus:

Novem literas habeo, quatuor ſyllabarum ſum, intellige me.
Tres primæ duas literas habent ſingulæ,
Reliquæ reliquas, & ſunt mutæ quinque;
Totius verò numeri centuriæ ſunt duæ, octo
Et tres ter decades, cum ſeptem. Intelligens autem quis ſim,
Non rudis vel ignarus eris ejus quæ in me eſt ſapientiæ.

Hæc omnia conveniunt in hac dictione Græca Græcè dinumerata, ἀϱσενικὸν, quod ad albam tincturam attinet. Rubea verò non ineſt arſenico, quocunq; modo præparetur. Non præparatum & crudum ſola cum cupro liquatione, hoc tingit in maximam albedinem, ſed non fixam, quia tinctura cruda ſimiliter eſt volatilis; quæ ſi fixetur, dubium non eſt quin fixam etiam tincturam exhibeat. Nihil enim hoc ſpiritu facilius metalla penetrat in ſua cruditate. Potiſſimum rei negotium conſiſtit in ejus ſeparatione & fixione.

De particulari quodam arcano ad rubeam tincturam, ex vitriolo.

CAP. XVII.

Vitriolum nobile admodum inter cætera minerale, plurimæ ſemper exiſtimationis penes philoſophos extitit, quod præ cunctis

cunctis altiſſimus Dominus Deus miris dotibus adornavit. Ejus arcanum varijs figuris ænigmaticis adumbrarunt, ut hoc eſt: *Viſitabitis interiora terræ rectificando, invenietis occultū lapidem veram medicinam.* Primæ omnium literæ Vitriolum efficiunt ſimul collectæ vocum. Per terram intelligunt vitriolum, & per interiora terræ dulcedinem ejus atque rubedinem. Quoniam in occulto vitrioli nobiliſſimus, ſubtiliſſimus, ac fragrantiſſimus ſuccus, & purum oleum latet, cujus extractionis modus calcinatione vel deſtillatione haudquaquam venit arripiendus. Etenim viriditate ſua privari minimè debet, qua quidem ſtatim atque ſpoliatum erit, arcano pariter & viribus ſuis carere neceſſum eſt. Notandum eſt utique hoc loco mineralia nedum, verum etiam ipſa vegetabilia, ſimiliaque virorem extrinſecus demonſtrantia, rubeum ſanguinis inſtar oleum in ſe continere, quod arcanum eorum eſt. Inde patet pharmacopœorum deſtillationes irritas, atque vanas eſſe momentique nullius, quia ſanguinem vegetabilium elicere non norunt. Ipſa natura ſagaciſſima nos docens, vegetabilium aquas omnium in citrinū colorem vertit, & inde poſtmodum in rubicundiſſimum inſtar ſanguinis, arte ſubminiſtrante. Tardius id quandoque fieri, cauſa eſt potiſſima deſtillatorum ignorantum nimia præcipitatio, qua viriditas abſumitur. Naturam ſuis propriis viribus corroborare non didicerunt, quibus nobilis ille viror per ſeipſum in ruborem debet rectificari. Exemplo ſit vinum quod album eſt prius, per ſeipſum in citrinum colorem digeſtum, cujus botri virens color in rubeum ſub cæruleo latentem vertitur ſucceſſu temporis. Deperdita igitur vegetabilium & mineralium viriditate per ignaviam artificum, eſſentia pariter & ſpiritus olei balſamique arcanorum nobiliſſimi perierit. De hoc ſanguine philoſophico loquitur alibi Paracelſus, ubi de generatione ſui pygmæi homunculi in gigantem, alio loco de ſanguine & ſpermate nutrimenti corporis miſericordiæ, &c.

Vitriolum igitur in ſe multas lutoſas & viſcoſas imperfectiones continet, quapropter aqua viriditas ejus eſt elicienda & rectificanda ſæpius, donec terreas impuritates omnes exuat. Quibus tranſactis rectificationibus omnibus, apprime cavendum ne materia Soli ſit expoſita, quod hic virorem ejus in pallorem vertat, abſorpto ſimul arcano prorſum. Calido ſervetur hypocauſto contecta, ne pulvere ſordeat. Poſtmodum vitro clauſo digeratur menſium aliquot ſpatio, ac tantiſper donec varij colores appareant ſupremaque rubedo. Nec dum iſto proceſſu rubedo ſatis fixa fuerit exiſtimanda, quin ab interioribus accidentalibusque terræ ſit inquinamentis repurganda latius, ad hunc nempe modum. Rectificanda venit aceto, donec terreum inquinamentum prorſus ablatum erit, feceſque ſemotæ. Hæc eſt ejus tincturæ

vera

vera & optima rectificatio, de qua benedictum oleum eſt eliciendum. Ab ea vitro concluſa diligentius alembico ſuperpoſito mox, & bituminatis commiſſuris ne ſpiritus exhalet, ejus olei ſpiritus igne ſuavi proliciendus eſt. Oleum hoc pharmacopolico balſamo quovis & aromatico delectabilius eſt atque dulcius, acredine carens omni. Reſidebit in fundo cucurbitæ terra quædam albiſſima nivis inſtar, hanc ſerva tuereque ab omni pulvere. Ea ipſa terra tum demum à ſua rubedine probe ſeparata eſt. Deinceps arcanum maximum ſubſequitur, ut puta ſupernaturale conjugium animæ ſummè purificatæ, & per ſanguinem ablutæ purum, cum ſplendente purificatoque ſuo corpore. Hoc eſt verum vitæ matrimonium cum ſuo ſubjecto, quo vita prolongatur in poſtremum ſuum ſibique deſtinatum diem abſque corruptione, ſana. Ad hunc igitur modum anima ſpiritusque vitrioli (qui ſanguis ejus exiſtit) cum ſuo corpore unitur, ut ſint inſeparabilia. Quapropter excipe terram hanc noſtram foliatam phiala vitrea, cui ſenſim oleum ſuum affundatur. Animam ſuam corpus momento recipiet amplectet urque. Nam corpus animæ deſiderio plurimum afficitur, & anima corporis amplexu plurimum delectatur. Thoralem ejusmodi conjunctionem poſitam in arcanorum furnum, quadraginta diebus ibidem contineto. Quibus abſolutis, oleum habebis abſolutiſſimum admirandæ perfectionis, quo Mercurius & reliqua metalla quævis imperfecta vertuntur in aurum. Jam ad multiplicationem animum applicemus: Mercurium corporalem portione duarum partium, tribus ejuſdem ponderis olei partibus admiſceto, maneantque ſimul diebus ut prius quadraginta. Hac proportione ponderis & ordine multiplicatio fit in infinitum.

De tertio particulari ad rubeam tincturam ex antimonio.

CAP. XVIII.

VErum auri balneum eſt antimonium, quem philoſophi vocant examinatorem & bilancem. Poetæ vero fabulantur in iſto lavacro Vulcanum laviſſe Phœbum, & ab omnibus ſordibus imperfectionibusque repurgaſſe. Natum eſt ex puriſſimo nobiliſſimoque Mercurio & ſulphure ſub vitrioli genere, in metallicam formam atque ſplendorem. Nonnulli philoſophi vocarunt album-plumbum ſapientum, vel ſimpliciter plumbum. Sumito igitur antimonij ejusque optimi quantum voles, hoc ipſum in aqua ſua forti diſſolutum in aquam frigidam conjiciatur, addito tantillo croco Martio, ut in ſedimentum ad fundum vaſis decidat; alioqui ſuas feces non exuit. Poſtquam ad hunc modum ſolutum erit, ſummamque pulchritudinem acquiſierit, ponatur in vitrum

trum luto compactiſſimo circumquaque munitum, vel in bociam lapideam, & admiſceatur tutiæ calcinatæ ſublimatæ ad perfectum gradum ignis, cavendum accuratius à liquatione, quoniam ultra diſrumpit nimio calore. Ab una libra hujus antimonij, habetur omnis ſublimatio perfecta ſpatio duorum dierum. Sublimatum hoc in phiala poſitum, ut tertia parte vix aquam attingat, lutato vaſe ne reſpiret avoletque ſpiritus, ſuſpendatur ſupra tripodem arcanorum, & urgeatur opus igne lento primum, Solis caloris inſtar æſtate media. Tandem decimo quoque die ſenſim augeatur. Etenim calore magno rumpuntur vitra, nonnunquam etiam furnus in fruſtra diſſilit. Dum vapor aſcendit, varij colores apparent, moderetur ignis tantiſper donec rubea materia conſpiciatur. Poſtmodum aceto ſolvatur acerrimo fecibus abjectis. Abſtrahatur acetum, iterumque ſolvatur in aqua communi deſtillata, quæ rurſum abſtrahatur, & ſedimentum igne vehementiſſimo deſtilletur, vitro diligentiſſimè clauſo. Aſcendet corpus totum antimonij in oleum rubicundiſſimum, rubini colorem habens, & in ſubmiſſum vas guttatim effluet, odoris fragrantiſſimi, dulciſſimique ſaporis. Hoc eſt ſummum arcanum philoſophorum ex antimonio, quod inter oleorum arcana plurimi faciunt. Poſtremò tandem oleum ſolis fiat ad hunc modum: Sumito puriſſimi ſolis quantum voles, hoc ſolvi curabis in ſpiritu vini rectificato. Spiritus abſtrahatur aliquoties, totiesque ſolvatur iterum: poſtrema ſolutio ſervetur cum ſpiritu vini, & circuletur per menſem. Poſtmodum deſtillentur aurum volatile & vini ſpiritus per alembicùm ter quaterve, ut in vas ſubmiſſum defluant, & in ſummam ſuam eſſentiam adducantur. Ad mediam unciam auri ſoluti, addatur uncia una olei antimonij. Hoc illud amplectitur in calore balnei, ut à ſe non facilè dimittat, etiam ſi ſpiritus vini abſtrahatur. Hac via habebitur ſummum naturæ myſterium & arcanum, cui par in rerum natura haudquaquam aſſignari poteſt. Bina hæc olea modo qui dictus eſt unita, concludantur in phiala, & ſuſpendantur ſupra tripodem uno menſe philoſophico, & foveantur igne lentiſſimo. Quanquam ſi temperetur ignis debita proportione caloris, triginta & uno diebus negotium hoc abſolvitur, & in perfectionem adducitur, qua Mercurius & imperfecta quævis metalla perfectionem acquirunt auri. Projectionis tamen in hoc opere juſtum pondus aſſignari non poteſt, licet ipſa tinctura trahatur ab aliquo ſubjecto certa proportione, ac requiſitis ad artem inſtrumentis. Etenim iſta medicina tingit aliquando triginta, quadraginta, nonnunquam ſexaginta, octuaginta, ac centum imperfecti metalli partes, ut ejus negotij cardo potiſſimum circa medicinæ mundationem & operantis induſtriam vertatur, item juxta majorem unius quam alterius imperfecti corporis

corporis præ manibus aſſumti munditiam & puritatem. Quandoquidem una Venus purior altera, quo fit ut determinatum pondus haberi nequeat in projectione. Hoc loco notatu dignum, ut ſi contingat operantem tincturæ nimium aſſumſiſſe, hunc errorem additione poterit imperfecti metalli corrigere: ſi verò ſubjecti nimium, quo tincturæ vires debiliores effectæ ſint, vitium hoc cineritio facilè vel cimentationibus aut per crudum antimonium ablutionibus ſuperfluum tollitur. Nihil in hac parte quod operantem remoretur vel impediat: ſolum hoc ſibi proponat quod à philoſophis omiſſum eſt, & ab aliquibus ſtudiosè velatum, videlicet in projectionibus, excitationem imperfectorum corporum quieſcentium eſſe neceſſariam, id eſt, animationem, ut loquuntur, de qua nonnulli dixerunt metalla ſua non eſſe vulgaria, quia vivunt animamque habent. Sumito Veneris igitur in bracteas tenues factæ quantum voles, decem, viginti vel quadraginta libras, pultibus ex arſenico & tartaro calcinato ſubactis incruſtetur, & in ſuo vaſe calcinetur ſpatio viginti quatuor horarum. Tum demum in pulverem tuſa Venus abluatur, ac mundetur optimè. Iteretur calcinatio cum ablutione ternis quaterniſque repetitionibus. Hac via mundatur & purgatur à craſſo virore, & immundo ſuo ſulphure. Cavendum utique à calcinationibus communi ſulphure factis: nam quod bonum eſt in metallo, prorſum depravat, malum quoque pejus efficit. Ad marcas decem ipſius purgatæ Veneris, addatur una puræ Lunæ. Ut medicinæ per projectionem opus acceleretur, hoc medio eſt opus: etenim ab immundo ſulphure coinquinatur opus, ut ad ſuperficiem transmutati metalli nubes obducatur, aut ſulphuris loppis metallum permiſceatur, & una cum illis abjiciatur. Verum enimverò ſi projectio fieri debeat rubei lapidis ad rubeam transmutationem, ſuper aurum primo cadat oportet, poſtmodum ſuper lunam, aut aliud metallum, ut ſupra narravimus repurgatum, & inde perfectiſſimum aurum exurget, Deo dante, cui laus, honor, & gloria. Hactenus de tincturis univerſalibus & particularibus ex Paracelſi præſcriptionibus, infra de quibuſdam augmentationibus per fixationes atque tincturas naturales tractabitur.

De prima hujus artis origine, ſucceſſu & corruptione per Græcos.

CAP. XIX.

PRimus profeſſor ac inventor artium Adam & hujus, per lumen à Deo ſibi conceſſum, à quo rerum omnium cognitionem habuit ante & poſt lapſum, præſagivit mundum per aquam eſſe renovan-

renovandum vel potius caſtigandum, pauloque minus quam delendum. Hoc ipſo factum eſt, ut ejus ſucceſſores duas lapideas tabulas erigerent, quibus omnes artes naturales à principijs ſuis inſculpſerunt, idque hieroglyphicis characteribus, ut præſagium hoc poſteris etiam innoteſceret, ac obſervaretur periculorum tempore futurorum matura proviſio. Noach poſtmodum in Armenia tabularum unam invenit ſub monte Araroth tranſacto diluvio, qua quidem ſuperioris firmamenti, & inferioris globi, rationes & planetarum curſus deſignabantur. Tandem univerſales ejusmodi notiones particulatim in diverſa diſtractæ, viribus ſuis imminutæ ſunt, ut hæc ſeparatio hunc aſtronomum, illum verò magum, alium cabaliſtam & quartum alchemiſtam effecerit, Vulcanicus ille Abraham Tubalchain aſtrologus & arithmeticus maximus, ex Ægypto in regionem Chanaam traduxit; unde rediente ad ſuos in tantum tum primum Ægyptij faſtigium ſurrexerunt, ut ab iſtis etiam ad alias nationes ejuſdem rei ſapientia tranſierit. Quandoquidem Patriarcham Jacob oves picturaſſe varijs coloribus magiæ membro credendum eſt. Semper enim Hebræi, Chaldæi, Perſæ, & Ægyptij penes Theologiam has artes liberales, uti ſummam philoſophiam, ſuis proceribus atque ſacerdotibus propoſuerunt addiſcendas. Non ſecus evenit Moyſis temporibus, quibus cum ſacerdotes, tum ipſi medici magos inter electi ſunt: iſti quidem in illorum judicium, quod ſanitatem concernebat, præſertim in lepra cognoſcenda. Moyſes etiam cura & impenſis filiæ Pharaonis in ſcholis Ægyptiorum inſtructus eſt. Non aliter Daniel ab ineunte ætate Chaldæorum doctrinam ſuxit, ut in Cabaliſtam evaderet: teſtantur ejus divina præſagia & expoſitiones iſtorum verborum, *Mene Theſel phares.* per propheticam enim & cabaliſticam virtutem hæc verba ſunt intelligenda. Hujus artis cabaliſticæ traditio apud Moyſen & Prophetas admodum familiaris fuit olim, & plurimum in uſu. Elias propheta ſuis cabaliſticis numeris multa prædixit. Itidem & antiqui ſapientes hac arte naturali & myſtica Deum probe noſſe didicerunt, & in ejus mandatis hujusmodi legibus perſtiterunt ac ambularunt firmius. Pariformiter libro Samuelis habetur veros Bereliſticos diaboli ſortem ſecutos non fuiſſe, verum divina permiſſione viſionum apparitionumque verarum fuiſſe participes: idipſum libro de ſupercœleſtibus latius urgebimus. Donum ejusmodi ſacerdotibus in divinis præceptis ambulantibus à Domino Deo conceſſum eſt. Mos Perſis fuit neminem in regem, præter ſophum, id eſt, magnum re & nomine ſublimatum, admittere: quod utique patet hoc ipſo regum ſuorum nomine Sophi. Tales etiam extiterunt illi Sophi ac magi Perſæ, qui Chriſtum ab oriente quæſiverunt, & naturales ſacerdotes appellati ſunt. Ægyptij quoque à Chaldæis

& Perſis

& Perſis hanc Magiam & Philoſophiam aſſecuti, ſuos ſacerdotes eandem ſapientiam addiſcere voluerunt, in qua tandem fructum perceperunt, ut circumvicinis omnibus regionibus venirent in admirationem. Hac de cauſa Hermes verè Triſmegiſtus nominatus eſt, quia rex, tum ſacerdos atq; propheta, magus & ſophos rerum fuit naturalium, qualis etiam Zoroaſtes extitit.

Poſtmodum ubi filius Noach tertiam mundi partem occupavit à diluvio, hæc ars in Chaldæam & Perſiam vi quadam irrupit, & inde in Ægyptum. Id cum ſuperſtitioſi & idololatræ Græci ſubodoraſſent, eorum aliqui ſagaciores ad Chaldæos ſe contulerunt, ac ad Ægyptios, ut ex iſtorum ſcholis eandem reportarent ſapientiam in Græciam. Verum enimverò cum non arrideret eis theologicum biblicumve legis Moſaicæ ſtudium, proprio ſuo genio confiſi, à recto fundamento naturalium ejusmodi ſecretorum & artis Phyſices exciderunt. Exemplo patet, cum tam fabulosè de Moſaicæ legis doctrina ſenſerint, ac titubarint.

Ægyptiis mos fuit ejusmodi traditiones tam excellentis ſapientiæ, non niſi figuris ænigmaticis & abſtruſis hiſtoriis vocabulisq; proponere. Quæ omnia poſtmodum Homerus Græcus ille, fabuloſo poematum artificio magis adumbravit. Acceſſit Pythagoras qui plurima ex lege Moyſis & veteris teſtamenti permiſcuit. Pariter & Hippocrates, Thales Mileſius, Anaxagoras, Democritus & alij ſua non deſierunt ingenia humana his applicare: quamvis eorum nullus Aſtrologiæ, Geometriæ, Arithmeticæ nec Medicinæ phyſicæ verarum peritus eſſet. Impedivit eos nimirum ſua ſuperbia, quæ diſcipulos aliarum nationum admittere noluit. Cumque nonnihil à Chaldæis & Ægyptiis percepiſſent, longè ſuperbiores accidente, quam erant antea natura, facti, ſubtilioribus figmentis rem veram acuere non verentes, philoſophiam quandam deſcribere conati ſunt, quæ poſtmodum ab iſtis Græcis corruptiſſima derivavit ad Latinos Italos. Qui tandem hac imbuti & inſtructi, ſuis quoque dicteriis onerarunt. Ab his omnibus ad hunc modum larvata per totam Europam diſſeminata eſt, ut multas ubique gentium Academias conſtruxerit in ejusmodi ſuorum dogmatum propagationem, qua juventus inſtrueretur, ſeu potius deſtrueretur, & in hunc uſque diem penes Germanos, & alias Europæ nationes viget. Chaldæi verò, Perſæ & Ægyptii habuerunt eandem arcanorum naturæ primitivæque Phyſices incorruptæ cognitionem, item eandem religionem, mutatis duntaxat ſapientiæ nominibus. Chaldæi & Perſæ ſuam doctrinam vocaverunt olim Sophiam atque Magiam. Ægyptij verò ob annexum ſacrificium vocarunt ſapientiam ſuam Sacerdotium. Perſarum Magia & Ægyptiorum Theologia docebantur olim in ſcholis ambæ ſimul. Quamvis in Arabia, Africa, & Græcia ſcholæ multæ docti-

que viri fuerint olim, ut Albumazar, Abenzagel, Geber, Raſis, Avicenna apud Arabes: Machaon, Podalirius, Pythagoras, Anaxagoras, Democritus, Plato, Ariſtoteles, & Rhodianus penes Græcos; nihilominus varij ſenſus ac diſſenſio inter ſe fuerunt, & quoad Ægyptiorum ſententiam diſcordes extiterunt. Pythagoras ea de cauſa ſophus vocari noluit, quia ſuo tempore ſacerdotium Ægyptiorum, & ſapientia perfectè ut par erat minimè docebantur, etſi multa nihilominus inde reportaſſet arcana myſteria, Anaxagoras quoque plurima: patet ex diſputationibus quas de ſole & ejus lapide facit, & quas à morte ſua reliquit: Ægyptiis tamen in multis contrarius fuit. Quapropter iſtorum diſcipuli noluerunt appellari ſophi, nec magi, ſed Pythagoram ea in re imitantes philoſophiæ nomen aſſumſerunt, ipſi tamen non niſi ſcintillas quaſdam, ut umbras, ex Magia Perſarum & Ægyptiorum reportarunt. Verum enimverò Moyſes, Abraham, Salomon, Adam qui primus, Elias, & Magi ab oriente ad Chriſtúm venientes veri Magi fuerunt & Sophi divini, necnon Cabaliſtæ: quorum artis & ſapientiæ Græci parum, aut prorſus nihil deguſtarunt. Quapropter iſtorum ſcilicet Græcorum philoſophicam ſapientiam, ut ſophiſticatam ſpeculationem ab aliis veris artibus & ſcientiis degenerem, longè lateque diſtantem, ac ſeparatam relinquimus. Plurimi tentarunt ſecretiſſimam iſtorum ſapientum Magiam cum ſcrutari, tum in uſum reducere, idipſum tamen adhuc factum non fuit. Plerique hac noſtra tempeſtate exaltant Trithemium, alij Baconem & Agrippam ob Magiam & Cabalam; quæ tamen per omnia concordare non videntur in omnibus. Magia namque eſt ars & facultas per quam, ad elementorum, corporum & fructuum ſuorum, proprietatum, virium, & abſtruſarum operationum cognitionē pervenitur. At ipſa Cabala ex Anagogia viam ad Deum hominibus ſtruere videtur, ac docere quinam cum ipſo vivendum, & ex ipſo ſolo prophetandum ſit. Nam plena divinis eſt myſteriis Cabala, uti Magia naturalibus arcanis: præſagia ſiquidem illa futurorum, ex natura præteritorum & præſentium effari docet; hujus autem operatio conſiſtit in creaturis omnibus, tam cœleſtibus, quam terrenis corporibus cognoſcendis intrinſecus, quid in ipſis occultetur, quæ vires atque virtutes lateant, cui deſtinata ſint ab initio, tum quibus proprietatibus dotata. Hæc & ſimilia vinculum exhibent, quo cœleſtia terrenis conjunguntur, ut oculariter etiam aliquando percipitur ac ſenſualiter à ſuis operationibus. Talis influentiarum cœleſtium conjunctio, vel impreſſio, qua in inferiora corpora cœleſtes virtutes operantur, Gamaheum conjugium virium & proprietatum cœleſtium cum elementaribus corporibus dictum fuit olim à Magis & Sapientibus. Inde fluxerunt excellentiſſimæ conjunctiones & commixtiones aſtrorum

ſuperiorum cum inferioribus aſtris, id eſt, Solis & planetarum cum vegetabilibus, mineralibus, & animalibus. Diabolus ſemper tentavit adhuc miris conatibus totisque viribus ejusmodi naturæ lucem obfuſcare. Nec in totum ſua ſpe fruſtratus eſt, cum totam Græciam ea privarit, & ejus loco ſpeculationes humanas & meras blaſphemias in Deum & ejus filium eo gentium introduxerit. Magia utique ſuam originem ex divino Ternario & ex Trinitate Dei duxit. Etenim creaturas omnes hoc Ternario Deus inſignivit, ac digito ſuo hunc hieroglyphicum characterem ipſis inſculpſit, ut nihil etiam in rerum natura valeat aſſignari, quod hoc dono divini Ternarij careat, quodve oculariter hoc ipſum non demonſtret. Creatura quidem nobis creatorem intelligere ac videre docet, ut etiam D. Paulus ad Rom. teſtatur. Fœdus igitur hoc divini Ternarij per totam rerum ſubſtantiam diffuſi, eſt indiſſolubile, per quod etiam habemus arcana totius naturæ ex elementis quatuor. Ternarius enim cum magico quaternario, perfectum ſeptenarium producit multis arcanis dotatum, notisque demonſtratum. Et quum quaternarius in Ternario quieſcit, oritur lux mundi in horizonte æternitatis, totumq; vinculum cum Deo nobis exhibet. Ad hæc etiam accedunt vires & operationes creaturarum omnium, & uſus earum ſuis arcanis ſignis, characteribus & figuris inſignitarum, ut in eis vix minimum punctum occultum relinquatur, quod non examinatione pateat. Quandoquidem ubi Quaternarius & Ternarius ad Denarium aſcendunt, eorum fit ad unitatem regreſſus. In iſto concluditur arcano omnis occulta rerum ſapientia, quam Deus cum verbo ſuo, tum creaturis manuum ſuarum palam fecit ſuis hominibus bonæ voluntatis, ut veram ejus haberent notitiam; ſed alio loco de his latius tractatum eſt. Patet ex his apertiſſimè Græcos fuiſſe primos omnium artium corruptores. Iſti magiam (quæ priuſquam ad ipſos perveniſſet divina ſanctè pureque tractabatur ab Hebræis, Chaldæis, Perſis, & Ægyptiis) ſophiſticationum ſuarum inventionibus conſpurcarunt, quod ſoli Deo conveniebat, adſcribentes diabolo, pias preces & ſinceras orationes in ſuperſtitiones & nefarios ritus converterunt: unde factum ut loco Magiæ Necromantiam docuerint; & pro vera Phyſica ſomniatam phantaſiam inanem & vacuam, pro Aſtronomia fictum idolorum diabolorum regnum excogitarint, cui Saturnum, Martem & Venerem, ac Mercurium præeſſe voluerunt, ſumtis nominibus latronum, furum, & meretricum, quibus ſuos Deos decorarent; & ita cœlo non parcentes, hoc ipſum in infernum transmutare conati ſunt. Hac via totum adhuc mundum ſeduxerunt, ut nemo ſe magum profiteri, neq; ſapientem ob capitalem pœnam audeat, nulla jam differentia facta inter Græcorum magiā necromanticam

& priſtinam Hebræorum ſapientiam & Cabalam ſanctam. At quia mundus (ut ajunt ex vulgato proverbio) vult decipi, currat ergo cum currentibus ſuis. Maneamus in inconcuſſo lapide fixi. Sed ad inſtitutum redeamus, tincturasque philoſophicas jam, extra lapidis proceſſus antea dictos, elaboratas etiam audiamus à Paracelſo.

De cimentis & cimentationibus metallorum.

Cap. XX.

Antea de præſtantiſſimis & maximis philoſophorum tincturis audivimus, modo minores eſt quod in medium adferamus, quia non veniunt in uſum rei medicæ pro corporibus hominum, at ſolum ad metallorum nebulas tollendas.

1. Primum igitur cimentum eſt regale, non pro vulgato more deſcriptum à Paracelſo (verum ex ſola, quam fecit, experientia) veterum uſum non obſervante. Sumatur florum æris, antimonij, laterum, ſalis communis ana libra ſemis. Trita minutiſſimè ſimul omnia commiſceantur, vinoque poſtmodum imbibantur & exiccentur, idque vigeſies & quater. Hoc pulvere laminata luna cimentetur, ignis gradu medio quatuor horis, poſtea tot horis igne mediocri, poſtremò fluxionis igne horis duodecim. Tum demum excipe regulum, eumque laminatum ex priore proceſſu, & cum eisdem cimentabis rebus, ignis quoque gradibus obſervatis, hoc ipſum quater aut quinquies repetendo. Tandem fulminetur per cineritium, & loppa reducatur in lunam. Inſtrumenta, vaſa videlicet, optimè ſunt perlutanda, & firmiſſimè claudenda. Prolixum hoc loco ponere me proceſſum ea de cauſa putato, quia brevibus ignis progreſſibus, experientia nihil boni docere voluit. Quandoquidem ignis diuturnitas & violentia ſunt potiſſima cimenti regalis fixatio: imò longè melior eſſet, ſi quatuor diebus naturalibus in ejusmodi cimento quæ dicta ſunt continerentur. Notandum etiam flores æris per vitriolum extrahendos à cupro primum eſſe; nam in eo natura quædam fixationis habetur multis de cauſis. Antimonium ſimiliter eſt fixandum, cum virtutum ſuarum tamen retentione quas habet, putrefaciendo & repurgando; vires enim ejus non ſatis cognoſci poſſunt. Item lateres à bono tecto ſumi debent; ineſt enim & ipſi tecto conſtrictionis & fixationis venarum vel pororum in metallis aliqua facultas. Sal fixat etiam & corrigit leproſam lunam à ſua nebula. Quatuor igitur hæc in hujus cimenti compoſitione convenire neceſſarium eſt. Cæterum obſervandus ignis, aliudque nihil addendum, metallumve nullum; per ſeipſum enim eſt ſufficiens.

2. Secundum cimentum ſoli duntaxat convenit, in quo tria potiſſimum accidentia notanda ſunt. Nonnunquam reperitur

ſol in

ſol in cimento pro quarta vel media parte deficiens, quia non ſatis à natura fixus, ſed immaturus adhuc exiſtit. Quapropter cimentandus venit, quo partem volatilem ſui corporis cum fixa retinere valeat; alioqui vel in cimento, vel in cineritio, & quandoque in aqua forti ſeparatur immaturum hoc à fixo ſuo corpore. Scundum accidens in ſole plurimo, coloris pallidioris, & remiſſioris flavedinis cauſa, conſpicitur, qui color cimento quidem eſt ad hunc modum inferendus, ut in examine quovis maneat abſque diminutione corporis. Tertium verò concernit pondus, ob cujus defectum vilius aurum exiſtimatur quo levius: gravius enim plumbo, & (ut multi volunt) argento vivo debet eſſe. Hoc indicio maximè probatur ac reprobatur, quo minus aliis fallere poteſt: nam & colore, & conſtantia facilius imponitur oculis, quam tactui pondere. Hæc omnia ſunt ad hunc modum emendanda: Sumatur antimonii florum æris ana libra ſemis, Mercurij coagulati fixi drachma. Commiſceantur omnia & imbibantur oleo antimonij rubeo tamdiu donec omninò rubeſcant: his poſtmodum cimentetur aurum ſubtiliter laminatum, vel granulatum igne liquationis, horis viginti quatuor, absque diminutione caloris, in fuſorio vaſe per quam optimè clauſo. Transacto hoc tempore, regulum excipe; per crudum antimonium poſtmodum actum liquefiat addita chryſocolla, & in formam oblongam effundatur. Hoc eſt optimum ſolis ad omnes prædictos gradus cimentum.

5. Tertia cimentatio hæc eſt. Antea cimentationum duas fixationes poſuimus ad ſolem & lunam multiplicandum neceſſarias, jam eſt quod imperfectorum metallorum etiam in ea parte rationem habeamus, ut ſuo pariter cimento reddantur idonea ad cimentariam tincturam in ſe recipiendum, quam recipere nequeunt niſi prius ad hunc modum præparata. Corpora tantum quatuor imperfecta ſub iſto cimento ſunt comprehendenda, Mercurius autem excludendus, ſuoque peculiari cimento reſervandus. Sumatur antimonij libra una, ſalis petræ libræ duæ, ſalis communis, ſalis tartari ana libra ſemis. Omnia ſimul permixta ponantur in vas fuſorium, ſtrato ſuper ſtratum collocato cum laminis aut limaturis metallorum. Cimententur optimè clauſa horis duodecim igne violentiſſimo, qui duabus ab initio levis fuerit. Abſoluto hoc tempore quod remanſit eximatur, loppa videlicet cum regulo ſimul. Notandum non omnes ejusmodi cimentationes regulum exhibere, ſed loppas etiam earum aliquas, quæ poſtmodum in Saturno coquendæ ſunt juxta communem uſum, & poſtea Saturnus hic adurendus in teſta, ſuper quam invenietur metallum fixum. Hoc loco notanda differentia quæ eſt ſeparationis per teſtam, & per cupellam cineritij: metallum cineritij;

ritij: metallum in iſtam ſubintrat, ſuper illam verò manet. Quod ſuper teſtam remanſit metallum ſecundo cimentabis ac tertio, ut ſupra, quo fixius evadat, ac ſuper cineritium maneat. Quo peracto fixum eſt & idoneum ad cimentariam tincturam recipiendum. Duo, tria, vel quatuor metalla ſimul conjungi poſſunt, ac utilius. Sumantur itaque limaturæ Martis, Veneris, Jovis, & Saturni, ſtratificentur, cum prædictis, vel ſaltem cum antimonij, ſalis ana libra una, ad limaturarum dictarum libram ſemis, fiat ut antea narravimus.

4. Quarta cimentatio minerarum eſt metallum in ſe perfectum habentium, & illud per communem liquationem amittentium. Notetur hoc loco metalla melius figi non poſſe, quam dum cruda ſunt. Hac via metalla reperiuntur in mineris quæ nunquam alias apparent. Ejusmodi transmutatio fit in mineris & metallis ante liquationem, ut metalla valeant in propria ſua figi natura, vel in aliud metallum transmutari. Quare duo cimenta ſub uno hic intelligenda ſunt: prius ad fixandum in minera metallum absque transmutatione: poſterius ad Veneris mineram in ſolem, aut alterius metalli, transmutandum. Præſtantiores enim ſpiritus mineris inſunt quam ipſis metallis, gradationes & fixationes metallorum potiſſimum adjuvant, cum in ſe contineant colores atque tincturam in ſua materia nondum igne mutata. Fixionis igitur in ſua minera metalli deſcriptio talis eſt: Sumatur mineræ Martis libra una, huic optime tritæ addantur antimonij, ſalis nitri ana libræ duæ. Liquationis accendantur igne concluſa fortiter atque lutata, & ita maneant horis viginti quatuor. Poſtmodum exemta & cum Saturno reducta fulminentur, & invenies metallum fixum in ſuo decenti colore; ſic de reliquis mineris intelligendum. Spiritus enim metallorum adhuc in ſuis mineris exiſtentes, crudi progrediuntur in ſuis coloribus & eſſentiis. Minerarum transmutationis deſcriptio hæc eſt: Sumantur croci ex floribus Martis, florum ex croco Veneris, vitrioli, aluminis ana libra ſemis, ſalis communis præparati libra una, mineræ libræ duæ. Liquefiant omnia humiditateque priventur, & cimententur horis duodecim. Poſtmodum in Saturno liquentur, & fulminentur, quo peracto reperietur in cupella cineritij transmutatio. Poterit ad ejusmodi transmutationem, etiam metallorum addi mixtura, conſiderando tamen unius quam alterius majorem aptitudinem, qua facilius transmutatio fiat.

5. Quinta cimentatio corporum eſt volatilium, ut Mercurij vulgi & aliorum quatuor metallorum imperfectorum. Differentia primo loco notanda eſt inter Mercurium vulgarem, & metallorum, quod ad ſuas tincturas attinet. Iſte plus tincturæ ſatis exhibet ex præparatis metallis, illo communi. Pariter intelligendum eſt utrun-

eſt utrumque Mercurium, corporalem & vulgarem eſſe coagulandum, quo cimentum ſuſtinere valeat, ac recipere corporalem ſubſtantiam cum tinctura coloreque, ut optima decet metalla. Coagulatio Mercurij hæc eſt: Sumatur aqua fortis à ſolutione lunæ viribus & acredine privata prorſum, & ſolvendi facultate. In hanc utrumvis conjicito Mercurium, & calefacta parumper aqua perturbetur in pultes, coagulabitur in ea Mercurius, & in formam indureſcet metalli fragilis. Exemtus ab aqua lavetur toties donec dulceſcat, & inde cimentetur ut infra. Sumantur boracis unciæ duæ & ſemis, ſalis armoniaci uncia ſemis, croci florum æris, florum croci martis ana uncia una, vitrioli calcinati, aluminis calcinati, lapidis hæmatitis, boli armeni ana uncia ſemis. Miſceantur optime trita ſimul & imbibantur aliquoties urina, poſtmodum fiat in fuſorio vaſe ſtratum ſuper ſtratum, ſtrictiſſime concluſis omnibus atque lutatis. Liqueſcant igne cimentario per horam lento prius, poſt aucto per horam aliam, & per aliam demum violentiſſimo. Deinceps liqueſcant in Saturno & fulminentur, ad hunc modum habebitur Mercurij transmutatio. Poteſt & alia via coagulari ac cimento transmutari, ut ſequitur: Sumatur cinabaris, & boracis ana uncia ſemis. Liquefiant ambo ſimul in corpus unum, quod ſublimetur ex more cinabaris, ut corpus rurſum unum fiant, cui tandem adjiciantur ſalis communis calcinati, florum æris, croci Martis, lapidis hæmatitis, boli armeni ana drachmæ duæ, ſupradicti corporis uncia una. Fiat ſtratum ſuper ſtratum in fuſorio vaſe, poſtea lente ſex primis horis igniantur, & aliis ſex horis auctior ſit ignis, poſtremo duodecim horis adhuc violentiſſimus. Quo facto rurſum ut ſupra ſublima & cimenta, quarto vel quinto cimento cinabarim fixam invenies, quam reduc per Saturnum, & fulminetur, & habebitur ejus transmutatio: ſic de reliquis volatilibus corporibus metallicis agendum erit.

6. Sexta cimentatio partis eſt unius ſolis cum altera lunæ parte, hæc plus omnibus aliis tincturæ recipit, ac citius operatur, quæ gradata fuerunt prius & fixata corpora. Sumatur cinabaris, florum æris, hæmatitis, ſalis armoniaci, calaminaris, ſulphuris, ſalis communis, vitrioli, aluminis ana uncia ſemis, croci martis uncia una. Trita ſimul omnia & mixta in corpus unum exiccentur igne parumper, & imbibantur poſtmodum urina, tandem ſtratificentur cum ſupra dictis metallis ſimul colliquatis & laminatis. Ponantur ad ignem & liqueſcant ſex horis; poſtea cimentum innovato, ac aliis ſex horis liqueant; tertio duodecim, & quarto viginti quatuor; poſtremo fulminentur per Saturnum, & habebitur transmutatio. Si tamen alia metalla, ut Venerem, & Martem aſſumſeris, plure opus eſt pulvere & igne. His paucis

libellum noſtrum de cimentis abſolvimus,quo ſatis ample clareque cimentationes docuimus. Quanquam & aliæ multæ deſcriptiones aliorum habentur, quas à noſtris excludimus, eas tantum poſuimus quæ magis per experientiam utiles à me compertæ ſunt. Jam de gradationibus etiam aliquid audiamus ex Paracelſo.

De gradationibus metallorum.

CAP. XXI.

QUatuordecim hoc loco metallorum gradationes ponere viſum eſt,etſi longe plures aliæ reperiantur, eas tantum congeſſimus quæ certa conſtant experientia, & ſcriptu dignas eſſe ſcimus. Sub triplici differentia præparatæ ſunt,uti per aquas fortes, per olea,reliquæ vero per liquores.

1. Gradatio prima per primam aquam fortem fit ad hunc modum: Sumantur vitrioli,aluminis, ſalis nitri ana libræ duæ: floris æris,croci martis,hæmatitis verto unus, id eſt, quarta pars libræ; cinabaris ℔. ß. antimonii verto unus & ſemis,arſenici verto ſemis. Omnia ſimul deſtillentur in aquam fortem,quæ purificetur & rarificetur juxta ſimilium aquarum uſum, & in ea cimentatam ſolvito lunam aut partem cum parte,lunam atque Venerem, & in digeſtione contineantur uno menſe, poſtmodum reſidentiæ fulminentur,& habebitur transmutatio Quod reſiduum adhuc in aqua forti fuerit,præcipitetur & fulminetur ut ſupra: ſic habetur argenti reliquum. Notandum interea ſingula præparari debere priusquam in uſum veniant gradationum, alioqui per immunditiem plurimum impeditur omnis transmutatio.

2. Secunda gradatio per ſecundam aquam fortem. Hujus ſecundæ gradationis proceſſus optime notandus eſt, ut qui majori lucro ſubtilitateque fiat cæteris aliis per aquas factis. Sumatur itaque ſalis petræ,cinabaris ana libra una; conterantur, & ex eis aqua deſtilletur,quam ſerva. Hoc ipſum feceris etiam, & ſub eodem pondere cum antimonio & arſenico. Confunde ſimul ambas aquas,& addatur ſalis nitri,aluminis ana libra una. Rurſum omnia ſimul deſtillentur, in modum aquæ fortis. Ad omnia metalla,quæ fuerint in hac aqua diſſoluta,& in digeſtione manſerint, magis quam ſit credibile,perfectionis operationes,vires atque virtutes adimplentur,cum in ejusmodi compoſitionem ingredientibus,veræ transmutationis metallorum in ſe corporalem materiam habentium, plenæ facultates deliteſcunt. Tres enim iſtæ deſtillationes, aquæ ſuæ fortitudine tam vehementer tingunt, ut major aut vehementior in aquis fortibus operatio nulla reperiri queat.

3. Tertia gradatio per tertiam aquam fortem. Sumatur cinabaris,

baris, arſenici, antimonij ana libra ſemis, ſalis petræ libræ duæ, ſulphuris libra ſemis. Trita miſceantur, ac deſtillentur in aquam fortem igne violentiſſimo Poſtmodum ſumantur hujus aquæ partes duæ, aluminis communis, aluminis plumoſi ana pars una & ſemis, vitrioli pars una, viridis æris, croci Martis ana pars ſemis. Hæc ſimul omnia deſtillentur in aquam fortem igne vehementiſſimo. Tandem ad hanc aquam omnem ſumantur ſui capitis mortui duæ partes, antimonij, viridis æris, cinabaris, ſulphuris ana pars ſemis. Deſtillentur iterum in aquam ut prius. In hac aqua forti ſolvatur media pars in decem partibus, florum æris, croci martis; poſtmodum clarificetur aqua, & in ea ſolvatur metallum, ac digeratur. In remanentiis plus ſolis reperietur, quam bene credibile ſit per artem fieri poſſe.

4. Quarta gradatio per primũ oleum. Sumatur antimonij libra una, Mercurij ſublimati libra ſemis. Deſtillentur ambo ſimul igne violento per alembicum vel retortum, aſcendet rubedo quædam inſtar ſanguinis & ſpiſſa, quæ tingit unamquamque lunam in ſolem, & hunc etiam pallidum ad ſupremum gradum coloris permanentis adducit per digeſtionem ſuo tempore continuatam.

5. Quinta gradatio per ſecundum oleum. Sumatur olei philoſophorum libra una, aluminis calcinati, talci citrini (alias colcotharis citrini) ana libra ſemis. Deſtillentur igne violento. Poſtmodum innoventur ſpecies in priori pondere, & addatur cinabaris, viridis æris, ſulphuris ana verto ſemis. Rurſum deſtillentur, & poſtea rectificentur in puritatem aquæ; huic injiciatur luna, maneat in digeſtione. Reſidentia tandem præcipitetur, & reducta per ſaturnum fulminetur.

6. Sexto gradatio per tertium oleum. Sumantur ſulphuris vini libræ duæ, olei lini libræ quatuor. Coquantur in compoſitum, & hoc in oleum deſtilletur, cui plus addatur vivi ſulphuris; & coquatur ut prius in compoſitum, ac digeratur uno menſe, vel duobus. Poſtmodum addatur ſalis petræ, vitrioli, aluminis, florum æris, croci martis, cinabaris verto ſemis. Deſtilletur inde quicquid aſcendere volet, liquoribus amotis oleum ſervetur. Huic addatur ſuum caput mortuum, & ſpecies iterum ſupradictæ, ſimulque deſtillentur ut prius. Deſtillatum rurſus affundatur fæcibus, putrificetur uno menſe, ac deſtilletur iterum. Evacuatis poſtea coloribus, rubeum oleum ſervetur & rectificetur ut oportet. Poſtremo laminæ digerantur in eo ſuo tempore, tandem reducantur & fulminentur.

7. Septima gradatio per primum liquorem. Omnes iſtæ, vel oleaginoſæ ſunt, vel aquoſæ: de prioribus priore loco dicetur. Sumatur mellis libra una, & in eo coquatur vitrioli, aluminis ana verto unus, aluminis jameni verto ſemis. Deſtilletur ex

cis aqua per violentum ignem, addatur deſtillato ſui capitis mortui, & ſulphuris ana verto ſemis. Hæc ſimul in formam hepatis decocta, ac uno menſe digeſta deſtillentur, & in puritatem deſtillatum rectificetur. Poſtmodum addantur ſalis armoniaci, florum æris, croci martis, aluminis ana verto ſemis, vitrioli verto unus, antimonij fixi rubei, arſenici fixi rubei ana unciæ duæ. Trita & in deſtillatum injecta ſtent in calore diebus decem, poſtea ſeparetur liquor à fæcibus ac purificetur. Huic injiciantur laminæ metallicæ, maneantque ſimul in mediocri digeſtione usque ad perfectionem. Poſtremo quidem reducantur & fulminentur.

8. Octava graduatio per ſecundum liquorem. Sumatur ſufficiens aqua fortis, in qua ſolvatur pro tertia parte ſol, in alia Venus, & in tertia Mars. Solutiones confuſæ deſtillentur in aquam, quæ ad ſuas fæces affuſa deſtilletur iterum, affundatur ac deſtilletur, idque toties donec inde fiat liquor admodum ſpiſſus. Huic addantur mellis deſtillati & præparati partes ſex plus quam prius, & uno menſe digerantur omnia, poſtea ſeparato phlegmate ſuperfluo ſervetur liquor, in quem laminæ metallorum projectæ digerantur uno menſe, & poſtremo coagulentur in maſſam unam & corpus unum, hoc fulminetur, quartificetur, & fulminetur iterum, ad hunc modum invenietur optima transmutatio.

9. Nona gradatio per tertium liquorem. In aqua forti ſolvatur viridis æris quantum poteſt, addatur vitrioli & ſalis armoniaci ana decima pars viridis æris; uno menſe teneâtur in equino fimo, ac poſtea deſtillentur in aquam, reſundatur ad ſuas fæces, deſtilletur, ac refundatur toties, donec inde fiat liquor oleoſus, injiciantur limaturæ metallorum, & in digeſtione reperietur transmutatio. Quamvis hic liquor paucus ſit, plurimum nihilominus metallum juxta ſuam quantitatem tingit.

10. Decima gradatio per quartum liquorem. In optima aqua forti ſolvetur chalybis quantum poteſt, ſolutio maneat in digeſtione uno menſe, & inde fiet compoſitum, & color unus. Deſtilletur etiam in liquorem, in quem limaturæ metallorum projectæ maneant in digeſtione, donec liquor incorporetur. Tum demum ſimul ambo fulminentur per Saturnum, & invenietur transmutatio, quæ ſeparetur & præparetur ut moris eſt.

11. Undecima gradatio per quintum liquorem aqueum primum. Sumantur ſalis petræ purgatiſſimi libræ quatuor, quod à ſuo phlegmate repurgetur, ſalis communis præparati libræ duæ. Commixta ſimul deſtillentur ſexies vel novies, ac toties donec ambo per alembicum in ſubmiſſum vas transeant omnino. Hujus aquæ libræ duæ, florum antimonij, florum æris, florum martis, florum ſulphuris ana unciæ duæ, vitrioli, ſalis armoniaci, aluminis ana unciæ duæ & ſemis, mixta ſimul omnia maneant in digeſtione

eſtione diebus quatuor & viginti, poſtmodum ſeparentur, in a-
uam puriſſimam, in qua luna gradetur, atque metalla per digé-
ionem, fulminentur per Saturnum, quartatione ſeparentur, &
ılminentur iterum.

12. Duodecima gradatio per ſecundum liquorem aquoſum.
umantur vini ardentis correctiſſimi libræ tres, aquæ ſalis petræ,
quæ ſalis communis ana libra ſemis, vitrioli, aluminis plumoſi,
luminis rupei ana vertones tres. Miſceantur ſimul in mixtu-
m, quæ ſexies deſtilletur à capite mortuo. Hac aqua metalla per
radum fixabuntur & transmutabuntur optime.

13. Decima tertia gradatio per tertium liquorem aquoſum.
umatur Iſteris ſanguinis libra una. Deſtilletur decies ac ter à
ıis fæcibus, & addatur florum æris, florum ſulphuris ana verto
emis. Digerantur in fimo equino uno menſe, poſtmodum inji-
iatur calx lunæ, ut color & ſubſtantia conſumantur, poſtea coa-
ulentur, & in Saturno fulminentur. In iſto liquore Mercurius
ulgi & corporalis etiam coagulantur & permutantur pro condi-
one transmutationis.

14. Decimaquarta gradatio per quartum liquorem aquoſum.
umatur Mercurij vigeſies à ſale armoniaco ſublimati libra una,
lorum Veneris, florum Martis, florum ſulphuris, florum antimo-
ij ana uncia una. Trita miſceantur omnia ſimul & in aquam re-
olvi ſinantur. Hæc aqua nullo prorſum indiget opere laboreve:
âm in hanc projecta metalla, pauco tempore digeſtà & poſtmo-
um fulminata, mirum in modum ad ſuum transmutationis gra-
um adducuntur. Alia gradatio lunæ cum oleo Mercurij per
ppendicem. Fiat oleum ex Mercurio ſublimato & aqua forti,
nultoties ut ſupra cohobando vel redeſtillando, quousque in o-
eum convertatur; in hoc impelle ſpiritus aquæ fortis igne vio-
entiſſimo, pomodum impoſita luna granulata convertetur in ſo-
em. Tandem regali cimentetur, & optimus erit.

De vexationibus Alchemiſtarum.

CAP. XXII.

ABſolutis gradationibus metallorum atque cimentis, ad vexa-
tiones Alchemiſtarum veniendum poſtremo loco duximus,
uibus Alchemiam concludemus Paracelſi. Quid ſit igitur Alche-
nia, inprimis dicendum: aliud çerte nihil, quam perceptibilis, in-
luſtria tamen, excogitatus ſermo verus, quo genera metallorum
x uno in aliud transmutari docetur, juxta quem unusquisq; viam
ibi meliorem pro ſuæ mentis captu (qui rem perpendit acutius,
ta metam attingit) eligere poteſt, ac ita hujus rei veritatem inve-
ire. Syderum & lapidum hoc loco rationẽ habere maximã opor-
et, quia ſydus eſt omnium lapidum formationis ſpiritus. Eſt etiam
ſyderum

ſyderum omnium cæleſtium Sol & Luna non niſi lapis unus in ſeipſo, terrenusque lapis à cæleſti prodiit lapide, per eunde ignem, eosdem carbones, cineres, expulſiones, & easdem repurgationes; quibus lapis ille cæleſtis, clarus & purus in ſplendore ſuo ſeparatus reductus eſt. Totus autem globus terræ nihil aliud eſt, quam abjectum quid, concretum, mixtum, corruptum, tritum, & iterum coagulatum, & partim in maſſam unam lapideum opus liquefactum, quod in meditullio ſphæræ firmamenti ſedem & quietem habet. Notandum ulterius lapides illos pretioſos, qui propriis nominibus à cæleſtibus lapidibus vel ſyderibus vocantur, proximum perfectionis, puritatis, pulcritudinis, claritatis, virtutis, incorruptibilitatis, & in igne conſtantiæ locum habere, ac in aliis lapidibus terrenis deliteſcere. Cum ſyderibus cæleſtibus ve lapidibus maximam affinitatem habent, eorumque ſunt naturæ: nam ab iſtis derivarunt in lapides in quibus inveniuntur. Haud ſecus de metallis judicandum eſt. Ad Alchemiam igitur non eſt inprimis opus aliis inſtrumentis, quam officina fuſoria, plenis a ere follibus, tenaculis, malleis, crucibulis, teſtis, atque cupellis ex faginis cineribus conſtructis. Poſtmodum imponantur Saturnus, Jupiter, Mars, Sol, Venus, Mercurius, & Luna, & operentur in finem usque Saturni. Si autem metalla diu admodum in terra ſepulta manserint, non ſolum ærugine conſumuntur, verumetiam perſeverantia transmutantur in lapides naturales, quorum infinitus eſt numerus: at paucis arcanum hoc eſt cognitum. Reperitur nonnunquam in terra, Gentilium vetus & lapidea moneta ſuis imaginibus & characteribus impreſſa, quæ prius metallica fuit, ſed per transmutationem à natura factam in lapides verſa. Quid præterea de receptis Alchemiæ, materia, vaſis, &c. horumque diverſitate dicendum eſt, uti ſunt fornaces, vitra, ollæ, aquæ, olea, calces, ſulphura, ſalia, ſal petræ, alumina, vitriola, chryſocolla, atramenta, ſal vitri ceruſſa, terra rubea, tutia, cera, lutum ſapientiæ, vitrum contuſum, viride æris, fuligines, teſtæ ovorum, crocus martis, ſapo, cryſtallum, creta, arſenicum, antimonium, minium, elixir, lazurium, ſol laminatus, ſal nitri, ſal armoniacum, lapis calaminaris, magneſia bolus armenus, & alia plura? De præparationibus, putrefactionibus, digeſtionibus, probationibus, ſolutionibus, cimentationibus, filtrationibus, reverberationibus, calc nationibus, gradationibus, rectificationibus, amalgamationibus, purgationibus, &c. quibus Alchemiæ libri ſunt referitiſſimi; deinceps de his quæ ex herbis, radicibus, ſeminibus, lignis, lapidibus, animalibus, vermibus, oſſium cineribus, limacum çapſulis, conchis, cochleis, & pice fiunt opera? Hæc & ſimilia quæque ſunt in Alchemia remotiſſima quædam, imo vaniſſima laborum onera, quibus etiam ſi ſol & luna fieri poſſet, nihilominus intentionem hanc magis quam prove-

provehant, impediunt. Non eſt igitur ex eis (ut vere loquar) addiſcendum, quod ad artem faciat ſolem & lunam fabricandi; quapropter omittenda ſunt omnino, quod cum quinque metallis ad ſolem & lunam prorſus nihil operentur. Percontari poſſet quiſpiam, quæ eſt igitur hæc via, breveque fundamentum absque difficultate, quibus tam cito ſol & luna vere fieri poteſt absque fuco, cum jā neges omnia quæ paſſim in reliquis tuis ſcriptis affirmaſti? Reſponſio tibi datur abunde & clare ſatis in ſeptem canonibus infra ſcriptis: qui per illos intelligere nolet intentionem hanc noſtram in chemicis, fruſtraneus labor eſſet amplius tam rude & ineptum ingenium inſtruere velle. Non eſt etiam quod ſibi quis inſipidè perſuadeat, ea tam leviter intelligere poſſe; verum occulto ſenſu melius quam aperto.

De modo quærendi metalla pariter & loco.

CAP. XXIII.

IN terra & in lapidibus inveniendi metalla ſpes eſt incertiſſima, verum quia primus acquirendi modus, nulla ratione ſpernendus eſt, ſed maximopere laudandus: tale deſiderium hominum & appetitus, non magis quam adoleſcentum licitum ad conjugium amor interire debet. Ut apes enim propter mel & ceram, non ſibi tamen, ad flores deſiderant, haud aliter homines ut ipſæ præter omnem avaritiam, commodumque proprium, ad eruendum è terra metallum anhelare foret æquum: nam quærens quod nimium eſt minimum reperire ſolet. Non auro ſolo Deus homines argentove, ſed etiam pauperie, ſordibus & miſeria donat. Aliquos etiam ad metallorum & mineralium ſingulares cognitiones vocavit, qui breviorem ac faciliorem ſolem & lunam fabricandi modum, absque foſſionibus fuſionibusve ſunt adepti, quam ex vulgari conſuetudine, nedum ex ſubterraneis, verumetiam ex quinque metallorum genere, per certas artes & notitias, medio tamen arte fabricatorum metallorum, ut ex Saturno, Jove, Venere, Marte, Mercurio, de quibus & quolibet ſeparatim ſol & luna fabricarunt, ex uno vero quam ex alio facilius.

Notato ſuper his, ex Mercurio, Saturno, & Jove facile, ſed ex Marte & Venere difficile ſolem aut lunam fieri, poſſibile tamen, ſed cum additione fermenti (alias) ex magneſia & Saturno exit luna; ex Jove & cinabari purus ſol oritur & luna, ex Jove Mercurio & aquario purum aurum arietinum. Poterit etiam ingenioſus artiſta, qualem aliquando me vidiſſe memini, diligenti quidem animadverſione præparare metalla, ſic & ratione vera ductus, metallorum transmutationis perfectionem opere ſuo magis, aut regimine promoveat, quam faciant cæleſtium ſignorum duodecim, aut planetarum ſeptem curſus; quos etiam in his obſervare ſuper-

ſuperfluum eſt, aſpectus, mala ſive bona tempora, diem aut horam, hujus vel alterius planetæ ſtatum proſperum, aut infelicem, quæ nec juvare poſſunt in Alchemiæ naturalis arte, nocereve multo minus: ſi verum alioqui proceſſum, aut poſſibilem habeas, operare cum libuerit; modò non ex teipſo, vel tuis operationibus & intellectu aliquis defectus, planetæ ſyderave cæleſtia tibi non officient in hoc opere. Locus etiam rerum omnium perpetuus, temporis expers atque principij finisque, locorum ubivis operatur eſſentialiter; cujus nulla ſpes eſt, quod reputatur impoſſibile, quod etiam incredibile deſperatumque videtur, mirabiliter in veritatem erumpit. Deus enim & natura nihil faciunt fruſtra. Notandum eſt apprime hoc ad Mercurium valens: Quicquid in colorem album tingit, vitæ naturam habet, lucisque poteſtatem atq; proprietatem, quæ vitam cauſaliter efficit; ignis cum ſuo calore, vitæ hujus eſt origo. Quicquid è contra tingit in nigredinem, aut nigrum efficit, naturam cum morte communem habet tenebrarumque proprietatem & vires mortis efficaces. Corruptionis hujusmodi coagulatio fixatioque, terra eſt cũ ſua frigiditate. Domus enim ſemper eſt mortua, ſed eam inhabitans vivit, cujus exemplum ſi reperire valueris, eviciſti. Pingues adole verbenas, liquefactivo pulvere Mercurium unito, quod in hoc opere notandum. Sumantur ſalis nitri unciæ quatuor, ſulphuris medietas, & aquarij uncia una. Trita ſimul accendantur in crucibulo cum minerali, & ſubſidet rex pulcherrimus.

De canonibus metallorum ſeptem.

Cap. XXIV.

Non, ut alij ſolent vulgares Alchemiſtæ, communiter de metallorum transmutatione ſcribere volui. Gravem admodum artem iſti, proceſſusque docent prolixiſſimos. Sumatur antim. hoc liquefieri permittas cum ſale nitro & ariete, cujus uncia ſemis, & ſolis tantundem ſumatur, Jovis drachmæ tres, quibus addatur ſquamarum aut batiturarum Martis drachma una, ſulphuris & vitrioli ana uncia una, lunæ tantum ut iſtius poſtremi, liquefiant in crucibulo cancroſe, &c. Cum itaque ſignorum, ſyderum, & planetarum cæleſtium characteres, una cum cæteris nominibus, receptis, materialibus & inſtrumentis in hac arte peritis notiſſimi ſint, hoc denuo recenſere libello ſuperfluum eſſet: quamvis hujusmodi ſignorum, nominum & characterum uſus & explicatio ſuo tempore non recuſentur. Alius tamen hic Alchemiam quam antea tractandi modus, ex metallorum ſeptem naturali fundamento deductus, obſervatur, per canones, qui licet pomposa verborum elegantia non erumpant, nihilominus in eorum conſideratione, quicquid ex Alchemia ſperandum eſt, abunde ſatis, & arcanorũ plurima ſcientia continetur: ex quibus etiam per maturam ſpe-

ram ſpeculationem admiranda reſultant opera, quæ multoties antiquorum operantium philoſophorum naturalium opinionibus etſi contraria, longe quoque diverſa, vera tamen probatione & experimento reperta ſunt. Primo nihil in hac arte verius eo quod minime cognitum eſt, cuique minor fides adhibetur. Occaſio cauſaq; ſola difficultatis omnis in Alchemia, propter quam ad paupertatem reducuntur plurimi, reliqui vero fruſtra laborant, eſt operantum imperitia, materiarumque nimia vel pauca nimis quantitas, aut æqualitas, ex quibus omnibus, res in operationibus vel deſtruuntur, vel rediguntur ad nihilum. At ſi verus proceſſus fuerit ſemel inventus, res ipſam ſe mutans indies ad perfectionē magis ac magis accedit. Recta via facilis, ſed à pauciſſimis reperitur. Aliquando factum eſt, ut ſpeculativus quiſpiam artifex aliquam artem in Alchemia per delirium ſuum, tanquam in labyrintho poſitus, excogitarit, ſive quidpiam aut nihil inde conſecutum ſit. Nihil enim ipſum oportet facere, quo quidpiam introducatur in nihilum, & iterum aliquid oriatur ex nihilo: hoc eſt incredibile proverbium non utiq; falſum. Deſtructio bonum perficit, nam bonum apparere nullo modo poteſt propter ſuum occultatorem. Bonum enim haudquam bonum dum occultum eſt. Occultator igitur eſt amovendus, ut bonum libere cum claritate valeat apparere. Occultator eſt mons & lapis, arena terræ, meatus ſolis, & venæ in quibus metallum crevit. At unum quodque metallorum viſibilium occultator eſt aliorum ſex metallorum. Et quia per elementum ignis imperfecta quævis corrumpuntur, aduruntur, ac reducūtur in nihilum, uti ſunt hæc metalla quinque, Mercurius, Jupiter, Mars, Venus, atque Saturnus: è contra perfecta ſimili non abſumuntur igne, veluti ſol & luna; quo fit ut in eo permaneant, & ex aliis imperfectis in quibus corrumpuntur, ſimul ſuum corpus aſſumant, & appareant oculariter. Qui & quonam titulorum artificio id fiat, ex ſeptem canonibus infra poſitis colligi poterit, etiam cujus naturæ ſive proprietatis quodlibet metallum exiſtat, quid cum aliis operetur, ac efficere valeat in ipſorum commixtione. Verum hoc apprime notandum eſt, ſeptem illos canones à quovis, licet vulgariter acutiſſimo lectore, prima facie lecturaque leviter minime poſſe intelligi: nam lenis intellectus occulta facile non admittit: quapropter quivis horum canonum diſputationibus indiget non exiguis. Plurimi ſunt elati ſuperbique ſpiritus, qui ſibi temere perſuaſum habent, hæc omnia quæ libellus iſte continet, intelligere, meliora ſe habere credunt, iſta quoque ſpernere ſolent, ſolem videlicet inter duas lunas, & ſolem in parentheſi. Ut autem ea probetur ſententia ſupra poſita, quæ ſic habet: *Vnumquodque metallorum viſibilium, occultator eſt aliorum ſex metallorum*; videamus quid Paracelſus doceat

in calce

in calce libri transmutationum,utpote mutuam inter ſe metallorum imperfectorum transmutationem. Ferrum igitur in cuprum transmutandi hic eſt modus: Limaturæ Martis coquantur in aqua vitrioli diutiſſime, vel ejus lamellæ cum vitriolo calcinato cimententur,aut ignitæ in oleo vitrioli extinguantur. Ferrum in plumbum ſic transmutabis: Limaturæ Martis cum æquali pondere pulveris reductionis optimi permixtæ, in crucibulo cimententur una hora primum abſque liquefactione, deinceps igne violentiſſimo liqueſcant, frigefacto vaſe reperies in fundo regulum plumbi malleabilem citra ignitionem, ſed non uſque adeo ut aliud plumbum cito fuſibile eſt. Cuprum in plumbum transmutatur ad hunc modum: Albificetur primo Venus cum Mercurio ſublimato,& arſenico fixo inſtar lunæ. Poſtea granuletur, & addatur ei pondus æquale ſui de pulvere fuſionis vel reductionis,cum quo cimentetur aliquamdiu. Poſtremo liquefiat in regulum plumbeum. E contra plumbū in cuprum vertitur,ſi laminæ Saturni cum vitriolo calcinato vel croco Veneris ut ſupra,cimententur,& poſtremo liquefiant, habebitur regulus cupreus & malleabilis. Plumbum in ſtannū facile vertitur,lamellis ejus cum ſale de armoniaco ſtratificatis,cimētatis,& poſtremo liquatis,ut ſupra de aliis. Ejuſmodi trāsmutationes etſi parvo aut nullo penitus lucro,ſive detrimēto fiant,uſui tamē quandoq; veniunt in plurimis. Huc attexere viſum eſt,ut videatur ſub manifeſtis quibusq; metallis alia deliteſcere per occultationē manifeſti. Ecquis dubitat ſub luce tenebras occulte ſuppreſſeque fuiſſe cohibitas? quæ cum lucidi' malitia tandem emergunt, in malum quod bonum fuit invertitur,quoniam hæc duo ſimul annexa bellum inter ſe gerunt ab eo tempore,quo primum lux à tenebris emergentibus occultata eſt: ſed de his plus ſatis intelligentibus & noſtris. Ad canones accelerandum eſſe video, quibus innoteſcant occulta metallorum cum vitia,tum virtutes,in quas illa vertenda ſunt, fixiſſima quidem occultatione.

De natura & proprietate Mercurij.

Canon primus.

OMnia ſunt in omnibus occulta,unum ex iſtis omnibus eſt occultum hoc,vas corporeum, extrinſecus viſibile mobileque, in quo liquationes omnes manifeſtæ ſunt. Spiritus iſtius vaſis eſt vivus & corporeus, quo fit ut coagulationes vel congelationes omnes in eo compreſſæ ſunt & concluſæ, liquatione tamen circumveſtitæ,ac velut amictu concluſæ. Nullum huic liquationi, vel ejus origini poteſt inveniri nomen, quo proprie vocetur. At quia calor nullus tam vehemens qui huic æquiparari poſſit, ignis infernalis calori comparari debet. Siquidem hujusmodi liquatio

nihil

nihil prorſus commune habet cum aliis naturalis ignis & elementaris calore factis & naturali frigore coagulatis. Debilius enim eſt elementare frigus, quam in Mercurium inferre valeat congelationem, quo fit ut illud etiam contemnat una cum elementari calore quem effugit. Inde colligere licet, mortales quatuor elementorum vires corruptibiles, nihil addere vivo Mercurio, vel adimere poſſe, nec ipſum arripere. Cæleſtes & infernales vires elementis quatuor non obediunt, ſive ſiccis, humidis, calidis, aut frigidis: nullum iſtorum operandi facultatem habet in quintam eſſentiam, ſed quodque proprias & peculiares in ſe ipſo vires habet.

De natura & proprietate Iovis.

Canon ſecundus.

QUod manifeſtum eſt Jovis (intelligito corpus) metalla ſex in ſe continet ſpiritualiter occulta, unum altero profundius ac tenacius. Nihil de quinta participat eſſentia, ſed elementorum eſt naturæ, quapropter ejus liquatio levi penitus igne ſupervenien te manifeſtatur, & accedente frigore ſimili coagulatur. Cum aliorum omnium metallorum liquationibus affinitatem habet. Nam quanto quid alteri natura fuerit ſimilius, tanto facilius unitur illi per conjunctionem, facilior etiam eſt magiſque naturalis propinquorum, quam remotorum invicem operatio. Remotum fallere ſolet, quod minime in eo videatur maximum. Hinc fit ut ad ſuperos non anhelent homines, quia plurimum ab illis diſtant, quorum etiam gloriam non vident: pariter ut inferos non uſque adeo reformident, quod remoti ſint, eorumque ſtatus & pœnæ miſeriam nemo viventium noverit, aut expertus ſit actu, hac de cauſa nihil ſit infernus. Haud ſecus res remotiores eo viliores habentur, quo rudiorem locum obtinent, quia pro ſui loci proprietate quæque res melior evadit, vel immutatur, quod variis exemplis demonſtrari poteſt. Proinde quanto Jupiter eſt à Marte & Venere remotior, & propinquior ſoli & lunæ reperitur, tanto magis ad auri & argenti naturam accedere videtur in ſuo corpore, grandiorque, fortior, viſibilior, tangibilior, perceptibilior, amabilior, acceptior, notior, verior, & ſi quid ultra dici queat, quam in remoto. Rurſus, quo res quævis remotior, eo vilior exiſtimatur in prædictis omnibus, non alia de cauſa, quod ſemper abſenti rei præferatur. Quanto propinquius eſt igitur manifeſtum, tanto remotius eſt occultum. Quapropter Alchemiſtis, diligentia maxima, ſpiritualis, occultus, & remotus conſiderandus eſt locus atque notandus, in quo ſol & luna exiſtunt, ac utrum optaverint, hoc in diſtantia quærant, pariter in propinquo videant, quo loco Jupiter ſtetit corporaliter, ibidem ſolem & lunam exiſtere vere ac ſecundum examen ocularitet, non ambigant. Transmutatio-

num enim metallorum ex imperfectione ſua in perfectionem, varia ſunt operationum recepta, quæ unum alteri permiſcere, tum ab altero purum ſeparare docent. Hoc omne quicquid eſt, aliud nihil quam ablutionem, vel permutationem exhibet, experientia certa chemiæ factam, unius in aliud. Nam aurum multum Jupiter piſcium,& non parum argenti habet, Saturnus, Mercurius, & Luna imponuntur ei,& augmentatur Luna de reliquis.

De natura & proprietate Martis.

Canon tertius

OCculta ſex metalla ſeptimum expulerunt Martem, à ſeque reiecerunt,corporaleque fecerunt, valorem ei minimum relinquentia,maximamque duritiem & laborum onus imponentia. Quodque ſuum coagulationis robur atque duritiem in iſtud excuſſit & manifeſtavit, colore, liquatione pariter & nobilitate ſibi retentis. Difficillimum eſt ac laborioſum nimis opus, ex inepto vulgarique homine principem aut regem efficere. Sed Mars valida pugnacique manu dominium acquirit, regisque locum occupat. Eſt tamen quod caveat ab inſidiis,ne captivus fiat ex improviſo. Conſiderandum igitur venit,qua ratione Mars regis locum, & Sol ac Luna cum Geminis locum obtinere queant.

De natura & proprietate Veneris.

Canon quartus

ALia ſex metalla ex omni ſuo colore medioque liquationis impermanentiæ corpus extrinſecum fabricarunt. Neceſſarium tamen foret ad majorem intelligentiam, aliquot exemplis demonſtrare, quonam pacto res manifeſta per ignem occultatur, & manifeſtatur occulte materialiter. Quicquid igitur eſt combuſtibile naturaliter & per ignem, transmutari poteſt ex una in aliam formam,videlicet calcem,fuliginem,cineres,vitrum, colores, lapides,& in terram: quæ poſtrema rurſum in multa corpora nova reduci poteſt metallica. Item ſi metallum aduſtum,aut ærugine vetuſta fragile factum eſſet, metallationem ignitionibus iterum acquirit. Nam aurum multum Jupiter,& non parum argenti habet,Saturnus & Luna imponuntur ipſi,& augmentatur Luna de reliquis.

De natura & proprietate Saturni.

Canon quintus

DE propria ſua natura Saturnus loquitur: Pro ſuo me reiecerunt examinatore ſex alia metalla,deque loco ſpirituali truſerunt à ſe, corruptibile corpus in manſionem etiam adiecerunt, ut quod ipſa nec ſunt,nec habere cupiunt,ſim id ego. Sex fratres

ſratres mei ſpirituales exiſtunt, quo fit ut corpus meum, quoties ignitum eſt, penetrent, ac una mecum igne tranſeant, ſole & luna optimis tantum exceptis; mea namque mundantur & ſuperbiunt aqua. Spiritus meus eſt aqua ſolvens omnium meorum fratrum congelata corpora: corpus meum tamen ad terram eſt proclive, quicquid in me recipitur, etiam proprium fit ejus, & per nos in corpus efficitur. Mundo minime foret utile cognoſcere vel ſaltem credere, quidnam in me lateat abditi, tum quid efficere poſſim; utilius vero ſi mecum id quod valeo facere, hoc ſciret: Alchemiſtarum artes deſerens omnes eo ſolo quod in me eſt, & ex me fieri poteſt, uteretur. Frigoris lapis eſt in me, hæc eſt aqua per quam congelari facio ſex metallorum ſpiritus in eſſe corporeum ſeptimum, id eſt ſolem cum luna promoveri.

Antimonium duplex reperitur, unum vulgare nigrum, quo repurgatur aurum in eo liquefactum; cum Saturno habet finitatem, aliàs, eſt ſui generis. Alterum eſt album, quod magneſia dicitur, affinitatem cum Jove maximam habet, cum aliis multiplicat, Mercurium commiſcet lunæ.

De natura & proprietate lunæ.

Canon ſextus.

EX luna conficere velle Saturnum aut Martem, non eſt levius vel facilius opus, quam ex Mercurio, Jove, Marte, Venere & Saturno lunam ingenti lucro facere. Non eſt tamen utile perfecta in imperfecta, ſed hæc in illa transmutare. Quænam ſit materia lunæ, vel unde proveniat oportet igitur cognoſcere. Quisquis id conſiderare nequiverit, nec lunam fabricare poterit unquam. Sed ſi rogetur quid ſit luna? eſt quidem ex ſex metallis ſpiritualibus occultis in ipſa, ſeptimum manifeſtum, ut ſæpius dictum eſt antea, alias, extrinſecus & materialiter; nam ſemper ſeptimum alia ſex in ſe continet occulta. Sex etiam ſpiritualia metalla non perſiſtunt, absque aliquo extrinſeco & materiali metallo; ſic etiam nullum corporale metallum, absque illis ſex ſpiritualibus locum aut eſſentiam habere poteſt. Corporalia metalla ſeptem liquatione bene permiſcentur, ſed mixtura hæc ad ſolem & lunam eſt inutilis; nam in ea quodque vel fixum in igne manet, vel ab eo fugit. Exempli gratia miſce quocunque modo potes Mercurium, Jovem, Saturnum, Martem, Venerem, ſolem & lunam, omnia ſimul hæc, inde quidem fiet ſol & luna, quinque tamen aliis non transmutatis, ut ex iſtis per ſolem & lunam, ſol & luna fiat, quamvis omnia liquefacta ſint in maſſam unam, nihilominus manet in ſua natura quodlibet hoc ipſum quod eſt: hæc ſunt quæ de corporali mixtione judicanda veniunt. De ſpirituali vero permixtione communique metallica ſciendum eſt

nullam ſeparationem aut mortificationem ſpirituum eſſe, quia ſpiritus ejusmodi ſunt qui nunquam abſque corporibus perſiſtere poſſunt, etiamſi corpus una hora centies illis adimeretur & mortificaretur, nihilominus aliud ſemper priori nobilius acquirerent. Et hæc eſt metallorum tranſpoſitio de una morte in aliam, de minori gradu in majorem & altiorem, id eſt in lunam, & ex meliori in optimum & perfectiſſimum, hoc eſt in ſolem ſplendidiſſimum regem omnium aliorum metallorum. Dicendum ulterius quod ejusmodi ſpiritus metallici corpus, in ſua primitiva generatione per cæleſtem influxum acquirant, lapidem videlicet aſpectu vilem, quem tuſum liquefacit, corrumpit, & mortificat igne metallarius artifex omnino, tum demum metallicus ſpiritus in ejusmodi mortificatione melius atque nobilius, non friabile, ſed liquabile & malleabile corpus recipit, Accedit Alchemiſta, qui tale corpus metallicum rurſus corrumpit, mortificat, artificioſeque præparat, ut iterum ſpiritus ille metalli nobilius adhuc & perfectius corpus induat, manifeſto ſe prodens in lucem ſolis aut lunæ. Tum demum ſpiritus & corpus metallica perfecte ſimul unita, ſunt ab ignis elementaris corruptione tuta, nec non incorruptibilia. Eſt igitur veriſſimum, quod ſupra ſæpiſſime dictum, ſex metalla ſeptimum ſemper generare, aut de ſe in eſſe manifeſtum producere. Quæſtio: Si verum ſit lunam & quodlibet metallum ab aliis ſex originem ducere generarique, quæ eſt igitur lunæ proprietas & natura? Reſponſio: Ex Saturno, Mercurio, Jove, Marte, Venere, nihil nec aliud metallum fieri poteſt quam luna. Cauſa hujus eſt, quod aliorum ſex metallorum quodlibet habet in ſe duas virtutes, quæ ſunt propriè lunæ ſpiritus, qui (brevibus verbis) ei ſic acquiritur. Nam luna conſiſtit ex ſex ſpiritualibus metallis & eorum virtutibus, quarum unumquodque duas habet: ſummatim itaque duodecim exiſtunt in uno corporali hoc metallo poſitæ, quæ ſeptem planetis, & duodecim ſignis cæleſtibus comparantur. Habet enim luna à planeta Mercurio, & ab aquario, & geminis, vel ab aquario & piſcibus liquationem, & album ſuum ſplendorem. Habet etiam luna à Jove, Sagittario & Tauro colorem album, & in igne magnam ſuam conſtantiam. Habet luna à Marte, cancris, & ariete duritiem, bonumque ſuum clangorem. Habet luna à Venere, geminis, & libra coagulationis menſuram & malleationem. Habet luna à ſole, leone, & virgine ſinceram puritatem, & magnam conſtantiam contra vires igneas. Habet luna à Saturno, virgine, & ſcorpione, vel capricorno corpus homogeneum, puram munditiem, & conſtantiam adverſus ignis violentiam. Talis eſt naturalis cognitio exaltationis & cauſæ ſpiritus & corporis lunæ, cum ejus compoſita natura brevibus perſtricta,

De natura & proprietatibus ſolis.

Canon ſeptimus.

SEptimum ex ſex ſpiritualibus metallis corporaliter eſt ſol, qui in ſeipſo nihil aliud eſt quam purus ignis. Quod autem extrinſecus pulcrius, flavius, apparentius, perceptibilius, ponderoſius, frigidius, ac magis homogeneum corpus viſu & perceptione poſſideat aliis; hujus rei cauſa eſt omnis, quod aliorum ſex metallorum congelationes in ſe continet, quibus in unum corpus extrinſecum factum eſt compactiſſimum. Ejus tamen per ignem elementarem liquatio provenit ex Mercurio, piſcibus, & aquario, liquationes in ſe ſpiritualiter occultas habentibus, & in ſolem operantibus: hujus exemplum eſt manifeſtiſſimum, cum ipſe Mercurius cum ſole facilius per amplexum commiſcetur corporaliter. Sed ſolem poſt liquationem recedente calore, frigoreque ſuperveniente extrinſecus coagulari, durum & ſolidum fieri, reliquorum quinque metallorum eſt cauſa, quorum naturam in ſe complectitur, ut Jovis, Saturni, Martis, Veneris, & Lunæ. In iſtis quinque frigidæ manſiones cum ſuis regiminibus præcipue reperiuntur: inde fit etiam quod ſol præter ignitionem liquefieri minime poſſit, propter jam dictum frigus. Non poteſt etiam Mercurius calore ſuo naturali, aut liquatione ſubvenire, nec ipſum defendere contra quinque metallorum frigiditatem: non eſt enim ſatis potens ad ſolem in ſua liquatione retinendum, quod obedire magis quinque debeat quam unico, cujus officium ſolum eſt ex ſua natura ſemper fluere: hinc fit etiam ut in aliorum metallorum congelationibus agere nihil valeat, ejus namque natura non eſt durum aut ſolidum efficere, ſed liquidum. Fluidum reddere caloris eſt & vitæ natura, frigiditas autem, duritiei, conſolidationis, & immobilitatis naturam habet, quæ morti comparantur. Exempli gratia ſex metalla, Jupiter, Venus, Saturnus, Mars, Luna, Sol, ſi liquefieri debeant, ignis calore fiat neceſſarium eſt, nivis aut glaciei quæ frigida ſunt, hoc ipſum non efficient, at potius coagulabunt durumve reddent. Statim atque metallum igne liquatum, ab eo fuerit amotum, irruens in illud frigiditas congelatum, durum & immobile per ſe reddit. Sed Mercurium fluere ſemperque vivum manere, dic quæſo an calore vel frigore id efficiatur; Quicunque reſponderit frigida humidaque natura (ut hactenus judicatum eſt) fieri tum quod à frigiditate vitam habeat, opinionis aſſertor hujus, naturæ nullam cognitionem habet, ſed cum vulgo ſeductus eſt. Ignarum enim vulgus de quibusvis nil niſi falſum ex manifeſto judicat in naturalibus, hoc etiam firmiter tenet ſolum quod videt carneis oculis. Quapropter eſt quod ab eo recedat, quicunque veritatem in his cupit cognoſcere. Mercurius

quidem ex frigida minime, ſed ex calida & ignea natura vivit: quodvis etiam vivens eſt ignis, ea ratione; quia calor eſt vitæ, frigus vero eſt mortis occaſio. Sol item ex ſeipſo purus eſt ignis, non tamen vivus, ſed durus, & ſulphuris tantum colorem demonſtrat; velut album rubeo permixtum in eo proportionaliter. Metalla vero frigida quinque numero, Jupiter, Mars, Saturnus, Venus & Luna, ſuas tribuunt ſoli virtutes, juxta frigiditatem corpus ipſum: ſecundum ignem, colorem; juxta ſiccitatem, duritiem; & ſecundum humiditatem, ipſum pondus; item ex ſplendore clangorem. Quod autem ſol in ignis terreſtris elemento non comburitur, nec etiam corrumpitur, efficit hoc ſolis cum igne concordantia; ſiquidem unus ignis alterum adurere non poteſt, nec abſumere, quin potius cum ad ignem accedat ignis, augetur validiorque fit in ſuis operationibus. Cæleſtis ignis utique, quem ſol in terram ad operandum apud nos influit, non eſt talis ignis qualis in cælo, nec ſimilis noſtro ſuper terram exiſtenti, ſed ignis ille cæleſtis apud nos, eſt frigidus & congelatus ignis, qui corpus eſt ſolis. Quamobrem ſol per noſtrum ignem ſuperari nullo modo poteſt; hoc illi ſolum accidit, ut liqueſcat, quemadmodum nix & glacies ab ipſo cæleſti ſole. Ignis igitur ignem adurendi poteſtatem non habet, quia ſol eſt ignis, qui ſolutus in cælo, congelatus apud nos exiſtit. Aurum pariter eſt in eſſentia ſua triplex, primum cæleſte ſolutum, ſecundum elementare fluidum, & tertium eſt metallicum & corporeum.

De calore & congelatione Mercurij.

Cap. XXV.

Mortificare vel congelare Mercurium, & poſtmodum in lunam convertere velle, magnoq; labore ſublimare, vana ſunt opera, cum illa ſolis & lunæ exiſtentium in ipſo disparitio quædam & evaneſcentia tantum exiſtant. Eſt enim alia longe diverſa propinquiorque via, qua Mercurius parvo dispendio, laboreque minori, ſine congelatione, transmutatur in lunam. Quisq; libenter hanc artem addiſceret in Alchemia tam levem atque facilem; per quam brevi tempore, ſolis & lunæ plurimum extruere valeret, aliæque ſibi tædio ſunt ſcripturæ, promptitudines, & verba, quæ non ita leviter fieri declarant: quinam ſibi foret agendum, hoc & ad hunc facito modū libenter audiret, operare ſic, & habebis ſolem & lunam copioſiſſime, quibus in ditiſſimum virum evades. Cui ſic, tantiſper expecta quæſo donec labore ſine brevibus verbis declaretur, præmanſumque tibi cadat in ſtomachum, ex Saturno & Mercurio brevis extruendi ſolem & lunam ſcientia. Non eſt nec eſſe poterit unquam hæc ars inventu factuque tam communis, atque in ſeipſa facilis exiſtit. Solem (inquam) & lunam fabri-

ſabricandi promptitudo, per Alchemiam levior eſt, quam ſit neceſſarium aliquo documento, vel ſcriptis majorem facere mentionem ea, quæ de annali nive fieri conſuevit. Quotquot utique Mercurium judicant eſſe humidæ frigidæque naturæ, decipiuntur errore proprio ac manifeſto convicti; ex ſua namque natura non niſi ſumme calidus & humidus, qua de cauſa cogitur in ſuo fluxu vitaq; liquidus eſſe naturaliter. Nam ſi natura ſua humidus eſſet ac frigidus, aquæ congelatæ haberet ſimilitudinem, ſemperq; durus ac ſolidus exiſteret, igne quoque, ut ad congelata metalla pariter opus eſſet ad ipſum liquefaciendum, nullo tamen indiget, cum liquationem & fluxum habeat ex proprio calore ſibi naturaliter inſito, qui continet illum in fluxione perpetua, vivumque reddit, ut neq; mori, nec coagulari per ſe queat. Verum in his maxime ſcitu neceſſarium, ſpiritus metallorum ſeptem, aut quotquot eorum mixta ſimul in ignem veniunt, inter ſe pugnam agere, præcipue Mercurium adeo ut quisq; ſuas virtutes atq; vires in alium exerat vincendi, liquefaciendi transmutandiq; deſiderio. Unus alterius virtutem, vitam & formam deprædatur, aliam naturā & formam tribuit. Calore namque ſpiritus ejusmodi commoventur, ac per ſuos vapores excitantur ad operandum inter ſe mutuam transmutationem ex una in aliam virtutem, uſque dum ad perfectionem & puritatem ventum ſit. At quid cum Mercurio tandem agendum eſſet, ut humiditate & caliditate prorſum ademtis & iſtarum loco maxima frigiditate penitus introducta, congelaretur, conſolidaretur, & omnino mortificaretur? Hoc fac ut ſequitur: Sumito purum E Venerem Z. Mercurium R. T. Venerem. CXPCX Mercurium R. quibus impone Mercurium optime concluſum, & ſuſpenſum loci coagulationis medio viginti quatuor horis, id eſt, uno die naturali. Ad hunc modum aufertur à Mercurio calor cæleſtis, & per caliditatem extrinſecam, & frigiditatem intrinſecam Saturni & lunæ (quæ ſunt ambo frigidæ naturæ) frigiditas ei tribuitur, unde Mercurius tandem congelari, conſolidari & indurari cogitur. Proinde notandum, frigiditatem (qua Mercurius indiget in ſui conſolidationem & mortificationem) ſenſu minime perceptibilem extrinſeco, velut nivis aut glacici, ſed potius extrinſecus calidum quid apparere. Haud ſecus de calore Mercurij, quo fluit naturaliter, judicandum eſt, non eſſe caliditatem extrinſecus perceptibilem, ad noſtrarum qualitatum ſimilitudinem, imo potius ut maxima frigiditas apparet. Unde Sophiſtæ (gens inexperte loquax) aſſerunt eum eſſe frigidæ humidæq; naturæ: quo fit etiam ut illum non aliis quam calidis rebus coagulare ſtudeant, quibus tamen fluidiorē effici, quam ſolidum eſſe cupiant, ſuo damno tandem indies experiuntur. Cæterum Alchemia vera, quæ unica tantum arte ſolem aut lunam ex quinque

metallis imperfectis fabricare docet, aliud receptum non admittit, præter illud quod ad hunc modum & veriſſime loquitur. Solum ex metallis, in metallis, per metalla, & cum metallis, perfecta metalla fiunt: nam in aliis rebus eſt luna, & in aliis metallis eſt ſol.

De plana hujus artis manifeſtatione.

Cap. XXVII.

Cum cælum aut ſphæram Saturni cum vita currere feceris ſuper terram, impone planetas omnes aut quos volueris, ut lunæ tamen nimium non adſit, ſed minus aliis ejus adjiciatur. Currere permittas omnia tantiſper donec cælum Saturni penitus evaneſcat. Hoc pacto manent omnes planetæ conſiſtentes ut, ipſorum antiquis & corruptibilibus corporibus mortuis, novum, perfectum & incorruptibile corpus induerint: hoc ipſum eſt ſpiritus cæli, à quo planetæ dicti rurſum corporales ac vivi fiunt, ut prius. Novum hoc ſumito corpus à vita & ex terra, quod ſerva hoc eſt ſol & luna. Habes ad hunc modum artem omnino manifeſtam ac integram. Si nondum ipſam intelligas, aut ſcias, bene eſt: nam ita manere debet non vulgariter palamque fieri cunctis indifferenter.

DE GENEALOGIA MINERALIUM EX PARACELSO

Præfatio ad Lectorem.

Quanquam ordo videtur expetere prius de generatione mineralium & metallorum tractari quam de transmutationibus: Attamen quia non dilucidius Theorica poteſt, quam à ſua Practica percipi, è re ſtudioſorum hujus artis fore putavi, ſi ab opere primum aggrediantur. Maxime quia Chemia non verbis, ſed elaboratis rebus duntaxat adimpletur, ut reliquæ omnes quotquot in uſum & neceſſitatem hominum veniunt artes, quarum etiam habitus uſu contrahitur magis quam ullis demonſtrationibus. Licet iſtæ plurimum faciant in confirmationem eorum qui jam provecti ſunt potius quam initiatorum: Iſtis tamen à principio maxime prodeſt, manum

in pa-

in paſtam (ut ajunt) mittere, ac ſenſim ab annotatis erroribus addiſcere. Siquidem absq; his nemo vel facilimam unquam artem didicit. Pariter & Chemiam aſſequi nullus facile poterit, qui prius in ea non errarit ſæpius donec probe teneat. Item nunquam ingredi veram ſemitam continget, uſque dum à devio greſſu gradum ad metam revocet, erroreſque ſuos ab imitatione operum naturæ corrigat. Ab hac ſtatim diſcere non ita facile fuerit, cum deficiant objecta chemica naturalibus comparanda. Proinde Chemiam artificialem naturali præmittere viſum, quo periclitantes in hoc opere ad mineralem Genealogiam, tanquam ad anchoram, revocemus. Quam etiam in hanc rem annectere chemicis, viſum eſt opportunum atque neceſſarium.

DE GENERATIONE Mineralium.

CAPUT I.

Cum antiquorum ſcripta de generatione mineralium accuratiſſime perlegiſſem, deprehendi ipſos ultimam illorum non intellexiſſe materiam, & per conſequens multo minus primam. Siquidem ut cujusque rei probe ſciatur initium, finis apprime debet innoteſcere. Primum omnium igitur ultimam nobis materiam proponere decrevi mineralium, unde facile primam intelligetis ex qua ducunt originem. Exemplum prius adducamus ex medicina, qua morbus ab exitu cognoſcendus, & non ab initio in qua nulla ſcientia, quod per cæcitatem introductum ſit, etiam cæcum eſſe oporteat; finis vero viſibilis ab exitu, ad quem tendere percipitur tanquam ad ſcopum ſibi propoſitum. Proinde res omnis melius cognoſci non poteſt, quam dum optime ſcitur in quem finem à Deo creata ſit; alioqui facile continget, ut ejus creaturæ Dei verus uſus in abuſum abeat. Quicunque igitur opus aliquod ex aliquo ſuſcipit, hoc ipſum ex quo, radicitus cognoſcat oportet, ut ex præſcripto Dei perficiat ordine, ne propter materiæ non perfectam cognitionem, aut quandoque nullam, ſecus eveniat, ac diaboli potius opus efficiatur ex abuſu materiæ, & inſtrumentorum. In rude ſatis exemplum ſit: quid ſecuris vel dolabra, lignumque vel alia materia quævis, in manu his uti neſcientis prodeſt, alioque tendere

poſſunt, quam in iſtorum vaſtationem: is autem in manus aſſumere poteſt ac debet qui novit ex inſtrumentis & materia licitum & honeſtum opus fabricare, quod cedat in utilitatem proximi, ſervata in ſuum uſum ad quē à Deo data fuit materia. Deus enim omne quod creavit, hoc ipſum etiam eum habere poſſidereque voluit, cui veram uſus ejusdem rei notitiam dedit: huic applicare ſe debet omnis qui ſe vocatum ad id in propria conſcientia percipit, hoc pariter addiſcere, non alienum quid uſurpare phantaſticum à diabolo ſuggeſtum. Rerum autem ultimam diſcito materiam ac primam ab igne hic enim ut clavis arcam reſerat, ille quodvis occultum in quovis manifeſtum facit. Eſt igitur hoc loco rerum ultima ſua materia, in quam per ignem ſunt omnino reſoluta, ut tandem inter tria univerſalia prima, de quibus variis locis diſſerui, primum ac prædominans cognoſcatur. Exemplo ſit metallum igne diſſolutum, primum ſtatim initium ſuum patefacit eſſe mercurialem aquam, & non ſulphur, quoniam ejus reſolutio non flagrat reſinarum inſtar: demonſtratur etiam non eſſe ſal quia reſolutionis ejus primum judicium non eſt friatio præter liquationem & flagrationem quemadmodum terrenorum & lapidum eſſe videtur. Habet nihilominus omne metallum in ſe ſulphur & ſal, ſed principem locum in eo tenet Mercurius: ſic de cæteris mineralibus. Verum ita viſum eſt Deo creare aquam elementum, & indies ex eo produci mineralia quævis ad uſum hominum, ut mater eſſet illorum, in qua tanquam in ſua matrice mineralis ignis, ſimiliaq; ſal & Mercurius, coquerentur in metalla, lapides, ac mineralem omnem ſubſtantiam, etſi fœtus matri diſſimilis exiſtat: ad hunc modum Altiſſimus cuncta creavit in ſua natura, ut ad aliud aves in aere, quam piſces in aquis: ſic de reliquis omnibus, quæ divinæ ſuæ voluntati ſolum committenda ſunt, qui facit omnia ut ſunt, eſſeque voluit ab æterno quæ facit. Ut igitur aqua metallico ſuo fœtui non eſt ſimilis, neque filius matri, non aliter ipſa terra lignum eſt, & non lignum quod ex ipſa tamen eſt: eadem ratione lapis & ferrum fiunt ex aqua, quæ talis fit aqua, qualis & quæ ipſamet non exiſtit, terra ſimiliter fit id quod ipſa in ſe non eſt: ſic & hominem oportet fieri, quod ipſemet non exiſtit. In ſumma, quicquid in ſuam ultimam materiam tranſire debet, aliud oportet fieri quam fuit ejus principium, quodvis in ſuo genere varium atq; diverſum, etiam ex una matre. Sic Deus in omnibus unus eſſe voluit item unam eſſe omnium primā & ultimam materiam; talis eſt, ac tam admirandus rerum primus artifex, qualis nunquam fuit antea, nec unquam futurus eſt alius. Ut autem de matre mineralium aqua videlicet audiſtis adhuc, in ſequentibus docebimus amplius male, perperam quoque ſcripſiſſe veteres illam eſſe terram, quod nondum vere demonſtraſſe potuerunt.

De ultima & prima materia mineralium.

CAP. II.

PRimum principium apud Deum fuit ultima materia,quam ipſe primam effecit,ut fructum,qui alium fructum produceret: illa ipſa habet ſemen: hoc ſemen eſt in prima materia. In ultima ſimiliter mineralium materia facta eſt materia prima,id eſt in ſemen facta,quod ſemen eſt elementum aquæ quod reſolvit, ut ſit aqua. Ad hoc naturæ commiſit, vel ordinavit in ea, ut materiam ultimam produceret, ea quidem eſt in aqua. Sumit ergo natura quod eſt in aqua ſub ſua poteſtate ac ſeparatione, quodque ad metallum pertinet ſegregat in metallum, quodlibet per ſe; ſic de gemmis,lapidibus,magnete,idque genus aliis in ſua natura quodque ſeorſim & in ſua ſpecie. Quemadmodum enim Deus tritico ſuum tempus in meſſem ordinavit,autumnum bellariis,ac ſimilibus in ſuis elementis, haud ſecus elemento aquæ voluit eſſe proprium ſuæ meſſis tempus & autumni: quibusvis quoque rebus aliis in ſuo genere ſua præfixit fructuum collectionis tempora. Eſt itaque elementum aquæ mater, ſemen, & radix mineralium omnium,& Archeus in ipſa eſt is qui ſingula diſponit ordine quodam,ut unum quodque deveniat in ultimam ſuam materiam naturalem, quam tandem homo recipit in primam ſuam materiam artificialem,id eſt: Ubi natura deſinit, ibidem ars hominis incipit; nam illius ultima materia, hominis eſt prima: rurſus corruptio naturæ per artem; hominis eſt ultima materia. Tam admirando creavit opificio Deus primam naturæ materiam aquam, adeo mollem ſubſtantiam atque debilem, & ex ea tamen fructum ſolidiſſimum metallum,lapides,&c. ut ex molliſſimo duriſſimum, & ex aqua ignis proveniat ſupra captum intellectus humani, non tamen ſupra naturam. Etenim Deus admirabiles fœtus creavit ex ea matre ut apparet in hominibus ſi conſpiciantur etiam in ſua matre, quisque reperietur peculiaris ingenio proprietateque,non juxta corpus,at pro ſua conditione complexionis.

De agro,radicibus & arboribus mineralium.

CAP. III.

CReavit Altiſſimus elementum aquæ,ut eſſet velut ager in quo radices arborum mineralium ex ſuis ſeminibus ortæ figerentur,ac inde truncus & rami protruderentur in terram, ut infra latius. Separavit igitur à reliquis tribus, ut non in aere,non in terra, neq; in cælo,ſed per ſe liberũ corpus exiſteret in inferiori globulo poſitum, ut ſit ſupra terram, & in iſta centrum habeat in quo fundatum eſt, tam admirando creatum ordine, ut una cum terra hominem deferre debeat, ut ſuper aquam velut in aliqua navi

geſtus

geſtus ambulet, eaque potiatur: item quod mirabilius, circum globulum quaquaverſum lata non decidit extra ſuos limites, etſi pars antipodum pendere nobis videatur, & illis noſtra, nihilominus utraque ſupina jacet, ac tota ſphæræ ſuæ ſuperficies, ubivis locorum conſideretur, ut ſi fovea quæpiam imaginetur perpendiculariter in abyſſum ſuæ profunditatis & exaltationis ſui centri, fundum non inveniat, nec etiam à terra ſuſtentatur, ſed longe mirabilius quam ovum in ſuo cortice, quo caret omni, continetur. Generationes igitur omnium mineralium ex elemento aquæ protruduntur in terram, quemadmodum ex elemento terræ fructus omnes in aerem, ut in terra nihil præter ipſam radicem maneat: non ſecus metalla cuncta, ſal gemmæ, lapides, talcum, marcaſitæ, ſulphura, & ſimilia quævis, ex ſua matre aqua in aliam matrem ſubintrant nempe terram, in qua perficitur arborum ſuarum operatio, radicibus terræ, perficiuntur in aere; pariter & quæ in aquis originem ducunt, in terra prorſum adimplentur per naturam in ſuam ultimam, ut illa, materiam. Hac opinione ſeducti veteres, quod viderent in terra metalla reperiri, non ulterius animo progreſſi, tam enormiter de mineralibus ſcribentes errare non putarunt; cum tamen ex terra nihil aliud creſcat præter lignum; frondes, flores, fructus & herbas: quod reliquum eſt, ex aqua naſcitur. Non aliter fabulari contingeret ac inepte loqui eum, quicunque aſſereret producta terræ ex aere ſumſiſſe originem, quia in iſto ſunt ac perficiuntur, cum radices in terra videat. In aquis vero mineralium radices carneis quia non vidit oculis, etiam nugabitur iſtas in terra defixas. Talis eſt Græcorum Phyſica, ſcilicet ex manifeſto ſolum deducta, nihil occulti videns mentaliter ab experimento. Figmentum eſt otioſorum hominum de rebus naturalibus ex oculo garrire duntaxat præſumentium, & non operari ut examinentur occulta ſub manifeſtis, quæ ſemper & in omnibus oppoſita ſunt.

De fructibus & meſſe mineralium.

Cap. IV.

Haud aliter quam terræ fructus omnes ſuper terram, & in aere ſuam meſſem & autumnum habent in ſua generatione, juxta prædeſtinatum terminum; aquei fructus, mineralia videlicet, ſuo leguntur maturitatis tempore. Germinante ſiquidem radice minerali primum, exurgunt in ſuum truncum & arborem, id eſt in corpus ex quo mineralia vel metalla tandem producuntur, quemadmodum nux aut ceraſum nō immediate naſcitur ex terra, ſed primo arbor, ex qua demum fructus generatur; natura ſimiliter in elemento aqua mineralem edit arborem, id eſt corpus aqueum: iſta naſcitur in terra, hoc eſt, terræ poros replet, quemadmodum

modum aerem implet ipſa terra. Ex ea demum fructus enaſcuntur jutxa naturam atque proprietatem ſuæ ſpeciei; ad extremitates ramorum, copioſius parciusve, ut in evidentibus contingere ſolet ſuperficialibus arboribus. Quærenda primum eſt igitur arbor aquea, tandem fructus ejus, diſciplina per exemplum ab agricultura terræ non inepte ſumta, ad hunc nempe modum. Nonnullæ viſibilium arborum ſuos fructus contectos edunt, uti caſtaneas nuces ſub ſpinoſo cortice, juglandes ſub amaro viridi, & ſub iſto contegitur ligneus, ſub quo rurſum amara membrana, tandem ſub iſta nucleus. Itidem in mineralibus evenit; quorum nuclei, metalla videlicet, à ſuis corticibus, ut illi, ſeparandi ſunt. Aliæ nudos fructus proferunt, ut ſunt pruna, cera, pyra, poma, racemi, &c. à quibus nihil ſeparatur; aqueæ ſimiliter aliquot arbores aurum ſuum, argentum, coralla, & id genus alia metalla producunt libera nudaque, juxta conditionem atque naturam aquæ. Ut etiam à cortice cognoſci poteſt quid in vel ſub ipſo latet, uti ſpiritus à ſuo corpore; non ſecus in mineralibus cognoſcitur metalli ſpiritus occultus ſub ſuo corporeo mineralive cortice. Spiritus autem aquei elementi corpus efficit, aliud tamen in minerali, in fructu item aliud. Quamvis igitur aurum in corpore minerali ſit, nihilominus illud corpus eſt nullius momenti, quapropter venit ab auro ſeparandum ut impurum, at auri corpus eſt purum. Sunt igitur in minerali duo corpora, quorum unum eſt fructus corpus auri purum, cui ſpiritus ejus incorporatus eſt inſeparabilis. Fructus itaque primum ab elemento in arborem introducuntur uti ſpiritus in corpus impurum, & cum iſto demum in terram, nobile purumque. Idipſum videtur in homine, cui duo corpora contigerunt, corruptum unum, alterum vero incorruptum, quod cum iſto ſit æternum conjunctum, imago Dei videlicet, propter quam potiſſimum differt ab omnibus aliis creaturis.

De morte elementorum, & præſertim aquæ.

CAP. V.

MOriuntur etiam elementa propter corruptionem (quemadmodū & homines) in ſeipſis. Ut aqua quæ ſuimetipſius mors exiſtit, proprios fructus ſiquidem ipſa devorat ac abſumit, non ſecus ac terra ſuos. Quicquid enim ex iſta naſcitur, iterum in eam rediens abſorptum evaneſcit, inſtar temporis præteriti per heſternas dies & noctes abeuntis, quarum lucem vel tenebras videre nunquam licet amplius: nec propterea ponderoſior hodie quam heri, vel drachmula facta, poſt annos mille ſub eodem pondere ſemper, ut edit, abſumit etiam æqualiter. Mors autem aquæ eſt in ipſius proprio elemento, in magno termino & aquæ centro mari videlicet, in quo fluvij omnium aquarum & quicquid in ipſum defluit,

defluit, moritur & conſumitur, velut ab igne lignum. Flumina ſiquidem non ſunt elementum aquæ, ſed fructus ejus elementi nempe maris, à quo ducunt originem, & in quo vitam & mortem accipiunt.

De morte arboris mineralium.

Cap. VI.

POſtquam natura mineralium radicem arboris in centro ſuæ matricis plantaverit, ſive ad metallum producendum lapidem, gemmam, ſal, alumen, vitriolum, fontem ſalſum, dulcem, frigidum aut calidum, corallum, ſive marcaſitam, & ejus truncum, in terram protruſerit, hic per diverſos ramos ſpargitur, quorum ſubſtantiæ forma, ramorum atque caudicis, liquor eſt non in modum aquæ, non olei, non luti, neque muſcilaginis, at non aliter intelligendus, quam de ligno ex terra nato, quod non eſt terra, nihilominus ortum ex ea. Extenduntur ad hunc utique modum, ut ramus ab alio diſtet intervallo duorum triumve climatum, totidemque regionum: à Germania nonnunquam in Hungariam & ultra: variarum ſunt arborum ejusmodi rami per totam terræ ſphæram implicati, tanquam in humano corpore venæ diſtenduntur in diverſa membra à ſe mutuo diſtantia. Fructus vero per extremitates locuſtarum ab ultimæ natura materiæ protruſi, mox atque in terram deveniunt, momentanea fit ipſorum coagulatio, tum demum expulſo toto fructu ſuo moritur, hæc arbor, exiccationeque prorſum abſumitur in terra ſuo fœtu relicto, poſtmodum juxta naturæ conditionem adeſt alia recens. Mineralium itaque materia prima conſiſtit in aqua, eſtque ſolum in ea ſulphur, ſal, & Mercurius mineralia, quæ ſpiritus & anima ſunt ejusdem elementi, continentes in ſe omnia mineralia, metalla, gemmas, ſalia, cæteraque id genus alia, tanquam in ſacco ſemina diverſa, quæ in aquas effuſa natura deinceps quodque ſemen ad ſuum proprium finalemque fructum dirigit, ac indefeſſe diſponit juxta ſuas ſpecies atque genera. Hæc & ſimilia prodeunt ex vera Phyſica, veræque philoſophiæ fontibus, ex quibus, per admirandorum operum Dei meditativas contemplationes, oritur ſummi conditoris ejusque virtutum germana cognitio, in philoſophantium animis oculisq; mentalibus, non minus quam carneis manifeſta lux apparet, illis occulta fit manifeſta. Sed Græcus ille Satan in philoſophicum agrum veræ ſapientiæ, lolium falſumque ſuum ſemen inſevit Ariſtotelem, Albertum, Avicennam, Raſim, idque genus hominum inimicorum Dei lucis, atque naturæ, qui totam phyſicam ſapientiam perverterunt, ab eo tempore quo Sophiæ nomen in Philoſophiam tranſmutarunt.

De va-

De variatione primæ materiæ mineralium, pro diverſitate ſpecierum & individuorum ejus, deque variis coloribus, &c.

CAP. VII.

DIximus antea materiam primam in ſua matre tanquam in ſacco quopiam exiſtere, compoſitamque ex tribus in unum concurrentibus. Verum tot ſunt Mercurij varietates, ſalis atque ſulphuris, quot fructus & quam varij ſunt in mineralibus. Aliud enim ſulphur habetur in plumbo, ferro, auro, &c. in ſaphiro, gemmis aliisque lapidibus, marcaſitis, atque ſalibus; item aliud ſal in metallis, ſalibus, &c. ſimiliter de Mercurio judicandum, alium in gemmis, alium in metallis exiſtere, præterea pro horum compoſitione diverſa reperiuntur individua ſub eadem ſpecie: nam aurum quandoque reperitur aliud altero gravius, coloratius: ſic de reliquis. Proinde tot ſulphura ſunt auri, ſalia, & Mercurij diverſitates auri ac aliorum, quot gradus majores atq; minores, nihilominus omne quod particularitatem in ipſis recipit ex ſubjecto, ſub univerſitate ſemper continetur unius & ejusdem ſulphuris, ſalis, & Mercurij in univerſali natura myſterialiter comprehenſorum. Ad hæc natura pictori cuipiam ſimilitudine comparari poſſet, qui ex nonnullis paucisque coloribus infinitas imagines fingit, nullam alteri ſimilem omnino, hoc ſolo differunt, quod natura vivas producit, ille vero hanc imitatus, easdem repræſentat oculo, ſed mortuas. Colores autem naturales omnes proveniunt ex ſale naturæ, in quo conſiſtunt, una cum balſamo rerum & coagulatione: Sulphur exhibet corporum ſubſtantiam, & ædificationem: Mercurius vero virtutes & arcana: ſolus Deus vitam tribuit omnibus, ut ex unoquoque fiat, quod inde fieri prædeſtinarat ab æterno, quod & in quo ſibi complacuit voluitque ſic eſſe omnia. Quicunque igitur corpora naturalium volet cognoſcere, diſcat à ſulphure naturali, quod inprimis optime cognitum habeat; ſi colores naturales, fundamentum ex ſale quærat: ſi autem virtutes rerum ſcire deſiderabit, arcana ſcrutetur ejusdem rei Mercurij, cujus vires cognoſcere cupit, oportet. Hæc omnia ſimul in unum complectitur ipſa natura, ſeparat, unicuiq; ſuum diſtribuit, aufert, coloresque delet. Conſiderate quæſo tantillum ſeminis granum, nigri, vel ſpadicei coloris ex quo naſcitur ingens arbor, producens tam admirandum in frondibus virorem, in floribus tam varios colores, & ſapores in fructibus pro multitudine tam diverſos, idipſum in reliquis omnibus productis à natura, hanc in ſuis myſteriis tam admirandam, ac opulentam reperies, ut ſatis habeas quod per totam vitam in hoc libro ſolo phyſices addiſcas, omni relicta papyro. Si Deus igitur per naturam ſe nobis cernendum

tam po-

tam potentem,tamque ſapientem præbet, quam abunde glorioſiorem ſe menti noſtræ per ſanctiſſimum Spiritum ſuum patefaciet,modo quæramus eum. Hæc eſt via ſalutis quæ ducit ab inferioribus ad ſublimiora,hoc eſt in viis Domini ambulare, videlicet in admirandis ejus operibus verſari, & voluntatem ſuam, quantum in nobis eſt, eſſeque debet ac poteſt,exequi. Hæc mihi (Paracelſus inquit) Academia fuit,non Athenæ,Pariſii, nec Lutoſa, Toloſaque minus, aut Doloſa quævis alia ſchola; poſtquam doloſos multos legiſſem doctorum libros,ad hunc ſolum me contuli,ex quo didici omnia quæ ſcribo ſcioque vera, ac ita ſe habere. Fateor tamen eſſe longe plura quæ ignoro,ſuo tempore tamen emerſura,Deo dante. Nihil enim tam occultum, quod non revelabitur quum volet Omnipotens. Hoc ſcio tamen poſt me venturum unum iſtius ſcholæ diſcipulum,qui nondum vivit, hic multa patefaciet.

De naturali diſpenſatore mineralium, & ſubminiſtris ejus.

CAP. VIII.

QUemadmodum in mineralium artificio per homines,ad ipſa cum præparandum, tum in uſum adducendum, non unus tantum, ſed plures ſucceſſive requiruntur, eorum tamen unusquisque peculiare donum habet officij. Quid enim prodeſt minera è terræ viſceribus eruta,præter ſuum ſeparatorem, præparatorem,aut liquefactorem? quid hic rurſum absque fabro? nihil item iſte poteſt absque aliquo emtore, nec iſte præter eum qui metalla novit in uſum adaptare. His omnibus non indiget ipſa natura,ſed ſuis tantum,ut ſunt primo diſpenſator mineralium Archeus, qui miniſtros ſub ſe,naturæ miniſter ipſe hos habet, primum,qui corpoream exhibet materiam in quam cadat operatio, videlicet Sulphur minerale hujus aut alterius conditionis atque naturæ: ſecundum,qui proprietates ac virtutes fabricet ac operetur in præjacentem materiam,ut puta Mercurium; tertium vero,qui per compactionem & coagulationem ſingula ſimul coadunet in unum corpus, Sal nempe confirmatorem operis. Hæc omnia ſimul in unum congeſta, & in Athanore ſuo concluſa decoquit Archeus non aliter quam in terra ſemen, necdum in iſta ſolum, verumetiam inter ſe mutuo decoquuntur ad hunc modum. Sulphur aliis duobus ſubdit corpus ſuum,in quod operentur quicquid volent ac ad eum finem perducant, cui deſtinatum eſt id quod inde fieri debet. Accedit Mercurius cum ſuarum virtutum proprietatibus,hic decoquitur ex aliis duobus. Ejusmodi decoctionibus adimpletis omnium,tum demũ incipit operari ſal in alios ſibi conſocios & in ſeipſum, primo condenſando, poſtea

conge-

congelando, & poſtremo coagulando confirmat opus ad autumnum ſuum, & meſſem, ut nihil deſit præter meſſorem & fabrum. Brevibus igitur totam mineralium genealogiam perſtrinximus, reliquum erit ut ſingulorum vires atque virtutes, cum ad Alchemiam, tum ad Medicinam peculiariter ac breviter etiam audiamus, quantum de his cognoſci oportet ad ſupradictas facultates. Admonitos interea lectores velim, ut tantiſper aliorum corrupte nimium de his & per ſomnia duntaxat fabulantium ſeorſim ponant opiones, donec iſtos videant ſola papyro, & non natura doctos, à ſibi ſimilibus, & eadem minerva literate non experte doctis exiſtimari ſolum, aliis vero tales quales etiam ſunt apparere. Sin minus videre velint, reſumere poterunt quod eos adhuc ponere volebam, ut ſaltem abſque perturbatione tenebrarum mortis, vitæ naturæ lucem facilius ac ſincerius perciperent. A primis itaque mineralium principiis incipientes (quæ ſalia ſunt) per ſingula diſcurremus in finem usque metallum videlicet.

De virtutibus atque proprietatibus ſalium in Alchemia & Medicina.

CAP. IX.

EO neceſſitatis hominem adducere per naturã voluit O.D.M. ut abſque ſale naturali vivere naturaliter nequeat. Proinde hoc opus habet in omnibus cibis. Etenim ſal naturæ balſamum eſt, quod corruptionem arcet calidi ſulphuris cum humido Mercurio, ex quibus homo naturalis compactus eſt. Cum autem oporteat iſta prima conditi condentia, quodque ſibi ſimili nutriri, neceſſario ſequitur hominem uti debere cibis ardentibus ad ſuſtentationem ſui ſulphuris interni: humidis ad Mercurium nutriendum; item ſalſis ad ſal in condenti facultate conſervandum. Virtus ejus conſervationis in eo maxime conſpicitur, dum carnes emortuas à putredine diutiſſime conſervat, quanto magis vivas præſervabit judicare facile fuerit. Ut ad ejus genera tandem veniamus, tria potiſſimum habentur ad uſum vitæ hominis idonea. Primum horum eſt ſal marinum, ſecundum eſt fontanum, tertium vero minerale. Maxime conducens ſanitati fontanum eſt, ſecundo loco minerale, poſtremo vero marinum: hoc & primum excoquuntur arte, reliquum autem à natura ſola coctum eſt. Hoc & marinum ſub muriæ naturam non comprehenduntur at illud quod excoctum eſt, in eam primum vertitur priusquam ſeparatum ſit ab aqua in ſal coagulatum. Duæ ſunt igitur nobis proponendæ ſalis deſcriptiones, una de muria, altera vero de integre finito ſale. Primo tamen omnium conſideranda venit communis quædam cuilibet ſali correctionis conditio, ad hunc modum. Ubicunque ſal non intervenerit cibis, in his etiam nulla correctio,

quos quidem ſi ſtomachus receperit, decoquere minime poteſt; nam ex ſale virtus eſt expulſiva, in ſeceſſum vel in urinam; quæ duo niſi conſerventur in ordinato ſuo curſu motuve naturali, fruſtrata ſunt omnia vitæ facultatum officia ſuis conatibus atque viribus expulſionis. Etenim ſanguis natura propria ſalſus, inſulſum non recipit nutrimentum, quod forte ſi recipere quandoque ſit coactus maxima quadam inedia, hoc in corruptionem abit. Ut igitur evitetur hoc vitium, ordinatum fuit alimentariis cibis ſal additìtium, ne meatus naturales obſtruantur, membraque ſuis debitis fraudentur nutrimentis. Præterea latet in ſale reſolutiva quædam facultas, oppilationes in poris accidentaliter contingentes aperiendi, ac per reſolutionem in urinam expellendi. Nam urina cum ſit ſal cruoris tantum, id eſt, ſal duntaxat ex ſale naturali, quod naturale cum ſale microcoſmico aſſociatum per conjunctionem, ſimul ambo maxime faciunt ad expulſionem excrementorum. Verum enimvero conjunctio naturalis hæc, haudquaquam probe fieri poteſt, niſi per juſtam quantitatem uſus alimentarij ſalis temperetur, alioqui facile per oppilationem alicubi conſiſtunt, hærentque. Quapropter cuivis medico ſcitu digniſſimum, ſali utique medicinæ jus ſuum ineſſe, præſertim ubi naturale ſal expurgari cupit, ut ſalis paulo copioſiorem uſum præſcribat, maxime gemmei, qui præ cæteris omnibus facultates habet naturale hoc ſal exire moliens, expellendi. Spirituum igitur ſalis in tribus jam allegatis ſpeciebus operationes diligentiſſime ſunt obſervandæ per uſum, qui nedum in his, aut in aliis omnibus oculos magis aperit quam litera quævis, vel deſcriptio.

De muria.

Cap. X.

NUperrime duarum ſalis deſcriptionum feci mentionem, muriæ videlicet, atque ſicci ſalis. De muria primum eſt quod ſciatur, huic ineſſe vires maximas exiccandi quaſcunque ſuperfluas humiditates, imo plus unà hora quam ſiccum ſal uno menſe valeat; quamvis etiam iſtud reductum ſit in muriam, non tamen poteſt unquam præſtare quod naturalis, utpote humidam curare podagram, hydropiſim, humidoſque tibiarum quoſcunque tumores alioſque, ac ſummatim leproſos liquores non naturales conſumere, ſi poſtquam à calore ſuo temperata fuerit, ut æger inſidere tanquam balneo queat absque læſione. Muriæ perfectionis experimentum ovo in ipſam injecto fit ſupernatante. Animadvertendum tamen eſt, ejusmodi balneum nonniſi obeſis natura proficuum eſſe corporibus, macie tamen attenuatis à natura, minime conſulendum, quod nimium exiccet. Si forte poſt unam aut alteram balneationem redirent humores, in iis locis commo-

commorari, quibus muriarum & ſalis ejuſmodi fiunt decoctiones, conſultiſſimum erit.

De ſale ſicco.
CAP. XI.

Siccorum ſalium ſunt variæ ſpecies, uti communium cibariorum, gemmeorum, lapideorum, terrenorum, & per conos congelatorum, quorum omnium communem notato virtutem. Quodlibet iſtorum admixtum ſulphuri ac vulneribus applicatum, cum in emplaſtri modum, tum in lotionem, illa tuetur à vermibus, quos etiam jam antea innatos pellit, ut non naſcantur amplius. Etenim ſola mundatione media, natura per ſe nullo alio interveniente medicamento ſanat vulnera, niſi venenata complexio quæpiam ſit obſtaculo quo minus liberè naturale balſamum operari queat. In ejuſmodi ſalibus etiam ulcerum cura non exigua conſiſtit, ſcabierum omnium ac ſimilium, ſi reſolvantur in balneis; muriæ vires tamen longè ſunt potentiores, quæ ſalibus etiam in ipſa diſſolutis adaugeri poſſunt ad externa multa vitia curandum, alopeciam, & id genus alia, maximè ſi ſalia hæc per additionem correcta ſunt, aut viribus aucta ad hunc modum videlicet. Salis ſicci, & ſalis urinæ ana quantum voles duabus horis una calcinentur, & poſtmodum reſolvantur muria, vel per ſe humido frigidoque loco, muriam exhibebunt artificialem paulò minus validam naturali, in chirurgicalibus extrinſecis curis, verum in aliis ut intrinſecis longè debiliorem. Salia quæ dicta ſunt, in nullis aliis rebus invenientur unquam, etſi decoquatur ex iſtis alcali: hoc non eſt ſimile ſal antea narratis, ſed alcali rerum naturale ſal corporeumve dicitur, quod à ſalibus nutrimentorum alitur in humano corpore, vel à præcedentibus ſiccis etiam, & maximè nutritivis. Ad Alchemiam verò fit aqua ſalis ex ejuſmodi ſalibus calcinatis in ſpiritum prolecta, quo ſolvitur aurum in oleum, ac ab eo ſeparatur, ut maneat optimum ac potabile, vel poculentum aurum. Antequam ad finalem iſtam executionem deveniat, nihilominus ut audivimus reſolutum, aurifabris ad argentum, & ferrariis fabris ad ferrum inauranda præclarum eſt artificium, conſtansque theſaurus, modo per chemicam artem illud præparare norint. Notandum etiam de puro ſale per naturam ſolam congelato, vel in conos, vel in ſal gemmæ, hoc ad argenti cimentationes communes maximè congruere, malleabile metallum reddit præter conſuetas ignitiones. Idipſum efficit in cupro per cimentum in regulum adducto.

De ſale nitro.

Cap. XII.

Est & áliud ſalis genus quod nitrum dicitur, compoſitum naturaliter ex naturali corporum animalium ſale, & ſalibus nutrimenti ſimul in corpore conjunctis, à quo jam unum ex duobus facto ſuperfluitas in urinam decocta, & in terram decidens coquitur iterum ſuo tempore, magis ac magis uniuntur, ut inde ſal unicum atque perfectum reſultet, chemiſtica ſeparatione per decoctionem artificialem à ſua terra, in conos vel glebas apparens manifeſtè clarum & perſpicuum: ſi benè ſeparetur à ſuperfluo ſale nutrimenti nondum ab animali concoctione digeſto, quum in urinam expelleretur. In Alchemia præſertim hujus uſus eſt frequentiſſimus. Recenſere ſupervacaneum foret, quantam in eo violentiam experientia prima pernicioſiſſimo eventu, compoſitione cum ſulphure, demonſtrarit in pulvere bombardico, è qua terrenum fulgur meritò vocari poſſet. Non aliter ex ſale liquoris terræ, quod naturale balſamum eſt univerſale, quo res omnes conduntur in ſui compoſitione, tandem ex iſto particulari per reſolutionem rerum in terram iterum revertenti, naſcitur ut ſupra ſal unicum, quod poſtea per poros terræ colans in conorum glaciei formam coagulatur adhærens petris, unde nitri nomen in ſal petræ commutavit. Neutrum tamen ad internam medicinam uſque adeò idoneum, niſi ad conciliandam obeſis corporibus maciem, nec ſic quidem admodum tutum remedium, niſi cum ſale cupri permiſceantur duo vel tria per extractionis opus, & in unum conveniant ad ſuum uſum.

De vitio ſalis nutrimenti.

Cap. XIII.

Sal omne cibarium quod à ſtomacho digeſtū non fuerit, & per expulſionem devenerit in inteſtina, niſi tranſitum faciat, colicam, iliacamve paſſionem generat curatu præ cæteris difficilimam. Corroſiva ſua natura nonnunquam inteſtina perforavit, ut ex anatomia viſum eſt. Si tamen in ſtomacho manſerit inexpulſum, orexes & arſuræ, nec non aliæ plurimæ ſtomachi paſſiones exoriuntur in orificio. Evenit etiam aliquando, ut ſal indigeſtum in venis meſaraicis conſtipetur & coaguletur in granula, unde graviſſimæ prodeunt ægritudines incognitæ, nedum in his, verumetiam in aliis totius corporis partibus, & præſertim illis, circa quas urina ſuum habet emunctorium. De ſalium ſpeciebus, vitiis, & virtutibus dictum ſit hactenus, jam ad aliud minerale magis veniendum eſt ſal, quod vitriolum nominatur, præ cunctis aliis, omnibus cum in Alchemia, tum in Medicina præſtantiſſimum.

De Vitriolo.

CAPUT XIV.

NAtura producit è terræ viſceribus genus quoddam ſalis quod vitriolum nuncupatur, tantarum virium atque virtutum, ut vix unquàm ſatis à quoquam deſcribi valeant. In iſto ſiquidem perfectæ curæ conſiſtunt ictericiæ, arenæ, calculi, febrium, vermium, caduci, ac plurimorum aliorum id genus curatu valdè difficilium morborum ex oppilationibus ortorum, ut infra latius. In utraque facultate medicinæ videlicet, & Alchemiæ, mirandas operationes, ac varias pro modo ſuæ præparationis efficit. Ex eo namque, tamquam ex ligno uno variæ fabricantur imagines, varia pariter parantur medicamenta præſtantiſſima, cum ad internas, tum ad chirurgicales curas, uti capitis tineam, lepram: in ſumma quicquid alia non poſſunt præſtare præ debilitate virium adverſus morbos, id omne tollit à fundamento vitium extirpando. virtutes ejus cumprimis cognoſcendæ: nonnullas crudum exiſtens patefacit, alias in aquam reductũ, calcinatum alias, atq; alias in oleum viride redactum, in forma olei rubei alias, item alias in albi habet olei forma; toties novas induit virtutes, quoties aliam formam à præparatione recipit. Supplere ſolum poteſt pro quarta parte morborum, & pharmacorum omnium adhuc excogitatorum. Non eſt opus igitur vero medico huc atque illuc oculos ad diverſa circumflectere, ſed inſtar pudicæ virginis in terram habere defixos: in hac enim ſub pedibus longè plus virium opumque hoc in theſauro naturæ, quam India, Ægyptus, Barbaria, Græciaque ferant, inveniet.

De ſpeciebus Vitrioli & examinibus ejus.

CAP. XV.

TAm variæ ſunt vitrioli ſpecies, quam fodinæ de quibus eruitur, aut fontes. Examina pariter diverſa fiunt ejus majoris vel minoris præſtantiæ. Primum hoc eſtò, ſi laminam ferream præter ignem in cupri colorem tingat, quo altius, hoc judicatur melius; verum iſtud eſt leviſſimum inter alia. Secundum, ubi crudum adminiſtratum per os intro aſſumptum vehementer pellat præ aliis vermes inteſtinorum, quo vehementius, eo melius in medicina. Tertium eſt, quum ferrum in cuprum transmutat, quantò perfectius ac citius, tantò præſtantius habendum in utraque facultate: plurimum enim affinitatis eſt inter hæc duo metalla. Nec admiranda res, cum per aquam boracis ex plumbo pariter fiat argentum vivum. Sunt & alia cachimiarum genera quæ metalla convertunt, & præſtet iſta fons in Hungaria vel torrens potius ex vitriolo ducens originem, imò tota ejus ſubſtantia

vitriolum exiſtit, cui ferrum quodvis injectum in ferruginem conſumitur, quæ poſtmodum follibus & igne reducitur in optimum cuprum non retrogradum. Quartum examen eſt, quum ejus colcothar rubeum igne vehementiſſimo conflatum per ſe cuprum exhibet, iſtud in medicina debilius, at in Alchemia præſtãtiſſimum exiſtit. Non ſunt prætereundi colores Quod omninò cœruleum, non æquè validum in medicina, ac illud quod ſub eodem colore rubeas flavasque maculas admixtas habet. Quod cœleſtis eſt pallidi coloris, apprime ſumendum eſt in olei viridis & albi præparationem. Illud verò quod in rubeum aut obſcurè flavum colorem tendit, optimum eſt ad rubeum oleum ex eo parandum. Poſtremum examen eſt, ubi cum gallis aterrimum atramentum, ac obſcuriſſimum efficit, hoc præ cæteris eligendum. Ab examinibus igitur ſpecies numerantur.

De virtutibus vitrioli in medicina, crudi vel calcinati.

Cap. XVI.

AD graviſſimos ſtomachi dolores, & ægritudines ex inordinati cibi potusque ſumptione provenientes, vel ad ejus malam digeſtionem, crudum & exhibitum quantitate ſex cometz vel guttarum trium, puta granorum trium, debilibus in vino vel in aqua, robuſtioribus in vino deſtillato, radicitus omne vitium expurgat ſurſum atque deorſum pellens. In arcanis vocatur vitriolum grillus, vel grilla. Non elleborus, non colloquintida, neque diagridion æquè vehementer purgant aut perfectè curant ac iſtud, nec vermes pellendi facultatem habent. Eſt etiam ad caducum, inter curandum, præ cæteris optima per vitriolum purgatio. Ejusmodi proprietates à duplici natura ſibi contigerunt, acetoſitatis videlicet, atque ſalſedinis, quapropter aliis multò nobilior medicina. Colchotar ejus aut ut vocant caput mortuum rubeum intro non eſt aſſumendum, nec niſi ad chirurgicales curas idoneum, ad ulcera putrida pro primo gradu malignitatis, oleum verò ſumendum, ad illa quæ ſecundum atque tertium attigerunt. Ejus virtutes medicinales aliis de medicina libris continentur, ut in faſciculo floſculorum Paracelſicorum; hoc loco ſolum ea tractare propoſueramus atque in unum congerere, quæ ad Alchemiam transmutatoriam faciunt, etſi nos quandoque medicinalia digredi cogant à propoſito. Proinde videndum quid in chemicis præſtet vitriolum, ultra ferri transmutationem in cuprum, ut ſupra diximus, cujus etiam formulam ponere primò viſum eſt. Quanquam non ita arduum eſt opus atque ferrum in aurum transmutare, Deus minora palam vult fieri prius, majora tantiſper occulta manere, donec Helias artis adveniat: habent enim artes omnes quæque ſuum peculiarem, ut in aliis intelligendum.

ctum. Sumatur itaque limaturæ ferri nullo alio permixti metallo, libra una, Mercurij libra ſemis, affundatur aceti acerrimi menſura una, vitrioli quarta libræ parte, cum unica uncia & ſemis armoniaci ſalis injectis, bulliant ſimul agitata continuè ſpatula lignea, conſumto aceto recens affundatur atque vitriolum: poſt horas duodecim ferri maxima pars transmutata Mercurium ingreſſa, ſeparetur cum Mercurio prorſum à reliqua ferri parte non transmutata, per ablutionem, & Mercurio per corium expreſſo, manebit amalgamatis paſta, quæ reducta per ignem puriſſimum cuprum exhibet. Hujus uncia ſemis, cum æquali parte argenti, ſtatim permiſcetur, ſedecim gradibus retentis, licet non fixis, in regali tamen fixibilibus, ut artifex induſtrius inde mediocre lucrum habeat ad victum & amictum. Fit etiam vitriolum ex Venere ſoluta per aquam fortem, & granulata, quod non amplius in cuprum redit; ſic etiam ex vitrioli colcothare fit Venus (ut ſupra in examinibus) quæ non reducitur in vitriolum per ſe, niſi per peculiarem aquam. Viride ſimiliter æris gradatiſſimum vitriolum exhibet ſpagiricum. In vitriolo tanta tamque potens tinctura delitеſcit, ut vix cuiquam non experto credibile ſit, benè quidem ei qui intelligit ejus arcana. Quoties utique oleum vitrioli cum oleo Mercurij miſcetur, & ſimul ambo coagulantur, in lapidem transeunt mirandæ tincturæ conditionisque ſaphiro per ſimilem. Abſolutis ſalibus ad ſulphura veniendum eſt.

De ſulphure triplici mineralium.

CAP. XVII.

RESina terræ propriè vocari debet ſulphur, in quo virtutes innumeræ deliteſcunt, in utraque facultate, crudum tamen in neutra validum. Arcanum ſolum ejus ab impuritatibus vindicatum ac liberum operatur admiranda: lotum prius in albedinem excellentem eam quæ conſpicitur in nive, per Iſopicam artem. Tam diverſas virtutes, quam varias habet origines. Quodlibet enim metallum aut minerale, aliud ab alio ſulphur in ſe continet. Ut ſupra diximus ad ſimilitudinem caſtanearũ & nucum, mineralia pariter ſuis involvi corticibus, in nucleo tamen præſtantiſſimam latere virtutem, quæ ab externis nutritur & ſuſtentatur; hoc loco de ſulphuribus intelligendum intimũ illud eſſe quod præcellit, embryonatum ſpagiricè dictum ab origine ſpecifica, ut ſulphur embryonis auri, lapidis, &c. Sulphur externum in quo latet embryonatum, nobis eſt minerale. Eſt & tertium genus, quod ex nucleis mineralium vel metallorum extrahitur, quod non melius quam animatum & ſpagiricum ab arte vocari poteſt: quodque cuique ſibi ſimili venit applicandum in utraque facultate. Vel ut melius intelligatur, primum ſulphur univerſale, quod reſi-

nam terræ diximus, tanquam matrem vel patrem aliorum ſulphurum, minerale vocamus: ſecundum eſt, ubi hoc ſpeciem induit metallicam aut mineralem, tum demum embryonatum; tertium quod ab iſtis repurgatur, ſpagiricè purum exiſtit abſque ſuperfluitatibus, ſulphur animatum. Embryonati ſulphuris duæ notandæ conditiones, una ex fixa volatilis fit, altera purus eſt & vivus ignis, inviſibilis & viſibilis utraq; in ſimilē conſummationē tranſit ligni videlicet, ac morbi. Embryonati ſulphuris extractio fit, vel per ſublimationem, aut per deſcenſum. At aliquando non uſque adeò permixtum aliis à natura reperitur, ut propter nimiam ſubtilitatem ignem in hujuſmodi præparationibus ſuſtinere nequeat, aqua forti venit extrahendum à ſuis mineralibus corporibus & coagulandum. Hoc omne juxta veram concordantiam ſegregatum, in ſe continet auream naturam, quapropter in Alchemia præ cæteris expetendum, quod fixationem facilè recipiat, imò fixat in cimentis aurum, in aliis metallis nondum maturum aut volatile. Fruſtra tamen quæritur aurum ex eo, niſi prius inſit à natura: nullum continet argentum, ſed aurum ſolum, unum altero magis, ut in embryonato Veneris, talci rubei, marcaſitæ aureæ vel ferreæ, quæ raro carent auro. Quicunque tamen his manum applicare volet, plurimum meminerit ac notet, ut ſeparet ejuſmodi ſulphur ab auro maxima cum induſtria, ac tam ingenioſè, ut auro nihil depereat. Multis hoc loco ſubventum eſſe poſſet, verum eſt quod ſileam. Et niſi ex diametro pugnaret contra Dei voluntatem, omnes ex æquo diteſcere, brevibus admodum verbis adhuc, multorum optatus adimplere foret facillimum. Cum tamen divitiæ pauperes à vera ſemita prorſum abducant, humilitatem ac pietatem adimunt, quarum loco ſuperbiam & elationem adferunt, ſimul & petulantiam cum incontinentia, tacendum eſt potius, indigentiam pro fræno hujus farinæ pauperibus & avidis opum relinquendo. Ut ad minerale ſulphur veniamus, Dux artis eò ſuos milites adduxit, ut conſiderarent ex muliere nihil generari poſſe ſine viro ſuo: viderunt igitur artem eſſe patrem qui cuncta diſponit. Hic ſpiritum transmutationis adhibuit, quo minerale ſulphur oleo lini conjunctum eſt, & inde per decoctionem hepatis vel pulmonis forma quædam reſultavit, & ex eo poſtmodum liquor duplex, unus lactis inſtar albus, denſus, & oleoſus; alter ut oleum valdè rubeum ſpiſſum ut ſanguis, ambo ſimul ut neutrum tamen alteri permixtum fuerit; albus liquor in fundo ſubſidit, altero ſuperius, rubeo videlicet innatante. Ultra progreſſum eſt, ut ex albo fieret ad album tinctura, ſed fruſtra tentatum fuit: hoc ſcio nihil ex eo factum extitiſſe, nec unquam fieri poſſe, quod inanis ſit ac inutilis materia quædam ad hanc artem. Verum cryſtallus, aut berillus omnis in eo ſuo tempore poſitus, & in eo manens ut mini-

minimum tribus annis,in hyacintho ſimilem lapidem transmutatur. Item rubinus à natura non uſque adeò coloratus, tam clarus & perſpicuus redditur ſucceſſu temporis, ut noctu luceat inſtar naturalis carbunculi, ac ubique poſitus absque lumine reperiri queat. Ex hyacintho pariter fit, nec non ſaphiro cœruleus color augetur ſupra naturam, cum interſerta viriditate translucente. Multarum aliarum eſt gemmarum tinctura præſtantiſſima, pariter & lunæ, quæ in ipſo poſita nigreſcit, calcemque ſolis ponit, licet non fixi, donec terminum compleat ſuæ perfectionis; de hoc ſatis. Quisquis in hac tinctura volet operari, primum diſcat ex alchemia præparationes cum induſtria perficere; eſt enim præ cæteris omnibus ferè chemicis operationibus paratu difficilima. Tantum de coloribus præſtat hoc oleum: in majoribus autem virtutibus non ita credendum eſt facere, quod in ipſo coloris tinctura ſit duntaxat, & non virtutis. Nonnulli ex metallis etiam tincturas elicere conati ſunt, verum fefellit eos opinio, cauſam hoc loco ponere minimè convenit. Hoc tamen eſt certiſſimum, quicunque ſolis tincturam habuerit, auri corpus ultra naturalem gradum poterit adducere, hoc eſt, à viginti quatuor in trigeſimum ſextum, & ultra tam intensè ut altius aſcendere nequeat, conſtans nihilominus, fixumque maneat in antimonio, & in omni quartatione. Sulphur etiam lunæ ſuum corpus in tantum gradum exaltat, ut Venus cum æquali hujus lunæ pondere iudicium acquirat lapidis Lydij. Sulphur Veneris cuprum fixat ut fulminis examen ſuſtineat, non tingit tamen; cum ſulphure Saturni in optimam chalybem: cum ſulphure Jovis tanquam ferrum optimum. Item ſtannū ſulphure figitur etiam ut fulmen ſuſtineat, & ſuo Saturnus confirmatur atque fixatur, ut nullam ceruſſam vel minium, neque ſpiritum de ſe præbeat amplius. Sulphur verò Mercurij ſuum corpus malleabile reddit ut Veneris ignitionem patiatur, at cineritium non. Sulphur item ſolis tingit lunam, ſed non fixat. Fiunt etiam transmutationes aliorum ſulphurum in aliud quam proprium corpus injectorum, at non eo res pervenit, ut optatur. Notandum interea ſulphur expertiſſimum operatorem, & non præſumptuoſum putatitiumve requirere.

De arſenico ad Alchemiam uſurpato.

CAP. XVIII.

QUod arſenicum de genere ſulphurum potius, quam ſit Mercuriorum, ſtatim poſt ſulphura ſubnectere viſum eſt. Nonnulli chemiſtæ veteres, Sophiſtæ potius, chemiſtica laborantes icteritia, id eſt, auri cupiditate turgentes, ac flavi tamquam hydropici, videntes in arſenico tincturam albam Veneris, & rubeam in calaminari lapide, credentes quoque in iſtis verum arcanum

contineri lapidis, electrum album & rubeum exiſtimarunt argentum & aurum, donec per examina contrarium experti ſunt, vanum opus videlicet. Nec eo contenti, progreſſum fecerunt obſtinatiſſimum ad fixationem ut pervenirent, ac tantiſper dum nulla domus, poſſeſſio nulla reliqua ſibi manſerit miſeris, transmutationem in ſe potius expertis quam in metallis. Quid mirum? absque judicio cognitioneque mineralium & metallorum opus hoc aggreſſi ſunt, quod & hodie maxima pars operantium in hac arte adhuc facit. Ab eo tempore quo electrum, ab antiquioribus inditum nomen, venit in oblivionem, ruina mox ſubſequuta eſt eorum, qui nomen hoc in aurum & argentum ficticia mutarunt, id eſt, modernorum chemicorum perditio. Electrum autem ut definiamus, eſt metallum ex alio conflatum arte, non amplius illi ſimile ex quo factum eſt. In exemplum: Arſenicale metallum juxta ritum præparationis metallicæ paratum, cum Venere cimentatum, pro more ſolito, cuprum totum in electrum album convertit cupro ſuo vilius: quid opus eſt igitur magnis ſumtibus depravare metalla? Nunquid melius cuprum fuerit in eſſe naturali ſuo relinquere, ſervatâ pecunia, tempore laboreque ad utilius opus etiam applicatis? Veteres electrum proprio nomine vocarunt, recentiores argentum falſo dicunt, veteres ex eo damnum non retulerunt, quod ipſum electrum cognoverint, moderni quia nullam habent electri notitiam, jacturam faciunt ſuarum facultatum, laboris, atque temporis. At cum errores in Alchemia ſpe ſemper fulciantur, eo ventum eſt, ut arſenicum fixari tentatum ſit reverberationibus arundinis aliquot ſeptimanis, aliisque: factum inde ut arſenicum in coralli formam rubeum durum ac fragile devenerit, nullius tamen uſus in Alchemia præterquam ad electrum, uti ſupra. Deinceps per deſcenſum præcipitationemque, nihil aliud quam ſuis calcinationibus effecerunt. Sic obſtinatos homines in Alchemia decipi contingit, qui non omnia penitus & à fundamento ſuarum impoſitionum artis vocabula intelligunt exactiſſimè. Verum eſt arſenicum propria ſua natura continere aurum, quod per induſtriam Artiſtæ nonnunquam ſeparari poteſt in cimento, vel projectione, vel alias in argentum, cuprum, vel plumbum, attractione, non propterea ſequitur hoc per ſuas operationes atque tincturas productum eſſe, ſed quod antea inerat, per ſeparationem duntaxat, velut ex ſua minera ſolet, ortum eſt. Plerumque aureum reperitur, nec niſi rarò admodum caret auro, ut alia multa. Hactenus de arſenico quod ſciam, aut ſcribere decet; quiſque nomen ejus optimè ſcrutetur prius diligenterque ut intelligat, alioqui facilè ſequitur maximus error in utraque facultate, qui tandem ab eventu palam fit.

De argento vivo.

CAP. XIX.

ABſolutis ſalibus & ſulphuribus ad argentum vivum pervenimus. Hoc non probè metallum dici poteſt, ſed aqua potius metallica, verum ea ratione metallum eſſe dicitur, quia per Alchemiam in ſolidam ſubſtantiam, & in colorem adducitur metallorum nonnunquam fixam, aliquando verò non fixam. Tantum cognoſci poteſt, eſſe primam Alchemiſtarum materiam, qui poſſunt inde fabricare aurum, argentum, cuprum, &c. ut in examine perſiſtant: item fortaſſis ſtannum, plumbum, & ferrum etiam; etenim admirandæ naturæ eſt, nec niſi maximis laboribus perſcrutabilis. In ſumma ſeſe manifeſtum facit, eſſe primam materiam Alchemiſtarum in gradibus metallicis, atque maximum arcanum in medicina. Eſt aqua non madefaciens omne quod tangit, & currens animal absque pedibus, graviſſimum præ omnibus metallis. Conſtat ut ſingula ex ſulphure, ſale, & Mercurio. Primam & ultimã in liquationibus metallorum patefacit materiam, in eis præſertim quæ liqueſcunt præter ignitionem à colore, & in aliis à fluxu.

De cachimiis & corporibus imperfectis.

CAP. XX.

ALiud genus habetur mineralium corporum, quod non eſt ſalinum, neque metallum, ſed benè metallicum, ut ſunt marcaſitæ, chiſeta, rubea & alba, antimonica perfecta & imperfecta, arſenicalia, auripigmenta, talcica varia, cobleta, granata, gemmea, &c. Sunt inquam metallica, cum primam materiam metallicam habeant potiſſimum, & ex tribus primis metallicis ducant originem, ad quæ confugiunt, & eis incorporantur metalla, ut aurum, argentum, cuprum, ferrum, &c. Verum quia ſimul incorporatur cum eis inimicus metallicus, non niſi per Alchemiam ab iſtius tyrannide vindicata ſeparari poſſunt. Varij ſunt inimici tales, qui latrocinium exercent adverſus metalla, non ſecus ac ſi quis refugium apud ſocium quærens, in ejus domo deprædetur, neceturque ab eodem cujus implorabat auxilium. Nonnulla dictorum conſiſtunt potiſſimum in ſulphure, ut marcaſitæ, chiſeta, cobleta: alia quidem in corpore Mercurij, ut arſenicalia, auripigmentalia, antimoniaca, &c. alia verò in ſale, ut omnia talcica. Marcaſitarum duo colores habẽtur albus & flavus, juxta metallicum

tallicum ſulphur imperfectum, in ipſis ordinatum, quod eo ſit opus ad multa. Metallum ex cobletis fit imperfectum, hoc liquefactionem patitur ac fluit, nigri coloris eſt magis quam plumbum & ferrum, nullius tamen ſplendoris nitoriſve metallici, malleum admittit non uſque adeò multum, ut inde quid fabricari queat, ejus ultima materia nondum eſt reperta, neque ſeparatio. Non eſt dubitandum quin ſit promiſcuum genus ex mare & fœmina, velut in ferro & chalybe, ſed ut iſta ſimul perfecte cudi nequeunt, uſque dum ſeparationis artificium inveniatur. Habetur & aliud ſimile zinchinum appellatum, non vulgariter adhuc notum, peculiare genus, in quo varia metalla comperiuntur adulterari, liquabilis naturæ, non malleabilis, colore multum ab aliis differt, cujus ultima nondum etiam eſt reperta, in ſua præparatione tam mirabilis fermè ac ipſe Mercurius, alterius permixtionem refugit, peculiare genus admirandum in mineralibus. Grana reperiuntur etiam in torrentibus metallica, granata propter formam exteriorem dicta, liquantur ac malleum ſuſtinent, in nullum tamen inſtrumentum fabricabilia; horum proprietates ſciri nequeunt, niſi quandoque per Alchemiam detegantur: multa continent adulterina metalla, ut argentum & aurum, ad illa, tanquam ad cuprum & plumbum ſolent, confluentia. Conſiſtunt ex craſſo quodam ſulphure. Alterius generis granata nonnulla ſunt perſpicua, inſtar cryſtalli, quibus ineſt aurum & argentum.

De metallis à natura abſolutis, perfectis & imperfectis, & primò de Saturno vel plumbo.

Caput. XXI.

Saturnus omnium nigerrimum & craſſiſſimum corpus obtinuit, Mercurium ſimilem, & ſal præ cæteris maximè fuſibile. Per corruptionem facilè reducitur in ſuum ſpiritum, in ceruſſam albam, flavam, in minium, & poſtremò in vitrum ut reliqua. Stannum fit ex ſulphure albo fixo, & fixo ſale, ſed ex Mercurio non fixo. Et quia corpore fixum eſt, non in Mercurio, leviter metallicam fuſionem amittit avolante ſpiritu per ignem, quo quidem abſente, non eſt amplius metallum, ſed corpus evanidum. Ferrum & chalybs ſunt ex non liquabilibus ſulphure, ſale, & Mercurio, contrariis ſtanno & plumbo. Coagulatur in omnium duriſſimum metallum, ſeipſum deſponſat, id eſt, reperiuntur in uno duo metalla, chalybs mas, & fœmina ferrum, quæ ſeparari poſſunt in ſuum uſum, utrumque ſeorſim. Aurum generatur ex puriſſi-

puriſſimo ſulphure ſummè per naturam ſublimato, & ab omnibus fecibus atque ſpuriis repurgato, ad tantam diaphanitatem exaltato, ut nullum inter metalla corpore poſſit altius aſcendere. Sulphur hoc eſt una pars auri materiæ primæ, quod quidem ſi poſſent Alchemiſtæ habere, ut etiam in arbore ſua radiceque benè reperibile, meritò gaudere poſſent; nam eſt verum ſulphur philoſophorum ex quo fit aurum, non illud alterum ex quo ferrum fit cuprum, &c Hic eſt ſcrupulus ſui univerſalis. Ejus Mercurius etiam eſt à natura ſummè ſeparatus ab omni terreſtri & accidentali ſuperfluitate, ſeorſim in ſuam partem Mercurialem, & in extremam perſpicuitatem transmutatus, qui philoſophorum Mercurius, eſt ſecunda pars auri primæ materiæ, ex qua aurum naſci deberet velut ex roſarum ſeminibus roſæ, ad ſummam claritatem cryſtallinam ſequeſtratum, ac depuratum ab omni ſalis acredine, acerbitate, acetoſitate, aluminoſitate, & vitriolitate, ut nihil penitus adhæreat ipſi jam in ſumma luciditate ac diaphanitate liberè jubilanti. His tribus in unum convenientibus decoquitur aurum in maſſam non tamen ſemper unius & ejusdem conditionis vel gradus. Natura ſiquidem exhibet gradus auri triginta duos, qui tamen in arte viginti quatuor fiunt in ſummo gradu perfectionis. Hujus rei cauſa eſt, quia aurum in arbore ſua nutritur, velut in ſuis vacca paſcuis, vel Epicureus in ſua popina penuarioque; mox atque horum alterum extra paſcuum ſuum venit, macreſcit: non ſecus evenit auro, ſtatim atque fit materia prima hominis, octo gradibus diminuitur. Verum ejusmodi paſcua quandoque pejora ſunt, quo fit ut pejores etiam auri gradus vel pauciores fiant, utque naturæ ſupremus à viginti ſex, ac decem in arte deſcendat. Accidentia vel potius incidentia aſtrorum, aut elementorum nonnunquam auri generationem impediunt, ut natura fiat rudius intractabiliuſve: ſed ponderum præſertim inæqualitas primorum trium, ut ſalis nimia portio pallidius efficit, nimio Mercurio plus juſto flaveſcit, copioſiore verò ſulphure nimis rubicundum redditur. Apud naturam æquè atque apud homines per impedimenta incidunt errores, qui tolli poſſunt antimonio, cimentis, & quartationibus, Cæterum in ſulphure nihil aliud quærendum quam corpus, in ſale confirmatio, ſed in Mercurio virtus omnis, proprietas, eſſentia, & medicina, quæ non in aliis exiſtit ut in iſto, ſed velut in mortuo corpore ſpiritu carente, in quo nonnihil adhuc elementarium virtutum, prout in aceto reliquias ignis vini, vires adhuc ſervare conſumentes & corroſivas, non tamen foventes, experimur ut in vino, neque confortantes. Res naturales judicantur in manifeſto ex quatuor elementis componi, ſed in occulto res aliter ſe habet:

compo-

componuntur enim ex tribus dictis tantum communem inter ſe magnetem habentibus, qui in decoctione præparationis ad ſe trinitatem eſſentiæ trahit. Veteres phyſici ſtatum eſſe vocarunt, quia trinitas ſtatum unitatis acquirit, in qua quieſcit naturalis motus & gradum ſiſtit. Verum quartum eſſe (non elementum) meritò dici deberet illa magnetica virtus, quæ medicinam attraxit in Mercurium, in quo etiam reperitur: in ultima ſeparatione tamen Mercurius de ſuo pondere plurimum amittit. Iſtis omnibus ad hunc modum à natura diſpoſitis, aurum exereſcit in arborem, à radice primum per truncum in ſuos ramos & locuſtas extenſam, in quibus flores enaſcuntur (ut ſupra terram videtur) quibus etiam evaneſcentibus, non ſemper fructus in locuſtarum extremitatibus reperitur, ſed quandoque aliquot centenis paſſibus profundius in arbore, aliquoties in media, vel aliquót gradibus verſus terræ ſuperficiem. Accidere nonnunquam ſolet, ut nihil enaſcatur præter Mercurium, ubi hic per ſuperfluitatem alia ſuppreſſerit: ſi verò ſalia dominabuntur corroſiva ſua natura, tanquam vermes, arborum flores exedunt: dominio ſulphuris cuncta comburuntur, velut ſupra terram ardore nimio ſolis. Cuprum fit ex ſpadiceo ſulphure, ſale rubeo, & flavo Mercurio coctis in metallum. Hoc in ſe maſculum ſuum continet, id eſt, ſcoriam, quæ ſi reducatur rurſus in metallum ſuum, poſtquam ſeparata eſt, in cuprum redit maſculinum, quod amplius non corrumpetur, & fœmina de ſe nullas ſcorias præbebit: malleatione fuſioneque non aliter inter ſe differunt, quam chalybs & ferrum, & ad eundem modum etiam ſeparari poſſunt, ut inde duo diverſa metalla fiant. Argentum ex albo ſulphure, ſale, & Mercurio componitur, à natura in ſummum gradum puritatis ac diaphaneitatis præparatis atque fixis, proximè poſt aurum in cineritio, ſed non in antimonio, non in cimento regali, neque in quartatione. Fixionis differentia inter aurum & argentum, cognoſcenda venit ab eo, quod aurum eſt maſculus maſculeas vires habens fixiſſimas; argentum, ut fœmina debiliores. Unius & ejuſdem ſunt materiæ primæ, nec aliàs colore fixioneque differunt, quam mas & fœmina. Sunt igitur numero ſeptem metalla tantum, excluſo etiam ipſo Mercurio, ut Aurum, Argentum, Stannum, Plumbum, Ferrum, Chalybs, & Cuprum, quod poſtremum licet marem & fœminam in ſe contineat, cum ſimul ambo tamen cuſa veniant in uſum, & non ſeparentur à natura, ut chalybs & ferrum, pro uno habentur, quod etiam eandem malleationem habeant æquè tractabilem, non ſeparantur vulgariter, niſi chemicè ad uſum artis id fiat. Notandum etiam non ſemper in metallis, marem ſolum absque ſua fœmina ſeorſim à natura productum inveniri, ut au-

ut aurum, argentum, ferrum, & chalybs, quodlibet per ſe; verum ſæpenumerò ſimul ambo, uti aurum & argentum in uno metallo, pariter chalybs & ferrum ſimul, ſtannum & plumbum, ut neutrum tamen alterum impediat, imò per ſe non ſeparentur. Nonnunquam etiam adulterina reperiuntur metalla, ut aurum & argentum aliis ob ſuam ſubtilitatem admixta naturaliter, præſertim cum plures diverſæque materiæ primæ concurrunt in unum corpus, uti videmus ſuper terram, varios fructus infinitos per unius truncum arboris.

CONCLVSIO.

MAximè neceſſaria fuit igitur generationis mineralium naturalis appoſita tractatio, qua probè cognita facilius intelligatur, quidnam priore parte regeneratio ſit metallorum artificio chemiſtico facta. Sententia ſiquidem eſt omnium in hac arte philoſophantium, inprimis artificem iſtius profeſſionis imitari naturam in omnibus exactiſſimè debere. Proinde quid, & quemadmodum ipſa in terræ penetralibus operatur mineralem œconomiam exercens, qua materia, quibusque utatur inſtrumentis, dictu pariter opus fuit, & intellectu. Quiſquis hac via non intellexerit, alia minimè perveniet eo, quo tendit ejus animi conatus. Non tantum igitur diſcipulus artis quam naturæ qui rem tam arduam & arcanam ſcrutatur, fiat.

FINIS.

TRACTA-

TRACTATUS VARII, DE VERA PRÆPARATIONE ET usu MEDICAMENTORUM Chemicorum.

PRÆFATIO,

In qua de Philoſophiæ noſtræ dignitate & excellentia agitur.

Si quis conſiderare vellet, humane Lector, Medicinæ originem, non à Machaone, non à Podalyrio, non ab Hippocrate, minuſve à Galeno repetet. Altius nobis aſſurgendum eſt: Ejus origo etiam ſupra Chironis, imò Apollinis ipſius tempora, quærenda eſt. Igitur ad eos maximè nos referamus, qui ætatem vitæ longiſſimam vixerunt. Quales erant Adam, Henoch & cæteri. Hi omnes naturæ ſcientiam à Deo edocti, Medicinæ perfectam agnitionem habuerunt. Quæ invaleſcentibus peccatis paulatim extingui cœpit: & in eas tandem tenebras deducta eſt, quibus eam involutam hodie cernimus. Et ipſe quidem primus parens nomina rebus omnibus, jubente Deo, & inſpirante, imponens, rerum omnium ſe peritiſſimum prodidit. Ex illa autem rerum non externa tantum ſed penitiſſima cognitione, Medicina deſcendit. Nos verò veræ Medicinæ principium à patribus ad ipſum rerum opificem referamus. Altiſſimum creaſſe Medicinam de terra, & hominibus dediſſe ſcientiam, ut altiſſimus honoretur in mirabilibus ſuis, ſacra pagina docet. Eſt enim Medicina non minima pars magnalium & mirabilium Dei, quæ humanum ingenium ex ſeipſo haud agnoſcere potuit, niſi manifeſtante Deo ipſo mirabilia & magnalia ſua. Impoſſibile ſiquidem eſt Medicinam integram & ſibi conſtantem habere ſine Dei agnitione, ſine pietate, ſine illuminatione divinitus accepta.

Medicinæ cognitio à Deo.

Medicina Dei magnalium pars.

Magna

Magna igitur eſt Medicinæ majeſtas; magna amplitudo, quia à ſolo Deo procedit. O utinam, inquit Macer Philoſophus, Moderni hoc intelligere vellent? Non utique medici tot perſonati haberentur, pleni avaritia, ſuperbia, invidia, ſine charitate proximi, ſine cultu & dilectione Dei; neque eam pietatem habent, ut divinitus doceantur: Mundani toti, delitioſi, pompoſi, garruli, jactabundi, detrectatores & inanes. Qualibet reliquarum artium certè à ſuis præceptoribus diſcitur. Vna autem Medicina & Theologia divinitus datur. Etenim cujus eſt Medicinam creare, ejusdem eſt dare & benedicere. Nemo igitur niſi Deum diligens charitatemque in proximum habens verè medicus eſſe ullo modo poterit. Sed illud eſt pro confeſſo habendum, quod craſſa ignorantia noſtra ferè nihil novit eorum, quæ Deus magnalium concluſit in creaturis ſuis. Nulla res tam vilis, tam fœtida, tam venenoſa eſt, quin ſeparatione elementorum, vel (ut uno verbo dicam) noſtra ſpagirica, ſimplici artificio ſummarum virium Medicina fiat. Certè non caret gravi mendacio, quod à plerisque dicitur, podagram, paralyſim, hydropem, quartanam & ſimiles morbos incurabiles eſſe. Quomodo ſint iſti incurabiles morbi? An quia Deus morbos ob peccatum immiſit humano generi, eorum remedia creare neſcivit? Aut non potuit aut non voluit. Neſciviſſe, aut non potuiſſe nemo dixerit. Non voluiſſe, pauci à Deo dixerint. Quomodo enim cum morti æternæ remedium dare voluerit, temporali infirmitati remedium creare noluiſſe cenſebitur? Placuit cum morte temporali omnes morborum ſpecies in hominem immittere ob vindictam: Sed voluit, quia potuit, omnium remedia creare ob miſericordiam & bonitatem ſuam.

Huius temporis medici quales.

Ars ſpagirica quid præſtet.

Deus omnium ægritudinum remedia creavit.

Creavit ſine dubio Medicinas tollentes Podagram, paralyſim, hydropem, quartanam & cæteros morbos, quos Medicorum vulgus judicat incurabiles. Quod autem ignorent Medici eas: primum facit impietas ipſorum & incredulitas: ſiquidem parum curant Deum, minus proximum,

Medici noſtri ſeculi deſides.

mum, maxime pecuniam: poſtea ſupina negligentia in inquirendo magnalia Dei & ſecreta naturæ. Quomodo ejus magnalia inquirent, quem ipſum eſſe non credunt, aut non cognoſcunt, aut parum curant? Modo volubilem linguam habuerint, ſatis eſt illis ad titulum & ad pompam. Teneras manus læderent carbonibus ſi forte ſecreta naturæ indagarent: ſufficit illis in cavillationibus ætatem & tempus omne altercationibus conterere. O cæci mortales! Neſcitis nos cauſa veritatem magis, quam locutionis ornatum quærere debere? Hoc eſt veriſſimum nihil eſſe tam diverſum ab inſtituto Philoſophi, quam quod luxum aut faſtum aliqua ex parte ſapit: ob eam cauſam nudam ſe præbet Philoſophia undiq; conſpicuam, tota ſub oculos, ſub judicium venire geſtit. Ipſa ſeipſam prodit. Non deſiderat Cicero eloquentiam in Philoſopho; multo minus eandem Celſus in Medico; ſed ut rebus & doctrinæ ſatisfaciat. Noſtrum eſt potius componere mentem, quam dictionem: curare ne quid aberret ratio, potius quam oratio.

Medicus qualis eſſe debet.

Igitur ſi qua eſt in vobis pietas, nolite Deo & naturæ injuriam facere. Diſcite rerum omnium conſtitutionem itemque morborum & ſanitatis ſemina eſſe in ſale, Sulphure & Mercurio. Et quia noſtrum inſtitutum eſt de ſale præcipue tractare (cui tamen alia quædam addidimus lectori grata & utilia, reliquorum duorum principiorum principiatorum hoc tempore exactiorem tractationem, prætermittemus. Sed quid ego primum in hoc ſubjecto admirer? An Dei omnipotentiã conſiderans non obſtupeſcam? Quod tam magnus, tam admirabilis, tam potens eſt in creaturis ſuis: An vero tanta in natura poſſe latere arcana, tantaq; myſteria? Ex qualibet re vegetabili animali atq; Minerali Sal fieri. Idipſum videmus paſſim in natura facere voluiſſe Deum, ut ſub vili pretioſum contegeret, ne raperetur ab indignis. Notum eſt, rerum creatarum unicum eſſe genus generaliſſimum, à quo reliqua genera & ſpecies & individua

Ex omnibus rebus ſal fieri.

dua nata ſunt, indiesque propagantur in finem uſq; ſeculi. Hæc res eſt natura primitiva a Deo creata: Hæc eſt ille Phœnix tam occultatus a Poetis, qui igne naſcitur, producitur & propagatur: nullo etiam artificio deperire poteſt: ſive in aquis, ſive in aere aut in terra vel igne exiſtens, perpetuo conſervatur & conſervat. Myſterium ſiquidem univerſæ naturæ vitæq; humanæ medicamen, ad longiſſimam uſq; ætatem, in ſe continet. Maxima ſane eſt vis omnium ſalium in Medicina. Rerum virtutem in regenerato corpore eſſe diximus, in quo eſt rei proprietas. Vnde Alphidius: Sal non eſt niſi ignis, nec ignis niſi Sulphur, nec Sulphur niſi argentum noſtrum vivum, reductum in pretioſam ſubſtantiam cæleſtem, incorruptibilem, quam nos vocamus lapidem noſtrum. Item ſal, eſt tam mineralium, quam vegetabilium & animalium origo: quia omnia in eo reſolvuntur. In ſale ſunt tres ſubſtantiæ ſymbolizantes. Prima ſubſtantia eſt ipſummet corpus fixum & fuſile inſtar metalli: quod ab eo exit eſt ſal Armoniacum: quod ſublimatur & non comburitur: quare reſpondet Mercurio: ſal petræ ſulphuri. Rurſus inertiam humani generis admirari ſubit, quæ iſtis naturæ admirandis arcanis neglectis in ſuperficie rerum incerta fluctuat. Sapientiam nempe longe à nobis peccatum fecit, nimirum ſuperbia, luxus, deſidia. Et ſane experimur facilius eſſe ℞ ſcribere & ad imperitum coquum ablegare ægrotum, quam in ipſa naturæ penetralia carbonibus cineribus ſordidum ingredi: & promere inde magno ſudore quod ipſe ægro exhibeas: difficile eſt delicatulis cujuslibet corporis formam indagare ſpecificam, & purum ab impuro ſeparare. Medicina non in corpore ſed in forma ſpecifica, in qua ſola virtus eſt, conſiſtit. Corpus autem mortuum & ineptum eſt ad agendum. Forma vero cum ſit virtus, ipſa operatur, ipſum corpus vivificat, ipſum reſuſcitat & ſpirituale reddit. Quod omnia deinceps penetrat, cui nulla amplius corruptio advenire poteſt. Poſtremo ſpirituale hoc & virtuoſum corpus diverſis reite-

Sal medicamen ad longã vitam.

In ſale ſunt tres ſubſtantiæ ſymbolizantes.

Facilius eſt ſcribere Recip. quam operi manum adhibere.

Virtus rei in forma.

rationibus exaltatum ægroto exhibemus. Quis jam tam rudi ingenio eſt qui non ratione aſſequatur, quanta ſit hujusmodi medicinarum efficacia? quanta in agendo tuta celeritas? cum veluti in ictu oculi penetret omnia, conſumat ſuperflua, renovet deperdita, ſanet morbida, nec ullam admittat ulteriorem corruptionem. Hoc nuſquam metallum limatum, ſive in liquoribus extinctum præſtabit. Minus margaritæ aut coralli contriti, quos calor noſter naturalis nequaquam reſolvere poteſt. Sed de his plura in meo Apologetico libello. Si quis ergo hanc Medicinam ſequi voluerit, is laborem non fugiat ſed avaritiam. Hoc tritum habetis verbum, Dat Galenus opes: Ego vero inopiam vobis à Paracelſo denuncio: caducas has opes contemnat, abjiciat oportet, qui magnum illum atque incorruptibilem naturæ conſectari theſaurum voluerit. Et hunc illæ opes conſequentur volentes nolentes. O Laureati magiſtri, ab erroribus pedem retrahite, & veritatē mendaciis opprimere deſinite: Paracelſi Theodidacti ſcripta acri judicio perlegite: Ad rectam viam redite, apprehendite diſciplinam, ne forte rerum opifex, pro tantorum ſuorum magnalium contemtu iraſcatur, & pereatis de via juſta. Hæc à me non ſunt in ullius invidiam dicta. Velim utrosque qui hodie in Medicina diverſa agitant, amice ſententias conferre: ipſam rerum naturam atq; experientiam judicem ſtatuere: ejusq; judicio acquieſcere. Omnia (inquit Paulus) probate, quæ bona ſunt tenete. Ob eam cauſam ô Laureati magiſtri, vos quoq; ſacræ philoſophiæ indagatores, ſecreta naturæ myſteria diligite, atq; inquirere diſcite: ut tandem per vos quoque Deus immenſus pro ineffabili miſericordia & bonitate ſua, in mirabilibus ſuis, in natura honoretur & glorificetur.

Medicinæ finis.

Tota denique hujus medicinæ intentio in Deum & proximum directa eſt. Proximus quidem ut in charitate juvetur: Deus autem ut in ſapientia & potentia ſua exaltetur & prædicetur. Quæ enim eſſe poſſunt poſt æternam ſalutem

ſalutem Dei majora erga genus humanum beneficia? Prorſus nulla. Sed, proh dolor, pauciſsimi ſunt qui hæc curent. Defecit enim enim ætas hæc noſtra ferrea ab aureo illo ſeculo, & ita defecit, ut veræ artes & pulcerrimæ ſcientiæ in Chymeras & fera monſtra degenerarint. Amiſſo nucleo nunc de cortice litigamus. Quondam ſublimia ingenia atque generoſæ regiæ mentes, ſtudioſiſsima indagatione rerum excellentiſsimarum ſecretioris philoſophiæ & myſteriorum naturalium occupabantur, quibus toti ſuo populo & belli & pacis tempore, fuerunt præſidio. Præpoſterè noſtra ætas mortuas rerum umbras, inutiles phantaſias mundanasq́ delitias excolit, quibus altior illa veterum philoſophia plane eſt deleta. Antiqui maximo deſiderio & amore nobiliores illas artes expetebant, harumq́ gratia multis ſe fluctibus periculisque objecerunt, quo illis potiti ſe patriamq́ ſuam celebriorem redderent. Noſtro autem tēpore tam inter reges & principes, quam inter ſubditos & privatos, inter doctos & indoctos nō ſolum hujus artis negligentia & contemptus gliſcit, verum etiam odium & ira eorundem in tam præclarum lumen graſſatur: quo ſit ut illi qui altiori mente, ſpagyricas illas artes veterum in lucem revocare conantur ignobiles & in obſcuro relinquantur omniumque inimicitias experiantur, cum non habeant patronos & Mæcenates, qui eodem ſtudio delectentur. Hinc ingenia præclara (quia noſtrum ſeculum plurima fert) deprimuntur, & ſcopum propoſitum non liceat ipſis attingere, dum à patronis deſtituti vilioribus rebus operam dare, & miſeri ſtolidis & ſtultis ſervire coguntur: qui etiam pecuniis & honoribus & mundanis deliciis renuntiant, quo deperditas artes reſtaurare queant: de his plura apud Palingenium.

Sed nolim te lector benevole, his difficultatibus & incommodis terreri. Dura eſt & aſpera ad veritatis cognitionem via: Et ut excellentiſsima quaque naturæ opera, aut ſupra nos immenſum ſublata, aut infra nos altę abſcondita ſunt:

ta ſunt: Ita ad eorum ipſorum naturæ operum indaganda arcana, cælum ipſum fere conſcendendum, & terræ quodammodo movenda fundamenta ſunt: eaque quæ ſub tactum noſtrum cadunt, varie verſanda tractandaque ut propria abditaq; virtus eruatur. Ideo virtutem poſuerunt Dÿ ſudore parandam. Sed has difficultates incommodaque magna conſequitur voluptas atque etiam utilitas. Quid enim jucundius quam ea noſcere atque oculis pène cernere manuq; tractare, quæ procul à ſenſu & cognitione noſtra peccatum poſuit? quam in ipſam penitus abſconditam naturam deſcendere? quam partes univerſi in particulas quasque minutiſſimas ſcindere? ipſaque naturæ principia in manu habere? Quid publice privatimque utilius, quam mortalitati noſtræ, quantum quidem licet, ſubvenire? Morbos aliaque corporis incommoda arcere atque depellere? Et languentem proximum atque jacentem reſtituere? Hæc omnia præſtat ea philoſophiæ atq; medicinæ pars, quam ſpagyricam vocant: Cujus hic tibi (amice lector) tractatus aliquot offero: daturus tibi aliquando plures legendos, ſi veritatis iniquum odium tempeſtive depoſuerint ii, qui claves ſcientiarum in captivitate detinentes, ipſi non ingrediuntur, & intrare volentes, quoad poſſunt, impediunt. Vale lector candide cum quo ſolo loquimur. At calumniæ filii, juſto Dei judicio ſuo delectentur malo ad ſuorum ipſorum perniciem.

DE

DE MINERALIBUS AC METALLIS PHILOSOPHICIS: ET PRIMUM DE MERCURIO PHILOSOphorum, ejus ſubtili præparatione ac virtute varia.

A MERCURIO aut Argento vivo omnis ſulphureitas vel omnes ſulphuris partes una cum plumbeis ac terreis partibus auferendæ ſunt, etſi multis hoc philoſophis & philoſophorum rationes haud prope intelligentibus abſurdum eſſe videatur.

Mercurius purgat ab omnibus metallis ſolem, omniaque illi præter ſolem innatant.

Aurum deſcendit utpote gravius & ſtatim liqueſcit, ſic etiam homines.

Mercurius philoſophicus à pravis ſuis qualitatibus purgare, ſuperfluitatemque potenter ad partes expulſionum inclinare & abigere ſolet, ut infra ſequitur.

Philoſophici ajunt: Mercurius noſter haud eſt venenoſus, ſed nimium quodque adimit, & quod deeſt addit: præterea epilepticis, cœliacis, intoxicatis, aut veneno infectis, pro theriaca illa magna plurimum confert: nam ſubtilitate ſua in puncto temporis omnes corporis venas penetrare ſolet, idem excreſcentias in carne cohibet. Hydrope aut alia infirmitate corruptos ſanat, mundificat ſanguinem, apoſtematibus variis mirum in modum utilis eſt. Vulnera antiqua perinde ac recentia cum putreſcentibus ulceribus conſolidat. Dyſentericis omnibusque contagioſis morbis adverſatur; ſiſtit ſanguinem & fluxum à cerebri membrana profluentem. Ulcera ad cicatricem perducit, ſordesque ac ulcera oculorum expurgat. Cancrum & fiſtulas cancroſas in modica doſi & quantitate portionis expellit. Scabiem præter noxam curat. Poteſt etiam fieri ſmegma odoratum contra ſcabiem cum Mercurio. Poteſt etiam loco Mercurij amalgamate quodam à ſex partibus Mercurij & una parte ſolis facto uti. Mercurius iſte coli & iliorum doloribus reſiſtit, nec ſolummodo memorata; ſed etiam majora quædam miracula efficit: pluribusque aliis ac diverſis affectibus medetur, ut quilibet medicus pro ſua eruditione perfacile agnoſcit, & fatetur: ſed robuſtiori corpori dentur grana 10. mediocri autem 8. & debiliori, quod non debilioris eſt digeſtionis, ad ſummum 5. Quartanis medetur. Etiam peſtilentiæ, nimirum præſervando curandoque adverſatur.

Vſus ejus in Epilepſia.

Hydrope.

Cancro.

Scabie.

Ergo multa commoda ex Mercurio eveniunt, quod innumeris experimentis conſtat. Mercurius vulgi aut Argentum vivum eſt quadruplex. Primum ex fontibus aquarum colligitur, quod à Plinio lib. 33. cap. 6. item lib. 3. perpetua quædam æternaque vomica nuncupatur, omniumque rerum eſt venenum, & hoc eſt in frequentiſſimo uſu. De incommodo argenti vivi lege Dioſcoridem in lib.5. cap.60. Potus vim pernitioſam habet; nam pondere ſuo inteſtina & alia membra corrodit. Idem lib.6. cap.28. Vulgus medicorum & idiotæ, ut Judæi, monachi, ſacrificuli, barbitonſores, dentium evulſores, & annoſæ mulieres, philoſophos nihil aut certe parum intelligentes, audacia quadam inſolenti, argento vivo aut Mercurio vulgi potentiam ſanandi periculoſos quoslibet affectus tribuere contendunt, quorum errore plurimi deperduntur potius, quam curantur, ut palam docetur apud Theophraſtum Paracelſum & alios ſpagyros. Nam cremare argentum vivum ſolēt in cinerem, mixtumq; aliis quibusdam ſpeciebus cœliacis ac Iliacis vel dyſentericis in potionibus exhibere: item ad necandos infantium vermes: ſimiliter ad morbū Neapolitanum. Ad externos quidem affectus cum aqua forti præparatū ac præcipitatum valere poſſit, ut ulcera maligna & veneream præſertim luem. Item ad delendas colli veſicæ furunculos, etiam citra dolores carnes erodere ſiccareque ſolet. Excrementa per alvum ſubducit; humores pravos per poros expellit.

BERNARDI G. PENOTI A PORTV SANCTÆ Mariæ Aquitani de Mercurio.

Additio.

Mercurius recipit in ſe omnes facultates.

MErcurius nihil eſt aliud quam ſpiritus mundi corporeus in ventre terræ factus, qui ad ſe recipit facultates omnes tam animales quam vegetabiles & minerales. Sicuti aliqua cera recipit in ſe omniū formarum impreſſionem: ſic Mercurius omnium rerum naturalium recipit in ſe proprietates. Si fuerit mundus & præparatus ſicuti debet tunc maximè perfectiſſimus & puriſſimus, puriſſimi auri & argenti in ſe recipit impreſſionem. Sicuti Luna eſt univerſale receptaculum omnium, præſertim autem ſolis: ſic & Mercurius omnium rerum naturalium receptaculum eſt univerſale virtutum earum, præſertim auri. Ideo per comparationem philoſophi Luna terræ dicitur: ſicut aurum ſol terræ: & ſicut Luna eſt prima janua in cœlo: ſic Mercurius Lunæ comparatus prima janua eſt ad artem. Sicuti quando terra Soli & Lunæ interponitur, impedit Lunam quo non ſuſcipiat influentiam luminis ſolis, & ſic tenebroſa manet: ſimiliter terrena impuritas Mercurio occulte inhærens, impedit quo minus ſuſcipiat perfectionem naturæ Solis. Quod ſi hæc terra fuerit amota tunc nihil

nihil impedit: quod ſicut Luna illuminatur à Sole; ſic & Mercurius perficitur ab auro. Ut autem Mercurius à natura generatus filius naturæ & fructus menſtruæ eſt. Ut autem generatur à philoſopho filius hominis & fructus efficitur virginis, oportet ut exaltetur à terra, purgetur ab omni terreitate ſua, tunc aſcendit in aerem totus, qui vertitur in ſpiritum: Sic adimpletur dictum philoſophi: Aſcendit de terra in cælum & ſic accipit vim ſuperiorum & inferiorum, & ſic naturam terreſtrem immundam exuit, & naturam cæleſtem induit, in qua mundis gaudet, & immunda amplius omnia horret. De his plura in noſtro libro de mineralibus Deo concedente, brevi agemus.

Mercurius perficitur ab auro.

AD LUEM VENEREAM ET ALIOS morbos optima præparatio.

ADDITIO.

℞. Argenti vivi ℔ j. diſſolve in aqua forti ut fiat præcipitatum, deinde accipe acetum deſtillatum, in eo autem præcipitatum diſſolve bulliendo per quatuor horas, poſtea effunde quod diſſolutũ eſt in vas vitreum & iterum infunde de alio aceto: repete donec acetum diſſolverit totum Mercurium, tunc diſtilla totum acetum in balneo Mariæ & in fundo manebit maſſa inſtar ſalis, cui affunde aquam pluvialem quater deſtillatam & clauſo vitro coquatur per dimidium diem: poſtea ſine reſidere, quod clarum erit effunde & illud per balneum deſtilla, & habebis maſſam claram, exicca, & dividatur maſſa in duas partes: & ſuper unam affunde de ſpiritu vini & maneat ad octiduum ad digerendum: pelle per retortam in cineribus, appoſito recipiente magno, exibit primo ſpiritus vini, deinde ſpiritus Mercurij & in fundo remanebit fæx nigerrima. Non aperies juncturas recipientis niſi per 24. horas, ſpiritus Mercurij criſtallini adhærent lateribus vaſis & non ſolvuntur niſi per 12. horas. Aperto deinde receptaculo, liquores in balneo leniſſimo extrahe, & egredietur ſpiritus vini, & eſſentia Mercurij remanebit in fundo vaſis in forma olei, ciner icij coloris. Liquorem pone in vas vitreum parvum, calore quidem leniſſimo: deinde in eodem paulatim ſolve de altera parte Mercurij reſervata in pulverem trita: pone tantum quantum in ea ſolvi poteſt ad maſſam molliuſculam. Hoc facto ſigilla vas, & coque in cineribus & per gradus decoque donec deveniat in pulverem rubrum. Cujus granum unum, in vino vel alio liquore exhibitum pellit morbum Neapolitanum & alia mirabilia præſtat. Exhibetur ter in ſeptimana: caveat ab acre & bibat vinum ſaccaratum: purgat tantum per ſeceſſum, multa alia præſtat quæ brevitatis cauſa omitto.

DE SVLPHVRE ET VTILITATE SVLphuris, quæ eſt varia.

SUlphuris oleum tam internis quam externis vitiis adverſatur, ut ſequitur. Habet autem hoc oleum peculiarem vim & facultatem attrahendi. Fiſſuras ani, fiſtulas, Apoſtemata, pruritum, procidentiam, Mariſcas, aliaque vitia levi contactu, vel illitu ſanat. Item ventriculum, hepar, lienem, matricem, veſicam, inteſtina & articulos, ex humorum abundantia videlicet aut putrefactione affecta membra curat. Datur autem hujus olei pauxillum, cum deſtillato liquore vel decocto herbæ convenientis, pro cujusque partis & affectus qualitate: Gallinæ penna in oleum intingitur, atque inde mox extrahitur, & quod adhæret pennæ in liquore vel decocto diluitur & datur bibendum ægroto in dolore ventriculi & coli ex flatu cum aqua Chamomelinæ. Item in orexi quæ redundantia phlegmatis exiſtit, cum aqua abſynthij: contra vermes cum aqua graminis vel abſynthii. In hepatis frigiditate & hydrope cum aqua frigida: In dolore matricis cum vino decoctionis Bethonicæ & Matricariæ: In urinæ ſuppreſſione cum vino allij decocti Item ad phthiriaſin intincto laneo quodam panno. Aurium dolorem ac tinnitum, exulcerationem, vermes, aliaque vitia, contuſasque aures: arthriticos morbos adjuvat: Bubones madefacto quodam panno laneo ſuperpoſito, calefaciendi vim non excellentem habet, ratione mixtionis & compoſitionis conglutinat, conſolidat ulcera, vulneraque mirifice, ac carnem citiſſime generat, ac contactu & illitu Cancrum, canitiem, capitis ulcera cerebriq; affectus, Colicam, cutis fœditates, cum omnibus affectibus contuſa membra ſanat. Cranium fractum extrahit, extenuat emollitque dura illitu, ſanat dolores & diſlocationem membrorum, Serpigines omnisque generis ſcabiem. Spaſmum curat, ſiccandi vim habet tumores, tubercula ſuperpoſito laneo quodam panno madefacto, tibiarum ulcera, vulnera quælibet maxime cava & profunda, vomicas, varices, varos, ulcera tam recentia quam antiqua & putrida: denique uſtionem quamlibet ex quacunque cauſa provenientem. In ulceribus & puſtulis oris penna aut goſſipium madens, loco ulcerato admovetur, leviter & ita contactu olei aliquoties repetito ſanatur malum; dentes dealbat leviter attingendo. Si dentes doleant omnes, decoctum menthæ calidum cui immixta ſit olei guttula una vel altera, vel tres, ore continendum eſt. Verrucas extrahit: Splenis vitia cum aqua tamariſci, vel capilli veneris curat. Contra tumorem ſub lingua infantium: Item contra coli compaſſionem ac tormina inteſtinorum cum aqua ruthæ vel ſimili, duæ guttæ in æſtate, in hyeme cum aqua vitæ aut vino muſcatellino dantur:

dantur: itemq; morbum Gallicum: valet ad reſolutionem membrorum: ſtrumas illitu delet: Epilepticis in decocto Bethonicæ & Peoniæ propinatur: tuſſientibus cum ſemine urticæ & hyſſopo cocto in vino. Fiſſuras labiorum aliarumque partium, frigidos morbos quorum cauſa frigidi vel putrefacti ſunt humores, aut in quibus eſt flatuum copia, Faciei rubeas puſtulas aliasque infectiones: contra Gallicam ſcabiem in morbo Gallico cum aqua fumi terræ & florum Geniſtæ datur. Item hæmorrhoidas cæcas earumque dolorem perſanat. Humidos quoque morbos, Hydrargyrum mox è balneo illitum, è corpore trahit. Iliacam paſſionem illitu ſanat. Item impetigines, incurabiles quosque morbos, lentigines, lichenas, morpheam, morbillos, manuum fiſſuras & ſcabiem, mammillarum duritiem, tumorem, exulcerationem, cancrum & morſus animalium venenatorum, madefacto, impoſitoque laneo quodam panno maturat, mundificat; emollitque nodoſitates, nervorum duritiem & quamvis læſionem, oſſa fracta, calloſa madefacto impoſitoque panno laneo quodam maturat, mundificat, paralyſin, panaritium, febres putridas, quotidianam, tertianamque, quartanam curat. In febri autem quotidiana cum vino decocti rorismarini vel menthæ paulo ante paroxyſmum, in tertiana cum decocto centaurei in vino, in quartana autem, cum aqua Buglosſæ. Item peſtem ac febrim peſtilentialem cum aqua pimpinellæ vel ſale ejus, item cum vino decocti Raphani cui admixtum ſit parum theriacæ aut Mithridatii, Podagram frigidam ſuperpoſito panno quodam laneo madefacto: item cum Chamepytide pediculos pellit, pus generat, rumpit apoſtemata ad maturitatem producta, refrigeratos pedes fovet. In ſumma oleum ſulphuris adeo efficax eſt, ut neque vivum corpus neque mortuum ad putredinem tranſire ſinat, ſed adeo integra tueatur, ut nulla neque cæleſtis impreſſio, vel ab elementis profecta corruptio, vel ab ipſo jam ortu inducta obeſſe ei poſſit.

ADDITIO.

℞. florum Sulphuris ter ſublimatorum q. v. pone in vitrum & ſuperinfunde de ſpiritu Terebinthinæ quantum ſufficit pro ſolutione florum Sulphur: pone ad lentiſſimum calorem, & poſt hoc videbis Sulphur & ſpiritum Terebinthinæ quaſi ſanguinem, tunc de optimo ſpiritu vini ſuperfunde ad eminentiam iij. digitorum & ſic relinque donec ſpiritus vini tingatur, quem effunde, appone alium ſpiritum vini, fac ut prius, donec amplius non tingatur & in balneo deſtilla ut à rubedine Sulphuris ſeparetur, amove vitrum, appone aliud recipiens, ignem fortifica & tunc exibit eſſentia Sulphuris rubicundi ſanguinis inſtar: Medicina nobilis absque ullo fœtore, uti ſolent vulgares Chemici præparare. Spiritum

Terebin-

(Terebinthinæ ſic facito, ℞. Terebinthinæ. q. v. in vaſe terreo vel cupreo aquam claram ſuperfunde pro ſufficientia, pone ad deſtillandum,& exibit primo aqua cum Terebinthinæ ſpiritu albo, ſepara ut artis eſt, tertia pars vaſis debet eſſe vacua. Multa operatur iſte ſpiritus, ſed propter impoſtorum fraudes taceo.

DE SVLPHVRE VITRIOLATO.

SUlphur vitriolatum cognoſces, ubi morbus per anodyna curari debet, tunc absque omni periculo id efficit. Idem Sulphur per ſe eſt fixum, habetq; per ſe dulcedinem, & gallinæ illo devorato ad tempus dormitant quidem absque damno, poſt autem reſuſcitantur. Sedat hoc Sulphur omnes paſſiones absque periculo, conſtringit omnes dolores, omnem colicā paſſionem, omniaque præſervativa præcedere debet hæc medicina.

Additio.

℞. vitriolum, diſſolve in aqua, fac ebullire, cui impone laminas ferri & cum pulvere rubeo oneratas deprehenderis; hunc erode, hoc tantisper facies donec totum Sulphur extraxeris, quod cum optimo ſpiritu vini circulabis, quod nigrum eſt relinque, quod eſt valde rubrum, ſerva: operatur potentiſſime intra & extra.

DE SALE AC VIRIBVS SALIS.

SAl fortiſſimum quoddam remedium, juxtaque proverbium illud omnium condimentorum præſtantiſſimum condimentum eſt, nam communis vis eſt omnis ſalis calefacere, ſiccare, extenuare, diſſolvere, diſcutere, abſtergere, adſtringere & ſuperfluos quosque humores conſumere.

Aptior autem ad ſalituram eſt ſiccior, ideoque etiam vis ejus eſt, venenatorum humorum faſtidium avertere, nauſeam prohibere, cibisque omnibus aviditatem incitare excitareque, perniciem abſumere. Idem murificatæ olivæ, limones, flores & fructus capparum; Idem uvæ, mala, pyra, ficus, rapæ, præſtant. Præterea ſalis vis eſt carnes tam piſcium quam reliquorum animantium, quibus veſcimur, ne forte corrumpantur etiam in ventriculo aut ibidem cogatur caſeus, à putredine tueri commodiſſime ac defendere, verumetiam vina quælibet à muco & acetoſitate cuſtodire, illaque citius clarificare, nec non eorundem aſperitatem, quo minorem inebriandi vim habeant. Item pelles emollitas lotione laxiores & capaciores facere, acrimoniaque ſua coriorum craſſitudinem emendare ac meliorare, ſaporem fortificare, melioremque conficere. Item ſteriles, paluſtres, atque uliginoſos agros fructificare oleam in littore marino, Raphano, Bethæ, Ruthæ, Cumino peculiariter mederi, ſic ut multo ſuaviores multoque fertiliores Pli-

res Plinio teſte fiant. In pecudibus, armentis, jumentisque & paſcuis redeuntibus lambendoque ſaporem ſentientibus faſtidium corrigere, paſtusque ac potus aviditatem maxime provocare, ſic ut lac multo largius, illudque multo gratiorem caſeum præbeat. Item imprægnare pecora commodiſſime, nimiamque pinguedinem illis nocivam adimere, Plutarcho teſte. Ovibus coitum ante & poſt lambentibus conſilio Ariſtotelis movere, varios in pecudibus armentis jumentisque morbos ſanare. Item limoſam aquam injectione quadam repurgare, velut Eliſeus verbo Dei fecit, lib. Reg. 4. cap. 2. Beſtiarum morſibus reſiſtere, ejusdem triti in linteolo quodam, & intincti aceto, ita ut vinculis loca conſtringantur Crocodylorum morſibus adverſari. Ejusdem poti cum melle & aceto ſcolopendræ morſibus contrariari. Ejusdem illiti cum aceto Crabronum aut Veſparum, Scorpionnm ex aceto vel olei iiij. parte ſerpentiumque morſus cum origano, pice aut cera, aut melle curare; ejusdem debiti cum aceto mulſo fungis & hauſto opio reſiſtere. Ejusdem ſalis vis eſt injectione quadam peſtiferam carbonum malitiam partim demere; ejusdem illiti impoſitique ſalis vis eſt, cum aceto, vel hyſopo, igni ſacro, ulceribusque ſerpentibus reſiſtere; ejusdem impoſiti ſalis vis eſt, cum oleo aut commanducati puſtulas igni ambuſtorum erumpentes impedire. Ejusdem admiſti aliis parem facultatem habentibus medicamentis pruritum ſedare. Item lepras & furunculos & lichenas & pſoras cum paſſa uva exemto ejus ligno ac ſevo bubulo ac fermento vel pane ipſo emendare. Item carcinomata imponendo cum uva taminia. Item triti ejusdem ſalis cum farina hordei, ſuperimponendo linteolo vino madefacto, phagedænas ulcerum ſanare. Ejusdem ſalis vis eſt cum fuligine noſtratium puerorum verrucas frictione arcere. Ejusdem ſalis vis eſt intingendo linteolum excreſcentia ulcera, vel putreſcentia multorum curare. Item imponendo cum tela aranearum vulgo levioribus vulneribus mederi. Item imponendo cum melle & farina luxationi. Item Smegmati addendo cutem extendere levareque. Sic Galenus recens nati infantuli corpus modico ſale inſperſit, quo cutis ejus denſior ſolidiorque reddita injuriis externis minime objecta eſſet. Ejusdem ſalis vis eſt miſcendo medicaminibus faciei cutis nitorem facere, ſed ad ſugillationes faciei prodeſſe etiam. Furunculos cum uva paſſa aut ſuillo adipe, ut etiam melle diſcutere. Ejuſdem ſalis vis eſt medicamentis additi juxta veterum opinionem, temulentos cum oleo perunctos ab ebrietate præſervare Item excreſcentias in oculis reprimere. Pterygia conſumere, cæteras carnis exuberationes tollere, ideoque collyriis emplaſtrisque additio ejus perutilis. Ex ictu vero ſuffuſis cruore oculis, ſugillatisque una cum myrrha pari pondere ac melle aut cum hyſopo ex aqua calida vis

ejus

ejus fomentando comprobatur. Ejusdem ſalis vis eſt triti in coticulis una cum lacte, ſuffuſionibus oculorum contrariari. Item cum aceto impoſiti ſalis vis eſt aurium dolores mitigare. Item manantibus oris ulceribus in concerpto linteolo illiti. Item gingivis ab humore vexatis infricando prodeſſe. Ejusdem ſalis vis eſt fricti, nempe, comminutique ſcabriciem linguæ curare. Ejusdem ſalis vis eſt, contenti nimirum quotidie mane jejuno ſtomacho ſub lingua donec liqueſcat, dentes à putredine ac corroſione præſervare, dentibus infricando humiditates internas abſumere, eorumque dolores cum fomento aceto ac linimento quodam reſinæ mitigare, dentium ſtuporem tollere. Ejusdem ſalis madefacti cum aqua ferventi vis eſt cervicem contractosque nervos in ſaccis fovere, ſecundum Galenum. Item linimento quodam facto ex aceto mulſo ac oleo anginam levare. Item tonſillis uvæque cum melle toſti ſalis vis eſt prodeſſe. Item lingendo veterem tuſſim diſcutere, præſertim ſalis Gemmæ vis eſt. Item communis ſalis vis eſt in vino mixti, etiam alvum emollire. Inſuper potioni vini lumbricos ac tineas pellere, nec non aliarum rerum admiſtione humores craſſos lentosque, vitream pituitam melancholiamque purgare. Ejusdem poti ſalis & ſaccis impoſiti candentis vis eſt, colum & tormina levare. Item cum milio hypochondriorum dolores à craſſis viſcoſisque humoribus ortos fomentatione quadam ſicca lenire, Hippocrate Galenoque aſſertoribus. Item cum milio adhibiti in valvulo, uſtulatos fovere, ut Aretius ſentit. Item cum infrictione aceti ac olei morbo regio laborantibus, ſudorem movere ad ignem, pruritusque ſenſibiles curare. Item cum oleo unctos hydropicos ſanare. Item triti ſalis vis in aqua vel oleo ad viſcoſitatem uſq; in ſole, aut juxta ignem fricatis, Leucophlegmatiam ſeu anaſarcam patientibus prodeſſe. Item humida quadam fomentatione dolores renum mitigare. Item cum origano ac fermento (nec non butyro ut Avicennæ placet) teſtium tumores maturare. Item poti & ſaccis impoſiti candentis ſalis vis eſt, coxarum dolores mitigare, & cum tritione farinæ mellis ac olei podagricos levare: cum tritione autem olei tenuiſſima, fricatione que matutina remiſſis doloribus podagricis, ab iſtiusmodi affectionibus præſervare. Item clavos pedum ac perniones tollere. Item linimento quodam olei fatigatos adjuvare. Item febrium æſtus ac fervores perunctos emendare Plinius inquit. Item ſalis in aqua diſſoluti, quotidieque ſumti vis, à peſtilentia præſervare, ut regni Mellis incolæ faciunt. Salis autem vis eſt, non modo animalium carnes & vegetabilia longius ſervare: verum etiam venas metallorum adjectione quadam experiri & excoquere, facile enim liqueſcit, ideo in liquando facultatem quandam peculiarem habet.

OLEI

OLEI SALIS COMMVNIS VIRES.

UNica quædam gutta, in quo ſolutum eſt aurum, vel à quo aurum potabile factum eſt, omnes ægritudines quæ cogitari nodo poſſunt, etiam morti proximas aut vicinas devincit. Olei ujus ac vitrioli per aquam roris facti gutta una cum aqua vitæ, xiſtentem jam in agone mortis, etiam cum aqua vitæ, ſuſtentavit c reſurgere fecit. Quæcunque præterea cum hoc oleo liniuntur c natura putrida ſunt, ut contingit in vulneribus aliisve dolori- us, erodit, ac in una hora conſumit. Econtra omne ſal putridum ovet ne conſumatur, & acre eſt. Deinde ſal excitat ſitim: oleum ero pellit, cujus rei teſtes ſunt hydropici aliquot, qui ſumto eo ovem, ſæpe decem diebus ſiti caruerunt. Quod ad ſaporem de- ique attinet, non ita acidum eſt oleum, atque ſal, ſed dulcedinem nellis aut ſucci pomorum ſylveſtrium plurimum refert: foris vel xtrinſecus, oleum ſalis cum oleo Terebinthinæ, ceræ, camo- nælinæ, verbaſci & ſimilibus commixtum dolores podagricos gregie ſedat, tophos diſcutit, membra convulſa, ſi eo perfricen- ur, reſtituit, abceſſibus medetur; ramices curat: per os guttatim latur, ſicut etiam illud præcipue, quod purpurei citrinive coloris, er aquam roridam ad ſolvendum aurum morbosque infinitos urandos præbetur. Trium guttarum inſtar, ex aqua vitæ ſingu- is ſeptimanis aſſumptum hominem renovat, & aquam intercu- em conſumit: Morbum comitialem diſcutit, febres abigit; Ar- uatum ſanat. Idem ad ulcera quæ cacoëthe vocantur, & phage- lenas genitalium, nomas & purulentas aures efficax eſt: oculo- um hebetudines, cicatrices, albuginesque tollit.

Sal ſitim excitat eius vero oleum compeſcit.

DE BRODIO SALIS COMMVNIS.

BRodium ſalis valet contra dyſenteriam, detur in enemate. Item contra herpetes & ſerpigines ulcerum, tumores mammarum, ſchiam, ſecundinam. Quando lac in mammis coagulatur, fomen- ando reducit, cuſtoditque lac, ne in mammis coaguletur madefa- ctis linteaminibus calide ſuperpoſitis: qui vermes habet in alvo, bibat ſalis brodium, qui ex ictibus cruoris ſuffuſionem habet, ſpongia in brodio ſalis humectata, per diem aliquoties & calide vel tepide impoſita fomentatione curatur Congelatum: Idem fomentum promovet ad ſanitatem quodlibet. Bibitum & garga- riſatum expellit ſanguiſugas, ſi quis fortuito hauſiſſet, ſed diſtinctis partibus & temporibus lente bibendum eſt. Item pulices in ca- meris & conclavibus exiſtentes ſparſum mortificat. Item fomen- tatum monoculum elabentem intus ſervat, ne amplius elabatur: a vermibus ac tineis conſervat ac tuetur.

Additio.

Quid eſt (obſecro) in hoc ſubjecto, quod non ſit admiratione dignum? Salis præparati conjunctionem cum ſuo agente incombuſtibili, quod non deſiſtit ab actione, niſi in meliorem formam redactum: Item ſalem fuſilem per ſe penetrantem totumque ejus corpus in Leonem viridem, oleumque permanens converſum: Ejuſdem ſpiritum omnia corpora ſolventem: pluraque alia circa idem ſubjectum alio loco referam. Hoc unum addam ℞ corticem Maris & non alterius; depuretur: & in vitrum cum noſtro aceto ponatur per 15. dies in ventre præliantis ſepeliatur: deſtilla oleum, repete tamdiu donec Leo viridis fiat. Iſto arcano podagram radicitus tolles: intus & extra tuto adhibetur. B. à Portu.

Qui habet aures audiat.

Leo viridis.

Hoc eſt totum ſalis in oleum reducere.

DE BRODIO SALIS EX OLIVIS.

Cuicunque gingiva in ore eſt reſoluta brodium ſalſuginis, in qua olivæ ſervantur, ſæpe in ore contentum, ſaucias gingivas collutas rurſum conſtringit. Item porrigines ſæpius ablutas depellit, & impetigines, lichenas, ambuſta, ignem ſacrum extinguit. Contra vermes aurium ficus cum brodio ſalis decocti ac tuſi in modum emplaſtri ſuperpoſiti valent. Contra puſtulas ℞ ſalis brodium, acetum vini miſce & gargariſa, poſtea elue os cum iſto vino, deinde cum melle aut hydromelle, poſtremo cum aqua: pro congelatis ac plantis lava cum brodio ſalis, poſtea coque lentes cum brodio ſalis, miſce invicem cum gruma panis vel micis, ex oleo roſarum quantum ſufficit, ut fiat emplaſtrum imponendum. Qui crudum coriandrum comedit, ovum recens in phiala agitatum bene cum brodio ſalis, calide bibat, hoc venenum aufert. Item minuit dolores à ſuperfluo lacte hoc pacto, decoquantur lentes in brodio ſalis optime, cum quo brodio fomenta mammas, poſtea tunde ac contere lentes, & impone bis in die emplaſtri modo. Item puſtulas ſanat brodium ſalis ex olivis, ablataque gangræna, & colluto ore ſæpius cum eodem brodio putredinem oris curat. Eluto ore ac tumida gingiva excreſcentias carnis abſumit.

DE OXALMA VEL MURIA ACIDA.

Oxalma vel muria acida fit. ℞. ſal, aquam, acetum, ſive brodium ſalis, ac acetum ana, miſce & valet contra viperarum, aranearum, ſerpentum, canum morſus, herpetas, & exedentia vulnera, cum oxalma vel muria acida abluta, ac formentata. Item vulnera cruore manantia obſtruit, exemto ramice, calculo veſicæ, illico infunde oxalma, exeunte monoculo ùtere oxalma. Item contra vulnera putreſcentia: item hirundines per imprudentiam hauſtas

hauſtas & collo defixas oxalma gargariſando mortificat: item porrigines & ulcera capitis abluta curat. Item lichenas, omnesq; malas & fluentes ſcabies curat.

DE SALE ARMONIACO.

SAlis armoniaci brodium hauſtum dyſenteriam ac tormina à frigida natura ſanat fomentandoque purgat, laxat bibitum, cum clyſteribus conſtipat: ſæpius hauſtum, hydropicis & qui frigida pituita ſunt onuſti, non pituitam modo & aquam purgat, ſed etiam conſumit. Ejuſdem aqua bibita & gargarizata ſanguiſugas, vermesque omnivarios è colle & ore educit mortificatos. Eadem gargarizando uvulam elevat, tumidamque eandem attenuat. Eadem mortificat impetigines, panaritium lotione ac attritione curat: ulcera & putredinem oris gargarizando: renum ac veſicæ calculum bibendo, paralyſin ex frigore, Eriſypelas, podagram, ſpaſmum, confortat omnia membra, nervos unde podagra venit: Matricem mundificat, & dolores ex frigiditate ſedat, tumida etiam pudenda ex frigiditate & humiditate, totiusque corporis ac pedum: item capitis dolorem lenit.

ADDITIO.

Sublima ſal armoniacum cum ſale communi ſemel, & bis per ſe: poſt illud armoniacum ita ſublimatum ſi projiciatur ſupra metallum non fuſile, inſtar ceræ facit illud fluere, materiam inquam cum eo ſublimatam. B. à PORTU. *Salis armoniaci ſublimatio.*

DE NITRO ET VIRIBVS EIVS.

PUlvis nitri debitè præparatus cunctis hominibus valdè utilis, in adultis quidem drachma unica cum tantundem ſacchari in vino, aut absque ſaccharo cum mulſa in cereviſia, in ſucco, vel aqua petroſelini aut fragorum cum decoctione prædictarum herbarum, prout haberi poteſt, etiam in aliis quibusdam herbis idoneis pro complexione ac voluntate hominis mane per 10. vel 12. dies continuos, minoribus autem ac debilioribus drachmam ſemis absque dolore, in parvulis infantibus duorum, trium ac quatuor annorum, ſine omni timore decima ſexta pars, hoc eſt, quarta pars drachmæ, calculum ex renibus, omnemque pravam materiam ac humorem internum ex viſcoſis cibis collectum, unde arena plerunque generatur & creſcit, foras expellit. Quod ita dignoſci poteſt: mingentis urina per pannum quendam lineum coletur, arena & calculus ſuper lineum illum pannum jacere videbuntur. Qui dyſuriam per aliquot dies paſſi ſunt, hoc ipſo pulvere quater in die mane incipiendo, poſtea ſingulis tribus horis iterum uti debent, ſi canaliculus alicui præcluſus vel obſtructus eſſet, tunc facta quadam parva cerea candela butyro juncta in ca-

naliculum figatur, ſi modo validus æger fuerit, ut ferre poſſit, eo melius erit, nec à cibo abſtineat, aut balneis, quæ corpus debilitant, opus habet, qui utitur hoc pulvere; nam idem efficit hic pulvis. Obſervandum tamen eſt quomodo in qualibet complexione aut natura uſurpetur. Qui frigidum habet ventriculum, in calido aut tepido vino cum ullis rebus idoneis: quicunque autem calidum vinum nauſeat, calidum ventriculum ac naturam habens, tunc uti dictum eſt in fontana aqua, ſyrupo roſarum, Julepo miſta vel tantum fontana aqua, ſaccharo aut aliis deſtillatis ſuccis, decoctisque ut petroſelyni, prout cuique libet, ſumat. Porrò languore arenæ oneratus, haud quousque infeſtetur doloribus expectare, ſed hoc pulvere ſingulis 14. diebus ſemel in cibis ſucceſſivè uti debet, purgat enim renes nec arenam creſcere ſinit. Hic pulvis in calido ac ſicco loco, non in humido ſervandus eſt, ut in ſuo valore permaneat. Quicunque tempore peſtis magno ardore interno infeſtatur, aut fervida quadam febri, hunc pulverem una cum ſaccharo bonaque fontana aqua, vel cum ſaccharo roſato, Syrupo, Julepo, ac lactuca aliisve deſtillatis aquis ſimilibus, ut petroſelini, vel ſucco ejus commiſtum, bibere debet mane ac veſperi noctuve: tunc melius habet, extinguit omnem internum calorem: ſin autem fervidus quidam tumor, ut carbunculus, Apoſtema, ignis ſacer & eryſipelas in pede cum doloribus adeſſet, tunc coctus iſte pulvis cum aceto, ac ſucco ſempervivæ tepide madefacto panniculo quodam tumori imponatur, reiterando poſt ſiccationem aliquoties. Qui tempore peſtis vel alias calore infeſtatur nimio, is madefactum quoddam linteamen, in dicto pulvere mixtoque cum aceto & ſucco tepido ſemper vivæ ſuper pulſus, ac utrumque latus cordis, colli ac pedum etiam pulſibus imponat, ita ſiſtat etiam fervidos quoſdam tumores. Hoc optimum extinguendi fundamentum eſt. Qui colica paſſione aut torminibus vexantur, ubi etiam arena, & calculus præcipuè adſunt, & dominantur: illi ſumant hujus pulveris, & cumini benè triti ana drachmam unam, ac tres uncias adipis in ſextario cereviſiæ, calefactaque ad ignem tepide mane una vice ebibant, poſt quieſcant 3. aut 4. horas, noctuque ac poſtridie faciant ſimiliter per aliquot dies continuando, quousque melius, nec amplius opus habeant: ſin autem nullam primo die poſſint habere ſedem, tunc ſuppoſitorio quodam de ſapone utantur. Infantes etiam ætate provecti verminantes hunc pulverem cum ſemuncia, uncia, vel ſeſcuncia ſucci vel aquæ abſynthii, pro ætatis ratione, uſurpare debent: Fœminæ menſtruoſæ iſtum pulverem cum 6. 7. vel 8. ſemunciis aquæ vel ſucci arthemiſiæ mane ac veſperi per aliquot dies continuos uſurpantes curantur. Oleum ſalis nitri per os ſumtum alcolam extrahit &

Quid obſervandum in Nitri ſumtione.

hit & gangrænam & putridam carnem gargarizando: purgatque ſtomachum & veſicam. Aqua ſalis nitri colicam paſſionem & tormina ſiſtit: ſtomachum frigidum confortat; Item ſcabiem, ulcera putrida mala, lichena, odontalgiam, putredinem oris gargarizando; Item ſerpentum ac viperarum morſus curat. De his plura in ſequenti libro.

SALIS NIGRI PRÆPARATIO contra pleureſim.

℞. Salis nitri ℔ v. Tartari crudi ℔ j. deſtillentur per ſextum alembicum: doſis eſt ℈ j. uſque ad ℈ j ß. in aqua fontana bona, vel optimo vino propinari debet, mane, ſub meridiem, veſperi, & ſub mediam noctem, ſæpius enim adminiſtrandum eſt, ut purgetur urina. Additio ℞ Hujus ℥ ij. aquæ Regis ℈ v. Alcool vini exiccati ʒ v. fiat mixtura, doſis eſt à ʒ v. ad ʒ j. Ad ulcera cavernoſa ejusdem præparatio. ℞. Nitri aluminis ℔ v. aquæ fontis ℔ ij. deſtillentur in aquam. Additio: ℞. aquæ plantaginis, chelidoniæ, foliorum quercus an. ℔ v. ad pleuritidem datur in vino calido. ℈ j.

SALIS PEREGRINORUM COMPOSITIO, QUÆ ſtomachum confortat, digeſtionem juvat, & à putredine præſervat.

℞. Salis nitri, ſalis fulſi, ſalis gemmæ an. ℥ j. Galangæ maceris cubebarum ana ℈ j. fiat pulvis: doſis eſt, granorum iiij. mane jejuno ſtomacho. Quicunque hoc ſale navigans in mare fuerit uſus, non evomet. *Ne quis in mari evomet.*

SALIS PEREGRINORUM PRÆparatio.

Iſtius ſalis ℥ iij. Alcool vini exciccat. ℔ v. extrahatur ſal Alcali, hujus accipe ℥ ij. liquoris granorum juniperi ciſt. j. reduc in compoſitum: doſis eſt granum unum, in optimo vino, nihil præterea debet addi, alioquin ſalis virtutem amittit. Hæc eſt ejus præparatio in additione, quam Hermes in maximo precio habuit ad vitæ longæ conſervationem.

DE SALE VITRIOLI AC VIribus ejus.

Sal vitrioli ſi ritè ac benè præparatum ſit, optimum medicamentum eſt, ad purgandum omnes qui durum & gravem, aut dolentem ſtomachum habent, & ad curandos chronicos ac lethales morbos, ex abundantia cibi ac potus orientes, ut militibus plerunque accidit, & aliis qui ex inordinata ratione vitæ; unde etiam dyſenteria, febres ac anginæ veniunt, mori quoque tandem *Stomachus vitrioli oleo & lethales morbi ſanantur.*

coguntur. Utere autem hoc ſale bene præparato 6. Comez, hoc eſt, ad guttam ſemis una vice, & ſi non operatur, tunc utere ſecunda vice 6. Comez, ſi nōdum operatur. tunc utere tertio, tunc ſatis eſt. Debilioribus autem ac fortioribus in vino aduſto. Eſt in acetoſitate ſua natura ſpecifica, de qua moriuntur vermes: tantum in natura efficit, quantum alia purgatio facere ſolet, neque helleborus, coloquintis, lathyris neque eſula: habet enim in ſe acetoſitatem quandam ac ſalſedinem cum facultate laxandi, aut duplici laxatione mundificandi, tunc meliorem quæras vel optes in morbis acutis, & periculoſis. Item in caduco & Verminatione in chirurgia valet: lege Paracelſum hac de re. Oleum ejus ad varios morbos valet, qui exiſtimantur incurabiles. Valet contra vermes ex nutrimento ſecundum Paracelſum.

Comez eſt dimidia gutta.
Virtus ſpecifica olei vitrioli eſt in eius acetoſitate.
In morbis acutis & periculoſis.
Contra vermes ex nutrimento ortos.

℞. Alkali de colcotar. ℈ j. agarici, liquoris centaurei, calamenti an. x. grana, olei de myrrha, quantum ſufficit, ut fiat veluti paſta, fiant trochiſci, infanti dantur v. grana, viro autem fermè x. Item contra vermes ex ſpermate. ℞. vitrioli cuperoſi ℔ x. ſalis gemmæ ℔ v. reduc in alembicum repetitione debita hujus olei. ℞. ℥ v. hæmatitis, ʒ j. magnetis grana vij. fiat mixtura: doſis eſt, à granis iiij uſque ad ſeptem. Idem vermes ex ſtomacho ſtatim educit, ſi ſunt in inteſtinis: non ſtatim abeunt, ſi in matrice ſunt, fac peſſarium cum melle & ſale; dimitte intus, tamdiu quo uſque vermes exeant. Oleum vitrioli cor lætificat cum vino bono. Lepram tollit cum aqua fumariæ: purgat apoſtemata, eaque tollit cum Nenupharis aqua. Cancrum curat cum Endivia. Confortat memoriam cum fœniculo vel Acoro: ſomnum dat cum lactuca vel papavere. Paralyſin curat cum hyſſopo, ſpaſmum cum ſalvia, tremorem membrorum cum baſilicone, omnes dolores corporis cum trifolio. Viſum acuit cum fœniculo. Narium ſanguinem ſiſtit cum roſis. Tuſſim pellit cum capillo veneris, tremorem corporis cum baſilicone; ad omnem appetitum valet cum corticibus citri, ad ſtomachi dolorem & correctionem corporis valet cum ſcabioſa, ad morſum venenoſorum animalium cum aqua abſynthij. Hemorrhoides arcet cum tapſo barbaro, ad omnem paſſionem inferiorem valet cum millefolio. Icteritiam ſanat cum ſero caprino & pentaphyllo ſeu quinque folio; Ad ſplenem facit cum tamariſco; Ad vermes puerorum cum Julepo roſarum; contra hydropiſim cum Jua arthetica, fiſtulas ſanat cum roremarino. Ita fac ad cæteros morbos, ut ad apoplexiam, epilepſiam, febres ardentes ac peſtilentes, ſitimque intolerabilem: verum ſtomacho æſtuante prius ſtomachum à bile evacuata liberabis; ſic contra morbos uterinos aliosque innumeros ex humore quodam idoneo applicabis. Guttatim hoc oleum in potione ſumendo & medicamentis etiam purgantibus & corroborantibus

rantibus alternis vicibus, vel illorum actionem, vel operationem promovendi, vel ſaporem tegendi gratia, rectè adminiſtretur, ſi benè paratum fuerit, dulce reddetur, aquam intercutem diſcutit, morbis uterinis adverſatur, Arquatum, comitialem, morbum gallicum, omniaque hinc orta vitia mirabiliter ſanat, humores per alvum educit, ſuperfluos per ſudores expellit, convulſioni ex aqua vitæ ſumtum, morbo attonito, aliiſque cerebri affectibus ſuccurrit, veſicæ ulceratæ opitulatur, cerebri affectibus ſuccurrit, ulcera maligna, cancrum, fiſtulas, herpetes, phagedenas, ſerpigines, impetigines omniaque vitia cutis mirabiliter curat, ut apud Paracelſum invenies. Item podagræ, caduco, puſtulis, hydropiſi, ſyncopi, ſuffocationi & præcipitationi matricis, analepſiæ, catalepſiæ convenit, ſtomacho tamen, ut ſupra dictum eſt, à bile benè prius evacuata, liberato. Oleum vitrioli præterea capitis quosvis dolores ſanat cum aqua ſambuci, bugloſſæ aut meliſſæ, trium guttarum pondere ſumto, linteolo in eodem madefacto ac fronti impoſito. Item contra vertiginem valet, ſi modo continuetur, melancholicis prodeſt cum aqua bugloſſæ aut borraginis, matricem frigidam calefacit aſcenſumq; ejus à materia frigida curat, menſtrua promovet ſuperfluaque ſiſtit.

REGULA.

Qui hebdomadis iiij. continuis in juſculo carnis utitur, præſervat eum ab omnibus ægritudinibus. Oleum hoc reſolvit aurum, hoc reſolutum curat lepram. Qui pravis humoribus afficitur bibat iiij. vel v. guttas cum aqua vitæ, expellit eos, item aperit oppilationes renum ac nervorum. Phlegmaticis dabis iij. aut iiij. guttas in vino mane ac veſperi duabus horis ante cibum. In peſte venenenum depellit à corde, aliquot dies bibitum confert hepati cum venenum educit, poſt ſuſcipit curam; podagricis fluxibus à frigiditate ortis adverſatur; aqua communi mixta illitum: in calido jure ſumtum ſtomachi appetitum reducit. Contra dyſenteriam. ℞ ℥ iij. aquæ, madefac linteolum, ſuperimpone, juvat. Trium guttarum pondus aut iiij. cum aqua pimpinellæ ſingulis diebus jejuno ſtomacho datum ab omnibus ægritudinibus, dum vivit, præſervat, naturalem calorem conſervans, roborans animum, & cor exhilarans omniaque membra. Apoſtemata in corpore curat duarum vel trium guttarum pondere, ſi capiatur in aqua liliorum alborum aliquoties, corpore tamen antea purgato. Qui hoc oleo ſalis cum aqua vitæ utitur, immunis erit à caduco dum vivit: hoc eſt, oleum ſalis in aqua vitæ ſumtum in agone conſervat ægrotum adhuc aliquot dies, ſi contacti ſive convulſi manibus ac pedibus ex eodem inungãtur, attamen fovendo prius ex ſequentibus, ut potu juniperi, ſalviæ, foliis quercus, abſynthij

in aqua coctis, oleo vitrioli ac ſalis ana melius habent, lethargum cum aqua ruthæ agreſtis pellit, purgat corpus cum aqua vitæ, vomitum reſtringit cum aqua aut ſyrupo cydoniorum: ſi æger fuerit humidi temperamenti, detur cum aqua plantaginis vel burſæ paſtoris una cum pauco diarrhodo: cõtra nodoſitatem bibe cum vino malvatico, ſæpè tamen inter balneandum & ſuperpoſita petia, hydropem ſanat cum aqua ſua continuando, membris reſolutis prodeſt, ſi infricetur cum felle bovis: calculos pellit, & obſtructiones aperit, cum aqua raphani & tribuli marini: modicum ejus cum tantilla quantitàte roſarum potum ſermonem amiſſum reſtituit. Dolenti ſtomacho cum bono vino aut malvatico, aut aqua abſynthij convenit: ſed tribus aut quatuor horis nihil edatur, nihilque ante ſomnum bibatur: difficultati etiam urinæ, febribus in peſte cum aqua acetoſæ adjunctis ʒ v. de ſpeciebus diamargariti frigidi, frigidum quendam morbum ſentienti da in vino bono aut aqua ardenti 5. vel 6. guttas jejunè ſummo diluculo; & poſt 4. horas cibum capiat, contra febrim continuandum cum ℥ v. aquæ roſarum diluculo modicum ejusdem cum malvatico per 5. vel 8. dies continuatos ab obſtructionibus liberat, malam ſcabiem curat, ſi bibatur cum aqua fumariæ, & myrobalanis conditis: renovat hominem cum aqua Endiviæ: qui catharro laborat is pennam circumlinitam in oleum mergat, cum qua uvulam tangat, continuo tamen extrahendo inclinato capite patientis: multum aquæ à capite effluet, ultimoque parum ſanguinis, quod ſanitatis eſt ſignum.

OLEUM VITRIOLI PRÆSTANtiſſimum.

Additio.

RUBIFICA vitriolum eumque ebullire fac in vino albo ad ſiccitatem uſque: poſtea tere & pone in retortam & lento igne deſtilla: Primò exibit aqua clara: deinde aliud recipiens pone clauſis benè juncturis, da ignem fortiſſimum quousq; nil amplius deſtillet. Deſtillabitur oleum rubrum ut ſanguis, & tamdiu cum ſuo phlegmate deſtillandum eſt, donec fiant una. Tunc accipe tantundem de optimo ſpiritu vini, ſimul miſce, ſine digeri, & in pellicano circulari, & cum dederit ſignum, ſatis eſt. Hujus circulati accipe ℔ j. cujus odor erit fragrantiſſimus, cui adde camphoræ ʒ ß. unicornu ℈ j. ß. ſpodij ʒ ij. Raſuræ cranij hominis, omnium ſantalorum an. ℥ j. ſucci coralli ℈ ij. viſci quercini granorum & radicum peoniæ an. ℥ j. Moſci & ambræ an. ℈ j. ſine digeri obturato vaſe. De quo liquore da ad omnem ægritudinem, præſertim ad epilepſiam, apoplexiam cum rebus appropriatis. Ad colicam, febrim continuam & alias deſperatas ægritudines. ℞. opij ʒ ij. cinamo-

namo. ℥ ß. ſeminis papaveris utriuſque an. ℥ ß. Mandragoræ ʒ ß. Maſticis ℥ ij. pulveriſentur omnia cum ambra & moſco an. ℈ j. impaſtentur cum ſucco cydoniorum, & quando panis extractus eſt è furno imponatur, & cum ſicca fuerint, ℞. hujus paſtæ ℥ ß. pulveriſa & pone ad ℥ ij. Magiſterij vitrioli, claude vas, da tutiſſimè ad omnes ægritudines corpore expurgato. Summum arcanum eſt in omnibus cerebri morbis, ut epilepſia, apoplexia, vertigine & ſimilibus; ſtomachum languidum & ignavum corroborat; febrium ſitim ſuper omnia extinguit. In morbis cerebri propinare ſoleo plerumque in conſerva aliqua appropriata Betonicæ vel roſarum, ſumatur jejuno ſtomacho. In febribus ſic paro. ℞. aquæ roſarum ℔ j. acetoſæ ℔ ß. ſachari puriſſimi q. v. olei vitrioli ad gratam acetoſitatem, bibat æger quantum voluerit.

AD STOMACHUM, UBI AQUAM ſuſpectam habes.

ADDITIO.

℞. Meliſſæ Mani. ij. coquatur in ℔ vj. aquæ fontanæ donec tinxerit colore aureo, deinde adde florum roſarum rubrarum pugillos ij. florum roris marini pugil. j. cinamomi manibus fracti non contuſi ℥ ß. ſaccari ℥ iiij. vel q. vis, ſaccaro diſſoluto auferatur ab igne, decoctum cooperiatur & ubi refrixerit cola per manicam ter vel quater, poſtremò adde olei vitrioli q. ſatis ad gratam acetoſitatem, ultimò poſt debitam reſidentiam tranſeat per filtrum & potum habebis ſaluberrimum.

AQUA MIRABILIS AD MORBOS EPATIS, lienis, renum, omniumq; obſtructionum.

ADDITIO.

℞. Vitrioli Hungarici ad rubedinem calcinati ℔ iiij. ſilicum fluviatilium optimè calcinatorum ℔ v. tartari ad albedinem calcinati ℔ j. in tenuiſſimum pulverem contuſa marmorique inſperſa collocentur in cellario humido per dies 14. vel plures reſoluta per alembicum deſtilla ter, ſingulis vicibus repulveriſatæ materiæ reaffuſo humore ad extracti modum: poſtea retortæ materiam injice cum ſuo phlegmate & lento igne deſtilla, phlegma primum dulce, poſtea ſpiritum acetoſum aucto gradatim igne per 12. horas colligito: Ex capite mortuo calcinato ſalem extrahe, & cum eo ſpiritum acetoſum circula majoris efficaciæ cauſa. Doſis cochlear unum alternis auroris in vino vel alio convenienti liquore. Tam brevi curat hydropicos, menſes ſuppreſſos omniumque viſcerum obſtructiones, ut meritò inter arcana non ultimum locum mereatur. Multa alia de vitriolo recenſere poſſem, ſed alias Deo concedente plura dicturus, his interea utere.

ADDITIO.

Quo magis ſalia ſolvuntur, filtrantur; purificantur, plus de ſuo fœtore amittunt,& plus virium acquirunt.

DE ANTIMONIO AC VIRIBVS EIVS.

ANtimonium plurimi doctores medicinæ venenum eſſe opinantur: ſi itaque venenum eſt, Diſcorides malè fecit, quod in collyriis adhibuerit,maleque fecerunt Arnoldus de Villa nova, & Nicolaus Myrepſus,quod in caſtoreo pro antidoto contra vertiginem,paralyſim, apoplexiam adhibuerunt; malè quoque Antonius Schneberg in catalogo medicamentorum ſimpl. peſtilentiæ adverſantium docet, tuto in quantitate parva aſſumi poſſe, Chemico more præparatum; malè quoque Mathiolus laudat, & Bononienſes etiam malè agunt, quod videlicet in morbis melancholicis eodem utuntur. Hos viros eſſe prudentes & doctos nec non in medendi arte exercitatos, nihilque temerè uſurpare certum eſt.

Florum antimonii laudes.

Mathiolus ait,peſtilenti veneno adverſari; item febrim tertianam,quartanam,& quotidianam abigere, ſtomachoque laborantibus,nec non cœliacis prodeſſe, nam ſtomachum à vitioſis humoribus purgat. Ergò ſalutiferum medicamentum auctoritate Georgij Galli Schnebergenſis, medicorum Bononienſium, Dioſcoridis,Myrepſi. Ratio eſt,quia venena expellit. Quid præſtantius eſt floribus Antimonij? quid oleo ejus dulcius? quid eſſentia extracta felicius, laudabilius ac utilius? Uſus horum longè præferendus venenatis & crudis illis medicamentis, ſcammonea, eſula,colochintide, thurbit, agarico. Purgatio enim eſt per ſeceſſum purgans hominem, ſuper alia quævis arcana radicitus evellens, auferens quodlibet impurum à corpore humano, idque ab omnibus mundans ægritudinibus. Paracelſus ait, ſi tu medicinam hanc vel potius arcanum reperies, imperito ne cuiquam des, nemo enim vires in ipſo latentes,contra omnes ægritudines enumerare poteſt, ſed præparationes iſtiusmodi Chemicè fiant, neceſſe eſt,quas ipſi doctores ignorant, qui tempore peſtis fugam dantes,ſunt quaſi Levitæ,de quibus in novo teſtamento Chriſtus loquitur,qui me ipſum alioſque bonos viros prætereuntes retro vituperant.Equidẽ in hac provincia & aliis locis multos,de quibus habito conſilio doctores deſperarunt curavi,apoplecticos nempe, cœliacos,peſtilentia infectos,epilepticos & cõtractura quadam incurvatos; itẽ qui per quadrienniũ habuerunt nodoſa genua,*aliaq;* nodoſa membra, etiam ulcerata crura, multaq; alia vitia,*inſuper* vulneratos transfixoſque; item inſanos, & qui ferè per triennium inſanierunt. Doſis autem antimonij hæc eſt, nimirum in principio acceſſionis morbi caduci dentur novem grana, poſt paroxyſ-

Ignaris imperitisq; arcana aperire: hoc eſt,audaciam illis augere.

Antimonii præparati adminiſtratio.

mum vel agitationem grano 8. vel 10. cum induſtria quadam, & à paroxyſmi receſſu poſt horam, ut prius etiam, novem grana, & ſi morbus adhuc redierit, tertio proceſſus hic repetendus eſt. Item febres curat ac diſcutit granis iiij. cum aqua meliſſæ, chelidonii, aut vino generoſiſſimo. Item morbum gallicum omniaque hinc orta vitia mirabiliter ſanat. Ejusdem grana tria çum oleo ſulphuris & oleo ſalis aut calcanthi pota vel potu ſumta aquam intercutem paucos poſt dies curant. Antimonium præterea ſudorem movet, tamque internos quam externos affectus curat, ſanguinem calefacit & mundificat in omnibus venis à ſuperfluitate, nihilque noxium illic in homine relinquit, generat bonum ſanguinem & conſervat humorem naturalem. Potuerunt etiam dari grana quinque cum theriacæ ℥ j. cum vino ad bibendum ut moris eſt. Item apoplexiam aliosque cerebri affectus curat. Alopeciam tollit, appetentiam cibi aut appetitum ſummoperè corrigit, articulis membrisque omnibus ſuccurrit, arenam expellit, aſthmati aliisque thoracis vitiis à craſſis ac pituitoſis humoribus natis adverſatur. Morbo attonito ſubvenit, auditum amiſſum reparat, aurium ſibilo ac dolori ſurditatique medetur. Bilem utramque expellit de toto corpore, calculos frangit, caput ac cerebrum expurgat, comitialibus prodeſt, item cum eſſentia hellebori convulſioni medetur granis v. Cum aqua vitæ ſumtum cor confortat, dolorem dentium ſedat, faciei maculas flatusque ab alto corpore abigit, hemicraniam curat, hydropyſin diſcutit inter dies paucos granis iij. aut iiij. cum theriacæ ℥ ß. hepatis obſtructionibus opitulatur, ictentiam curat, inteſtinorum dolores, eroſiones & juncturas corroborat, lætitiam generat, leproſis ſanitatem reſtituit: maximum enim pro lepra arcanum eſt, & quo nihil ejus oleo præſentius adinveniri poteſt; lienem rectificat, matricis dolorem ſedat, menſes movet, ejusque vigorem conſervat, morphæam curat, nervorum durities lenit, oppilationes aperit. Os benè olens reddit, pectus mundificat ac pulmonem, podagricis auxiliatur, renes calefacit, dolores ſedat, earumque duritiem ſanat, ſpaſmo confert, expellitq; frigidum humorem, ſpiritus flatuoſos ab alto corpore abigit, ſtranguriam diſſolvit, tabidis denique purulenta excreantibus ſuccurrit, thoracem adverſus omnem noxam præſervat, tumores duriores lenit, contra imbecillitatem corporis efficax eſt Diambra ℥ ß. cum granis iij. eſſentificati antimonij ſuſcitandi nativum calorem, recreandique eos qui frigido torquentur. Item extrinſecus, ut cancroſis medetur, cicatricem omnem, elephantiaſim, fiſtulas, herpetem, lupum, ſcabiem omnem, phthiaſin, omniaque cutis vitia mirabiliter ſanat, idem ad ulcera maligna ſummum remedium eſt ulcerumque malignorum ac putridorum carnem à viva ſeparat absque dolore. Item vulnerum dolores

omnes ſedat, vulneribus incurabilibus deſperatiſque ſatis commendari nequit, ad talia enim optimè valet, veſicam ulceratam mire ſanat, ventriculum faſtidientem vel nauſeantem, & qui cibum continere nequit, roborat, frigusq; ac æſtum ejus reſtringit, vertiginem emendat, viſum acuit, vocisque jacturam reſtituit.

PARACELSVS DE VSV ANTIMONII.

Tinctura ejus eſt ut in dolio vini recentis menſe Septembri vel Octobri ad quasdam viginti menſuras ℥ v. hujus tincturæ affundatur, ac una cum vino digeri, & mundificari ſinatur. De hoc vino bibat æger tribus, quatuor, aut pluribus ſeptimanis, aliis omninò potionibus omiſſis, ulcera tamen obiter communioribus muniantur emplaſtris, operatur enim tinctura ſatis intrinſecus ad exteriora perſananda.

Additio.

Decreveram integrum tractatum de Antimonio ſcribere: ſed alia negotia me avocant, breviter tamen aliquas operationes hic adjungam.

℞. Antimonium & tere ipſum & in ollam amplam novam, & in carbonibus benè accenſis pone, & permitte ibi ſtare donec fundatur. Deinde accipe ſalem nitri, tartari crudi an. ℥ iiij. reduc in pulverem & benè commixta & cribrata projice ſupra ℔ dimidiam Antimonij fuſi & benè liquati, paulatim projiciendo & baculo movendo: & cum videris ipſum liquatum inſtar aquæ, projice in magnam quantitatem aquæ cōmunis calidæ, & ibi reſideat per 24. horas, poſtea cola per filtrum & iterum pone aquam calidam, ut tota ſalſedo abeat, & ſic remanebit in fundo antimonium rubicundiſſimum. Tunc ſuperfunde acetum deſtillatum & move, ſine per aliquot dies in putrefactione, filtra, deſtilla ter in balneo reducendo acetum deſuper & in fundo reperies oleum quaſi butyrum dulce, recipe eam eſſentiam Antimonij & pone in quadruplo aceti deſtillati, & loca bociam clauſam in fimum per 40. dies, extrahe & deſtilla per balneum, & Antimonium ſolutum manebit in fundo in olei forma, recedente aceto. Hoc oleum curat cataractas oculorum, lepram, cancrum, caducum, & multa in Chemicis præſtat.

EX VITRO ANTIMONII PARATVR aliud oleum, ſed ſacra ſacris.

Additio.

Fit oleum Antimonij cum ſaccaro candi rubicundiſſimum, ſervatis gradibus ignis, quod poſtea circulatur, circulato majori fit dulce & præſtantiſſimum medicamentum intus & extra applicandum.

REGV-

REGVLVS ANTIMONII.

ADDITIO.

℞. Antimonii,ſalis nitri,tartari crudi an. ad libitum , pulveriſa inſimul,pone in ollam magnam inter carbones, & da ignem lentum circa,ut accendatur ignis intus , cave ab impetu fumi illius, move baculo , & cum benè fuſum fuerit projice in vas,cujus fundum ſit acutum,feces ſupra remanebunt,Regulus verò in fundo, metalli inſtar. Hoc regulo plura ac diverſa tam in medicina quam in Alchemia fiunt. Quod ſi partes duas Reguli & unam Mercurij acceperis,olei vitrioli noſtri duas partes coque donec lilij colorem induat mira pariunt,ſi ex iis ſpiritu vini tincturam extraxeris. Item de Antimonio. Si crudum Antimonium ſupra marmor cum aceto deſtillato trituretur ; deinde cum quantitate aceti deſtillati in vaſe vitreo benè obturato per dies 20. aut plus in fimo equino ponatur digerendum,peracto tempore eximatur,filtretur, per deſtillationem evocetur : quod remanet circula cum optimo ſpiritu vini , habebis tincturam rubicundiſſimmam , cujus vires non exprimo,ſed filiis artis relinquo,

QVINTA ESSENTIA MARCAſita Saturni.

ADDITIO.

HÆc nobiliſſima eſt atq; dulciſſima rerum omnium quæ fuere materia,quæ omnia antecellit ſua natura (aurum potabile excipio) quod à quinta eſſentia noſtri lapidis ſuperatur , quem non immeritò,ſed revera ſuo nomine, lapidem philoſophorum vocamus· ℞. Igitur minerale ſuperius dictum , quod intus ſit acutum,longum atque rutilans , contundatur & cribretur donec fiat pulvis impalpabilis. Hic imbibatur in vino forti optimo per triginta dies,vasque optimè claudatur. Animadvertendum autem ut ad ℔ j. mineralis prædicti duæ vini menſuræ ſumantur. Hæc in ſole ponantur vel in ſimili calore: poſtea deſtillentur, lento primum,fortiori deinde,donec aqua prodiens rubeſcere incipiat. Et tunc aliud recipiens proponatur ; aquam ſervato & ſatis diu in vaſe benè clauſo ſinas ſubſidere : tunc intra novem vel decem dierum ſpacium in fundo vitri aliquid nigri reſidebit , de quo aquam quæ ſupernatabat ſumito,ad cujus ℥ v. accipiatur ℥ j. ß.radicis cardopacii ſive camæleontis minutim inciſæ,quæ ſimul iterum diſtillentur. Altera aqua,quæ etiam rubra eſt , in deſtillatione vehementi opus habet igne,ut operculum candeſcat,tunc ſupra aquam oleum rubrum videbis,quod ab ea ſeparandum eſt , eoque modo fit oleum juniperinum,quod utrumque ſeparatim cuſtodiendum. Atque ſic extrahuntur iſtæ tres aquæ ex Marcaſita Saturni , quæ

in ſe quintam eſſentiam continet. Hæc ut extrahatur iſto modo proceditur: dum ſubſidunt tres iſtæ aquarum ſpecies per 30. dierum ſpacium: in fundo vitri aliquid terreum invenies, ſicut antea factum eſt circa primam aquam, & tum aquæ colentur, claræ à turbidis ſeparentur, puræ retineantur, aliæ rejiciantur, poſtea in primo tantum gradu ignis triginta diebus in cineribus deſtillentur, donec coaguletur materia, & fiat lapit durus, colore ſimilis granato.

Lapis contundatur & in aceto deſtillato ſolvatur, poſtea deſtillentur. Hæc aqua quæ prodit in vitro, ſuper cineres in ſecundo ignis gradu ponatur, tunc invenies lapidem rubrum ſpineto ſimilem, atque hæc eſt eſſentia quinta noſtri antimonij. Hanc uſibus utilem humano generi eſſe hactenus non fuit compertum: Hæc omnes lepras ſanat, omnes fiſtulas, ſcorbutum, omnes denique ejus generis morbos incurabiles, conſumit omnes oculorum pelliculas & nubeculas: ſaporem habet dulcem, & non amarum, nec acrem duritiem aut craſſitudinem, non refert alium quam colorem vini rubri. Hydropicis ſingulare eſt ſolatium, nam citò hydropem conſumit, ſi ægrotus ejus medicinæ ſumat quantitatem unius piſi in aqua violarum, ſanat etiam paralyſim, apoplexiam, morbumque comitialem, ſi ſumatur cum tribus guttis auri potabilis. Hic lapis ne pereat in locis ſiccis aſſervari debet & in ſemine Milij: ſi enim in locis humidis ponatur, intra quatuor menſium ſpacium corrumpitur.

BALSAMUS ANTIMONII.

ADDITIO.

℞. Antimonij in Alcool pulveriſati partem unam, menſtrui Therebinthinati partes quatuor, probe miſce, indantur vitro habenti collum longum, digeranturque in ſecundo ignis gradu tam diu, donec rubrum colorem acquirant, quod brevi fiet: effunde: menſtruum aliud novum infunde, hoc tam diu facias, quousque totum diſſolutum fuerit: per lenem ignem evoca menſtruum: quod remanet inſtar gummi, eſt ad vulnera & ulcera admodum utile. Quod ſi per retortam compellere velis, Balſamum habebis: itidem de vitro facies, experientiæ Chemicorum relinquo. B. à PORTU.

DE OLEO AURIPIGMENTI.

HOc oleum cum melle illitum craſſitiem extenuat, cum Terebinthina exceptum elephantiaſim abigit, ani ulceribus & iis quæ cicatricem ægrè ducunt, prodeſt, purgat, extrahit, ſiccat, ſuppurationes diſcutit, adipe aut oleo commixtum concoquendi emolliendique vim obtinet, cruſtas urendo exiccat, quæ excreſcunt

ſcunt reprimit, pilos evellit, reſina exceptum, Alopecias explet, phthiriaſi medetur, narium oriſque ulceribus, puſtularum eruptioni cum roſaceo conducit, ſordidaque ulcera purgat. Item inveterata, emanantia, quæ cicatricem non admittunt, nec non fungis ſimilia ſanat, impuritatem carnis conſumit. Item graveolentibus narium ulceribus opitulatur, fiſtulis, carbunculis, gangrænis, nervis præciſis, ramicibus humore contractis, carcinomati, & fluxibus ſubvenit: ſive unguentis ſive linimentis & oleis commiſceatur, vel ſi ulcerum labia ter quatervè cum eo circumliniantur. Quod ſi ulcus idipſum fluere incipiat, & crustra quadam obducatur, hoc unguento ex butyro maiali, quod calide ſuper aquam fabarum & decoctum lupinorum ſigillique Salomonis effuſum ſit, reſolvitur; ad ulcera hunc in modum uti licet, oleo auripigmenti, oleo myrrhæ, Therebinthinæ an ℥ ij. ad ulcera quævis, inquam, purganda, & carne implenda miſcetur applicaturque. Sic olei Arſenici, hydrargiri an. ℥ ij. olei ex vitellis ℥ j. terebinthinæ lotæ ℥ ij. lithargyrii ℥ ß. commiſcentur, cancro & fiſtulis, ulceribus narium expedite curandis bis quotidie adhibeatur: vel olei auripigmenti ʒ iij. olei vitellorum ʒ x. Terebinthinæ deſtillatæ ʒ j. miſceantur imponanturque ulceribus. *Vires olei auripigmenti.*

DE OLEO TALCI.

OLeum talci valet ad ulcera putrida ſordidaque curanda, eorumque humores diſcutiendos ac dolores leniendos. Item unge faciem cum oleo, pulchrior erit, delentur enim rugæ, cutis albificatur, ac ſubtilior fieri ſolet. ℞. Talci calcinati recentis partem j. olei camphorini ij. partes, pone ad locum calidum ut digeratur, tunc reſolvitur talcum in pulcrum oleum, quod ad varios caſus valet. Ita verò an bona ſit camphora probatur, pone camphoram ſuper ſimilaceum panem calidum, & ſi fluxerit bona eſt, ſi non, nullius momenti. *Modus faciendi oleum Talci.* *Camphora probatio.*

OLEVM CAMPHORÆ ETIAM *ita fiat.*

℞. Camphoram, pinguedinem gallinarum, aut oleum nucis, deſtilla ſimul.

ADDITIO.

Camphora oleo amygdalarum incorporata omnem calorem renum tollit illita. Camphoram cum ſacaro in calore balnei deſtilla & habebis pulcherrimum oleum in doloribus calidis. Camphora cruda gonorrhæam curat. Camphora duodecies ſublimata per ſe igne leniſſimo ſæpius volvendo vas, tandem vertetur in oleum, quod bubones cum ficu reſolvendo conſumit, & gonorrhæam *Oleum camphora.* *Vſus camphora.*

aorrhæam vetuſtiſſimam curat. Camphora accenſa in mediis undis ardet.

DE OLEO LATERINO.

OLeum laterinum convenit omnibus morbis frigidis, eſt calidum, penetrativũ & reſolutivum; mollit dura, diſcutit tumida; opitulatur iis qui patiuntur epilepſiam, vertiginem, oblivionem, paralyſim, ſpaſmum, dolorem dorſi ac genuum. Item podagræ, vel aliis juncturarum ac nervorum morbis medetur, ſpleni, veſicæ ac renibus; in dolore dentium, ſi inſtilletur in oppoſitam aurem, ſanat.

QVINTA ESSENTIA EX MARGARITIS ſic extrahitur.

ADDITIO.

PUlveriſa margaritas, & in vino albo calido lavabis, deinde in optimo aceto deſtillato in ſole ſolves vitro optimè obturato, ita tamen ut ſingulis tribus diebus renovetur acetum, & effuſum diligenter ſervetur; ſolutis omnibus margaritis conjunge & deſtilla acetum, & iterum novum acetum ſolve ut prius, deſtilla ut ante, & ſemper aliquid de margaritis aſcendet: retine & diligenter cuſtodi, id reiterabis donec nihil de margaritis tibi reſtet amplius.

℞. Poſtea omne deſtillatum, adde ad menſuram unam margaritarum camphoræ optimæ ℥ ß. reducit enim nobilem margaritarum eſſentiam, ut nihil remaneat, ſed tota margaritarum ſubſtantia per alembicum tranſcendat: habet enim miram vim volatilizandi, ut ita dicam, corpus margaritarum: deſtillationem adhuc ſemel repete. ℞. hoc ultimum deſtillatum, pone ad calorem non nimis fortem ſed lentum, permitte exhalare acetum in vitro orificii ſatis ampli ut remaneat vigeſima pars margaritarum: pone in vitro mundo cum alembico, per ſe deſtilla lento igne, priorem aquam exeuntem ſolum recipe: & ubi guttæ flaveſcunt appone aliud recipiens, fortifica ignem, videbis tranſcendere materiam flavam craſſiuſculam, inſtar mellis. Hæc eſt vera margaritarum eſſentia, inſigne decus vitæ.

DE PERLIS AC VIRIBVS EARVNDEM.

ESſentiæ perlarum grana ſex ex humore aliquo ſumantur, ad reſolutionem nervorum & convulſionem: item ad marcorem ſenilem vel ſenectutis: item ad phrenitidem conducunt ſumptis ex humore aliquo vj. granis: corpus ſanum conſervant, læſum vero priſtinæ ſanitati reſtituunt, lac muliebre emendant, augentque naturalium partium vires, item abſceſſibus ulceribuſque

exeden-

redentibus,cancro & hæmorrhoidibus, medentur. Non autem tis eſt perlas, hyacinthos, ac ſapphiros, in aceto reſolvi, qui in imam naturam tranſire,id eſt, redire poſſunt,ideo non uſurpan- e ſunt: de his male ſcribit Ulſtadius.

DE LAPIDE IVDAICO ET VIRIBVS *ejusdem ſalis.*

Al lapidis Judaici in potu difficultati urinæ conducit, & calcu- los in veſica exiſtentes educit.

DE CRYSTALLO AC VIRIBVS EIVS.

OLeum Cryſtallorum ℥ ß. potu aſſumptum remedium ſingu- lare eſt,ad renum & veſicæ calculos atterendos,comminuen- os,expellendosque & urinam promovendam: ſal Cryſtallorum lculum educit,& lac muliebre cum additionibus adauget.

DE OLEO SARDÆ.

OLeum ex ſarda & hæmatite ad ſanguinis profluvium va- let.

DE OLEO SAPPHIRI.

OLeum ſapphiri ad inſaniam,peſtilentiam,carbunculos,& cor- dis palpitationem eſt utile.

DE OLEO GRANATORVM.

OLeum granatorum ad cordis tremorem ſputumque ſangui- nis commodum.

DE CORALLIS ET VI CORALLORVM.

QUinta eſſentia vel tinctura corallorum omnes interiorum affectus radicitus evellit,& corpus cæleſti quadam vi in tem- ratum quendam habitum abſolutamque & exquiſitam com- oderationem reſtituit, nam quemlibet morbum comitialem, l caducum in adultis ac ætate provectioribus, per quinque timanas omnino ſubtrahit: Paracelſus: ℞. Tincturæ coral- um ℥. *ß* dentur ſemper ante paroxyſmum, & antequam mor- s ipſum patientem arripiat,ſi percipi queat acceſſus. Sic etiam ofluvium alvi à quacunque cauſa ortum, tam in pueris quam adultis cohibet, licet morbus ad extremum usque pervenerit. quoque ulcera & ſanguinem mundificat, & quacunque parte nantem quovis modo adhibita coercet. Eadem menſtrua & res quoscunque uterinos caſusque patentes ſiſtens,ad probam uræ temperationem reducit, neque mali quicquam redivivi reliquis corporis partibus unquam eſſe permittit, ſicut ex alio- n medicamentorum fere omnium uſu accidit. Eadem quoque lancholiam,& inſaniam curat: venenis reſiſtit omnibus. Præ- atio talis eſt. ℞. Corallorum tritorum ℥ ij. aquæ liguſtici ℔ j.

ſalis

ſalis gemmæ, vitrioli albi an. ℥ ij. digerantur in ſecundo gradu ignis per menſem. ℞. rubram inde eſſentiam, coagula ac ſequeſtra, ſi corpus non ſatis rubeum eſſet, tunc iterabis uti ſupra poſitum eſt. Doſis ℈ ij. cum aqua roſarum vel prunellæ. Adhæc eadem oculis impoſita dolores eorundem ſedat, defluxiones mirifice compeſcens & puſtulas diſcutiens. Eadem intra corpus ſumta, idem propemodum, ſed non tam efficaciter præſtare ſolet. Decem guttarum inſtar ex liquore aliquo idoneo exhibita mirabilia, tam in viris quam in fœminis, tamq; in junioribus quam adultioribus efficit.

AD PRÆPARATIONEM.

℞. Corollorum ℥ j. olei mirtyllorum ℥ j. olibani ℥ xv. ſalis fuſi ℥ ij. miſce & calcina per quartum gradum reverberationis ad 12. horas vel longius, poſt ablue cum aqua plantaginis. Quinta eſſentia corallorum ita fit. ℞. corallorum ℥ ij. cineris de cumino Romano & phaſeolis ℥ iij. aluminis præparati ad pondus omniū, miſce & digere cum ℔ v. Alcool vini exiccati per 2. aut 3. dies, tunc exicca, & erit crocei coloris omnino. Doſ. a. v.

Nude contuſa coralla tempeſtates arcent: Item urinam & alvum poſt longum tempus reſtringunt, menſesque mulierum, ſine omni præparatione, præparata vero citius operantur, absque ullo periculo, ſumunturque in ovo quodam ſorbili ad ℈ j.

VSVS TINCTVRÆ.

Corallorum adminiſtrationis ejus ℥ ß permiſceatur aquæ cichorii vel chamedrios, aut gamandreæ ℥ x. & hujus mixti quarta pars ℥ j. item ℥ ij. propinetur ægro mane & veſperi, horis quinque ante prandium, aut totidem horis poſt cænam, idque ſex aut ſeptem diebus ſucceſſivis, cibetur patiens levioribus, & potus ejus ſit aqua deſtillata ex fumo terræ, cichorii, vel ſimilium, quibus tamen ſobrie tantum utatur.

ADDITIO.

Solve corallos in aceto radicato, ſtent in digeſtione per menſem, tingetur acetum, effunde & iterum aliud impone donec amplius tingatur, filtra, evapora, lava, exicca & cum ſpiritu vini circula, deinde deſtilla & ſupra marmor colloca, fiet liquor mirabilis & dulcis, da 6. ad 8. guttas in convenienti liquore, age gratias Deo.

GEMMARVM PORRO LIQVORES.

In pretioſis lapidibus 3 conſiderãda ſunt.

Ut adamantis, ſmaragdi, turcoidis, caducum ne redeat arcent, idem quoque efficiunt eorundem olea, ut oleum cryſtallinum ac Berillinum. Sciendum quod in lapidibus tria conſideranda, ſubſtantia, virtus & operatio, habemus ad judicandum per opera-

ꝑerationes ſecretas de virtutibus efficaces & occultas. In qui-
ɔusdam lapidibus ſicuti ſunt operationes naturæ & corporum ſu-
ercæleſtium.

A PLANTIS.

Etiam fit lapis quidam optimæ virtutis & efficaciæ ſecundum virtutem plantæ cujuslibet ac diverſitatem. *Ex plantis fit vegetabilis.*

DE AVRO PHILOSOPHICO AC viribus ejus.

NUnc de auro philoſophico tractabimus. Omnes philoſophi ajunt, aurum noſtrum haud eſt vulgi aut commune, ſed philoſophicum, nam absque periculo omni ac nocumento humanum corpus (Deo Opt. Max. dante & adjuvante) ſanat. Loquor hic non de Chemiſtico, ſed vero ac naturali auro, quod nimirum absque omni corroſivo, vel absque venenoſis, & corroſivis aquis præparatum eſt, cui tantæ virtutes attribui debent: nam elixir eſt vitæ omnemque morbum contagioſum pellit. Sed aurum potabile dicitur, quoties una cum aliis ſpiritibus aut liquoribus in ſubſtantiam quandam potabilem & quæ bibi poteſt, redactum fuerit, ejusque doſis eſt ℈ j. qualibet vice. Oleum auri eſt, cum ex ſola ſua ſubſtantia præter adhibitionem oleum jam factum eſt aureum, ejuſque doſis eſt ut pondus x. granorum non excedat. Quinta eſſentia vero auri dicitur, quoties ab eo tinctura rubea tracta ſeparataque fuerit à ſuo corpore: nam virtus activa quævis in tinctura exiſtit; doſis ℈. Quintæ vero eſſentiæ auri eſt granorum iij. per vices aquæ vitæ bonæ, vel alteri alicui aquæ ſubtiliſſimæ commiſcetur, maneque ſub meridiem ac veſperi ſumitur pro medicinæ exigentia. Quando aurum vel ſulphur auri venit in corpus & à noſtro balſamo apprehenditur, tunc clarificat balſamum ſanguinis à fumo malevolarum ſtellarum. Quod ſi morbus eſſet in aliquo membro principali, ſulphur hoc fermentare oportet forma ſpecifica, alias in membris operandi vim nullam haberet: ſpecifica autem transmutant hoc aurum ab una in aliam formam. Alia eſt enim natura balſami in ſanguine, alia in cerebro, alia in corde, alia in ſplene. Hæc omnia ſcire oportet medicum & obſervare. Quod cum potabile inducatur, accipies de eo magnitudinem piſi & imponas in ovum coctum, demto vitello, ita ut durum ſolvatur, hoc ægroto utiliter propinabis, nam per ſe corroborat: diligenter tamen obſervandum eſt cuilibet, aurum philoſophicum, quam primum vino aut ſimplici aquæ inſtillatum fuerit, argentea quæque vaſa & inſtrumenta deaurare, ſi vero non fuerit juxta veram artem præparatum non inaurare, ſed nigredinem tantum fuſcam obducere. Aurum philoſophorum durum, id eſt, coagulatum duobus aut tribus granis, ſecun-

Virtus activa in tinctura omni eſt.

dum vires humani corporis adhibitum vel applicatum, multa mirabilia efficit, etiam in omnibus ægritudinibus, cum ſcrupulo uno theriacæ melioris exhibitum aut aliis quibuſdam medicamentis, ut ſapiens quisque providebit. Cardanus lib. 5. de ſubtilitatibus rerum ſcribit. Aurum, ait, res eſt ſane arcana perfectiſſima, temperamento æquali, ac mirabili proportione elementalium virium compoſita, cui nullum corpus mixtum æquiparari poteſt: vulnus cum illo factum non inflammatur. Vulgus medicorum magna ſimplicitate aureas catenas; nummos & his ſimilia in liquore extinguit, vel cocturam quandam facere molitur & quidem aqua ſimplici, in turbida quadam potione, in melle, in jure aliquo aut vino ad confortationem ſpirituum ac membrorum principalium: vocatque liquorem illum, in quo extinctum eſt, ficto nomine apobamma. Sed quomodo vires cordis roboraret, cum ſolæ tractantium manuum ſordes collectæ & adhærentes à nummis illis hoc modo auferantur. Plurimi quoque ab unguentariis & vulgaribus medicis perſuaſi aurum lima comminutum deglutiunt, quaſi vero ſtruthionum ſtomachos ferrum digerentes habeant: nonnulli in confectionibus electuariis multisque aliis medicamentis, ut in Diathamaro ſecundum deſcriptionem Nicolai Elect. de gemmis elect. lætitiæ Galeni confectionibus cardiacis, aureisque Alexandrinis tantum nón edere, verum etiam ex aureis vaſis & edere & bibere delectantur. Verum cum incorruptibile quodlibet in ſtomacho hominis mutari non poſſit, ideoque nullam principalibus membris, ut ſupra dictum eſt, virtutem præbere poſſe videtur: ſed aurum philoſophorum & philoſophice præparatum innumerabiles habet virtutes, calidis & frigidis, multisque aliis ac diverſis defectibus ſimiliter medetur, velut eruditus quilibet medicus per ſe & eruditionem ſuam fideliter æſtimabit: inprimis autem epilepſiæ, & contracturis cum præſervando tum curando reſiſtit. Contra caducum. ℞. liquoris auri ℈ j. deturque ante paroxyſmum, una vero hora poſt adhibeantur ℈ v. tribus horis, idque ſexies repetendum eſt ante paroxyſmum ſemper & acceſſionem. Pro contracturis, doſis auri potabilis eſt ℈ j. qualibet vice. Super omnia ſubſtantiam cordis & principium vitæ confortat, habetque vim ut confortandi ſic & exhilarandi cor; granis iiij. vel viij. nam per venas meſaraicas ad hepar, tandem ad cor, indeque per univerſum corpus facilime transferri poteſt: quin & deſiccat ſuperfluitatem omnium aliarum fæcum à ſubſtantia cordis, & ſpiritus ſua claritate illuminat, confortat ſua ſoliditate, temperamento ſuo temperat ſanguinem, præſervat putredini reſiſtens, eundemque purgans & ſuperfluitates ſua gravitate ad partes expulſionum inclinare facit, domat melancholiam & maniam: vires ac ſpiritus exolutos reſarcit. Juventutem

& con-

& conſervare poteſt & virtutes partium in ſuis actionibus, inſenſatos quosque ſanat. Leproſis & qui cum jactura pecuniarum ſuarum inſulſis unctionibus mercurialibus ab imperita curantium plebe funditus ſunt deperditi, confert, ſanguinem enim corruptum purificat, & ab excrementis omnibus humanum corpus ſolis ſudoribus expurgat ipſumque juvenile quodammodo reddit, pravos quoslibet humores per poros expellit.

ADDITIO.

Auri diaphoretici vera deſcriptio. Fac amalgama ex Sole & Mercurio, miſce cum pulvere florum Sulphuris, cujus pondus ſit triplum reſpectu amalgamatis, pone hæc omnia ſimul in ſcutella forti, in parvo calore per horam unam; poſtea accende Sulphur ut totum comburatur, & reperies aurum tuum valde ſpongioſum, quod pulveriſabis diligenter ſuper marmor, & inter terendum aſperges hunc pulverem aqua vitæ optime rectificata, quando bene miſcuiſti, incende ignem in aquam vitæ, ut tota exardeſcat, & ita reperies aurum calcinatum idque ter facias: tere denuo ſuper marmor, & adde parum mellis & ſalis communis præparati, poſtea impone ſcutellæ terreæ, & infunde aquam calidam, & move, & ſine aliquandiu quieſcere, filtra & lava, quousque nihil mellis & ſalis ſit amplius, & erit ſubtilis ut eo ſcribere poſſis Tunc incorporabis cum triplo olei tartari, & exicca & pone in ignem donec rubeſcat, poſtea pone ſuper marmor, & ſol una cum ſale diſſolvetur rubicundiſſimus: ſi una vice non diſſolvatur, oportebit quod non eſt diſſolutum reiterare. Hoc oleum pone in matracium cum optima aqua vitæ, & pone in balneo per octo dies, & per alios octo in cineribus calidis, & tuum oleum reperies rubrum inſtar rubini: poſtea aquam vitæ extrahe per filtrum, ut ſal tartari ſeparetur. Lava ſæpius cum aqua vitæ, eamque incende; oleum quod reſidet ſerva ad uſum. Hujus auri potabilis virtutes tantæ ſunt, ut eas numerare vix poſſim. Primo in calculi maximis doloribus propinando 5. vel 6 guttas cum vino albo, aut aliqua aqua accommodata, confeſtim dolores ſedat: & poſt horam unam calculum diſſolvit & foras ejicit. In peſte dum cor vehementer laborat peſtilens venenum repellit. Contra omnia veneni genera eſt remedium præſtantiſſimum, apoplexiam curat, hominem brevi tempore priſtinæ ſanitati reſtituens: cancro medetur, & omnia ulcera, apoſtemata interna curat, contra omnes morbos deſperatos & à medicis derelictos, modo non ſit prorſus humidum in homine extinctum.

ALIUD.

Solve aurum ſalis ſpiritu, extrahe illum ſpiritum, & aurum remanebit in fundo vaſis inſtar mellis, ſi aliquoties ſupra idipſum

repoſueris; deinde affunde oleum Juniperi, tingetur ſtatim, & attrahet ad ſe auri tincturam rubicundiſſimam; perge: legibus Chemicorum non licet ultra docere: his in laudem Jeſu Chriſti utere & lætare.

Impoſtores nonnulli ſunt qui pro auro potabili receptam ſequentem vendunt: Accipiunt auri limaturam, quam in vas vitreum indunt, & deſuper oleorum camphoræ, Gariophyllorum fœniculi an. olei vitrioli guttatim ℥ ß. ſtatim omnis illa materia vertitur in rubrum colorem, fumum ſatis magnum excitans, ubi tandem nulla fit auri ſolutio, imo tale, quale poſuiſti, idem reperis. Hanc Pragæ pretio 24. ducatorum emi, tibi gratis offero: ſed cave ne cuiquam tale aurum potabile exhibeas: Ratio in promtu eſt:

Caſtrat per nares odore.
Camphora mares.

DE RECVPERANDA IVVENTVTE

Raymundus.

℞. Cælum philoſophorum, id eſt, q. eſſentiam auri. Hoc mirabili potu poteſt ſenex mane ac ſero ad quantitatem ſemunciæ plenæ infra pauciſſimos dies ad tantam incolumitatem pervenire ut manifeſte & ſenſibiliter ſentiat, ſe ad priſtinam juventutem deveniſſe; tamen cautela eſt, in hoc tempore vino moderate uti. Hæc eſt regula quam ſervabis, in detrimento ſenectutis & juventutis recuperatione.

IDEM DE CVRA DESPERATORVM.

HAbeas chelidoniam, cujus flos & fructus eſt in calore auri interius, & quartum elementum per magiſterium extrahe, quia eſt de elemento ignis, & tanquam liquor olei, & affige noſtræ q. e. in quantitate unius grani tritici, & ſtatim reſurget in modicum ſpacium, ſi ſufficiens erit patiens ad ipſam transglutiendam, deinde conforta eum cum adminiſtratione noſtræ q. e. per ſe, & ſcias quod perfecte curabitur, niſi dominus Deus voluerit eum omnino mori. Idem Lullius de cura lepræ, quæ advenit hominibus ex humorum corruptione vel venenorum inficientium natura, quia huic tale remedium & perfectam ſanitatem intendimus procurare, ſi etiam per multum tempus vel modicum proceſſit. ℞. arcanum ſolis & perlarum, & adminiſtra patienti per octo dies dando ſibi mane unam plenam nucem, & ſic plene curabitur. Nam hæc cæleſtis medicina eſt, quæ totam lepram cujusvis humoris peccantis infra modicum tempus curat. Item ℞. aquam factam ex fragis, & affige illam noſtræ q. e. auri & perlarum & applica illi: aqua quippe harum palliat leproſos, ſi bibatur, aut liniantur maculæ; potiſſime autem ſi ipſam miſcuerit aquæ ardenti, ſicque

omnem

omnem lepram cum ſuis ſpeciebus perfectè curabis. Hydropicis prodeſt aurum potabile, cum oleo hellebori & ſulphure.

PARACELSVS DE PODAGRA.

PRincipio purgetur podagricus plena ac perfecta purgatione, & ipſum arcano corallino, id eſt, colore à ſubſtantia ſeparato & abſtracto per ſpiritum vini, quo interveniente eliciuntur fluxus podagræ, adeo ut ne locus porro relinquatur podagræ; in hoc corallino arcano, quæ ex eſſentia auri eſt, tanta vis ac virtus ineſt, ut eam niſi hac purgatione medico deprehendi ſit impoſſibile: fiat autem iſta purgatio ſexies aut ſepties pro vetuſtate ſive duritie ſive natura podagræ: Paracelſus ſolis eſſentia quinta nec non oleo lepram cum omnibus morbis tollit, renovat & reſtaurat, præterea viſum corroborat & clarum perficit, in electuariis aurum potabile, item contra morbum catholicum ſeu Hiſpanicum, cum viij. granis in vino, aut theriacali aqua ʒ j. mane jejuno ſtomacho per 10. dies continuos, ſumatur. Diaphoreticum enim medicamentum eſt, ſudores ſuperfluos & noxios quoſque humores univerſi corporis expurgans, phthiſicis, hecticis, lienoſis, cancroſis & phagedænicis ulceribus, lupoſis ac fiſtuloſis conducit, totumque corpus humanum à putrefactione & corruptione ad diem à Deo optimo deſtinatum uſque præſervat. Quin etiam omnem morbi novitatem, quæ ex unctionibus & ſuffimigiis auri vivi aut Mercurij vulgi, item præcipitati, ſublimati ac cinabrij, aliisque abſurdis imperitorum (lethale pro remedio venenum exhibentium aut porrigentium) medicaminibus evenit, aut emergit, curare poſſet. Auri autem præcipitati doſis eſt, denarij dimidij pro junioribus, & pro adultioribus integri pondo, peſti medetur, cum theriaca, aquam intercutem, elephantiaſim alioſque morbos curatu difficiles abigit, viſcerum obſtructiones reſerat. Qui venenum hauſerunt, iis opitulatur. Idem ulceribus malignis curandis demum intro ſumitur, in morbo gallico. ℞. auri præcipitati denarium unum, & miſce cum electuario de ſucco roſarum ℥ j. Item ſpecierum de gemmis ℈ v. miſce ſimul detur uti moris eſt, bis terve aut quater ſumatur; brevi extirpandam luem pollicetur, tum extrinſecus unguentis ac emplaſtris purgantibus feliciter ad ſordida cavernoſaque, non autem ſerpentia curanda admiſcetur. Adminiſtratio tincturæ ſolis & uſus ſecundum Paracelſum hæc eſt: Tincturæ ℞ ſolis aut auri ʒ j, cum ℥ j. optimæ theriacæ Venetæ permiſceatur, & ejus mixturæ propinetur ægro ℈ j. jejuno ſtomacho ſub aurora: imperetur ſudor & promoveatur ſtragulis in lecto: proceſſus hujus adminiſtrationis repetendus, quoad ulcus ejiciat ſanguinem, aut alium quemvis humorem ſanguinolentum, ut plerunque ſolet fieri, vel duodecimo die,

curetur poſtmodum quocunque unguento voles vulnerario vel ſtiptico.

DE LUNA ET ARGENTO PHILOSOPHICO *ejusque viribus.*

ARgentum philoſophicum eſt diaphoreticum in morbis ex cerebri inflammatione, nervorum convulſione, morbo attonito Coſmopolitico ſeu Hiſpanico, mania vel inſania, & delirio: hepatis, lienis, vel jecoris menſtruorumque vitiis & obſtructionibus obortis ſingulare quoddam remedium eſt, expellit enim pravas humani corporis qualitates per poros absque omni timore, periculo, debilitatione, reſolutione ac imbecillitate virium, confortat membra principalia, ſpiritus vitales, ac totum corpus humanum in priſtinam ſanitatem reponit. Argenti folia ſeu ramenta vulgo adverſus maniam, melancholiam, & ad cerebrum ipſum quoque corroborandum, Electuario de gemmis, lætificantibus Galeni, aureisque Alexandrinis immiſcentur: Spagyri vero ex ipſa Luna oleum eliciunt cujus duæ vel tres guttulæ in aqua florum Bethoniæ, ſalviæ, meliſſæ adverſus morbum caducum, omnesque cerebri affectus, exhibentur: corpus album & Luna fixa remanens reducitur in Mercurium, intra paucos dies, & fit per ſe febrili calore præcipitatum proditque in pulverem, cujus exhibentur gran. viij. contra hydropem.

VERA LUNÆ PRÆPARATIO.

ADDITIO.

CAlcina Lunam quacunque ratione: ſi per aquam fortem lubet calcinare, calx Lunæ diligenter exiccanda in tigillo, igne forti tamen ne fundatur, ſed ſtylo ferreo aſſidue movendo, mox abluatur aqua communi & ſæpius exiccetur. Exiccatæ ſuper infundentur quatuor partes optimi olei tartari, ſupra marmor miſceatur & rurſus exiccetur, teraturque: tandem imponatur furno reverberii in ignem flammæ per 24. horas. Hoc peracto tere denuo totumque colloca in loco humido & ſolvetur in oleum: ut ſepares oleum à tartaro, affunde aquam tepidam, quantum ſatis, & agita ſimul & relinque ſubſidere oleum ad fundum, ſepara aquam à tartaro per filtrum, oleum Lunæ remanebit in fundo, quod ipſum lavabis toties donec aqua non amplius ſapiet tartarum. Pius ille vir, cujus capitulo de auro potabili mentionem fecimus, ſolet pariter ſalem argenti epilepticis dare. Arcanum (ſi vocare licet) magnatibus ducentis ducatis & plus vendere ſolet, ſic parat: Argentum in aqua forti ſolvit, ſolutum in aquam injicit, & argentum inſtar nivis fundum petit: calcem illam lavat, exiccat, deinde in vas vitreum cum duplo limaturæ plumbi indit,

& ſic vas una cum materia ſupra carbones accenſos collocat,donec ſimul fluant: poſtquam refrixerint,ſal album quoddam in ſuperficie apparet dulce, quod ſal argenti falſo vocat. Sed cum argentum in eadem quantitate & qualitate inveniſſem,impoſturam detexi: ille autem ita percitus, ad me inquit: neſcis argentum ſuam formam plumbo communicare? Reſpondi: me talem philoſophum ignorare,&c.de his plura in libro de impoſturis alchemiſtarum.

ADDITIO.

Fac amalgama accipiendo Mercurium & Jovem, deinde contere & miſce cum oleo amygdalarum amararum, poſtea deſtilla; eo oleo ſanabis fiſtulas: & cancrum mortificabis, absque ullo dolore.

DE IOVE AVT STANNO PHILOSOPHICO ejusque viribus.

STannum philoſophicum morphæam, lepram curat,maculas faciei & excreſcentias, oculorum inflammationes ſummosque dolores ſedat, item oculis membrana obductis,per pennam illitu opitulatur, ulcera omnivaria ſine ullo dolore ſanat, eademque cicatrice obducit,ſerpiginem multosque alios morbos curat, uti pro ſua quisque experientia diligentiaque medicus experitur. Doſis trium guttarum. Alvum ſine difficultate movet tumoresque educit,item morbum Gallicum ex eodemque orta vitia,item vulnera curatu difficilia,ulceraque maligna etiam recentia adhuc, intra horas 24. ſanat.

DE VENERE AC ÆRE PHILOSOPHICO ejusq; viribus.

ÆS philoſophicum educit cum aqua mulſa pituitam, excreſcentiam in carne cohibet, fiſtulas cum mellis decoctione curat,lepras cum cera & nitro abigit, morphææ prodeſt,ad gingivarum excreſcentias & callos utile eſt, ſordes mundificat, ſcabiem quamcunque curat,abſumitque carnoſa narium: ſedisque vitia depellit, papularum eruptiones cum vino cohibet, ulcera cum oleo ac cera usq; ad cicatricē perducit, cicatricem offuſamque caliginem oculorum emendat, nomas ſiſtit, cancroſis ac ſerpiginoſis auxiliatur,contra fiſtulas & reliqua ulcera valet,vulnera ab inflammatione tuetur & cuſtodit, exiccat fluxus, uvam tonſillasque farina cum melle admota reprimit,in emplaſtris,ac unguentis, in unguento illo Apoſtolico & Ægyptiaco miſtum,valet ad Chronica putridaque ulcera omnia curanda: verum æs poſtquam cum menſtruo in oleum redigitur habet colorem ſmaragdinum, nec ad prædicta modo ſed etiam ſi butyro miſceatur ad

maligna quævis ulcera curanda valet, ad callos detrahendos, ſi fiſtulæ callo obduratæ immittatur: ad delendas omnis generis carnis excreſcentias, ſine ullo dolore: inſuper furunculum quemlibet in collo veſicæ exiſtentem curat, ſi emplaſtro aliquo permiſtum una cum oleo ceræ, ut decet imponatur.

AD CANCRUM ET CUIUSUIS ORIS ULCERA.

Additio.

℞. Auripigmenti ℥ ij. viridis æris ℥ j. ß. vini albi generoſi ℔ j. diſſolve terendo in mortario, & quod diſſolutum eſt funde in vas fictile vitreatum, bulliat igne carbonum lentiſſimo uſque ad conſumtionem trium partium, ut non remaneat niſi quarta pars vini: tandem remove ab igne, & dum materia adhuc mediocriter calida eſt, ſuperfunde aquæ roſarum & ſolani an. ℥ ij. Virtus iſtius aquæ eſt innumerabilis ad cancrum mammillarum, oris, gingivarum, noli me tangere, Polypum, mundificat quamcunque plagam antiquam ſine ulla moleſtia patientis, in vitiis oris abluitur intingendo penicillum in aqua prædicta. Dabo in ſequentibus tutum & probatum remedium ad cancrum.

DE MARTE AC FERRO PHILOSOPHICO ejusque Viribus.

Ferrum Philoſophicum attonito ex aceto mulſo bibitum eſt contrarium, dyſentericis opitulatur, gingivas firmat ſtabilitque ac roborat, igni ſacro ver Perſico illitum ex aceto reſiſtit, papulas ac eruptiones ſanat, cæliacis, hydropicis, lienoſis, leproſis, cancroſis, lupoſis, fiſtuloſis ac ſerpiginoſis utile eſt, podagras illitum lenit, profluvium feminarum ſiſtit; conceptionem impedit, contra ſcabiem genarum valet, alopecias replet, ſtomacho diſſoluto medetur, cholericis & cholera laborantibus ſubvenit, ſanguinem reſtringit, vulnera conſolidat. Crocus Martis incarnativum quoddam eſt maxime conſolidans, multisque aliis incognitis morbis ſimilibus medetur vel adverſatur.

DE CHALYBE AC VIRIBUS Chalybis.

Chalybs extinctus in aqua potusque lienoſis prodeſt, vinumque ejus cœliacis, dyſentericis, cholericis, ac cholera infeſtatis & ventriculo reſolutis auxiliatur. Sed oleum ejusdem majori cum utilitate ad prædictos effectus adhiberi applicarique poteſt: valet enim ad diarrhæam, lienteriam, dyſenteriam, tum ad hepaticum fluxum, ad ventriculi corroborationem, ad omnesque tam internas quam externas hæmorrhagias, ſi præſertim conſeruis roſarum aut Symphyti commiſceatur; in alvi autem profluvio detur ad

tur ad bibendum ℨ vel v. grana cum olei nucis muſcatæ ℈ v. ex vino rubro: olei Martis unica tantum guttula cum decoctione quadam conveniente exhibetur, aut conſervis quibusdam adſtringentibus ad dictos uſus permiſcetur. Calcina limaturam Martis violento igne cum floribus ſulphuris, donec rubeſcat, totaque ejus terra fœtida evaneſcat, hanc per diem integrum reverberato, tunc prodit in pulverem purpureum ac tenuiſſimum, quo, ut dictum, utere.

ADDITIO.

Si ferrum laminatum ſtratum ſupra ſtratum cum pumice ſtratificaveris & reverberaveris, deinde aceto diſtillato ejus tincturam extraxeris, evaporato aceto, reperies ſalem rubrum, ſi ſæpius cohobaveris, fiet oleum mirabilis virtutis.

DE SATVRNO VEL PLVMBO PHILOphico, ejusq; viribus.

SAturnus aut plumbum philoſophicum ad omnes combuſtiones, igne, aqua, vel oleo prodeſt, hæmorrhoidas ſanat, ulcerum excreſcentias cohibet, ulceribusque cancroſis ac putridis cum per ſeſe tum aliis commixtum adverſatur. Ignem Perſicum ſacrum, ut vocant, ſanat, impetiginoſis conducit, cava quæque implet, ſanguinem ſupprimit. Oleum Saturni vel plumbi, loco humido ſolvitur, & oleo Terebinthinæ permixtum ad quævis maligna ac deplorata vulnera ulceraque brevi temporis ſpatio & inter paucos dies carne implenda curandaque præſtantiſſimum eſt medicamen, & balſamus pretioſus, ad ſiſtendam ophthalmiam cum fluxu oculorum & inflãmatione, dummodo prius quamoptimè dulcoretur. Item membris convulſis reſolutisque inunctum brevi eadem reſtituit, idem tumorem ex calida intemperie natum, ex eodem oleo chamæmelino & olivarum diſcutit, inſuper inflammationes quovis modo ortas & ambuſta quælibet reſtringit, ſi pannus quidam cæruleus eodem imbutus ſuperponatur, ſed colica paſſione laborantibus aliisque inteſtinorum doloribus, grana iij. vel iiij. ex humore aliquo ad bibendum propinantur.

Hæc de mineralium ac metallorum viribus multiplicibus jam ſufficiant, quæ ubi præcedenti ſubtili quadam præparatione in liquorem rediguntur, mirabiles effectus habere deprehenduntur, juxta vulgarium tamen pharmacopolarum ac multorum aliorum imperitorum præparationem fere nullos, quia calor naturalis tam potens àc fortis non eſt, ut poſſit corrumpere & transmutare ſolem, Lunam, aliaque metalla, ut mutata in ſanguinem nutrire corpus humanum, & ſpiritus vitales confortare, aliaque ſibi à natura conceſſa negotia perficere poſſint aut valeant, dum in ſubſtantia ſua duriori maneant. Hoc phyſicis perinde ac medicis omnibus

communiter notum eſt, quod aquæ ſulphureæ, aluminoſæ aut thermæ habeant vim ac facultatem conſolidandi: quanto magis aqua metallorum, de metallis præſertim perfectioribus extracta? omnia ſiquidem perfecta aut non perfecta metalla, dum in ſubſtantia ſua duriori adhuc ſunt, nullam vim aut efficaciam in medicinis oſtendere poſſunt, quamvis de eorundem viribus attributis multi multum hinc inde jactare poſſunt, niſi juxta Ariſtotelem illorum ac communem philoſophorum ſententiam, absque corroſivis tamen & venenoſis aquis in priſtinam vel primam ſuam materiam redigantur, ſic David in Pſalmo ait, eduxit aquam de petra, & oleum de ſaxo duriſſimo, niſi quodlibet vertatur in aquam nullatenus pervenietur ad perfectionem.

ANNOTATIO IN SATVRNVM.

Additio.

℞. Minii ℔ ij. in vas vitreum indatur & acetum deſtillatum ad ſex digitorum eminentiam affundatur: optime clauſum ſupra cineres collocetur, moveatur baculo ſtatim, ne fundo adhæreat, die ſequenti effunde acetum, quod dulce eſſe debet, in aliud vas: novum aliud acetum impone & ut ſuperius feciſti, fac, perge donec totum minium ſolutum fuerit: collectis omnibus acetis, filtro novo filtrare oportet, deinde in fimo equino per 15. dies putrefacias, peracto tempore deſtilla acetum ad tertias, id eſt, ut ex tribus partibus una remaneat, hanc tertiam partem pone in locum frigidum, ut in cellam, & fient cryſtalli, tunc evacuabis acetum & cryſtallos accipe quos ſerva, acetum iterum ad tertias deſtillabis, & expones in locum frigidum, & iterum fient cryſtalli. Hoc repete tam diu, donec habeas omnem materiam illam redactam in cryſtallos. Accipies ℥ ij. illius ſalis cryſtallici, ſerva donec dixero quid tibi ſit agendum: totam illam materiam cryſtallinam accipe, quam in retortam vitream luto optimo munitam ponito, cui recipiens ſatis capax adaptabis, clauſis juncturis deſtillationem provocabis. Primo exibit fumus albus, deinde rubrum oleum: ignem lignis ſiccis auge uſque ad perfectam deſtillationem, ſepara aquam ab oleo in B. M. utrumque ad partem ſerva: oleum tribus vicibus rectificabis, aquam ſeparatim pariter in balneo mundabis. Tanta prudentia atque ſapientia hic ſenex præditus eſt: vix aliquis mortalium numerare poteſt. Ejus ſudore & ſanguine utere in omnibus morbis tam exterius quam interius agens Deo gratias. B. à Portu.

BALSAMVS SATVRNI.

Partem ſuperiorem reſervatam accipe, id eſt unciam illam, contere, & in vas vitreum habens longum collum pone deſuper aquæ

aquæ Terebinthinæ ℥ iiij. tincturam extrahe, ut ex floribus ſulphuris fieri ſolet: tum ſal Saturni in rubrum colorem rubini inſtar ſolvetur, in retortam pone, & ad modum aquæ fortis deſtilla primo lento igne, donec menſtruum totum habueris, recipientem muta ignem auge de hora in horam, donec nihil amplius deſtillabit, & habebis oleum, cujus vires naturalem balſamum ſuperant. Vulneribus, ulceribus, cancro, polypo, Noli me tangere tangendo bombace medetur: item vulneribus cruentis calide applicando. De his plura in noſtro libro Mineralium. B. à PORTU.

DE SANGVINE HVMANO AC Viribus ejus.

EX ſanguine humano fieri poteſt oleum & ſal, poſt hæc lapis rubeus mirabilis efficaciæ ac virtutis: cohibet fluxum ſanguinis multasque infirmitates expellit. ℞. ſanguinem humanum, putrefac in fimo calido, deinde deſtilla, & exibit aqua candida ad modum lactis, poſtea augmenta ignem deſtillabis oleum, tandem fæces in fundo vaſis remanentes rectifica ut albificentur ſicuti nix, & affuſo oleo ejus fiet lapis clarus ac rubeus. Sal humani ſanguinis valet contra morbum articulorum, nec non podagræ, chiragræ ac gonagræ medetur.

Tantum de præſtantioribus & ſumme neceſſariis medicamentis jam ſufficiat quorum omnium rectam præparationem edocuit ars Chemica, quæ ab imperito vulgo damnatur: non enim ex ſolis plantis, ut inepti multi putant, & toti orbi terrarum perſuadent, ſed etiam ex metallis gemmisque ac pretioſis lapillis, Theophraſtica deſumuntur vel extrahuntur remedia, quæ tamen non acria ſunt, nec violenta, ut ignari & rerum imperiti clamitant; ſed dulciſſima, naturæque noſtræ familiariſſima, qualiaque ſpirituum præſtantiam conſervant, vivificant & ab impuritatibus, ſolis plerumque ſudoribus expurgant, tota denique ſubſtantia non parum proficiunt, uti doctorum plurimi quotidie felici cum ſucceſſu experiuntur; ſed hæc iis ſordere mirum non eſt, qui in fæcibus illis & impuritatibus ita ſunt ſubmerſi, ut animus illorum ad altiora & ſubtiliora non poſſit emergere. Præterea ſua pigritia, laborem in medicamentorum præparationibus requiſitum fugiunt. Ego vero iſtiusmodi homines commoneo: vel ut diſcant meliora, vel ut melioribus inſtitutis non invideant, ſaltem ignota non reprehendant: ſin minus, nihil tamen eorum conatus morabimur, quia futurum eſt, ut palmam ipſis fruſtra ringentibus obtineat veritas, & illas tandem tenebras ſuo fulgore diſpellens ſingula cujusmodi ſunt re ipſa patefaciat.

Vbi hunc primum tractatum nactus ſum.

Auctoris hujus tractatus nomen me latet. Quiſquis fuerit, haud dubiè rerum univerſarum peritiſſimus fuit, & utriuſq; medicinæ notitiam inſignem habuit. Cum ego tractatum de ſale nitro doctiſſimo viro, Wenceslao Lavinio, Pragenſi Medico communicarem: is hunc Miſcellaneum tractatum deſcribendum dedit, qui tot erroribus ſcatebat, ut verum ſenſum vix elicere potuerim. Tu humane lector, noſtris lucubrationibus fave & boni conſule. B. à Portu.

PRAEPARATIO NITRI.

Apponitur nitrum ſoli, in ampla patina, vel alio vaſe plumbeo, donec albeſcat, deinde redigitur in pulverem album, & hoc modo præparatum acquirit plus ſubtilitatis, vocari poteſt aphron nitron purificatum.

Vel calcinatur igni vehementi, donec albeſcat, & gummoſitas ita diminuetur valde, & majorem habebit calorem & ſubtilitatem in operando.

Additio.

Liquefac paulatim nitrum in forti tigillo, eo fuſo injice ſenſim ſulphur commune fabarum magnitudine, donec nolit amplius ebibere, effunde in vas aqua plenum, filtra, coagula, rurſus liqua, ſulphur injice, hoc quinquies repete, ultimo ſolve, filtra, coagula, tunc paratum eſt.

OLEVM SALIS NITRI.

Additio.

Funde plumbum purgatum & deſuper ſal nitrum optimum ad libitum projice: & ibi in oleum fundetur: ab igne extrahe, congelabitur & à plumbo ſeparabitur: ſerva in vitreo vaſe. Cum eo uti volueris, ad ignem pone & cito in oleum vertetur, quod fixat perfectiſſime. Hoc oleum rectificatur deſtillando per retortam, nam humiditas tranſit & oleum rectificatum manet.

FIXATIO SALIS NITRI.

Additio.

℞. Salis nitri, limaturæ ferri ana, calcis vivæ ij. partes, tere ſimul & in ollam benè obturatam pone, & in furnum venti colloca, ut ardeat horis quatuor, cum refrixerit, ſuperfunde aquam limpidam, ſtet per noctem, tunc ſal nitrum à calce ſeparabitur, filtra, evapora, congela, exiccatumq; funde, & fluet in oleum fixum.

Ad

Ad omnes cutis defectus & vitia removenda: ut ſunt navi, morphæa, icterus, ſcabies, puſtulæ, tumores, ſerpigines, lepra.

Diſſolvatur nitrum præparatum, in aqua vel lixivio tepido confecto ex vitibus, vel roſis, vel ſalicibus, vel roremarino, vel ſalvia, vel hyſopo, vel lavendula, vel thymo, vel lauro, vel urina infantis pueri deſtillata, vel in aceto deſtillato, vel in ſucco limonum, vel melle purificato maceratur per dies tres, vel etiam in adipe anſerino, vel cygneo, vel oleo amygdalarum applicetur cuti eundo cubitum: mane abluatur locus affectus aqua roſarum, vel fabarum, vel decoctione farinæ hordeaceæ, furfuris triticei, & radicum malvarum.

Ad idem.

℞. Tragacanthæ electæ, quantum vis, macera in aqua roſacea, vel aceto roſaceo, donec reſolvatur, adde pulverem minutiſſimum radicum Ari, ſeu ſerpentariæ ſepties maceratæ in aqua roſacea, & ſiccatæ in ſole, pulverem Ireos, farinam orizæ: tantum harum ſpecierum ſingularum quantum tragacanthæ: poſtea impone tantum nitri, quantum omnes ſuperiores ſpecies conſiſtunt pondere: appone igni moderato, ſemper agitando, donec nitrum liqueſcat, & eo uſque perſeveres donec craſſeſcat tunc adde parum camphuræ, ubi talem conſiſtentiam acquiſierit, ut in pilulas facilè formari poſſit, amove ab igne. Potes autem initio diſſolvere parum moſchi, zibeti, vel ambræ, in aqua roſacea, vel in aceto roſaceo, ſi vis, & cum iturus es cubitum pilulam unam madefacias, aqua vel aceto roſaceo, vel ſucco limonum, teque inungas, mane te laves aqua fabarum ſeu roſarum.

Ad ſerpiginem lotio.

℞. Nitri ℥ iij. ſalis communis ℥ j. aqua lapathij ℥ iiij. aceti ſquillitici ℥ j. diſſolvantur & miſceantur, hoc liquore calefacto intingas linteum, & frices vultum.

Vnguentum removens tumores, calloſitatem, & duritiem cutis.

℞. Nitri, ſalis gemmæ, ſummitatum hyſſopi, pulegii an. partes æquales: contundantur & incorporentur cerato roſato ad ignem temperatum.

Experimentum ad ſcabiem, ſerpiginem, pruritum.

℞. Nitri: ſulphuris, majoranæ, an. ℥ j. pulveriſanda pulveriſentur, majorana contundatur, miſceantur cum oleo roſaceo, & fiat uuguentum.

Lotio

Lotio ſeu linimentum educens & curans variolos, rubedinem & puſtulas corporis.

℞. Nitrum mixtum cum ſucco hyſopi, calthæ & camomillæ, addito oleo amygdalarum amararum.

Contra lepram.

Nitrum temperatum cum vitriolo & ære viridi applicatum lepram removet.

Ad maturanda, mundificanda, & curanda ulcera, carbunculos & fiſtulas.

Nitrum mixtum cum therebinthina applicatum & inunctum.

Potio ad morbum icteritium.

Cochleare unum nitri hauſtum cum vino jejuno ſtomacho icterum curat.

Linimentum ad morphaam.

Diſſolvatur nitrum in vino albo vel aceto deſtillato, vel ſucco limonum, eoque iturus cubitum cutem frices.

Vnguentum dealbans faciem & cutem reddens claram.

℞. ſem. pſillij ʒ j. olei tartari ℥ iij. macerentur in vaſe plumbeo tres dies: poſtea per ſacculum exprimatur mucilago, quæ miſceatur cum oleo roſato, in quo deinde diſſolvatur ʒ j. nitri & ℥ j. ſalis gemmæ, & fiat unguentum.

Vt capilli flaveſcant.

Nitrum temperatum cum lupinis contuſis & aqua calida capillos reddit pulcros, ſi ſæpè laventur.

Ne decidant capilli.

Diſſolvatur nitrum in vino malvatico, eoque locus fricetur, poſtea beta imponatur contuſa.

Ad removendos pediculos, lentes & porriginem capitis

Diſſolvatur nitrum & terra ſamia in oleo ſeminum raphani & applicetur.

Contra nimiam humiditatem cerebri & capitis furfures.

Diſſolvatur nitrum in aceto albo, addatur pulvis olibani, eoque fricetur locus affectus.

Ad albificandos dentes.

Nitrum præparatum mundificat dentes, ſi eo fricentur.

Contra dolorem dentium.

Nitrum coctum cum vino & pipere, dolorem dentium mitigat, ſi teneatur in ore.

Ad

Ad dolorem capitis.

Nitrum mixtum cum ſucco foliorum & baccarum hederæ, & naribus hauſtum & capiti impoſitum acetum roſaceum dolorem ſedat capitis.

Contra dolorem aurium, item ſuppurationem, tinnitum & oppilationem.

Immittatur auribus nitrum mixtum cum ſucco foliorum & baccarum hederæ & cum oleo amygdalarum amararum, cammomillæ, violarum & roſarum tepide.

Ad omnes oculorum defectus.

Nitrum mixtum cum melle roſato vel vino malvatico, vel aqua endiviæ, immiſſum oculis caliginem fugat, maculas & lacrymas removet, viſumque acuit.

Ad profluxum ſanguinis è naribus.

Nitrum mixtum cum ſilphio, vel aſſa fœtida, & admotum naribus ſanguinem ſiſtit.

Ad deformitates unguium.

Diſſolvatur nitrum in malvatico, apponatur cineribus calidis in cortice pomi granati excavati & linteis intinctis, applicetur unguibus deformibus.

Ad anginam, & gutturis defectus.

Coquatur nitrum cum violis, addatur mel violatum, & pix liquida, vel cedria, fiat gargariſmus.

Vel:

Diſſolvatur nitrum in decoctione hyſopi & ficuum, & fiat gargariſmus.

Contra paralyſim linguæ.

Coquatur nitrum cum ſalvia & poſca vel aqua; aceto & ſale, hanc mixturam adde fermento, quod immittatur paſtæ, unde panis futurus eſt, hoc pane veſcatur patiens.

Contra paralyſim & ſtupiditatem nervorum, privationem ſenſuum, convulſionem, diſtortionem, punctionem & ſpaſmum.

Utatur patiens balneo vel fomentationibus cum nitro bullito in aqua & ſale, cui addatur ſalvia, lavendula, roſmarinus, thymus, hyſopus, origanum, pulegium, ſatureia, ſambucus, mentha, marrubium, enula campana, polypodium quercinum, locus affectus ungatur oleo caſtorei vel ſpicæ, vel maſticis.

Lotio pedum ſaluberrima.

℞. Fol. roſar. rubrarũ, camomil. Beton. origani, ſalviæ, rutæ, an. m. j. immitte hæc ſacculo lineo, ligetur ſacculus & bulliat in aqua ſufficienti, adde nitri ℔ ß. parum ſalis groſſi, & parata eſt.

Ad

Ad ſchiaticam & coxendicis infirmitates.

℞. Nitrum cum decoctione ebuli, vel corticis radicum ſambuci, & enulæ campanæ, fiat enema.

Ad raucitatem, tuſsim, aſthma, & alios pulmonis & pectoris defectus.

Nitrum coquatur cum hyſopo & ficubus, decoctioni immiſceatur braſſica, ex eaque bibat patiens.

Vel.

Diſſolvatur nitrum cum poſca ſeu aqua, aceto, in quo meliſſa macerata eſt, bulliat cum ficubus, & uvis paſſis, atque illo liquore utatur aſthmaticus.

Contra oppilationem pulmonis & contra gemitum frequentem.

Bibatur nitrum in ptiſana.

Ad lentos humores ventriculi, ad ventoſitatem, dolores inteſtinorum.

Nitri ʒ j. cum melle roſato comeſta, expurgat feces ventriculi, appetitum cauſat.

Ad ſuffocationem ſtomachi.

Bibatur nitrum cum aſa dulci, vel poſca vel aqua calida aceto & ſale.

Vel.

Paretur lac amygdalinum, cum decoctione nitri, florum camomillæ, violar. Boraginis, bugloſſæ, meliſſæ, menthæ, foliorum roſar. aſæ dulcis.

Ad torturas ſtomachi.

Nitrum & meliſſa epota in vino tepefacto tormina ſtomachi ſedat.

Ad oppilationem hepatis.

Fiat decoctio ex cichorea, endivia, dente leonis, roſis rubris; cui addatur nitrum, item fiat emplaſtrum ex nitro & oleo amygdalar. amararum, oleo roſaceo, aceto roſaceo, in quo chalybs igneus extinctus fuit, applicetur regioni hepatis.

Item præparentur clyſteres ex iiſdem decoctionibus, cum oleo amydalarum amararum, camomill. melle roſato & nitro.

Contra ſplenem obduratum & tumidum.

Diſſolvatur nitrum, fœnu græcum, roſæ rubræ & cappares in oxymelle, & aceto roſato, in quo chalybs candens extinctus fuit, bibatur jejuno ſtomacho.

Ad idem emplaſtrum.

℞. Nitri ℥ v. pulveris fœnu græc. vel lupinorum, aceti roſat. omphacini, olei amygdalar. amarar. ol. camomill. anethi, ſambuci, radic cappar. an. ℥ j. fiat emplaſtrum.

Ad

Ad paſsionem Iliacam.

Sumatur decoctio nitri, florum camomil. caltharum, hyſopi, menthæ, meliſſæ, pulver radicis Ireos, galangæ, aſæ dulcis, ſem. petroſel. feniculi, aniſi, anethi, cumini cum amygdalis dulcibus, fiat lac.

Ad idem.

Fomentetur locus eadem decoctione, ungendo primum partes oleo camomil. anethi & amygdalarum amararum.

Ad colicam paſsionem.

Eadem decoctio ſumenda eſt, & eadem fomentatio, quæ in iliaca paſſione.

Contra hydropem.

Nitrum comeſtum cum ficubus & hyſopo.

Ad idem.

Nitrum contritum cum ficubus & hyſopo, applicatum ventriculo, hydropem curat.

Ad idem.

Diſſolvatur nitrum in decoctione ebuli, & ſambuci, & ireos, fiat Enema.

Ad inflammationem teſticulorum.

Nitrum contuſum cum uvis paſſis, mixtum cum oleo violarum & roſarum tepidè applicatur, in forma cataplaſmatis.

Ad carnoſitates & excreſcentias virgæ.

Nitrum mixtum cum cineribus pampinorum ſeu vitium & aceto chalybeato applicatur externè cum magno effectu.

Ad calculum renum & veſicæ.

Comedatur nitrum cum oxymelle, & raphanis, addito melle roſato.

Ad idem.

Inungantur renes externè cum adipe cuniculorum mixto cum nitro.

Ad idem.

Adhibentur clyſteres ex nitro, caſia fiſtulari, decoctione cuniculi cum camomilla, capillo Veneris, petroſelino, ſaxifragio, addito melle violato, vel roſato, cum axungia caprina.

Ad diſſolvendam molam in matrice, ad ſuffocationem & alia accidentia matricis.

Propinetur nitrum cum ſucco camomillæ, mercurialis, hyſopi, & artemiſiæ.

Ad idem.

Fiat peſſarium ex nitro diſſoluto in ſucco hyſopi, calthæ, camomillæ, artemiſiæ, mercurialis, oleo amygdal. addito galbano, aſa dulci, & ambræ griſeæ parum, vel alipta muſcata.

Ad recuperandas vires debilitatas.

℞. Picis nigræ, ceræ, colophoniæ, an. ℥ iij liquefiant, addantur tartari ℥ j. nitri ℥ j ß Sulphuris vivi ʒ iij pulveris piperis ʒ ij. Benioni ʒ ij. Euphorbij ʒ ß. laudani ℥ j. olei amygdal. amar. olei ciprin. an. ℥ j miſceantur, fiat emplaſtrum.

Ad ſudorem provocandum.

Nitrum hauſtum cum ſucco camomillæ & calthæ in brodio.

Ad retardandum nimium ſudorem.

Diſſolvatur nitrum cum pulvere Ireos in oleo roſato omphacino, addito aceto roſato, inungatur corpus.

Vt agiles reddantur corporis partes.

Inungantur tibiæ vel aliæ partes corporis cum nitro diſſoluto in oleo camomillæ.

Ad divertendum horrores febris ante paroxiſmum.

Diſſolvatur nitrum in oleo oliv vel potius in oleo amygdalar. amarar. vel anethi, vel ſem. raphani, vel urticarum, vel caſtorei, vel ſpicæ, ungatur cervix patientis, ſcapulæ & ſpina dorſi, item tendones manuum & pedum.

Ad laxandum inteſtina.

Potetur nitrum cum pulvere Ireos, in ſucco crudæ braſſicæ.

Item bibatur nitri pulveris cochlear unum in ſero lactis tepido, vel vino albo, vel decoctione uvarum paſſarum.

Ad combuſtionem.

Nitrum aſſatum donec nigreſcat, & in pulverem redactum efficaciter imponitur combuſtionibus.

Contra morſus rabidorum canum & aliarum venenatarum beſtiarum.

Nitrum liquefactum cum Terebinthina addito aceto & adipe anſerino, vel ſuillo, applicatum morſus curat venenoſos, interim tamen acetum coletur per calcem vivam, & miſceatur cum nitro, eoque vulnus ſæpè lavetur.

Pro eo qui comedit Hyoſciamum.

Nitrum diſſolutum aqua tepida bibetur, poſtea pluma vel digito vomitus provocetur.

Pro eo qui comedit mandragoras.

Cieatur ſæpè vomitus cum nitro & aqua calida, & melle, tum bibatur decoctio abſynthij in malvatico cum nitro in eo diſſoluto, ægroti caput aſpergatur aceto & oleo roſaceo, adhibitis rebus graveolentibus, exerceat ſe vehementer patiens, ſudoremque provocet.

Si quis comederit fungos.

Contundatur meliſſa, cum poſca vel aceto, aqua & ſale: in hac mixtura diſſolvatur nitrum, hauriatur tepidè, & inde vomas.

Si quis

Si quis comederit buprestum vel cantharides.

Accipiatur nitrum cum aſa dulci diſſolutum in aqua tepida & melle; ita ut vomas poſtea ſæpè, deinde utaris trochiſcis de alkekengi, cum lacte amygdalino.

Contra ſanguinem taurinum bibitum.

Hauriatur nitrum cum poſca & ſale, cieatur frequens vomitus.

Contra omnes ſtrangulationes, ſuffocationes, obſtructiones in genere.

Nitrum ad hæc omnia præſtantiſſimum remedium eſſe experimento conſtat, ſive ſumatur internè, ſive adhibeatur in fomentationibus, balneis ſeu emplaſtris, dividit, ſubtiliat, laxat, rarificat, ampliat, extenuat, aperit, lubricat, evaporat, expellit, mundificat.

Ad conglutinandum aurum vel argentum, item ad colorandum aurum & argentum.

Agitetur nitrum & alumen plumæ cum urina pueri, in mortario cupreo, cum piſtaceo ejuſdem metalli ad ſolem, vel in cineribus calidis tamdiu, donec ferè deſiccatum fuerit & craſſum, poſtea eximatur & deſiccetur ad ſolem in vaſe plumbeo, redigatur in pulverem.

Ad dealbandum eo linteamenta & telam.

Diſſolvatur nitrum lixivio calido, in eoque macerentur linteamina aliquoties expreſſa aqua, deſiccentur ad ſolem.

Ad purificandum lanam, pannum & filum.

Adhibeatur nitrum, ut ſupra, cum lixivio calido.

Ad præparandum corium.

Nitrum hoc modo ſumtum cum lixivio, & poſtea cum aqua calida corium mundat & tractabile reddit.

Ad lubricandum pelles.

Laventur in aqua calida, cum ſapore nitrino.

Ad equis appetentiam dejectam conciliandam.

Miſce ad ℥ j. nitri pulveriſati in eorum pabulo.

PANACEÆ VEGETABILIS deſcriptio ſequitur.

MInerae majoris vegetabilis q. vis tantiſper calcina, donec papaveris erratici colorem induat, in vino albo quantum ſolvi poteſt, ſolve: exicca, iterum ſuper tepidos cineres ſolve: hoc ſerva quod inſtar olei erit: ſi decem aut duodecim guttas dederis de tertio in tertium diem, purgat leniter, radicitus po-

dagram pellit, modo ægrotum conſortes extracto dulci corallorum: exhibetur in ſyropo vel extracto ivæ aut vino dulci: non ſolum ſpecificum eſt ad articulares morbos, verum etiam ad hydropiſim,

ALIVD II. PRÆSTANTIVS.

℞. Supra dictam materiam ad perfectionem calcinatam, quam ſupra cupellam probabis veluti purum argentum, & cum ſuæ puritatis dederit ſignum, tolle, cum refrixerit; contere, & cum ſpiritu vini tincturam extrahe, leniter deſtilla: Iterum eundem ſpiritum impone, & hoc repete quater, vel donec per retortam ſimul transeant, habebis perfectam eſſentiam, quam circulabis ſpatio 14. dierum in balneo, ſeparabuntur duæ eſſentiæ diverſæ, una flava ſupranatans; altera in imo vaſis rubens: inferior eſt auri argentique verum diſſolvens, aliorumque lapidum: ſuperior autem eſſentia eſt tartareorum ægritudinum verum catharticum: præſertim podagræ. His fruere & vale.

ELIXIR MELLIS.

MEllis optimi ℔ vj. ſume, & in aqua ter deſtillata ſolve, filtra idq; quater, aquam denique evapora, iterum atque iterum diſſolve, tamdiu hoc faciendum eſt, donec ab omnibus ſordibus & fecibus mundatum ſit. Hoc facto ipſum mel pones in pellicanum per menſem, deinde per alembicum ſeparabis leviorem partem in balneo, alteram verò partem deſtillabis in igne cinerum. Terram in fundo reſiduam calcinabis & diſſolves in aqua pura amovendo per filtrum feces, tandem hac ratione omni humiditate privatum calcinetur lento igne per horam. Hoc iterum imbibes paulatim cum priori aqua, & in balneo coagulabis, deinde addes tantundem ſui olei prius in igne cinerum extracti, digerendo & coagulando in ſpiſſum gummi, quod cum addideris reliquum ſui olei, iterum digeres ut prius, compactus & ſpiſſus erit: univerſaliter conſervat & mundificat humanum corpus ab omni imperfectione tam intrinſecè quam extrinſecè.

DE VIRIBVS AVRI POTABILIS, EIVSQVE præparatione.

VAriæ ſunt opiniones de auro potabili: nonnulli id magnifaciunt, alii contemnunt: quare conſultum indicare id quod res eſt. Hoc tamen commodius fiet, ſi primò conſideremus vires & proprietates quas docti & expertes viri in ſuis libris auro tribuunt: ſecundò ſi perpendamus, num illæ proprietates ab auctoribus ipſi auro attributæ, rationibus etiam poſſunt demonſtrari ipſi auro ineſſe.

Quod igitur ad primum attinet, nimirum auctoritates: Avi-

cenna

cenna in ſuo tractatu de auro dicit, quod ſit temperatum natura: & ſi lima comminuatur utiliter miſceri medicamentis cōtra lepram, profluvium capillorū, melancholiam, confortare cor, & impedire tremorem ejus, corroborare oculum ſi in tenuiſſimum pulverem redigatur: & in hoc ferè omnes medici, qui vires medicamentorum ſimplicium deſcribunt, conſentiunt: Longum & tædioſum foret, reiterare omnium auctoritates & opiniones. Si igitur tantas vires attribuerunt limaturæ auri, quid fiet ſi redigatur in formam liquidam & potabilem.

Qui cognoverunt debitam præparationem, ut redigatur in formam liquidam, & eo uſi ſunt in tollendis morbis, affirmant, quod habeat vim purificandi, expurgandi humores ſuperfluos, tollendi fluxus capitis, & cor à malignis & tetris vaporibus liberandi, melancholiam pellendi, præſervandi à lepra, ſpiritus acuendi, & epilepſiam ſanandi.

Arnoldus Villanovanus in tractatu de vino ſeu elixire dicit; quod medeatur urinæ ſuppreſſioni. Archelaus philoſophus ait, aurum eſſe vitæ humanæ theſaurum, ſanantem infirmitates & morbos hominum, ſi de ſuo liquore aliquid ſumatur: præterea addit, ſi vires ejus eſſent cognitæ, fore ut non adhibeatur amplius fides medicis, qui illud negāt, tum quod vereantur ne ipſis lucrum pereat, tum quod ignorent modum præparandi.

Raymundus circa finem praxeos ſui teſtamenti inquit, aquam auri in potu exhibitam debito modo ſanare corpus humanum ab omni infirmitate, quantumvis veteri, & medicum etiam non opus habere, ut urinam inſpiciat, nec alia excrementa, nec pulſum explorare, ſed ut ſuo ſaltem utatur medicamento, levi adhibita diæta, ſeu victus regimine.

Quod ad tantas & tam magnas vires attinet, quæ in auro repeiuntur, Avicenna tractatu de viribus cordis, capite de auro ait, illas eſſe à proprietate: & in eodem tractatu capite de Hiacyntho inquit, illam proprietatem non debere attribui materiæ a qua compoſitum eſt, ſed ſingulari virtuti inde reſultanti, prout in magnete apparet. Ideò philoſophus quidam dicit illam virtutem procedere à tota ſpecie, quam vocamus vulgariter, ſpecificam: alij putant illam virtutem eſſe donum cœleſte influens quodlibet mixtum, ſecundum elementorum majorem aut minorem proportionem debitam.

Avicenna arbitratur hanc vim ſpecificam indi rebus poſt primam elementorum complexionem. Sed quia ignoramus ejusmodi proportiones & quod nobis non eſt datum noſſe ulterius: ideò ad experientiam confugimus, quia experiri in ejusmodi rebus medicis magis prodeſt quam argumentari: etiamſi non negemus inquiſitionem cauſarum ejusmodi virium poſſe ſummo-

operè juvari lumine naturæ. Et ſi conſideramus præſtantem auri compoſitionem & complexionem, ſatis notum eſt multis viribus eſſe dotatum. Nam, ut Rhaſis inquit, in auro ſunt 10. partes calidæ, 10 frigidæ, 10. humidæ, 10. ſiccæ, aut ſi mavis decem cujusque proportiones, & hanc ob cauſam eſt quaſi incorruptibile, quia quantum calor calefacit, tantum frigus refrigerat: idem de ſiccitate & humiditate eſto judicium. Cum igitur ſit temperatum in ſua complexione, habet etiam vim temperandi, quia materia eſt purificata à duabus humiditatibus ſuperfluis, ſcilicet ſulphurea inflammabili, & phlegmatica ſeu aquoſa evaporabili, ut ait Albertus in libro mineralium. Hanc ob cauſam habet magnam vim purgandi humores ſuperfluos & confortandi ſuum ſimile, ſcilicet humidum radicale. Præterea, quia ingreditur omnia metalla eſt fixum, & adverſatur illi, quod non eſt fixum & in fumum abit. Præterea habet proprietatem retundendi vapores aſcendentes à partibus inferioribus: & quia eſt ſubtilis ſubſtantiæ, habet vim expurgandi humores ſuperfluos: cumque ſit incorruptibile, poteſt expellere humores corruptos, lepram, cancrum, & ejusmodi morbos ſimiles: taceo jam podagram, febrim, quartanam, hydropem. Tandem quia eſt lucidum, habet vim repellendi humores & vapores melancholicos, obſcuros, & tenebricoſos, quibus nonnulli ægroti manifeſtè affliguntur, & dum id facit, dat bonum intellectum. Uno verbo dicam, bonitas ſubſtantiæ in auro reperta demonſtrat valorem virtutis, & magnitudo virtutis excellentiam operationis, quod nobis apertè demonſtratur per partes ejus eſſentiales, per materiam ſcilicet & formam. Materia enim nobilis, pura, meretur nobilem, excellentem & divinam formam. Et nobis ſit licitum cum Platone æſtimare, quod ſecundum meritum materiæ dantur formæ. Albertus Magnus lib. 3. mineralium idem probat. Et ut quidam ait, quo plus eſt materia ſublimata & ſubtiliata à natura, eo capacior & dignior eſt ad nobilem & excellentem formam recipiendam. Sed præſtantia materiæ auri in illo ſe patefacit, quod ignis, qui conſumit & devorat omnes res alias, nullum detrimentum ipſi adfert, nec diminuit. Si conſideremus formam divinam, reperiemus effectus incredibiles & fermè divinos. Hæc ſi diligenter examinentur, bono jure aurum comparabimus ſoli cœleſti, qui ut ferè totum univerſum & magnum mundum animat ſuo calore & lumine, ſic ſol terreſtris, quem dicimus eſſe aurum, habet vim vivificandi Microcoſmum, qui eſt homo.

Præparatio ejus talis eſt.

Recipe acetum bonum, quod deſtillabis tamdiu, donec incipiat inſpiſſari, aceti magna copia eſt deſtillanda, ut habeas feces ad ſuffi-

ad ſufficientiam, quas retortæ impones, & extrahes aceti reſiduum, & cum videris oleum egredi, mutabis recipientem, & dabis magnum ignem, quouſque nil amplius exeat. Accipe feces reſiduos in retorta & calcina benè, poſtea novæ retortæ imponito, addito aceto jam deſtillato, reitera deſtillationem, circa finem magnum ignem dabis: calcina iterum feces, & toties deſtilla, quousque acetum ſecum retineat totum ſalem, tunc ſufficiens eſt ad ſolvendum aurum modo ſequenti.

℞. Aurum benè calcinatum, pone in matratio, affunde de tuo aceto, & claude collum diligenter, pone ſupra cineres calidos & diſſolve, quæ diſſolutio fiet paulatim, non ut illa quæ fit in aqua regia, ſed lente, quia eſt diſſolutio philoſophica & magiſtralis. Ubi diſſolvens tuum ſatis extraxit, quod viſu dignoſces, effundes in retortam & deſtillabis diſſolvens, & aurum manebit inſtar gummi aut ſalis, affunde iterum diſſolvens tuum ſupra calcem ad diſſolvendum, & procede ut antea tamdiu, donec habeas tincturam quam ſeorſim ſervabis. Accipe ſtibij noſtri calcinati quantum vis, quod pones in alembico, ſeu alio vaſe vitreo, affunde acetum deſtillatum, quo debilius eo melius, ſupernatet acetum ad altitudinem trium vel quatuor digitorum, maceretur 24. horis, moveatur quinquies vel ſexies in die cum ſpatula lignea, filtretur poſtea acetum, & ſuperinfundatur aliud, ut habeas magis purum, quod poſtea evaporabis ad dimidietatem, refrigeſcat deinde & pars ſalis tui coagulabitur in glaciem, quam auferes cochleari ligneo perforato: poſtea reliquum evaporet, ut totum ſalem habeas, quem paulatim ſiccabis, ita procedes donec habeas ſalis copiam pro libitu. Accipe illum ſalem & pulveriſatum pone in cucurbita ad dimidietatem plena, obtura benè, pone in B. per 50. dies, ut aqua fermè bulliat, & ſal diſſolvetur quaſi totum. Poſtea pone retortam ſupra cineres in vaſe terreo, adjunge recipientem benè lutatum & ſiccum, ne ſpiritus evaneſcant. Ignis ſit ab initio lentus, augeatur poſtea, prout diſſolutio requirit, & aqua vitæ jam inſtar venarum ingredietur recipientem, jam inſtar vaporum, & circa finem oleum veniet rubicundum: tunc augebis ignem infra & ſupra, ut tota retorta incandeſcat per 4. horas, refrigeretur ut ſpiritus quieſcant, nihil movendo per totum diem.

Tunc materiam tuam collocabis in alembicum deſtillabis in balneo Mariæ: aqua vitæ aſcendet primò ſubtiliter, & oleum manebit in fundo.

Accipe aquam vitæ, & pone ſupra ſalem auri, & ſigillo Hermetis munitum pone in balneo tepido per 40. dies, ſi totum gummi non eſt diſſolutum, effunde illud quod eſt diſſolutum rubrum inſtar ſanguinis in aliam retortam, & affunde aliam aquam vitæ,

ſigilletur & ponatur in balneo ut prius, hoc reiteretur, donec totum gummi ſit diſſolutum,& quod diſſolutum eſt ſervetur in balneo: ita enim erit efficacius.

Accipe omnes diſſolutiones, & pone in retorta ſuper cineres, luta recipientem,& da parvum ignem ab initio, & aqua vitæ exibit,& ubi tota aqua exierit oleum egredietur rubrum inſtar ſanguinis,quod innatabit aquæ: tunc augendus ignis, & circa finem tota cucurbita ſit ignita, & ſi nil amplius egreditur, habes diſſolutionem in forma olei natantis ſupra aquam: ſi aliquid ſit quod non exierit,aut aquæ ſupernatet, affunde aquam vitæ & procede modo dicto.

Doſis hujus auri potabilis eſt 4. 5. vel 6. guttarum in cochleari aquæ appropriatæ,aut in ſpiritu Roſarum.

DE VIRIBVS OCCVLTI SPIRITVS.

NOBILISSIMO, SVMMO PHILOSOPHO *atque Mathematico, Domino Petro Winzio Olmuzenſi, celebri Medico, Bernhardus G. Penotus à Portu Aquitanus, S. P. D.*

QUICQUID in ambitu circuli alicujus actu diffuſum comprehenditur, hoc in centro ejusdem circuli ſimul continetur potentia collectum. Et quando hoc quod in centro potentia collectum eſt explicatur in actum, tum hoc quod in ambitu diffuſum eſt actu,occultatur in potentia. Exemplum, Lumen cœli in infinitis & pluribus ſtellis eſt diſperſum, & tamen in uno ſole ſimul & ſemel etiam eſt collectum,& in quo eſt diſperſum in pluribus circulus eſt cœli luminis,in quo autẽ eſt collectum in unum, centrum cœli luminis eſt. Lumen cœli duplex eſt, maſculinum & fœmininum. Maſculinum diſperſum in una dimidietate ſtellarum cœli æſtivalium. Alterum fœmininum diſperſum in altera dimidietate cœli hyemalium. Rurſus autem maſculinum lumen cœli collectum eſt in unum,ſcilicet in ſole: fœmininum autem cœli lumen omne collectum in unum, ſcilicet in Luna: ſicut nunc eſt cum diſperſione & collectione luminis cœli: ſic etiam cum diſperſione, diſtinctione, & collectione rerum omnium aliarum ſimiliter eſt. Sic omnes virtutes animales diſperſæ in infinitis animalibus terræ,collectæ ſunt in unum centrum in uno Leone: Et omnes rationes vel intelligentiæ animales in omnibus animalibus mundi diſperſæ, in uno hominis capite in unum ſunt collectæ.

Pari modo Terra matrix omniumque elementorum receptaculum eſt: in qua rerum abditarum vires omnes actu occultantur,quæ potentia erumpere poſſunt in formas ſpecificas: unde

Rhaſis libro divinitatis inquit: ſcias res naturæ ſubtili artificio ita ſimul colligatas eſſe, quod in qualibet re eſt res quælibet potentia, quamvis actu non videatur. Albertus lib. mineralium dicit, aurum ubique reperiri: quia non eſt res aliqua ſine quatuor elementis elementata, in qua non inveniatur aurum naturaliter, in ultima affinitione: & ideò dicit ubique lapidis materiam reperiri. Item probat, quod maxima virtus mineralis eſt in quolibet homine & maximè in capite inter dentes, ut ſuo tempore inventum eſt aurum in granis minutis & oblongis, quod eſſe non poteſt, niſi in homine eſſet illa virtus mineralis, quæ virtus mineralis eſt in Elixire noſtro.

Porrò terra quædam virgo deliteſcit in centro terræ, quæ ſummo ſtudio inveſtiganda eſt. Quam tu (ô omnium philoſophorum princeps noſtri ſeculi) optime noſti: Noſti terram unam altera meliorem eſſe, ergo eligibiliorem. Eam igitur rerum abditarum inveſtigatores cognoſcere diſcant, qua cognita, à peccato originali per ignem & aquam eſt liberanda. Et rerum opificem, qui tanti theſauri divitias mortalibus patefacere voluit, celebremus, per unigenitum Jeſum Chriſtum. Hæc ſcripſi obſequii noſtri monumentum. Tu verò & ſcripti & auctoris decus, & ornamentum, Vale beatiſſimè. Frankenthalij Kalend. Januarii 1594.

USUS ET DOSIS QUORUNDAM MEDICAMENTORVM SPAGIRICORUM.

LIQVOR PERLARVM.

POTISSIMUM arcanum in Perlis exiſtit contra phthiſim & conſumptionem corporis. Nihil eſt quod humidum radicale magis conſervet quam perlæ. Reſtituunt vires amiſſas, membra principalia confortant. Doſis à ℈ ß. ad ℈ j. in convenienti vehiculo ſive vino, aqua aut conſerva.

LIQVOR MATRIS PERLARVM.

SPecificam vim habet ad matricem confortandam, conceptionem promovet & febribus quoque utilis eſt: ſemper cum convenienti liquore adminiſtrandæ ſunt eſſentiæ: doſis ejus eſt à ℈ ß. ad ℈ j.

LIQVOR CORALLORVM.

REctificat ſanguinem & omnem ſuperfluitatem aut noxam ejus mirabiliter conſumit: mulieribus etiam ſaguinem menſtruum, ſi juſto tempore non fluit, promovet, & in temperantiam

reducit: ſi verò abundet, eundem ſiſtit: ſanguinis ſputum perſanat, dyſenteriam curat, cerebrum confortat, ſpectra & incubos abigit: ejus doſis à ℈ ß. ad ℈ j cum aquis convenientibus.

LIQVOR OCVLORVM CANCRI.

CAlculum mirificè expellit per ſe, vel cum oleo cryſtalli commixto ſumptus in aqua raphani, vel pimpinellæ, aut ejusmodi. Quicquid etiam venenatum in corpore exiſtit, educit: vulneratis tutiſſimum præſervativum à malis accidentibus: doſis à guttis 15. ad 17.

LIQVOR CRYSTALLI.

CAlculo renum & veſicæ medetur, & reſolvit omne Tartarum in quacunque corporis parte adhærens. Hinc podagricis plurimum conducit etiam ab extra inunctum: Syncopi & aliis morbis capitis apprime conducit, & cerebrum confortat: datur à guttis 15. ad 16. in aqua aliqua appropriata aut vino.

OLEVM GRANATORVM.

COnfortat cor; venenis reſiſtit: & Tartarum quoque reſolvit Datur in vino maluatico à ℈ ß. ad guttas 16.

SPIRITVS TARTARI.

PLeuriſi medetur cum aqua theriacali, aut ſi ʒ j. ſpiritus cum ʒ ß. Theriacæ detur, poſt ſex horas repetatur, & ſudores provocentur. Eadem etiam ratione peſtem, carbunculum & Anthracem curat, omnibus putrefactionibus totius corporis reſiſtit & easdem expellit, Tartarum reſolvit. Doſis ejus à ʒ ß. ad ʒ j.

PRÆPARATIO CRYSTALLORVM
cæterorumq; lapidum.

CAlcina cryſtallum: & in tenuiſſimum pulverem ſupra marmor contere: iterum ſulphure & ſale nitro calcina: & per diem & noctem reverbera. In vas vitreum longum collum habens indatur: & acetum Terebinthinatum ſuperimponatur: obturato vaſe, ſupra cineres calidos pernoctetur, ſequente die quod ſolutum eſt effunde, cuſtodi, novum iterum acetum, ut ſupra feciſti, ponatur. Hoc tamdiu repete, donec Cryſtallum habeas ſolutum. Acetum in quo ſolutus eſt Cryſtallus filtra: in balneo evapora, remanebit in fundo ſal Cryſtalli. Accipe, contere, & ſupra marmor inſperge: ſolvetur in liquorem, & ſic de reliquis precioſis lapidibus.

OLEVM BALSAMI ARTIFICIALIS.

COlicis doloribus ex Tartaro reſoluto ortis cito medetur, ſi ejus guttæ 6. aut 7. in vino dulci exhibeantur. Calculoſis mire

prodeſt,

prodeſt, ab extra membris contractis inunctum eadem reſolvit. Mirum enim in modum nervos roborat.

DE VIRIBVS SPIRITVS ſuccini albi.

PRæſentiſſimum remedium & præſervativum eſt iis, qui vel à paralyſi vel epilepſia aut ejusmodi morbis ſibi metuunt: ſi enim alternis diebus aut in ſeptimana bis vel ter aliquæ guttæ hujus ſpiritus in aqua lavandulæ aut lilij convallij vel Betonicæ ſumantur, à prædictis morbis tuto præſervant: à peſtilenti etiam aere & ejus infectione præſervat, ſi ſingulis diebus 2. vel 3. guttæ accipiantur cum vino: & gutta una naribus inungatur: idē præſtat ſi rotulæ ex ſaccaro albiſſimo & pauco ſpiritus ſuccini fiant, & de eis una gutta aut altera ſingulis diebus accipiatur.

In paralyſi mane & ſero exhibentur 4. aut 5. guttæ in aqua lavandulæ, & gutta una ſub lingua cum pennula ponatur. Mire enim loquelam reſtituit & cerebrum confortat. In nucha etiam inunctus utiliſſimus eſt, nervos & membra contracta optimè reſtituit, præſertim in paralyſi, per ſe vel aliis balſamis admixtus. Calculoſis optime conducit, pellit per urinam illam materiam calculoſam, & Tartarum venis adhærens reſolvit, partum facilitat ſi guttæ tres in aqua liliorum alborum tempore neceſſitatis exhibeantur. Idem præſtat ſi cum pauco axungiæ ſerpentis miſceatur & umbilicus mulieris inungatur. Mulieribus ſuffocationem aut ſtrangulationem uteri patientibus præſtantiſſimo remedio eſt: naribus & præcordiis inunctus, & ſi fieri poteſt, per os ſumptus palpitationi cordis & deliquio animi prodeſt, confortat enim ſecreta quadam vi omnia membra principalia.

LAVDANVM OPIATVM.

TUtiſſimum & ſaluberrimum medicamentum eſt ad omnis generis dolores in toto corpore exiſtentes ſedandos & curandos absque omni noxa, reſolutiones enim mineralium, quæ aliquando mira ſymptomata excitant in corpore, & mirifice, & intra paucas horas ſedat & tollit. Catarrho dolorifico medetur. Tuſſim, quæ ex deſtillationibus ad pulmones cauſatur, curat: Lienteriam & diarrhæam etiam ſanat: Colicos dolores ſtatim ſedat. Exhibetur in forma pilulæ parvæ numero iij. gran. aut à granis iij. ad v.

TERRA SIGILLATA.

COntra omnia venena præſtantiſſimum remedium eſt: ſi pondere ʒ j. cum olei Amygdalini recentis ℥ j. exhibeatur, ea ratione peſti & aliis morbis acutis utiliſſimo eſt remedio: poteſt

per ſe

per ſe vel aliis medicinis admixta dari: dyſenteriam & omnes fluxus ventris perſanat cum aqua Tormentillæ pondere ʒ ß. aut ʒ j. pro ratione morbi, data epilepticis quoque utilis eſt. Ab extra omnes venenatos morſus animalium venenatorum curat, ſi cum ſalvia quaſi pulmentum fiat & loco dolenti illinatur: vulnera quoque conglutinat.

AVRVM DIAPHORETICVM.

In morbis acutis.

OMnem materiam venenatam è corpore propellit per ſudorem, quem ſummopere movere ſolet: in morbis acutis, ut in peſte, pleuriſi maximè conducit. Hydropicis anheloſis ſubvenit & ſpiritum facilitat. In febribus poſt purgationem utiliſſime propinatur, præſertim quartanis. Obſtructiones & oppilationes venarum reſerat, & ad plurima corporis mala ejus uſus eſſe poterit: doſis à ʒ ß. uſque ad ʒ j. pro ratione morbi & perſonarum, cum convenienti liquore.

SPIRITVS VITRIOLI VENERIS.

In epilepſia. paralyſi, ſpaſmo, Lethargo. Matricis ſuffocationibus.

SUmmum arcanum eſt in epilepſia: item in paralyſi, ſpasmo, lethargo & ſimilibus morbis: Suffocationibus matricis medetur, oppilationes aperit, reſtringit calores præternaturales in aquis appropriatis datus: doſis ejus eſt à guttis 8. ad 12. uſque ventriculum quoque roborat & febres in eo conſumit: capitisque doloribus utiliſſimus eſt: in morbo epileptico ante & *poſt* paroxyſmum datur cum aqua pæoniæ aut florum Tiliæ.

OLEVM VITRIOLI VENERIS.

Ventriculum roborat, Tartaream materiam conſumendo.

NIhil eſt quod magis ventriculum quam hoc oleum roboret. Omnem enim in eo ſuperfluitatem, & Tartaream materiam conſumit, & educit: febres fere omnes citiſſime curat, ſi ante paroxiſmum guttæ 5. vel 7. exhibeantur in aqua Abſynthii, aut quod melius eſt, cum ℈ ß. ſalis abſynthii, appetitum amiſſum per ſe cum pauco aquæ menthæ vel cum conſerva Anthos ſumptum reſtituit & famem inducit. Eſt enim hoc oleum verum acetoſum eſurinum, quod nullum Tartarum, ſi frequentius uſurpetur, in corpore adhærere ſinit. Calculum renum educit, podagricis perutile eſt. Calores hepatis potenter reſtringit, ſi cum aqua acetoſæ aut cichorij bibatur. In prunella & aliis affectibus oris & putrefactionibus dentium, fiat ex eo & aqua prunellæ gargariſmus, ſicut ad ℔ j. aquæ ʒ ß. olei vitrioli Veneris addatur & eo ſæpius os colluatur: doſis ejus à guttis tribus ad quinque in vino vel aqua deſtillata.

DE VITRIOLO ALBO VOMITORIO.

Vomitorium.

DIſſolve vitriolum album in aqua pluviæ, filtra, evapora uſque ad corticem ſive pelliculam, relinque in frigido per dies quatuor,

tuor, fient cryſtalli, exime, iterum evapora, fac ut prius: lapillos in parvo calore exicca, & fient ut calx; hoc ter reitererando, coagulando, diſſolvendo, denuo fac cum aqua roſarum ter & eſt præparatum: doſis ℈ j. ß. Hanc doſim accipe, diſſolve in aqua Betonicæ, ſaccari candi, filtra omnia & tepide bibe, evomes ſine dolore: cerebrum purgat, epilepſiæ medetur, poſtratum appetitum conciliat.

Epilepſiæ medetur. *Poſtratum appetitum conciliat.*

COLCOTAR.

Colcotar eſt vitriolum ad rubedinem calcinatum: ſi urina ſani hominis inſpergatur & exiccetur, iterum inſpergetur, & hoc ter deſtilla ut fieri ſolet oleum ejus; ſepara phlegma, quo omnes inflammationes curantur: eſt in doloribus podagricis præſidium præſens: corallos & margaritas ſolvit. Multa dicenda adhuc, quæ brevitatis cauſa omittimus.

Contra podagram & inflammationes.

DE MERCVRIO ET REGVLO.

Mercurij ſublimati partes ij. Reguli partem unam deſtilla, ut artis eſt: prima aqua Scrophulas ſanat: ſecunda, quæ inſtar lactis emanat, carcimonata, peſtem, luem veneream: reliquas febres: doſis à gr. j. ad iiij in aqua ſolani & plantaginis an. ℥. j. Rectificando ter mira facit: quod experientia comprobabis.

Scrophulæ, Carcinomata, peſtis.

LIQVOR MERCVRII DIAPHORETICVS.

Maximus ejus uſus eſt in morbo Hiſpanico profligando: & Hydropicis perutilis: egregie ſudores movet: doſis ejus à guttis 10. ad 15. in vino dulci.

Morbo Hiſpanico, hydropicis perutilis.

MERCVRII LIQVOR ITA FIT.

Purgetur Mercurius ſale ſiccato & ſublimetur cum vitriolo, ſale communi & ſale petræ, ut artis eſt: poſtea aceto deſtillato ſolvetur, deſtilletur acetum, materia ſiccetur, poſt ſpiritu vini correcto digeratur, donec in mucoſam pinguedinē transeat. Hinc liquor extrahitur & in arena fortiſſimo igne urgetur quoad humor lactis inſtar exſtillet: hoc iterum affunditur & oleum albiſſimum ac ſuaviſſimum omnis erodentis facultatis exors provenit: per os aſſumptum veſicæ, faucium aliarumque partium abditarum exulcerationem perſanat, & renum morbos per ſudores urinamque diſcutit.

Veſicæ, fauciū, renum exulcerationem perſanat.

SAMECH.

Medicamentum eſt ad perſananda vulnera breviſſimo tempore, ejus mentionem facit Theon Archidoxis de extrinſecis, &c.

Samech eſt ſal tartari.

OLEVM

OLEVM LIGNI PINI.

VEnenis reſiſtit & maxime ſudores promovet, febres pellit & omnibus morbis frigidis utile eſt, ſi guttæ 5. vel 7. in vino vel aliqua aqua deſtillata bibantur.

BALSAMVS HYPERICI.

ESt deſcriptionis Paracelſi in Magna Chirurgia. Feliciſſime ſanat vulnera: diſcutit tumores & ſanguinem concretum ex caſu, &c.

BALSAMVS SVLPHVRIS *compoſitus.*

DOſis eſt ʒ ß. vel quantum in prima parte cultelli contineri poteſt, præſervativum à peſte tutiſſimum.

BALSAMVS SVLPHVRIS *ſimplex.*

DAtur ℈ j. pondere cum ʒ ß. theriacæ, in peſte & pleuriſi. Tuſſim curat, &c.

MODVS COMPONENDI BALSAMVM *ſulphuris.*

℞. Olei terebinthinæ ʒ iiij. florum ſulphuris ℥ ij. flores ſenſim imponantur, ut eo melius ſolvi poſſint, vitrum ſit ſupra cineres calidos, moveantur ſæpius. Hoc totum ſinito in arena calida, ut fiat picis inſtar, quod octo vel decem horarum ſpacio fiet: ignis lentus ſit. Tandē huic materiæ ſuperaffundatur ſpiritus vini optimi ad eminentiam trium digitorum, & relinquatur ſupra ignem lentum, & vini ſpiritus fit rubeus, quem effunde in aliud vitrum: novumque ſpiritum affunde fæcibus: & rurſus tinctus erit: quem etiam ſenſim ſepara & utrumque ſpiritum ſimul junge: Spiritum vini tinctum impone in cucurbitam & appoſito alembico extrahe partem illius ſpiritus, & tinctura ſulphuris manebit in fundo, quem ad uſum ſerva; datur ſuſpirioſis & à tuſſi vexatis propter pulmonum affectum in aqua hyſſopi vel ſyrupo liquiritiæ. Hic eſt balſamus ſulphuris ſimplex.

BALSAMVS SVLPHVRIS *compoſitus.*

FLorum ſulphuris ter ſublimatorum ℥ ij. camphoræ ℥ j. olei terebinthinæ ℥ iiij. flores & camphoram tritura & cribra per ſetaceum, pone in cucurbitam ſtricti oris, ſuperfunde tuum oleum omnibus bene obturatis, collocetur vas in arena, da ignem lentum per duas horas, ut arena caleſcat, poſtea augeatur ignis, vel bullire incipiat in vitro: ſic ſulphur vertetur in oleum.

Hic eſt balſamus admirandus ulceribus & vulneribus medendis: item intrinſecus in febribus, in peſte, in colica, contra vermes, tumores

tumores diſcutit & remollit: ut graduetur, ponatur in loco calido & tepido per ſex dies: ad digeſtionem datur vel in vino, vel ſyrupo, vel decoctis convenientibus pro libitu.

SECRETUM IN PESTE.

BAlſami ſupradicti ℥ ij. theriacæ optimæ ʒ ij. croci ℈ ß. miſce, digeratur 15. dies. Hoc unge metacarpion, arterias temporum & ſpinam dorſi. Datur etiam intra corpus ʒ j. in liquore diaphoretico, pellit venena omneſque ictus beſtiarum venenatarum.

LIQUOR SULPHURIS.

SUlphuris flavi libram ſublima, & aquam quæ egreditur ſerva: prædictorum florum accipe: Aloës, Olibani, Myrrhæ, croci tantum quantum de floribus: aquam ſerva, ſi copiam tenes, ſupra micam panis recentis rectifica, hic liquor eſt balſamus pulmonum: quem hoc modo adminiſtrabis.

Betonicæ, liquirizæ, pulmonariæ, Imperatoriæ, polipodij ana, fiat decoctio: hujus potionis mane & veſperi calefactæ, patienti propina zyphum, cui 20. guttas ſupradicti balſami impones, mirabilem videbis effectum, interea patiens purgandus eſt magiſterio tartari vomitivo. Liquor iſte ſudores provocat, peſtem pellit, omnemque hepatis inflammationem & ejus obſtructiones aperit.

OLEUM MARTIS.

ADſtrictivum eſt, ideò morbis diſſolutis, & dyſenteriæ, lienteriæ medetur, guttæ novem vel 12. in aqua radicis Tormentillæ exhibentur. Hydropicos poſt evacuationem aquoſitatis magnopere juvat. Catarrhos quoque ſubtiles, qui interdum pulmones lædunt, ſiſtit.

OLEUM ANTIMONII.

PUrgans eſt medicamentum: per inferiora enim & ſuperiora, quicquid peccantis humoris in corpore eſt, educit: hinc febres, præſertim quartanas, feliciter curat: aquam hydropicorum, in magna copia per ſeceſſum & vomitum educit: ſed in tenuioribus & debilioribus corporibus propter violentiam ejus non dandum. Doſis ejus à guttis 6.8. ad novem in vino. De his plura, capite de Antimonij præparat, ſupra.

PILULÆ CATHOLICÆ.

VAlent ad omnes humores evacuandos. Doſis ejus ad grana 12. ad 20. horis ſex ante cibum. Compoſitionem quære in meo libro ſupra experimenta Paracelſi.

OLEUM PIPERIS NIGRI.

PRæcipuum alexipharmacum eſt, quo utor ad tertianam exquiſitam poſt purgationem, primo adveniente paroxyſmo ſecundo

cundo & tertio;& frigore recedente, & etiam caleſcentibus à guttis 5. ad 9. in ſyrupo cydoniorum vel malorum punicorum, multos curavi unica tantum exhibitione: ſtomachicis prodeſt in aqua vel ſyrupo menthæ,qui cibum nauſeant vel male retinent,ſed præcedat levis vomitus.

Virginibus pallidis & decoloratis quem contrahunt plerunque ex mala concoctione, & refrigerato ſtomacho,poſt vomitum hauſtum, doſis eſt guttæ ſex ad ſeptem una vice in ſyrupo cydoniorum vel aquæ ulmariæ, poſt vomitum ex Antimonio unice confert.

OLEVM CINAMOMI.

STomachum, cerebrum, cor ipſum & omnia membra principalia confortat: vomitum ab Antimonio, ſi nimius eſt, ſtatim ſiſtit, ſi in propria ſumatur aqua. Quantitas olei ſit guttæ quatuor,aquæ vero cochleatia duo,ſi vinum hippocraticum momento deſideras, vino alicui generoſo ſaccaro prius dulcificato aliquot guttas hujus olei addas, & nonnullas olei nucis muſcatæ, & gariophyllorum: & ſi libet aliquantulum aquæ roſarum, ſuaviſſimum efficies vinum. Sumitur hoc oleum in rotulis ex ſaccaro manus Chriſti dictis, ita ut ſingulis rotulis ſingulæ guttæ inſtillantur.

OLEVM NVCIS MVSCATÆ.

MEmoriam juvat, flatus diſſipat, ſtomachum refrigeratum emendat, ſi eo inungatur. Doſis à guttis iiij. ad vj. cum juſculo.

OLEVM GARIOPHYLLORVM.

CAlidum eſt,ſtomachum, epar, cor exhilarat: fluxum ventris ex cauſa frigida ſiſtit, melancholicos humores diſſipat, vertigini medetur,pariterque ſuffocationi matricis. Doſis eſt à guttis quatuor ad vj. matutino in juſculo,vel cum uno cochleari vini. Vires balſami habet ſi vulneribus adhibeatur: nam ſine dolore conglutinat, & ulcera putrida mundificat, & ſic cum camphora illitum dolores ulcerum ſedat: dentium quoque doloribus medetur.

OLEVM ANISI.

PRæſtantiſſimum remedium eſt ad pulmones, tuſſim, obſtructiones, flatus omnes diſſipat, catarrhum ſiſtit, & cerebrum confortat,ſi dentur guttæ 5. ad 7. in vino vel ſyrupo cydoniorum vel aqua appropriata: fiunt etiam rotulæ, quibus guttulæ aliquot imponuntur.

OLEVM CIMINI.

VAlde utile eſt ad omnem duritiem, nam remollit & dolores compeſcit, urinam retentam provocat, ſi tres aut quinque guttæ exhibeantur cum vino albo & aqua filicis.

OLEVM IVNIPERI.

AD eadem valet atque terebinthinæ, egregie corpus à putredine præſervat ſecundum balſamicam quam habet naturam: renes purgat, & calculum expellit per urinam, ſudores promovet: calcinati auri tincturam extrahit: ſumitur à vj. ad octo guttas in ſyrupo vel juſculo appropriato.

OLEVM TEREBINTHINÆ.

EAſdem facultates habet atque oleum juniperi. Quod ſi deſtilletur cum aqua ter vel plus, clarum erit inſtar aquæ vitæ, tunc ad omnes tincturas, tam herbarum quam aliarum rerum aptum eliciendas, ſumme penetrativum, lapidem renum cum aqua petroſelini comminuit.

OLEVM LAPPÆ MAIORIS

OPtimum remedium in calculo renum. Doſis à guttis 8. ad 12. in vino albo vel aqua capillorum Veneris.

Secretum pro lapide renum.

COrticis radicis fraxini ℔ ij. ſeminis juniperi ℔ iij. Terebinthinæ claræ ℔ ij. ß. conterenda terantur & cum Terebinthina miſceantur: & in duodecim libris aquæ in vaſe bene obturato ad putrefaciendum ſimul ponantur, per tres menſes: peracto tempore deſtilla more aliorum oleorum: exſtillabit oleum præſtantiſſimum: quale ſimile pro tali re non reperitur: doſis 8. ad 12. guttas, comminuit lapidem, & expellit cum vino albo.

OLEVM CERÆ.

COmmendatur in confuſionibus ſi applicetur, ad dolores colicos ſi in ſpiritu vini dederis, ſummũ eſt remedium: doſis à guttis. 8. ad 12. in cliſteribus etiam ſoleo ponere à ʒ j. ad ʒ j. ß. in ulceribus inteſtinorum & doloribus multum facit: ſi ſupra arenam lotam & ſiccam aliquoties rectificaveris, acquiret mirabilem vim penetrandi.

DE OLEIS FRIGIDIS.

COnfundantur ſemina frigida majora vel minora, in aquam ponantur: parum bulliant, ſpumam collige, pone in vitrum digeratur in balneo per noctem, vertetur in oleum ſuaviſſimum.

DE IVNIPERO.

BAccarum Juniperi contuſarum, in ſufficienti quantitate aquæ in veſicam ponito, & bonam quantitatem fermenti: poſt juſtam macerationem, vinum ardens dabit tibi copioſiſſimum.

Ad vitam vegetabilium extrahendam.

Prius contere herbam, deinde deſtilla aquam cum alembico vitreo, ſupra cineres: deinde contunde plus de dicta herba & incorpora cum prædicta aqua, & pone in putrefactione obturatis juncturis per octo dies: tunc exprime totum ſuccum & deſtilla iterum: habebis aquam optimam & pulverem in fundo invenies precioſiorem aqua, utrumque ſerva.

PERFECTA CATARRHI CVRA IN HELLEboro nigro conſiſtit, collecto menſe Octobri.

HEllebori nigri extractio cum aqua aniſi ad mellis conſiſtentiam, cui adde micarum panis, quantum eſt extractionis, commixta ponantur in retortam vitream bene obturatam in fimum equinum per tres ſeptimanas, exime liquorem à fæcibus & deſtilla per cineres, donec pingue deprehendes. Illud accipe & pone in digeſtionem in balneo vel fimo per 14. dies: deinde aufer quod phlegmaticum eſt ab eo, & quod reliquum eſt, eſſentia helebori eſt; quæ ſex adocto granis ſuaviſſime purgat.

Alia præparatio.

Colligantur radices menſe Octobri, & optimo vino mundentur: cortices ſuperiores ſeligantur, interiores nullius ſunt momenti: macerentur (ſeu potius vino malvatico irrorentur) & ad ſolem vel alium ſimilem calorem exiccentur: hunc proceſſum ter repete: contere tenuiſſime: hunc pulverem pone in vas vitreum amplum, ſuperimpone ſuccum roſarum ſolutivarum q. v. Iterum exicca, & hoc quinquies repete: ultimo contere & in vitro ſerva: habes Medicinam incomparabilem ad omnes fere morbos, ſi dantur grana 8. ad 12. cum ſyrupo violarum: aut alio appropriato liquore.

Alia mirabilis ex vetuſtiſſimo codice excepta.

℞. Radicum Hellebori nigri, herbarum quoque ab omnibus immunditiis cum vino mundatarum ana. m. iiij. conquaſſentur & ponantur in vinum rubrum vel muſcatellinum vaſe vitreato bene obturato ad duas menſuras, & in coldari in aquam bullientem per diem & noctem ſinito: poſtea exime, & ſuccum fortiter exprime & filtra. Hoc filtratum pone ſupra recentium radicum Hellebori conquaſſatarum m. j. roſarum rubrarum m. v. Gariophyllorum ʒ. vj. prius contuſis, ponito ſimul in digeſtionem per diem

iem unum, addendo vini ardentis octavam partem præcedenti ino; & iterum ponantur in digeſtione per tres alios dies, poſtea pprimantur & colentur, & liquorem ſerva. Fæces Hellebori ombure, & cinerem ſerva. Interea liquorem ſuperius reſervaım per balneum deſtilla, quouſque materia in fundo vaſis, inſtar nellis remaneat: cum phlegmate para ſalem ex cineribus ſuperius eſervatis. Hujus ſalis ℞. ℥ ß. croci orientalis ʒ j. Ambræ griſeæ ʒ ij. miſce ſimul terendo, & cum ſua propria aqua ſuperius deſtillata repone totum, & hoc ter repete. Hoc te ſcire velim, antequam jungas ſuum ſalem & ambram, materiam prius eſſe ſolvendam, filtrandam, & deſtillandam, donec ſit puriſſima, & hoc æpius: deinde adde ſalem, crocum, & ambram. Tunc habes formam ſpecificam Hellebori nigri, pergratam, rectificatam, laudabilem medicinam, quæ phlegmaticos ſenes reducit ad temperatuam, & ſanguinem mundificat, & naturalem virtutem conſervat, principalia membra, imo univerſum corpus ab omnibus futuris ægritudinibus & morbis acutis uſque ad terminum à Deo conſtitutum præſervat. Sic enim excellit omnes virtutes herbarum in conſervanda eſſentia humani corporis in ſua virtute

Vſus iſtius talis eſt.

Sumatur hujus ℈ j. ſemel in menſe aquæ ſuæ ſuperius reſervatæ ut in v. eſſent redactæ ʒ iiij. diſſolvantur & ſimul bibantur jejuno ſtomacho & hoc de nocte, à quinquageſimo anno usque ad ſexageſimum ætatis annum, peracto tempore 60. poſtea omni medio menſe debet ſumi, & deinde omni ſeptimana ſemel: decrepitum hominem in juvenem renovat, quoad ſanitatem & fortitudinem: dentes à pravis humoribus ſervat, oculos ab omni fluxu, à paralyſi, apoplexia, podagra & omnibus malis corruptis humoribus præſervat. Hoc medicamentum Decanus quidam reperit & eo uſus eſt, qui annis centum octoginta ſex vixit, cujus epitaphium tale eſt:

Hic jacet edentulus, canus, atq; Decanus,
Rurſus denteſcit, nigreſcit, & hic requieſcit.

OLEUM SULPHURIS PER campanam.

ANtequam impones ſulphur in vas ignitum, prius folia ſalviæ ſiccæ projice, & ſtatim campana imponenda eſt, ut fumum ſalviæ recipiat: poſtremo ſulphur, majorem copiam habebis olei. Virtutes tantas habet, atque oleum vitrioli, ſi eo dentes fricentur, dealbat, & gingivarum putredinem tollit, modo aqua roſarum miſceatur.

OLEUM CRANII HOMINIS.

CRanium hominis ſuſpenſi, in pulverem reduc, retortæ imponatur & juxta ſpagyricorum artem oleum elice, exibunt aqua

oleum,& ſal: ſimul accipe & iterum in novam retortam pone, deſtilla, aquam ſepara, & oleum rectifica: in quo adde ʒ j. auri calcinati, digerantur levi calore: ſummum remedium in morbis cæphalicis, præſertim epilepſiæ cum aqua pæoniæ, vel vino albo ℈ j.

TRACTATVS VARIARVM TARTARI *præparationum.*

ACcipitur Tartarum crudum, conteritur, retortæ imponitur, & juxta proceſſum olei vitrioli deſtillatur, exit oleum & aqua: ſepara aquam ab oleo per balneum: aquam ſupra colcotar rectifica donec fœtorem miſerit: Maxime confert putrefactionibus & oppilationibus, interna apoſtemata reſolvit, & præcordialium vitia conſumit, ſanat omnem ſcabiem, hauſta ſine alia mixtione, doſis cochlear unum mane & veſperi per ſe, vel cum decocto ligni guayaci, ſudorem valde ciet in lue venerea, in hydrope & antiquis obſtructionibus præſens eſt remedium.

ALIA TARTARI PRÆPARATIO.

TArtarum calcinatur, teritur, & ſupra marmor ſternitur, in humido loco collocatur ad ſolvendum, filtratur, exiccatur, hoc ter repetitur. Hujus liquoris accipitur ℔ j. olei vitrioli *optimi* ℥ iiij. vel plus, guttatim ſupra tartari liquorem inſtillatur, fit coagulum albiſſimum, ſi humiditatem per B. M. evocabis ad ſiccitatem, tunc habes fixum tartarum ad hydropiſim, calculum & varios morbos, ſudorem provocat, per inferius purgat modo admiſceatur cum melle roſato vel alio ſyrupo. Doſis à ℈ ß. ad ℈ j. in vino albo vel aqua petroſelini.

ALIA.

TArtarum calicinatum ſolve ſupra marmor, ſolutum ſerva, reliquum calcina, aquam ſuam ſuperpone & in B. M. deſtilla, iterum aquam ſuam ſuperpone, deſtilla, & ſerva, iterum calcina, ſolvatur ut prius ſupra marmor: deſtilla, effunde, hoc tantiſper fac, donec amplius non coaguletur, ſed in oleum maneat, iſto autem oleo omnes ſpiritus ſublimatos figes, ſolvesque coralla & margaritas, vulnera quæque ſanabis, tartareas fæces è corpore expelles: doſis à guttis 4. ad 6. in convenienti liquore.

TARTARI TINCTVRA.

VIni ſpiritus Tartari tinctura imprægnatus evaporetur ad mellis conſiſtentiam, hunc liquorem in retortam inditum ſervatis ignis gradibus, deſtilla, habebis liquorem album, acidum, olei vitrioli inſtar, qui ſummum arcanum eſt in omnibus pulmonum apoſte-

apoſtematibus & aliarum partium internarum: doſis à guttis 4. ad 8. cum appropriato liquore arcanum eſt.

LIQUOR TARTARI.

Liquor tartari eſt Tartarum calcinatum, & ſupra marmor in loco frigido reſolutum, ſi de eo in aquam deſtillatam poſueris, temporis progreſſu ſal ſeparabit ſe ab aqua inſtar cryſtalli, cujus effectus eſt varius: doſis ℈ ß. in ſua propria aqua deſtillata.

CREMOR TARTARI.

Tartarum vini albi lotum accipe: minutim contere: in aquam puram injice, fac ut bullliat in lebete: fiet bulliendo cruſta ſive pellicula, exime, & ſerva, cujus accipe ʒ j. diagridij præparati grana viij. miſce & in juſculo porrige, leviter purgat. Arcanum eſt ad lienis affectus.

MAGISTERIUM TARTARI HAUD ſpernendum.

Tartarum ſummopere calcinatum in aquæ vitæ phlegmate diſſolve, filtra, evapora, & ſal in fundo manebit. Iterum diſſolve in aqua phlegmatis depurata, filtra ut antea feciſti, & hoc ter repete, donec nullas poſt ſe relinquat fæces, calcina bene, ad perfectam albedinem: hujus ſalis accipe ℔ j. aquæ vitæ rectificatæ, ℔ iiij. miſce & in B. M. deſtilla: duæ partes deſtillabunt ſine guſtu, repete proceſſum, donec dicta aqua congeletur cum dicto ſale. Nam omne ſiccum, natura ebibit ſuum humidum. Iterum ſalem optime exſicca, & novum ſpiritum vini admiſce, deſtilla: & retinebit aliquam partem ſpititus vini, pone hunc ſalem in ſublimatorium vitreum: ſublimabitur camphoræ inſtar. Hunc ſalem ſublimatum accipe, & precioſe cuſtodi: miranda præſtat in ſpagyrica arte, nam eo mediante lux diei in primam materiam reducitur. Granis iij. in convenienti liquore exhibitis, ægritudines quales fuerint, ſanabis. Deum time & illi gratias age per illum, qui vivit in æternum, Amen. De hoc ſubjecto Deo volente alibi plura agemus, interea boni conſule.

AD CANCRUM UBICUNQUE HÆREAT, modo ferro non apertus fuerit.

BERNARDUS G. PENOTUS A PORTU SANCTÆ Mariæ Aquitanus ad Lectorem.

Qui ſibi ipſis nati ſunt, haud inter homines, ſed potius inter bruta animantia numerandi ſunt. Homines enim hominum gratia ſunt generati, ut alter alteri poſſimus prodeſſe. In variis meis peregrinationibus hoc meum & unicum fuit votum, de

omnibus bene mereri, & cunctis mortalibus prodeſſe. *Ideo mihi* ſoli arcanum de cancro reſervandum non putavi, ſed piis boniſque viris gratis communicare volui: qaamvis precio illud compararim. Rogo igitur omnes, ut in laudem Jeſu *Chriſti* erga ægrotos charitatem illam Chriſtianam in ſacris litteris tantopere nobis commendatam exerceant: ſin minus, Dei juſti vindicis ultricem manum non effugient. Vale.

REMEDIVM CANCRI.

SErpentariæ majoris, vel radicis ari exiccatarum ℥ iiij. fuliginis ℥ ij. lapidis cryſtallini mineralis non rubei ℥ j. pulveriſentur probeque miſceantur, ſic in vitreo vaſe aſſerventur, & duorum menſium ſpacio fermententur: quum vero neceſſitas poſtulat iſtius pulveris parum in cancrum inſperge, linque ſic, intra 15. dies decidet: utens autem ſequenti emplaſtro ſanabis.

EMPLASTRUM QVO NON REPERItur præſtantius.

Galbani
Opoponacis. } an. ℥ iiij.
Sagapeni

Ammoniaci
Bdellij } an. ℥ viij.

Gummata in aceto deſtillato ſolvantur, ſoluta exprimantur & ad aceti conſumtionem evaporent, poſtea accipe oleorum,

Camomillæ ℔ ij.
Hypericonis ℔ j.
Laurini ℥ iiij.
Terebinthinæ ℥ j.
Petrolei ℔ j.
Ceræ novæ ℔ ij.

Ponantur ſimul cum prædictis gummatibus ſupra parvum gnem, & ſequentes pulveres imponantur,

Lithargyrii auri ℔ ij.
Ariſtolochiæ longæ
Ariſtolochiæ rotundæ
Olibani
Maſticis } an. ℥ iiij.
Myrrhæ electæ
Coralli rubei
Coralli albi

Calaminaris ℥ vj.
Carabæ ℥ j.
Florum Antimonij ſpagyrice præparatorum ℥ iiij.

Salis

Salis vitrioli ⎫
Mumiæ ⎬ an. ℥ ij.
Camphoræ ⎭

Pulveriſanda pulveriſentur, & cum ſupradictis lento igne miſceantur, continuè movendo donec fiat emplaſtrum, de qua maſſa forma duo emplaſtra, & unum cancro mane impones, alterum vero veſperi & munda qualibet vice, intra paucas dies ſanabitur Deo concedente: emplaſtrum omnibus ulceribus, ſcrophulis etiam medetur: appoſitum absque re alia.

Radices ſupradictæ veris tempore colliguntur in umbraque ſiccantur. Ejusmodi radices intra corpus exhibentur, modo prius quinquies in vino macerentur: exiccenturque. Doſis ʒ ß. cum vino vel alio convenienti liquore. Ad hydropiſim omneſque obſtructiones proſunt. Tibi gratis offero, gratis tu pariter pauperibus exhibeas, & Deus bonorum operum remunerator majora rependet. Bene ſis & vale.

DE HYDROMELITE.

SAtis mirari haud poſſum, homines quosdam omni poſita verecundia, aliorum labores & inventa ſibi vendicare, & principibus rebusque publicis hydromel, ut divinum quoddam myſterium venditare, cum nullius pene ſit momenti. Sed admirationis mater eſt ignorantia. Plinius ejus mentionem facit capite de melle: modumque parandi docet. His temporibus inter viros & quasdam mulieres, de præſtantia & uſu hydromelis oritur diſſenſio, & ita ſecrete parant, ut ne quidem mater aut pater filio patefacere velit, & plurimos agnoſco, quos non pudet quinquaginta mille coronatos petere pro componendi formula: ſed cum in diverſas regiones me contuliſſem, ibique publice & vili precio vendi vidiſſem, tenere me haud potui, quin illorum impudentiam riderem. Ob hanc cauſam, non mihi incommode facturus viſus ſum, ſi aliquas ejus componendi rationes in præſenti tractatu deſcriberem, ut unusquisque pro ut libet pararet, & à talibus pharmacopolis caveat. Sunt qui ſimpliciter in eo componendo nulla miſcellanea adhibent, tantum circa finem aliquid de tinctura tartari imponunt: ut Paracelſus lib. de natura rerum docet, quam ſimplicem præparationem probo. Alij autem cum radicibus odoriferis & aromatibus, & inde fit, ut caput plerumque gravedine laboret. Attamen ſunt qui ex purgantibus parant, & illud purgat, non aliter quam vinum ab Arnaldo deſcriptum. Sed fruſtra fiunt per plura, quæ poſſunt fieri per pauciora. Ut ego expertus ſum, duos hic modos parandi docebo. Sed hoc vos latere nolo, pendente canicula excellentius fieri quam alio tempore. Etenim ſol ſuæ virtutis in res omnes aliquid magis imprimit, quam calor de-

lor elementaris, laris vel hypocauſti, ut ſæpius experientia compertum eſt. Videmus etiam aquam menſe Martio plus efficere, quam alio quovis tempore, ut benè norunt cereviſiæ coctores. Nam cereviſia cocta illo menſe ſervatur diutius, & augetur tam in bonitate quam jucunditate. Sed ne longus in ſcribendo videar; tu ſic incipe.

FORMVLA.

ACcipiatur pars una mellis, partes octo aquæ pluviæ vel fluviatialis, mel in illa aqua diſſolvatur, poſtea in lebete juſtæ capacitatis bulliant temperate ad tertiæ partis conſumtionem, ſpumando: ſignum perfectæ rationis eſt, ſi crudum ovum impoſueris & ſupernatat, tunc paratum eſt. Si non, decoque donec dederit ſignum ſuum: potes per linteolum mundum purificare, deinde in vas ligneum ſiccum, quod antea vino malvatico imbûtum fuerit, ponere: & ſtatim immittere parvulum ſacculũ grano ſinapi repletum filo ligatũ, quo poſſis, cum opus fuerit, eruere. Hoc facto, vas tuum ad ſolem ardentiſſimum expone & tuum hydromel bulliet veluti muſtum tempore vindemiarum. Tempore peracto, ſinapi ſemen exime, & vas opime obturatum in cellam colloca, Hoc hydromel eſt baſis, unde omni tempore facere poteris.

HYDROMEL VT VINVM SAPIAT.

QUando ſemel paraſti, pone ſupra triginta menſuras *ſucci florum* lupuli menſuram unam, ſtatim ſine ullo calore *incipiet* bullire, & continuo vas implendum eſt, & cum efferbuit, habes tam potẽs hydromel, ut ſi projicias ſupra aquam mellis decoctam, parvo temporis ſpatio optimum hydromel habebis, & quoties novum lupuli ſuccum impoſueris, tanto plus ejus vires augebis. Reliqua philoſophando conjicienda non omnia tibi ſunt præmaſticanda. Alij poſt primam ebullitionem Ormini flores imponunt. Sed alium modum habeo, aquam antequam imponam, mel imprægnare ſoleo, de his ſat dixi. Ad alia nos conferamus.

ALIVD HYDROMEL QVOD SVO TEMPORE in acerrrimum acetum vertitur, cujus cochlear unum menſuram vini in acerbiſſimum acetum transmutat.

℞. Piperis longi, rotundi, nucis muſcatæ, cinamomi an. ℥ iij. terantur: farinæ ſiliginis ℔ j. ß. miſce, & cum hydromelite diſtempera, & fac fermentum, de quo pone magnitudinem unius ovi & bulliet per ſe: relinque vas apertum in loco calido, & brevi tempore in acerrimum acetum vertetur: quo ipſe ſilices diſſolvi. Tu tandem meis lucubrationibus fave & fruere.

Quæstio.

QUÆSTIO.

AN MAGIA SIT LICITA.

SCribunt plures Babylonij eum omnia noſſe, qui numerare novit. Quæritur, cur homo animal ſapientiſſimum? Reſpondetur, quia numerare novit. Naturalem magiam pendere à numeris, philoſophi veri haud ignorarunt. Sed duplicem eſſe magiam conſtat, quarum altera dæmonum tota, opere & auctoritate, res medius fidius execranda & portentoſa. Altera nihil aliud, (cum benè exploratur) quam naturalis philoſophiæ abſoluta conſummatio, quam perfectam, ſummamque ſapientiam vocant: Magus enim Perſarum lingua ſonat, quod apud nos interpres, & cultor divinorum.

Maxima inter has duas artes, ſive magias diſparilitas & diſſimilitudo. Dæmoniacam illam, non modo Chriſtiana religio, ſed omnes leges, omnis benè inſtituta reſpubl. damnat, & execratur. Hanc quiſquis edit, ſemper diſſimulat, quod in auctoris eſſet ignominiam & contumeliam. Hujus nemo unquam ſtudioſus fuit vir philoſophus, & cupidus diſcendi bonas artes. Hæc tenebras deſertaque loca quærit: quandoquidem omnis ſcientia, quæ fugit publicum, ſuſpecta eſt, veluti iſta, quæ à ſpiritibus tenebrarum originem ducit. Alteram autem omnes ſapientes, omnes cœleſtium & divinarum rerum ſtudioſæ nationes approbant, & amplectuntur. Hæc eſt altior ſanctiorque philoſophia: ex hac ſumma literarum claritas, gloriaque antiquitus: & penè ſemper petita. Ad hanc Pythagoras, Democritus, Plato, diſcendam navigavere: hanc reverſi prædicaverunt, & arcanis præcipuam habuerunt.

Sicut illa cacodæmonum magia, nec artis nec ſcientiæ ſibi poteſt nomen vendicare: ita hæc vera altiſſimis plena myſteriis profundiſſimam rerum ſecretiſſimarum contemplationem, & Deum, naturæ totius cognitionem, complectitur. Hæc ſparſas Dei beneficio & ſeminatas mundo virtutes de latebris evocat in lucem, & ſicut agricola ulmos vitibus, ita magus terram cœlo, id eſt, inferiores ſuperiorum dotibus virtutibusque conjungit, &, ut ita dicam, maritat. Hæc in eam operum Dei admirationem excitat, quam propenſa charitas, fides, ac ſpes certiſſimè conſequuntur: neque enim ad religionem, ad Dei cultum quicquam promovet magis, quam aſſidua contemplatio mirabilium Dei, quam naturalis illa magia, qua compellimur canere: Pleni ſunt cœli, plena eſt omnis terra majeſtate gloriæ tuæ. Et hæc ſatis de magis. Scio eſſe plures, qui ſicut canes ignotos ſemper adlatrant: ita ipſi ſæpè damnant oderuntque quæ non intelligunt. Quamobrem non omnibus, neque ſemper, neque omnia de Deo philoſophari conceditur: *Non omnibus neq; ſemper de Deo concedi-*

 ceditur:

tur philoſophari.

ceditur: ſed quibus,& quando, & quantum. In divinis ſilentium deſideratur: Contentio reſpuitur: Syllogiſmus irridetur: nihil eam antecedit. Igitur quodcunque concludendum fuerit, eidem acquieſcendum eſt. Etenim creatura omnis à Deo creata eſt, ut ſit in teſtimoniũ verbo creatoris ſui,per quod facta eſt: & ſi adimplet hoc,benedicatur: ſin minus,maledicatur. Nam omnis creatura naturaljter, ordine & loco ſuo cogitur confiteri creatorem ſuum,& ſervire teſtificationi verbi ejus. Quid quæſo movet vehementius & perſuadet quam ſacrarum lectio literarum? non perſuadent,ſed cogunt,agitant,vim inferunt: legis rudia verba & agreſtia,ſed viva, ſed animata, flammea, aculeata, ad imum ſpiritum penetrantia, hominem totum poteſtate mirabili transformantia. Ille igitur qui rerum creatarum cognitionem à ſuo opifice ſeparat, is rerum univerſarum umbram ſolummodo habet. Idcircò in gratiam piorum doctiſſimorumque virorum Gulielmi Le Normantii Trogniani, et Jacobi Bongarsii,omniumque diſciplinarum verſatiſs. philoſophicas alias regulas adjiciam,quarum prima talis eſt.

Regula prima.

Nihil Deus creavit in veritate ſuperius, quin ejusdem aliquod ſimulacrum creaverit inferius; ut per ſimulacrum apparentis inferius,perveniamus ad veritatem exiſtentis ſuperius.

Secunda regula.

Nihil Deus creavit in ſpiritu verum inviſibiliter, quin idem in corpore aliquo adumbraverit viſibiliter,ut per corpus umbræ patentis,perveniamus ad veritatem ſpiritus latentis.

Tertia regula.

Nihil Deus creavit in infinito viſibiliter diſperſum, quin idem quoque in uno aliquo inviſibiliter creaverit collectum, ut per hoc quod finitum eſt,& comprehenſibile in uno, perveniamus ad illud quod infinitum & incomprehenſibile eſt in pluribus. Creavit autem Deus infinita propter ſe infinitum omnia: finita autem propter hominem finitum creavit omnia, ut & principium ſuum haberent omnia à quo ſunt, & ſimul finem ſuum teſtarentur omnia,ad quem ſunt.

Exemplum.

Omnia quæcunque ſunt, à cælo proveniunt, & cœli naturam participant: nihil enim tam naturale eſt, quam quod genitum genitoris participet naturam & ſubſtantiam: cum autem univerſalis genitor omnium inferiorum cœlum ſit, neceſſarium eſt quod inferiora omnia cœli naturam & ſubſtantiam participent. Et ſic cœlum eſt in omnibus rebus occultatum inferius, quod extra

extra omnes res manifeſtum eſt exterius. Et ſicut corpore ſuo patens eſt in ſuperficie mundi latiſſimè: ſic ſpiritu ſuo contractum in centro mundi arctiſſimè. Summum igitur omnium rerum corpore ſuo cœlum eſt in alto propoſitum: & rurſum profundiſſimum omnium rerum eſt cœlum in imo ſpirituoſo abſconditum. Et ſicut corpore ſuo claudit & regit omnia, ſic ſpiritu ſuo tranſit & implet omnia. Ubique enim cœlum eſt viſibiliter in forma ſua, & rurſum cœlum eſt in omnibus rebus virtute ſua. Et ut cœlo nihil eſt per omnia manifeſtius, ſic rurſum in omnibus, cœlo nihil eſt occultius.

Tu autem qui cœlum extra omnia ſemper vides: cœlum in omnibus abſconditum intelligas. Et hoc abſconditum cœlum fac ut pateat: tunc nulla virtus manifeſti cœli te unquam latebit. Hoc cœlum ſeu lapis philoſophorum in omnibus rebus eſt, & per omnes res totius mundi tranſit. Et eſt ſpiritus quidam vivificans, ſubſtantivus, eſſentialis, omnibus creaturis mundi hujus vitam, ſubſtantiam, eſſentiam largiens; quoniam ex ipſo, in ipſo, & per ipſum ſunt, vivunt, vegetantur, creſcunt, ac omnia moventur. Et virtute ejus plena ſunt omnia, & nihil vacuum eſſentiæ, & virtutis ejus: (niſi quod mortuum & in creaturarum viventium numero amplius non ſit.) Hic ſpiritus in cœlo liberrimè diffuſus motu & virtute ſua eſt: in terra autem & maximè in centro ejus arctiſſimè contractus: ideò in cretauris, in centro terræ provenientibus, condenſatur jam quaſi & incorporatur in ſubſtantiis ipſorum: in metallis totus clauditur & figitur: in mineralibus proximo gradu ſed nondum fixatur. Philoſophi ergo ſummis viribus hunc ſpiritum quærentes comprehendere in late diffuſo mundi ambitu infinitum exiſtentem, hunc & ſpiritualem totum nullatenus ipſi finiti, & corporales toti valuerunt comprehendere. Ergo in centro mundi cognoſcentes ipſum arctiſſimè colligari & jam incorporari terminarique: ideò creaturas in centro mundi productas pro ſubjectis ſuis ſumentes ex iis ſpiritum iſtum extrahere, & poſtea debito ſubjecto ſuſcipere totum laborarunt. Quoniam in metallis nimis ſigillatus erat: proxima metallis ſumſerunt mineralia, in quorum corporibus non tam arctè clauſus adhuc erat, & ex his extraxerunt ſpiritum, & cum hoc extracto, illam vivificarunt. Ultra in metallis clauſum, ſic per proximam naturam proximæ naturæ ſuccurrentes, & ab inferiore gradu ad ſuperiorem aſcendentes per minora mineralia, ad majores mineralium virtutes pervenerunt. Sic enim ordo naturæ poſtulat, ut per infima ad ſuperiora aſcendatur, & per minora majora conſequantur, ne per majora minima deſpiciantur. Minora autem per majora perficiuntur. Hic autem ſpiritus cœli in mineris terræ latens abſcõditus cum tot virtutibus ſubſtantialibus interius, quod

patet

patet in firmamento cœli manifeſtus aſtris; fulguribus. Ideò philoſophi ſapientes, aſtrorum cœli nominibus vocarunt hæc: & mineralium terræ formis figurarunt illa. Notandum eſt quod hic ſpiritus in alio nullo ſubjecto, quam in aqua ſui generis & ſuæ ſpeciei, ſemper haberi & ſervari valeat. Naturaliter enim natura ſimilis in natura ſua ſimili actionem & operationem habet perpetuam, & non in diverſa ſpecie, multò minus in diverſo genere. Etenim quo eſt major rerum diverſitas, eo minor eſt rerum unitas. Nam aqua proprium eſt ſpiritus receptaculum & habitaculum: ideò in initio creationis mundi ſpiritus hic ferebatur ſupra aquas. Ergò ſi aqua exſtillatur ex mineralibus forti igne, elicietur & ſpiritus mineralium ſimul in illa aqua, miſcens ſe, & inhabitans: ſpiritus tamen ille craſſus & corporalis, ſive terenus minerarum, nondum eſt ſpiritus ille ſecretiſſimus & vivificus cœli, ſed eſt hic craſſus & elementaris ſpiritus, habitaculum illius ſubtilis cœleſtis, qui anima & vita omnium creaturarum eſt, & vocatur, & hic imaginem Dei gerit proximè. Ergò ſicut Deus in ignea habitat eſſentia, & ignis conſumens eſt: ſic & iſte ſpiritus, qui anima eſt vivificans omnia, in igneo ardentiſſimoque ſpiritu minerali occultè habitat, & etiam ignis conſumens eſt omnia terreſtria: purgans autem ad ſummum cœleſtia. Et ſic aqua ex mineralibus deſtillata tres habet partes: corpus quod eſt aqua: ſpiritus ille igneus elementaris craſſus: & tandem anima occulta vivificans, quæ appellatur *Sol* & *Luna* abſcondita ſpiritualis, ſulphur naturæ inviſibile, *aurum philoſophorum* vivum, quod incorporatum in debito ſubjecto reſolvit potenter aurum corporale metallicum, & tunc aurum cum auro mixtum in natura ſubjecti, aurum illud ſpirituale corporale hoc vivificat. Et aurum hoc corporale illud ſpirituale ingroſſat, & ſic fit ſpiritus corpus, & corpus fit ſpiritus, & ambo ſimul unum ſpirituale, & inſeparabile: tunc aurum tale vivum incorporatum generat aurum. Quod omnis generatio à vivo & corporeo fiat, incorporea non generant, mortua etiam nihil agunt: ergo ut vivant, oportet fieri aurum corporale, & corporeum aurum ſpirituale: tunc aurum demum perfectum ſibi ſimile in genere & ſpecie ſua, aurum generabit in infinitum, ſi cum materia ſibi conveniente & debita fuerit commixtum: de his plura in libro de mineralibus.

In ſole poſuit tabernaculum ſuum, & ipſe tanquam ſponſus procedens de thalamo ſuo & occurſus ejus ad ſummum ejus, nec eſt qui ſe abſcondat à calore ejus.

Lex Domini immaculata convertens animas: teſtimonium Domini fidele, ſapientiam præſtans parvulis.

Juſtitiæ Domini rectæ, lætificantes corda, præceptum Domini lucidum, illuminans oculos.

Timor

Timor Domini ſanctus permanet in ſeculum ſeculi: judicia Domini vera, juſtificata in ſemetipſa.

Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem pretioſum multum: & dulciora ſupra mel & favum.

Et erunt ut complaceant eloquia oris mei: & meditatio cordis mei in conſpectu tuo ſemper.

Quoniam tu illuminas lucernam meam, Domine: Deus meus illumina tenebras meas.

Et diſciplina tua correxit me in finem, & diſciplina tua ipſa me docebit.

DE SALIBUS HERBARUM QUARUNDAM PRÆCIPUARUM, ET viribus eorum.

DE SALE HYPERICONIS.

SAL hypericonis contra pleuritidem probatiſſimum eſt remedium, datur patienti in calido quodam vino, quantum dimidia cortice nucis avellanæ contineri poteſt. Sal hyperici urinam & menſtrua pellit, tertianis, quartanis convenit cum vino potum, liberat à ſchiatico dolore per aliquot dies hauſtum, ambuſtaque ſanat cum aceto ſolutum: ſanguinem à phlegmate mundificat. Curat ulcera cum liquore ſalis, item fiſtulas ſanat: præterea oris putrefactionem, ulcera colli cum melle roſaceo miſtum, & cum penna mane, meridie ac veſperi inunctum. Hydropicis etiam prodeſt, verminantibus autem quibus creſcerent in ventriculo ſerpentes, vel alia genera vermium, ab aqua putrida quam biberint, da ad comedendum noctu vitri antimonij pellucidi 4. aut 5. gana cum ℈ j. ſaccari roſati, miſce quaſi electuarium, poſtea da hauſtum vini in qua ſit ſolutum ℈ j. ſalis hyperici, patiens dormiat, ſi velit: excitatus à medicamento dejiciet pravos humores per ſuperiora & inferiora copioſè. Qui urinam retinere non poſſunt, comburant veſicas caprarum & pulveriſent, quibus addant ʒ ij. ſalis hyperici cum vino ad bibendum.

DE SALE POLIPODII.

SAl polypodij etiam pleuritidem curat, item bilem atram & pituitam à juncturis educit, quartanis prodeſt, doſis ℈ j. ad ℈ ij.

DE SALE CAMOMILLÆ.

SAl camomillæ difficultati urinæ prodeſt, ſi pugillus unus ex vino calido exhibeatur: & mulierum menſes ciet in aqua pulegij. In colica & Iliaca à flatibus ex cauſa frigida, uſus ejus magnus cum

cum aqua aurantiorum, cinamomi, camomillæ, parietariæ liquore: contra puncturas lateris cum aqua cardui benedicti, ſeu liquore agarici, oculorum cancri, cornu cervi, ad facilitandum partum cum aqua cinamomi, verbenæ, liquore nucis muſcatæ, cariophyllorum, ad ſecundinas mulierum relictas cum aqua artemiſiæ, pulegij: contra ictеritiam & hydropem cum liquore convenienti, ut aqua abſynthij, cichorij, endiviæ: item contra dolorem dentium in gargariſmo.

DE SALE GENTIANÆ.

SAl gentianæ febribus omnibus adverſatur, viſcerum obſtructiones aperit & expurgat, urinam & menſes promovet: item contra morſus ſerpentium cum ſale rutæ & pipere valet.

DE SALE GRATIOLÆ VEL Gratiæ Dei.

SAl gratiolæ hydropi medetur, item melancholicis ſanguine ſuffuſis territisque. Item calculoſis, inſanis & amentibus, cardiacis, purulentoque ſanguini prodeſt: item qui difficulter urinam reddunt. Idem ambuſta extinguit, valetque ad Hungaricum morbum, ſi in reſoluto liquore madefiat lineus pannus & capiti circumligetur ſemper reiterando poſt ſiccationem. Datur etiam intro ad eundem morbum.

DE SALE ONONIDIS.

Purgantia præcedere debent diuretica.

SAl onoπidis præparatis viis, & humoribus, & præmiſſis diverſionibus & purgationibus, quod ante uſum ſalium diligenter notandum, calculos comminuit expellitque tam in renibus quam veſica cum aqua propria, & difficultati ſuccurrit, item in vino potus hæmorrhoides ſanat. Succurrit etiam obſtructionibus lienis, renum & jecoris cum liquore oculorum cancri, aurantiorum, limonum, ſaxifragiæ, Alkekengi, parietariæ.

DE SALE GENISTÆ.

SAl geniſtæ calculos frangit expellitque ac urinam movet.

DE SALE STIPITUM fabarum.

SAl fabarum urinæ difficultati ſuccurrit, calculos frangit expellitque, flatus diſſipat. Doſis ʒ ß. in vino albo.

DE SALE ARTEMISIÆ.

SAl artemiſiæ menſes promovet.

DE SALE MELISSÆ.

SAl meliſſæ promovet menſes, uterum expurgat ejusque ſuffocationi ſuccurrit.

DE

DE SALE CHELIDONIÆ.

SAL chelidoniæ menſes evocat, ejus doſis eſt ℈ j. qui 20. grana hordeacea pendere ſolet, ſalis hujus liquor oculos clarificat. Idem ex vino cum ſale aniſi potus medetur regio morbo, valet etiam liquor ad ulcera. Idem aſthmaticis, pectoris oppilationi prodeſt, hepar mundificat, valet contra peſtem, colicam paſſionem, matricis dolorem ac tumorem, ad mariſcas cum æquali pondere phlegmati vitrioli miſtus: Lupum aliaque ulcera cancroſa, venenoſa, & membra infrigidata, quæ alias abſcindi debent, appoſita ſalſa aqua cum laneo quodam panno aliquoties. Qui ex alto vel equo ceciderit, apponat ſalſam aquam deſuper. Idem contra morſum canis rabidi valet, miſce hoc ſal cum melle roſato, ut fiat in modum unguenti, non ſinit ulcera putreſcere. Item ſupra bubones poſitum attrahit venenum: ſcabioſi lavent ſe cum aqua ſalis hujus. *Vlcera cancroſa.* *Nota hujus ſalis proprietatem.*

DE SALE ABSYNTHII.

SAL abſynthij omnibus ferè morbis utiliter exhibetur, in peſte præſertim, aquam intra cutem educit. Urinam movet, ventriculum corroborat, ſudoremque movet, ſi uſurpatum fuerit ab intra ad extra uſque morbum gallicum pellit, ſanatque mariſcas, & alia interna vitia, vomicas, putrida vulnera quælibet inſperſione mundat ſanatque. Hoc ſal in aquam reſolutum, verrucas, varices ſeu varos rigatos, & cicatrices pellit, carnemque explet. Contrà hydropem, febres putridas, quotidianas & quartanas, cum methodico proceſſu præmiſſis evacuantibus & aliis competentibus. Cum aquis meliſſæ, acetoſæ, ruthæ corroborat epar & ventriculum, bonam digeſtionem dat ventriculo. Uſurpatur etiam contra colicam paſſionem ac tormina ventris, ani ac podicis vitia, matricemque elabentem irrigando imponendoque ſanat. Salis hujus liquor pennâ oblitus, capitis vitiis medetur, uti ſunt furfures, ſerpigines, lentigines, impetigines: pediculos, lepram aliamque ſicciorem vel aridiorem ſcabiem cum aqua applicatus depellit. Nec tantum his, ſed aliis quoque ægritudinibus ſeu affectibus memorata ſalia medentur.

DE SALE IMPERATORIÆ.

SAL imperatoriæ membra frigida & intermortua calefacere, craſſos viſcoſosque humores lateribus ac tunicis ventriculi impactos reſolvere, aliaque ejusdem, nec non inteſtinorum veſicæ vitia corrigere, ſemen virile inſuper augere & Venerem confortare poteſt. Sal imperatoriæ valet contra peſtem, movet ſudorem, ſi ex frigiditate venerit: promovet partum & abortus abigit. Hydropicis, Aſthmaticis, contractis calculum veſicæ ac

renum

renum in aqua fragariæ prodeſt, icteritiam nigram curat, lava cum ipſo venenoſorum animalium morſus, item congelata membra; valet contra tumorem pedum miſtum cum melle roſato in modum, unguenti ac ſuper omnes varias excreſcentias oſſium, ac carnium impoſitum. Hoc ſal miſtum cum melle, ac in modum unguenti decoctum, fiſtulas in corpore, in facie, polypum, pectoris ulcera, vel ſuppurationem citò maturat ac ſanat. Item contra frigiditatem intrinſecam, contra iſchiaſin, ac pleuriſim valet; valet etiam cōtra vermes infantium mane acceptū, contra putrefactionem pulmonis, hepatis, fœtorem anhelitus, catharrum, ex quo plerumque ſequitur apoplexia, hydrops, morbus gallicus, phthiſis, cardiace, ſtomachi tumor: utere cum theriaca bona contra acceptum venenum aliquod.

DE SALE BRANCÆ VRSINÆ.

SAl brancæ urſinæ aceto diſſolutum contra tumores quosvis; ut verrucas, varices, callis excreſcentibus oſſibus utiliter ſuperimponitur. Junioribus quidem adhibeatur quovis tempore & pro cujuslibet indigentia. Callis verò ſive excreſcentiis oſſium non niſi Luna decreſcente, poſt Solis occaſum ſuperligatur.

DE SALE ANGELICÆ.

SAl angelicæ ſanguinem mirificè expurgat, præcipuè verò cerebrum, ſi in oleo fœniculi diſſolutum guttis viginti veſperi ac luna decreſcente ſumatur, uſu per intervalla ſæpè repetito.

DE SALE LEVISTICI, SEV LIGVSTICI.

SAl liviſtici ſeu liguſtici veſicæ, renibus, ſtomacho malè digerenti, præſertim mulieribus & inteſtinis appropriatur. Arenulas ex calculo veſicæ, & renum collectas reſolvit, in veſicæ quidem calculo, ſi umbilici, in renum verò lumborum, quæ ſupra os ſacrum eſt, regio inungatur, & ſal denique ipſum aceto roſaceo diſſolutum hauriatur, dehinc corpore ad ſudorem provocandum calidis tegumentis optimè prætecto, præterea ſal iſte contra icteritiam, tuſſim ac morbum gallicum, calculum, febrem ardentem uſurpatur, tumorem colli gargarizando pellit, tempore peſtis non eſt inutilis, venenum acceptum aut bibitum arcet, fluxum capitis extrahit, caputque confortat. Hoc ſal cum melle roſaceo ſumtum caſum ulvæ curat, conſumit fluxum. Solutum hoc ſal, vel in cibo ac potu per aliquod tempus ſumtum carnem creſcere facit: item ſcabiem, colicam paſſionem, viris ac mulieribus, porriginem, lentiginem, phthiriaſin, ſerpiginem, menſtrua mulierum curat, ne graviter decumbant: item ſtranguriam.

Caſum ulvâ curat.

DE SALE PIMPINELLÆ.

Steinpfeffer

SAl pimpinellæ ſtomacho & inteſtinis omnibus amicum admodum eſt, & ſalutare. Eo enim ut decet probe parato, ſi quis tertio quoque menſe (ne aſſuetus ſtomachus id pro alimento familiari rapiat) loco ſalis vulgaris per triduum veſcatur, hocque per totum vitæ tempus præſtet, tunc proculdubiò ab hydrope, phthiſi & apoplexia ſecurus erit, ſal iſtud expurgat ſanguinem, arterias, hepar, ac pulmonem aperit, atque a febre hectica tuetur, ſi in aqua ſcariolæ ſelectiori reſolutum circa regionem hepatis, idque tempore nocturno maximè, cum ſitis immodica puerperas vexet, epithematis modo adhibeatur. Senes & quicunque frigidioris ſunt complexionis hoc ipſo ſale uti debent: contra ſudorem frigidum utile eſt, peſtemque expellit: vel peſtis tempore ſudorem movet, dolorem capitis ex frigiditate venientem, colicam paſſionem, aſcendentem matricem frigidam mulieribus, calculum renum ac veſicæ, vertiginem, contracturam, dyſuriam tollit.

Pimpinella Germanorum, ſive ſaxifraga Gallorum.

DE SALE PIMPINELLÆ NIGRÆ.

SAl pimpinellæ nigræ quævis ulcera patentia atque corroſione depaſcentia expurgat ſanatque, vermium in iiſdem & carnis putridæ generationem prohibet, fœtoremque emendat.

Pimpinella Gallorum.

DE SALE DAUCI CRETICI

vulgò Behrwurtz.

SAl Dauci Cretici frequentius ſi hauriatur abortum, vel partum menſtruoſum, qualis ferè mola eſt, efficaciter expellit.

DE SALE FOENICULI MONTANI.

SAl fœniculi montani ulceribus & ſinuoſis ſi inſpergatur eorum fœtorem, aut vermes aut carnem putridam generare prohibet, ſed obſervandum ex loco affecto plerumque ſolere ſanguinem elici, pondere duarum drachmarum. Cum alumine in vino calente diſſolutum datur ad gargarizandum, ſtomachacen propulſat, & gingivis ruborem genuinum reſtituit, carnemque renaſci facit.

DE SALE FOENICULI VULGARIS.

SAl fœniculi cum butyro in unguentum redactum, ſimili modo ſi adhibeatur, porrigines ulceroſas capitis & ſerpigines corporis exiccat & ſanat. Item menſtrua & urinam provocat, arquato convenit.

DE SALE CARVI.

SAl carui febribus cerebri, matricis, vaſorum ſeminalium deſtinatur: per nares attractum ex aqua catharros mirificè educit, ex

cit, ex ſinapi verò, polypos & hæmorragiam narium ſanat, ulcera & abſceſſus matricis curat, ſal hujus vino decocti vermes aurium, gingivarum, nec non ulcerum putridorum profligat.

Ejusdem in aqua reſoluti ablutio cum unctione olei ictibus animalium venenatorum nec non apoſtematibus vulvæ aſperſione efficaciter medetur.

DE SALE PETROSELINI.

SAl petroſelini omnis generis tumores reſolvit. Ex vino itaque ſi aſſiduè ſumatur, calculum ut veſicæ ita & renum pellit, item ex vino ſi os colluatur præſentaneum eſt ad ſtomachacen remedium: podagra, chiragra & iſchia affectis plurimum opitulatur. Tartarum enim & viſcoſitates cum incidit, tum expellit, ita ut morbo hoc affectis arenulas quaſdam albicantes ſeminum milij Solis coctorum ſimilimas per cutem digitorum & pedum ipſe aliquando viderim.

DE SALE CHÆREFOLII, ALIAS Gingidij.

SAl chæreſolij aut gingidij omnis generis flatus diſſipat calculos rumpit & expellit, idque operatione leni ac miti, ſed tamen excellenter penetrante, ob quam cauſam uſus ejus in corporibus teneris non ſolum eſt innoxius, verum etiam valdè ſalubris. Denique cum aqua cardui benedicti ſi propinetur, lumbricos teretes alvi profligat, & tormina circum umbilicum ſedat.

DE SALE PINASTELLI, HOC EST GERmanicè Harſtra/ aliàs vulgò Hirſchwurtz.

SAl iſtius herbæ mulieribus in partu, ut crebro accidit, ex nimia profuſione ſanguinis utpote ſpiritus & vitæ domicilium exiſtentis deficientibus, ex vino generoſo partim aſſiduè potui datum, partim illitu frequenti circa venas temporum & nares adhibitum, ſummoperè conducit. Præterea matricem refrigeratam & humoribus viſcoſis oppletam calefacit, expurgat, partum etiam faciliorem reddit.

DE SALE VERBASCI.

SAl verbaſci cum vino bibitum tuſſientibus, item febricitantibus ex frigiditate ſtomachoque conducit, movet menſes mulierum, item contra peſtem ex frigiditate & podagram in aceto ſolutum valet. Item calidos morbos, aſthma, ſanguinem contentum & ſuppurationem ejus circa coſtas, ſi ſuperimponatur, curat colicam paſſionem, tumorē colli, gargarizando, clarificat viſum intromiſſa cum penna unica gutta de aqua ſalis hujus. Hoc cum melle roſato quaſi unguentum decoctū valet contra vermem in digito vel aliis membris. Item ſolutum in aqua linteolo madefacto im-

ſto impoſitoque tumidis & contractis cruribus aut venis, tumorem quemlibet depellit. Item ignem ſacrum, eryſipelas, & dolorem ejus mitigat.

DE SALE VERONICÆ.

SAl veronicæ cum theriaca & vino malvatico acceptum, contra peſtem, ſi in oleum vel liquorem redigatur, unge cum eo puſtulas, ſcabies, apoſtemata, fiſtulas, morphæam: ad puſtulas & apoſtemata Gallica in aceto roſaceo ſolutum valet, ſi ſæpe eo laventur.

DE SALE HERBÆ FORTIS.

SAl herbæ fortis cum vino bibitum ad morbum gallicum intrinſecum, ad febres autem calidas & ardentes mane acceptum cum melle roſaceo. Item ad putrefactionem oris & faucium inflammationes valet. Movet urinam mulieribus. Qui habet ulceroſum collum aut gingivas putrefactas, gargarizet cum aqua illa melle roſato admixto. Eadem aqua puſtulas lava. Eadem aqua cum antimonio eſſentificato miſta & hauſta valet contra morbum Hiſpanicum. *Sideritis eſt, ut puto.*

DE SALE SALICARIÆ PVRPVREÆ.

SAl ſalicariæ purpureæ cum vino ſæpè haſtum jejunè valet contra febres ac phreneſin. Item valet contra inſaniam, colicam, contracturas membrorum cum aqua fomentatis: contra febres peſtilentiales cum aceto mixtum. Item ictericiam curat cum aqua betoniæ ac fiſtulas.

DE SALE FVMARIÆ.

SAl fumariæ ſolvatur in aqua, ut fiat gargariſmus, valet contra putrefactionem oris, eodem laventur ulcera Gallica.

DE SALE GALYOPSIS AVT *meliſſæ ſylveſtris.*

SAl galyopſis vel meliſſæ ſylveſtris mane acceptum cum aqua propria contra aſthma & cardiacum dolorem. Item in vino fiſtulis mammarum medetur. Item urinam movet mulieribus, partum promovet, tremorem membrorum ſanat.

DE SALE EVPATORII.

SAl Eupatorij cum melle roſato contra inflammationes colli uſurpatur, item contra pleuriſim bibitum, & alia interna apoſtemata, internum calorem, febres ardentes. Item contra alcolam cum melle roſato Item contra lumbricos, peſtem, ſcabiem, porriginem, phthiriaſin valet. Cum tepida aqua ſalis hujus ſuperimponendo aut lavando morſus rabidi canis ſanat. Item veſicis aut ulceroſis locis gallicis conducit. Item ambuſtis mēbris auxiliatur. *Agrimonia.*

DE SALE CENTAURII MAIORIS.

SAl centaurij majoris hydropicis ac peſtiferis morbis opitulatur. Item contra venenum, melancholicum ſanguinem, caducum, hebitudinem viſus & oculorum, morbum Hungaricum, febrem calidam, icteritiam uſurpatur.

DE SALE PARIETARIÆ.

SAl parietariæ in liquorem redactus illitu ſacros ignes, aduſta condylomata, tumores inflationesque ſanat: contra calculum cum liquore oculorum cancri, aqua artemiſiæ: contra colicam ut ſal camomillæ romanæ: contra omnes obſtructiones hepatis & lienis, contra putredines ut ſal abſynthij & cichorei: contra flatus ventriculi, inteſtinorum cum conſervis & aquis competentibus.

DE SALE PENTAPHYLLI.

SAl pentaphylli contra morbos jecoris ac pulmonis, ac venena valet, fiſtulasque inſpergendo curat.

DE SALE ARISTOLOCHIÆ.

SAl Ariſtolochiæ venenis reſiſtit, ſingultibus, etiam horroribus, convulſionibus & laterum doloribus. Item lieni & aſthmaticis convenit, gargarizatum gingivas & dentes abſtergit.

DE SALE VALERIANÆ.

SAl valerianæ menſes ciet, urinam movet, laterum dolori prodeſt.

DE SALE TORMENTILLÆ.

SAl tormentillæ urinæ incontinentiam ſupprimit, menſesque ſiſtit.

DE SALE PLANTAGINIS

SAl plantaginis, ulceribus renum ac veſicæ in potu datur. Item tertianis febribus auxiliatur.

DE SALE PLANTAGINIS MINORIS.

SAl plantaginis minoris in febribus peſtilentialibus & cordis doloribus item ad ulcera veſicæ ac renum cum bono vino adhibetur. Item contra melancholicam phantaſiam, dolorem matricis & tumorem ejus, item contra phreneſim & caducum, vulnera conſolidat intrinſeca & apoſtemata ex morbo Gallico, ulceraque antiqua: valet contra dolores capitis ex Hungarico morbo ſæpius uſurpatum. Item contra putrefactionem oris & colli, vel alcolam, cum melle roſato mixtum purgando vel gargarizando valet. Item cum aceto mixtum ambuſta extinguit.

DE SALE PLANTAGINIS MAIORIS.

SAl plantaginis majoris mundificat ſanguinem aduſtum, prodeſt cholericis. Item alcolam, ulcera colli aut apoſtemata ſanat,

nimio

nimio hepatis calori medetur, ut & pulmonum vitiis, peſti ac febribus peſtiferis, caduco, apoplexię, pleureſi, cephalalgiæ: mariſcas arcet, parvulis veminantibus dato cum hydromelle, vertiginoſis & in dolore capitis mane & noctu applicatur, nimirum panno capiti circumpoſito: gravidis mulieribus menſes ſiſtit; hæmopleicis utile eſt, renesque ulceroſos curat.

DE SALE PERSICARIÆ.

SAl perſicariæ datur febricitantibus, & defectum pulmonis, hepatis ac lienis emendat cum aquis convenientibus. Item peſtilentiam, colli alcolam, tumorem, fœtidum anhelitum, tuſſim, calculum veſicæ, capitis æſtum tollit. Item cum melle decoctum in modum emplaſtri membrorum excreſcentias, contuſiones, colliſiones, pleuriſim ſanat. Item in communi aqua ſolutum ſi madefacto panniculo ſuperimponatur tumidis pudendis ac bubonibus abluendo medetur. Eadem aqua ſi lavetur corpus, ſerpigines puſtulasque morbi Gallici arcet. Eadem vulnera verminantia purgat in eryſipelate cum aqua roſarum: in igne ſacro vel eſtiomeno cum aqua roſarum & camphora; in ſuffocatione matricis cum aqua plantaginis vel ſeſeli betoniæ: in colica cum aqua camomillæ & pulveris cumini ʒ j. intrinſecus calores extinguit cum aqua ſolatri hortenſis (Nachtſchatten/) aut ſucco. Eadem fomentata contracturas membrorum adjuvat. Eadem quoque equis & pecudibus valdè utilis in tumoribus, fracturis ac luxationibus crurum, præſertim calidè ſuperimponendo, fovendoquę continuè donec reſtituantur. Eadem aqua ſi caput abluatur, impedit defluvium capillorum, ſiſtit catarrhum, impetiginem arcet. Glycyrrhizæ ſuccus in hac aqua reſolutus, vel radicis decoctum cum roſarum melle mixtum ac hauſtum tumorem colli aufert, pectoris anguſtiis & cordis; item aſthmati conducit. Contra calculum, item contra dyſenteriam cum dianiſo ac aliis valet.

DE SALE HELLEBORI.

SAl hellebori ſolutum in vino aut aliquo liquore convenienti educit humorem epilepticum, comitialem, caducum, apoplecticum, podagricum aliosque pravos humores & malignos dę matrice & aliis locis potenter juvat.

DE SALE SYMPHYTI.

SAl ſymphyti menſes, morbum Gallicum, vermesque expellit, calorem hepatis, icteritiam ac peſtem curat, dyſentericis ac hæmoptoicis prodeſt: fiat gargariſmus ad colli apoſtemata miſto hoc ſale cum melle unguntur cum penna ulcera.

DE SALE ASARI.

SAl aſari ſumptum in aqua veronicæ contra phthiſin, hydropiſin, ac febres frigidas valet, Podagricis ſuperpoſito linteolo

tepido utile eſt, phthiriaſin curat. Sal iſte cum aqua fœniculi hauſtus hæmoptoicis prodeſt. Si in aqua ſolvatur & per nares attrahatur choleram pellit. Item gargariſmum ad palatum & vitia colli præbet.

DE SALE BORRAGINIS.

SAl borraginis calculum renum ac veſicæ expellit, melancholiam, mariſcas, puſtulas, fiſtulas, ulcera curat.

DE SALE BVGLOSSÆ.

SAl bugloſſæ valet ad podagram, intrinſecus, item ſumptus in vino matricis incommoda emendat: tuſſim, cardiacam, ulcera colli, gargarizando.

DE SALE BENEDICTÆ CARYOPHYLLATÆ.

SAl benedictæ caryophyllatæ phreneſin, icterum curat, hydropicis conducit, vertiginem & melancholiam pellit, generat bonam memoriam, ſanguinem mundificat. Contra apoplexiam, tumorem oris & putrefactionem cum melle roſato mixtum ungendo ſanat.

DE SALE BVRSÆ PASTORIS.

SAl burſæ paſtoris prodeſt calidis & ſiccis complexionibus, iiſq; hominibus, qui non poſſunt mingere, habentque urinam rubeam, vel ſanguinem mingunt, habentque apoſtema, morbum gallicum peſtemque: menſes ſiſtit mulieribus, febres calidas vel æſtuantes pulmones, hepar curat; dyſentericis ac hæmoptoicis prodeſt, ambuſta extinguit, & apoſtemata tumidosque ac æſtuantes pedes, ſcabiem ſquamoſam ac ſiccam emendat, venenum ex morſibus venenatorum animalium, ut ſerpentum, viperarum, extrahit.

DE SALE CENTINODII.

SAl centinodij aſthmaticis, hæmoptoicis, dyſentericis, ictericis ac febricitantibus prodeſt, ex frigiditate laborantibus, menſes ſiſtit, dolorem ſtomachi ex frigiditate ab humoribus ſuperfluis lenit, calculum ac vermes pellit. Sal iſte in vino ſolutus putrefactionem oris emendat, vulnera conſolidat, in aceto ſolutus valet contra eryſipelam, & ambuſta, tumoremque teſticulorum ſedat. Sal commune prodeſt ſenibus catarrhoſis, & ſtomachum phlegmaticum habentibus. Item febres frigidosque vapores aſcendentes emendat, cor confortat. Item contra colicam paſſionem valet: item apoplecticis, melancholicis, aſthmaticis ac tuſſientibus etiam peſtis tempore utile, confortat cerebrum ac ſtomachum, urinam, ventoſitatem expellit.

DE SALE EVPHRAGIÆ.

SAl euphragiæ valet contra morbum caducum, hepar calidum refrigerat, ictericis & ſcabioſis prodeſt: fiat gargariſmus ex eo

contra

ontra dolorem dentium & odontalgiam oriſque apoſtemata; tem ſerpigini & oculis lacrymantibus applicatur; item ambuſtis b igne membris conducit.

DE SALE ARBORUM QUARUNDAM ac viribus ejus.

DE SALE EBULI.

SAl ebuli hydropem & febrem quotidianam curat. Sumptum cum propria aqua brevi hydropicos curat.

DE SALE SAMBUCI.

SAL ſambuci hydropiſi medetur.

DE SALE FRAXINI.

SAl fraxini hauſtum cum propria aqua lienoſis medetur, venenis reſiſtit: peſti quoque modò in aqua cardui benedicti administretur: doſis ℈ j. ad ij.

DE SALE VITIS VINIFERÆ.

SAl vitis viniferæ valet tempore peſtis, eſt diaphoreticum quoddam: lixivium ejus per ſe bibitum ſudorem provocat.

SAL TALI SUILLI.

Potus inflammationibus torminibusque longis medetur.

SAL CORNU CERVI.

PRodeſt dyſentericis, exſcreantibus ſanguinem, cœliacis, regio morbo, veſicæ doloribus cum traga, feminis fluxione vulvæ laborantibus cum liquore huic rei accommodato, ulceribus oculorum medetur, dentes expurgat, addito aceto ſanguinis eruptiones cohibet.

FÆX ACETI.

TUmores per ſe & cum myrtho cohibet, ventris, ſtomachi fluxiones illata ſiſtit; muliebre profluvium, imo ventri aut genitalibus impoſita mitigat: panos diſcutit nondum exulceratos: tubercula, mammas rigentes, ſuique tactus impatientes, cum aceto peruncta extinguit cremata vero, ungues, ſcabies cum reſina aufert, tingit capillos flore ruffo: elota oculorum medicamentis admiſcetur & caligines eadem abſtergit.

DE SALE LIGNI QUERCINI.

SAl ligni quercini reſtringit ſanguinem & fluxum narium, & pro cauterio faciendo.

DE SALE BUXI.

SAL buxi Hiſpanicæ lui reſiſtit, loco ſalis guajaci ſumi poteſt.

DE SALE GUAIACI.

SAl ligni guaiaci venereum humorem educit. Lignum hoc per chemiam in aquam, oleum & ſalem redigitur, quod chemiæ

ſtudioſi Mercur. Sulphur & ſalem nominant: quidam multo citius hac præparatione a venerea lue curantur. Andernacus & alij medici hauſerunt ex libris Theophraſti Paracelſi, ubi ſcribit de correctione ligni guaiaci ac præparatione ejus, docetque ex ligno hoc liquorem gummi & alcali facere, cum quibus lues illa venerea melius quam cum ejus decoctione vel brodio curatur, ut mos eſt apud plurimos. Eodem modo etiam buxus eſt præparanda ad veneream luem curandam, nec ſymptoma ullum metuendum aut periculum aliud, vel ex decocto & methodo ejusdem. Sic etiam pinus præparari poteſt, ad morbum illum Hiſpanicum. Item fraxinus & viſcus, alcali ejus uſurpatur ad evacuationem fluxus hepatici, & Gallici cum puſtulis ſuis, quibus expellendis regimen nullum obſervatur, ut ferant famem, ſed cum bono vino ac cibo, ſaleq; alendi ſunt ægroti, liquor guaiacinus eſt potus ejus, gummi guaiacinum eſt unguentum quoddam ad puſtulas.

DE SALE LAPIDIS REPERTI IN SPONGIIS.

SAl lapidis reperti in ſpongiis, cum vino potus calculum, qui in veſica eſt, rumpit.

SALIS GEMMÆ PRÆPARATIO CONTRA hydropiſim & icterum.

℞ ſalis gemmæ, ſucci Titymali, id eſt, eſulæ minoris an. ℥ j. gummi ex ceraſis ad pondus omnium, fiat bolus & reverberari ſinas in tertio gradu per duas horas, & extrahe alcali: doſis eſt à gra. viij. uſque ad xij. loco diagridii trociſcos alhandali ſumere poteris. Additio. Hujus accipe ſalis gemmæ ℈ v. Reboli, id eſt, veræ mumiæ liquoris, centaureæ an. ℈ iiij. miſceantur; doſis eſt à granis quatuor uſque in xij. in ovo ſumpta, ejusdem præparatio in ejuſdem morbis. Hujus accipe ſalis gemmæ ℥ j. ſucci catapuciæ ℥ ij. farinæ tritici ad pondus omnium, fiat inde panis optime coctus, de quo detur ʒ j. ad ʒ ij.

DE SALE EX TALIS BOUM VEL porcorum.

SAl iſte bibitus cœliacos adjuvat, mixtus cum melle ventris lumbricos necat. Item cum oxymeli contra morbum lienis valet.

DE SALE CORNU CERVI.

SAl cornu cervi prodeſt cœliacis ac dyſentericis.

DE SALE CERVINI SANGUINIS.

SAl cervini ſanguinis curat morbum articularem, podagram ac chiragram & gonagram.

DE SALE EX CORNU CAPRARUM.

SAl iſte dyſentericis adhibetur.

DE SALE HIRCINO ET SANGINE EIVS.

SAl ex ſanguine hirci morbo articulari, chiragræ, gonagræ ac podagræ medetur. Tantum de ſalibus ex herbis, lignis, lapidibus & animalibus præparatis dictum modo ſufficiat, cujus uſus perantiquus eſt. Nam ante an. 1500. cathartica ſalia in uſu apud Græcos fuerunt: Et Ætius aniſi ſalis mentionem facit: Galenus de ſimplicibus medendi facultatibus lib. 2. de ſale verba faciens, talia refert: Sal, inquit, uſtum digerit quidem potentius quam uſtionis expers: quanto ſcilicet ſubtilius ipſum corpus accepta ab igne facultate redditur: Quum autem eodem lib. ſcribat, quæ tenuium ſunt partium plus habeant efficaciæ, licet parum ſortita fuerint facultatem, nimirum quod melius penetrent, præſertim ad fæces & tartareum humorem exolvendum. Nam calcinatione ſal rerum extrahitur. Sal autē ſale ſolo reſolvi poteſt ſi bene intelligas, atque ita contraria non contrariis, verum ſimilia ſimilibus curari ſcias: & quamvis etiam ex urinis puerorum, ex animalibus & antiquis calceis ſal fieri, & abſque periculo uſurpari poſſit, tum ad externam tum internam medicinam: tamen propter ejus abominationem uſum prætermittere volo. Ultimo hoc notes, quo magis ſalia ſolvuntur, filtrantur, purificantur, eo plus de ſuo fœtore amittere & plus virium acquirere. *Galenus quid de ſale ſentit.*

CONCLVSIO TOTIVS OPERIS

SALIA *ſunt multiplicia, quorum quadam ſunt mineralia & fixa, & quadam ſunt vegetabilia fixa, quadam ſunt animalia fixa, ſed ipſorum ſpecierum ſalium tam vegetabilium & mineralium inveniuntur fixa (ut inferius patebit.) Fixa mineralia ſunt ſal panis, quod extrahitur à mari vel aquis puteorum. Inde ſal Gemma, quod eſt clarius omnibus & transparens ut cryſtallus, & eſt melior ſupradictis, & ſunt dua ſpecies, quarum una eſt cryſtallina, altera vero rubea diaphana, naſcitur in mineris & locis ſulphureis, habens ſubſtantiā diverſam per lapides magnos & parvos: & invenitur praſertim in Hiſpania loco dicto Cardons: etiā in Vngaria. Vegetabilia etiam ſunt fixa & non fixa qua ex cineribus arborum & herbarum fiunt, ex capitellis fortiſſimis, & aqua ab eis evaporata, remanet ſal in fundo vaſis, & ſecundum cineris complexionem remanet ſal fixum, vel non fixum: experientia te docebit. Vnum tibi dico, quod ſal alcali eſt omnibus ſalibus dignior, praſertim vegetabilibus, & eſt oleum fixum, quod ſiccitas ignis congelavit. Sunt aliqui, qui ſal alcali de ſoda faciunt & dicunt fixum eſſe, & fixat. Ideo cor tuum in ſale alcali pone: etenim eſt ſecretum praſtantiſſimum. Quandoquidem omne fixum in fixo vertitur in na-*

turam fixi. Deus in æternum ex creaturis in creaturis per creaturas benedictus ſit. Amen.

AD FIDELES ET PIOS MEDICOS.

MEmini (viri doctiſſimi) me plures medicorum eruditorum libros evolviſſe, in quibus quod ſæpe miratus ſum, nullam ſummi rerum opificis mentionem inveni, multo minus auxilii divini invocationem, antequam ægrotis ſuis medicamenta exhiberent. Cum tamen certo certius ſit Medici pietatem interdum plura præſtare quam admirandam multorum ſcientiam. Propterea cum corporalis infirmitas nonnunquam ex peccato proveniat, Medicorum officium erat, cum ad infirmos vocarentur, ipſos ante omnia monere, & inducere, ut animarum medicos adhiberent, ut poſtquam fuiſſet infirmo de ſpirituali ſalute proviſum ad corporale medicinæ remedium ſalubrius procederetur. Hanc viam laudabilem tres ſaltem quod ſciam præſtantiſſimi Medici ingreſſi, ſumma cum laude artem ſuam exercuerunt, Arnaldum puto, Gordonium & Raymundum Lullium in arte operativa. Hi ſæpius ægrotos ſuos viſitando eos ad reſipiſcentiam hortabantur & implorato prius divini numinis auxilio ſummam Dei benedictionem in medendo experti ſunt.

Raymundo ſequens formula precandi fuit familiaris, quam huc aſſcribere placuit, & quæ omnes veros Medicos ſui officij admonere debet.

PRECATIO RAYMUNDI LULLII ANTE medicinarum exhibitionem.

DOmine Ieſu Chriſte, qui es omnium vera ſalus, Domine tu es qui omnia in bonitate & ſapientia tua valde bona creaſti, ſine te nihil ſcio boni in ſeculo. Quare Domine Ieſu Chriſte majeſtatem tuam ſuppliciter adoro, quia ſcio & firmiter credo, nihil boni abſque tua bonitate, nihil magni abſq; tua magnitudine, neque durans abſq; tua duratione, neque potens ſine tua poteſtate, neque ſapiens ſine tua ſapientia, neque diligens ſine tuo amore, neque virtuoſum, ſine tua virtute, neque verum ſine tua veritate, neque glorioſum, ſine tua gloria, neq; juſtum ſine tua juſtitia: ſcio etiam quod tu hominem mirabiliter creaſti, mirabilius reformaſti; qui medicinam ad reparandam ſanitatem humanorum corporum dediſti: da benedictionem iſti medicinæ, ut omnes virtutes, quas in principio poſuiſti in ea ad finem perducantur: ut in corpore quod introierit ſanitatem mentis & corporis inducere mereatur, per Dominum Ieſum Chriſtum filium tuum, Amen.

Creſcit agitata virtus.

GENE-

GENEROSISSIMI DOMINI BERNARDI, COMITIS MARCHIÆ Treviſanæ Liber.

De ſecretiſſimo Philoſophorum opere Chemico, per naturam & artem elaborando.

QUo veros inquiſitores hujus artis à communibus erroribus retraham in veram ſemitam, ne ſuas facultates dilapident, laborumque nominis & famæ jacturam faciant falſis librorum receptis inſiſtentes, ut ſunt Geberi, Raſis, Alberti Magni, Tramitis, Luminis, Canonis Pandectarum, Demophontis, Summæ, ac aliorum hominum ſeducentium, narrabo primum errores meos, ac deinceps quemadmodum ad optatum finem pervenerim, quaterque hiſce propriis manibus lapidem fabricatus ſim, & abſolverim. Quo tandem & qui meum legerint proceſſum, ſpeculationibus & imitatione operum naturæ pariter efficere valeant. Fatuum eſſet cum vulgo judicare, propter Sophiſtas & impoſtores, quos in hac arte verſari videmus indies, falſam exiſtere, vel ejus veros auctores, & ſapientes ſuis ſcriptis imponere voluiſſe aliis, quia ipſi fuerint illuſi, quin potius famam de ſe poſt mortem reliquiſſe voluerint, & non infamiam, aut vituperium. At ignarum vulgus hoc habet idioticæ proprietatis, ut mox à prima lectura, quod non intellexerit, contemnat. Proinde longe plus proficiet quicunque per firmas imaginationes principia naturæ ſequutus fuerit, quam litera vana & mortua ſub ænigmatum figuris innumeris, ac ſophiſticis. Ut autem proborum ſententias vobis colligam ſincere pure tractantium, libellum hunc conſcribere volui, partirique in quatuor partes: quarum prima narrabit inventores artis, eosq; potiſſimum, qui hac potiti ſunt ex voto, ac per quos ego adeptus ſim. In ſecunda meam propriam hiſtoriam enarrans, dicam ad longum quicquid mihi contigerit in inquiſitione temporis, & laborum onera citra ullam invidiam ab initio in finem omnia. Tertia de radicibus & principiis diſſeret metallorum, evidentiſſimis & philoſophicis demonſtrationibus. Quarta vero practicam ipſam continebit, ſub parabola non uſque adeo obſcura, quin optime poſſit intelligi. Singula quidem ad eum ſcripta modum, ut niſi Lector per hunc meum libellum intelligas, facile non crediderim per alium te percepturum unquam. Nec eſt etiam quod prima facie mox intelligere te poſſe putes, vix decima lectura, quo ſæpius eam repetes, eo melius indies rem detegere poteris. Non tædere debet laborum, vel pœnitere quenquam, qui credat his evitari poſſe paupertatem intolerabilem, & morbos omnes

omnes animi & corporis, ut ipſemet expertus ſum in multis leproſis, caduciș, hydropicis, hecticis, apoplecticis, iliacis, dæmoniacis, inſenſatis, furibundis, & aliis quamplurimis. In addiſcenda quapiam arte mechanica vel aliqua liberali ſex vel ſeptem anni ſunt ad minimum inſumendi, ſed in hac omnes aliàs excellente, quantum Sol ſtellas omnes, non ultra menſem, quinque vel ſex ſuſtinere quis volet. Facilis eſt admodum, & uſque adeo, ut ſi claris enarrarem verbis, vel ad oculum demonſtrarem, vix credere poſſes. Tota difficultas conſiſtit in noſtris vocibus, & intentione.

PRIMA PARS CHEMIÆ DOMINI BERNARDI Comitis Marchiæ Treviſanæ: De primis inventoribus hujus artis.

ARtis Chemiſticæ primus inſtaurator, ab ejus oblivione poſt diluvium, fuit HERMES TRISMEGISTUS, ut legitur, Hiſtoriarum libris memorialibus geſtorum antiquorum, in Imperiali, & in expoſitione Tabulæ ſmaragdinæ per Clavetum. Hic dictus HERMES vel MERCURIUS, quia ſapientiſſimus omnium ſui temporis, & Triſmegiſtus, Termagnus, vel Terſapiens, quod omnem mundanam ſapientiam, aut Phyſicam triplicem calluit atque docuit, vegetabilem, mineralem, & animalem, unum lapidem: Pater autem in hac arte vocatur, ab inſtauratione, ut in omnibus libris habetur Hermeticæ Turbæ, in quibus ejus mentio facta eſt priusquam Pythagoræ. Quotquot etiam hanc tenuerint artem filij vocabuntur Hermetis. De hoc viro legitur in Bibliis, ipſum intraſſe in vallem Ebron primum, & ibidem inveniſſe lapideas tabulas ſeptem, quibus inſculptæ fuerant à Sapientibus, priusquam inundatio fieret aquarum, ſeptem artes liberales, cuique ſua ſolum in principiis ſuis, ne tranſirent in oblivionem. Etenim eo tempore licet inſtructi ſatis, ut præviderent non omnino periturum mundum, ſed ſervatum iri, nihilominus tamen perfectam non habuerunt ſapientiam, ut conſiderarent Deum qui dederat ipſis illam eo temqore, dare potuiſſe aliis, & alij quoties vellet.

Vixiſſe fertur ante Legem, & poſt, quo tempore multi ſapientes viri vixerunt. Narrat Aros in epiſtola quadam ad Regem Meſſohe. hanc artem revelatam à Deo nonnullis filiis Iſrael, ad Arcam Domini decorandam auro, & perficiendam, uti habetur apud Ezechielem & Danielem Prophetas: item apud Joſephum. Nonnulli abſque manifeſta revelatione libriſve, ſed occulta per meditationes in operibus Dei viſibilibus à ſuis creaturis, quemadmodum Phithomea, Rebecca, Salomon, & Philippus Macedo, quos omnes tamen à Diluvio præceſſit Hermes in hujus artis inventione,

entione,per tabulas dictas in valle Ebron ab ipſo repertas, quo oco poſitus fuerat Adam ab exilio de Paradiſo Eden. Ab Hermete ad plurimos alios derivavit, per libellum, quem inſcripſit Smaragdinam tabulam,ſub his verbis: Verum eſt,certum & veriſſimum: Quod eſt ſuperius,naturam habet inferioris, & aſcendens naturam deſcendentis. Conjungas unica via diſpoſitioneque. Sol eſt eius conjugii pater,& alba Luna mater,tertius ſuccedit,ut gubernator,ignis. Craſſum fac ſubtile, & hoc ſpiſſum reddito, ad hunc modum gloriam habebis hujus mundi. Brevi hoc libello totum opus continetur. Plurimi hanc artem conſequuti ſunt,quemadmodum legitur de Rege Calibus medio Bendagid Ternarij. Ariſtotele Chemiſta, Platone, & Pythagora Hermetis diſcipulo, Codicis auctore, quo libro continetur ipſa rei veritas hujus absque ſuperfluitate, vel diminutione, licet obſcure ſatis. In Arabia Rex Haly maximus Aſtrologus habuiſſe fertur ejus notitiam, qui Merienum docuit, & iſte Regem alium Arabiæ Calibus dictum antea: item Aros eam docuit Nephandin fratrem ſuum,& Saturnus Luncabur, atque ſororem ejus Mederam. Infinitus eſt eorum numerus, quos recenſere vanum eſt: & librorum de hac arte conſcriptorum ingens habetur copia, ſub metaphoricis verbis atque figuris,ut non facile queant intelligi ab aliis, præterquam à filiis artis,quorum lectura potius à via recta ſeducit in varios errores,quam ad ſcopum dirigat,è quorum numero ſunt Scotus,Arnaldus,Raymundus,Jo.Mechungus, Hortulanus, Veridicus,&c. Proinde quo ſtudioſos ad ſemitam rectam reducere valeam,opuſculum hoc ipſis conſcribere volui.

SECUNDA PARS, IN QUA DESCRIBUNTUR *ingentes labores auctoru,& impenſa maxima, cum ſingulis operationibus ab initio uſque in finem, ex veritate perſeverantiſſimi ſucceſſus.*

CUm primum opus hoc aggreſſus ſum,in manus meas incidit liber Raſis, in quo quidem experiundo quatuor annorum, & octingentorum coronatorum: item in Gebri libris plusquam duorum millium pro principio jacturam feci: ad id me ſollicitantibus,ac inducentibus,multis impoſtoribus,ut meam exhaurirent ſubſtantiam. Poſtmodum inſpexi libros Archelai tribus annis, in quibus operatus ſum una cum quodam monacho, & in libris Rupeciſſæ,ac Jo. de Sacroboſco, per aquas vitæ rectificatas trigeſies cum fæcibus,ut in tantam acredinem abiret, quæ nullo vitro cohiberi poſſet,in eo labore deperierunt alij trecenti coronati. Duodecim aut quindecim ad hunc modum conſumtis annis, & innumeris aureis, abque fructu, poſt multorum experimenta tecep totum, in diſſolvendis & congelandis, communi, armoniaco,pinco,

co,pineo,ſaraceno,metallico,ſalibus,tum plusquam centies c
cinandis ſpatio duorum annorum, item in aluminibus rupeis g
ciei,ſcaiolæ, plumæ,in marcaſitis, ſanguine, crinibus, urina, h
mano fimo,ſemine,animalibus & vegetabilibus herbis, cuper
ſis, vitriolis, atramentis, ovis,per ſeparationem elementorum
athanore,per alembicum, pellicanum, per circulationem coctio
nem,reverberationem,aſcenſionem,deſcenſionem, fuſionẽ, igni
tionem, elementationem, rectificationem,evaporationem, con
junctionem,elevationem,ſubtiliationem,per commixtionem: &
alia ſophiſticationum infinita regimina,quibus jam duodecim a
nis inhæſeram, ætatis factus annorum triginta octo, adhuc ex
ſtens in extractionibus Mercuriorum,ab herbis & animalibus, ha
ctenus dilapidaram inutiliter, cum ſtultitia propria,tum impoſto
rum ſeductionibus, circiter ſex millia coronatorum, ut ferè de
ſpondiſſem animum. Verum enimvero ſemper interea meas pre
ces ad Deum fundere non ſum oblitus,ut ſubvenire meis conat
bus dignaretur. Deinceps in quendam Præfectum noſtræ patriæ
pariter inveſtigantem, incidi, qui ex ſale communi lapidem con
ſtruere conabatur,hoc in aere diſſolvens, & congelans ad Solem,
aliaque multa narratu prolixiſſima. In hoc opere prætèrlapſus eſt
ſeſquiannus cum aliis,inani labore, quod in vera materia non o
perabamur. Fruſtra quæritur in eo,in quo, quod quæſitum eſt,
non continetur, ut in Codice Turbæ veritatis legitur. Cum ego
ſal commune haudquaquam habeat quod optamus,quinquies a
que decies aſſumtum repetitionibus, nullam ſuæ naturalis pro
prietatis alterationem demonſtrare nobis voluit unquam,quapro
pter ipſum reliquimus ultra non tentatum. Præterea vidimus
alios in aqua fortiſſima diſſolventes argentum optimum,cuprum,
& alia metalla: item argentum vivum, quodque ſeorſim in pecu
liari vaſe, ac eadem aqua, tandem ejusmodi ſolutiones omnes,
poſtea quam duodecim integris menſibus quieviſſent, confun
dentes in unicum vas: eam permixtionem aſſerebant eſſe conju
gium ſpiritus & corporis. Vas ejusmodi ſuper cineres calidos con
tinebant,uſque dum aquæ tertia pars evaporaſſet,reſiduum expo
nebant Solis radiis, opinantes lapillos cryſtallinos inde procrea
tum iri albos congelatos & liquabiles,ad albam ex albo, & ex ru
beo metallo rubeos,ad rubeam tincturam.Ex viginti duabus phia
lis ejusmodi liquore ſemiplenis, tres nobis dederunt. Expectavi
mus omnes eventum generationis hujusmodi lapillorum in fun
dis vaſorum,quinque annis,at fruſtra: ſiquidem, ut in Turba di
citur,nihil extranei opus eſt ad iſtum lapidem: per ſeipſum enim in
materia ſua metallica perficitur: tunc temporis annum ætatis
meæ quadrageſimum ſextum compleveram, cum ego una cum
doctore monacho nomine Gotofredo Lepore lapidem ex ejus
inven-

[..]entione præmeditatum aggreſſus fui: ſciebamus enim aliud [..]s quodcunque præter lapidem eſſe vanum, ac fruſtraneum: [..]apropter hunc fabricare conati ſumus, ad hunc modum videli[..]: Emimus gallinarum ova numero duo millia, quæ in aqua [..]ta duraque ſeparavimus, cortices in ſummam albedinem cal[..]antes: vitellos autem & albumina quælibet per ſe ipſa in equi[..] fimo putrefieri ſivimus, & poſtea deſtillavimus trigeſies in a[..]am albam, & in oleum rubeum ſeparatim, aliaq; multa, quæ ob [..]olixitatem relinquimus: in hoc opere vano ſimiliter anni duo [..]m dimidio nobis deperiere præter utilitatem, imo diſpendio [..]aximo, quo factum, ut ferme deſperabundi prorſum deſeruiſſe[..]us omnia, niſi nova ſpe fulciti: cœpimus iterum addiſcere ſpiri[..]um ſublimationes, aquarum fortium deſtillationes, ſeparatio[..]s elementorum, fornacum & ignium ſtructuras varias, in qui[..]s verſati fuimus annos octo. Supervenit alius quidam Theo[..]gus, ac doctus, Prothonotarius à Bergis, quo cum etiam ope[..]i lapidem extruere volebamus, cujus inſtinctu ſolum ex vitrio[..] rem exequi putavimus, ac primo deſtillavimus acetum acerri[..]um octies, in quo vitriolum dictum calcinatum diſſolvimus, [..]ſtraximus: iterum affuſum abſtraximus decies & quinquies die [..]olibet, ſpatio duorum menſium, ob cujus odorem vehementiſ[..]mum, quartana febre laboravi quatuordecim menſibus, com[..]ixtum hoc anno integro quieſcere, ſed nullo fructu permiſimus: [..]at enim extranea materia. Relatum nobis poſtea fuit à quo[..]m viro docto, Confeſſorem Imperatoris, cui nomen erat Ma[..]ſter Henricus, certiſſime habere ac tenere magiſterium lapidis: [..] igitur ejus notitiam haberemus, opus fuit amicorum medio [..]aximo, & ultra diſpendio plus quam ducentorum coronato[..]m, antequam nobis familiarem potuimus reddere. Hic autem [..] hunc modum operabatur: Paſtam ex argento & Mercurio [..]iſcebat cum ſulphure, & olivarum oleo, decoquendo ſimul igne [..]nto in pellicano luto munitiſſimo, ſpatulaq; lignea incorporan[..]o, ſed materia nunquam permiſceri potuit in unum corpus ſpa[..]o duorum etiam menſium. Tandem in aliam phialam poſitam [..]anc materiam, luto ſimiliter munitam, ac ſigillatam, in cineri[..]us continebamus calidis omnino ſepultam, igneque circum cir[..] fovebamus exiſtimantes Mercurium ſpatio dierum quinde[..]m, aut viginti & uno, virtute ſulphurei corporis, converſum iri [..] optimum argentum. Decoctione abſoluta phialæ plumbum [..]nponebat pro arbitrio, & igne violentiſſimo liquefaciebat o[..]nia ſimul in maſſam unam: qua fulminata per capellam cine[..]ij, debebamus invenire argentum pro tertia parte multiplica[..]m. Ego pro mea parte dederam argenti marcas decem, alij [..]ro triginta duas, ex quibus recipere putabamus centum & tri-

ginta

ginta marcas. At ſecus evenit,quoniam ex triginta duabus marcis,ab examine ſocij duodecim duntaxat habuerunt, ego autem ex meis decem quatuor marcas accepi. Quo factum, ut cum lapidis arcanum habere crederem à patre Confeſſore quadringentis rurſum coronatis pauperior factus ac dolens duobus menſibus abſtinui,ut ab opere prorſus abhorrerem, maxime quod mei parẽtes omnes increpare me,ac tormentare indies nõ deſiſterent, ut præ mœrore vix edere, vel bibere poſſem, ad tantam maciem redactus ſum,ut omnes exiſtimarent me veneno contagioſo quopiam imbutum eſſe. Nihilominus repente poſtmodum quam antea magis accenſus plus millies,maximè quia tæderet inutiliter elapſi temporis: agebam enim tunc annum quinquageſimum. octavum. Omnium errorum cauſa meorum (proh dolor) unica hæc fuit,quia devius oberrans non operabar in materia congrua: nam,ut ipſe Geber loquitur: Corpora quævis imperfecta,mixtione cum corporibus à natura ſimpliciter perfectis, nullatenus perficiuntur,quia ſimplicem formam,pro ſe tantum,in primo gradu perfectionis, à natura quæ perficiuntur, adepta ſunt, ac velut mortua,nihil de ſua perfectione non ſuperflua, tribuere poſſunt aliis,idque duabus de cauſis,priore quidem,quia per imperfectionis admixtionem redduntur imperfecta, cum non habeant plus perfectionis, quam pro ſeipſis indigent: poſteriore quia non poſſunt hac via permiſceri principia ſua mixtione per minima, ut in decimotertio digeſtorum habetur in Pandectis, & libro Calib. item apud Gebrum,& in opere naturali, apud Magiſtrum Daalin, & Arnaldum Villanovanum; in Speculo Alchemiæ,in Semita errantium à Platone conſcripta,in Epiſtola Euvarali,in Roſario magno, & in Euclidis tractatu brevi ac reliquis non ſophiſticis ad hunc modum: Corpora vulgaria, per naturam ſolam in mineris abſoluta, ſunt mortua, ut imperfecta perficere nequeant, verum ſi per artem ad ſeptenam, denam, vel duodenam ſuæ perfectionis multiplicationem adducantur, eatenus tingunt in infinitum. Tum demum enim penetrantia, ingredientia, tingentia, plusquam perfecta,vivaque facta ſunt reſpectu vulgarium: de quibus etiam apud Raſim, Ariſtotelem chemiſtam, Aulphanem in ſuis Pandectis, & Danielem quinto capitulo ſuarum Retractationum: Aurum noſtrum completum (inquiunt) eſt pluſquam vivum. Item aurum noſtrum, & argentum noſtrum album, quæ ſunt unũ & idem, non ſunt vulgaria metalla: ſunt enim viva,alia vero mortua virium expertia, ut aureo Codicis libro legitur, & plerisque aliis. Innumeros utique vidimus operantes in amalgamationibus & multiplicationibus ad album & rubeum,in omnis generis materia, quæ poſſit excogitari, maximis laboribus, tantaque perſeverantia,ac tam conſtanti,ut majori nequeat,ſed nun-

quam

quam vidimus adhuc argentum tertia parte, media vel minima locupletatum. Infinitas nihilominus dealbationes vidimus, rubificationes, recepta multa ſophiſticationum in tam variis atque diverſis regionibus, uti Romæ, in Navaria, Scotia, Turcia, Græcia, Alexandria, Barbaria, Perſia, Meſſinæ, Rhodi, in Gallia, in Hiſpania, in Terra ſancta, & in conterminis regionibus, in Italia, in Germania, in Anglia, ac per totum fere mundum in circuitu, nullibi horum locorum adhuc vidimus, niſi laborantes in rebus ſophiſticis, herbalibus materiis, animalibus, vegetabilibus, plantalibus, lapidibus mineralibus, ſalibus, aluminibus, aquis fortibus per deſtillationes, elementorum ſeparationes, ſublimationes, calcinationes, argenti vivi congelationes, mediis herbarum, lapidum, aquarum, oleorum, fumorum, ignium, & vaſorum admodum extraneorum, at nunquam in congruis operantes materialibus ſubſtantiis reperimus. Nonnullos aliquoties in illis regionibus invenimus, qui lapidis conficiendi modum tenebant, ac rationem: ſed in ipſorum familiarem conſuetudinem devenire minime potuimus. Quamobrem huc atque illuc diſcurrendo, inveſtigando, & experiundo jam conſumpſeram decies mille & trecentos coronatos aureos, vendideram enim quandam poſſeſſionem, quæ valebat octo millia florenorum Germanicæ monetæ, ut omnibus meis parentibus veniſſem in maximum contemtum, quia redactus eram ad paupertatem, ut pauca mihi jam reſidua pecunia maneret, annos tunc ſexaginta duos & ultra nato. Nihilominus ob tantas adverſitates admodum fractus corpore, non animo tamen adeo, ut à concepto deſiſterem, quin potius miſericordiæ Dei confidens, bonæ voluntatis hominibus atque diligentibus nunquam deficienti, patriam non ſine maximo dedecore derelinquens, Rhodum me contuli, nemini hominum notus, ut quærerem ſi quomodo reperire quenquam valerem, qui conſolaretur meas afflictiones deſideriorum. Una dierum de quodam audiveram viro valde religioſo magni nominis, rumor erat ipſum habere lapidem tantopere quæſitum, cum quo maximis tamen impenſis amicitiam inii. Mutuo ſumpſeram à quodam, qui meos parentes optime noverat, octo millia florenorum. Formula ſui laboris erat, aurum & argentum purgatiſſima & foliata, cum ſublimati mercurij partibus quatuor mixta reponebat in fimum equinum, quæ cum ſtetiſſent ibidem undecim menſibus, deſtillabat inde aquam igne vehementiſſimo: terram in fundo vaſis reſiduam calcinavimus igne violento per ſe, aquam vero ſexies iterum deſtillavimus, quavis deſtillatione ſubſidentem terram primæ conjunximus, toties repetita deſtillatione donec reſidentiam nullam poneret amplius. Terræ tritæ & in urinali poſitæ ſenſim affuſimus, at fruſtra multis laboribus conabamur terram aqua ſua imbuere: nunquam enim

permiſceré potuimus, aut efficere quin ſemper nataret ſuper terram, etſi cõtineremus in continuo calore ſpatio ſeptem menſium: nulla fuit conjunctio nec alteratio, igne etiam aucto, quo factum ut frivolum opus reliquerimus propter quod rurſum temporis annorum trium, & quingentorum coronatorum jacturam feci. Vir iſte religioſus habebat excellentiſſimos libros chemicos, ut ſunt Roſarius magnus, Arnaldus de Villanova, Liber verborum Mariæ prophetiſſæ, in quibus ſtudere cœpi denuo, tantiſper abſtinens ab opere ſpatio quidem annorum octo: tum primum cognovi rationibus philoſophicis, & evidentibus, quicquid antea fueram operatus, nil niſi ſtultos & inanes fuiſſe labores: maxime cum conſiderarem Codicis totius veritatis hoc dictum: Natura, inquit, non emendatur niſi in ſua propria natura, natura ſua natura gaudet, natura naturam vincit, & natura naturam retinet. Hoc libro tandem edoctus evaſi liber ab omnibus meis ſophiſticationibus, erroneiſque laboribus. Prius itaque ſtudere volui, quam operari rurſus magnis impenſis & ſine fructu. Multas noctes peragebam inſomnes aſſiduè mecum arguens, & concludens in hanc ſententiam: Quid opus eſt (inquam) ut hanc artem ab hominibus quæram, in vanum hac via meipſum torquens? Si norint artem, nunquam patefacient, ſi non, fruſtra cum ipſis verſor, & magno diſpendio conor ipſorum captare familiaritatem & amicitiam. Conſideravi potius quibus locis libri maxime convenirent in eundem ſenſum, ibidem exiſtimavi latere potiſſimum veritatem, quæ non poteſt in pluribus, ſed in uno tantum exiſtere: hac via mihi facta eſt obviam ipſa veritas: in quibus enim maxime convenire videbam in unum, hoc ipſum fuit, quod tam anxie quæſieram. Quamvis unus hoc nomine vocet, alter alio, nihilominus una & eadem eſt ſubſtantia, ſolus error in diverſitate verborum committitur, & non in concordantiis. Proinde fili mi, hunc libellum in tui gratiam conſcribere volui, ne deſpondeas animum, neve decipiaris, quemadmodum ego diu miſerrime ſeductus fui: tutiſſima cautela ſiquidem alienorum exemplo periculorum eſt addiſcere. Sane credo (ita me Deus amet) iſtas homines, qui talia ſcribunt figurative, aut parabolice, crines, urinam, ſanguinem, ſpermata, herbas, vegetabilia, animalia, plantas, lapides minerales, uti ſalia, alumina, cuperoſſas, atramenta, vitriola, boraces, magneſias, quoſcunque lapides & aquas, proponunt in hac aqua legentibus, (inquam) impenſarum admodum parum aut nihil in ea feciſſe, neque laborum quicquam ſuſtinuiſſe, vel ad id mera crudelitate motos. Nam eorum omnium qui hoc labyrintho ſunt intricati, vel impoſterum eo prolabi poſſent, me miſeret, quoties in mentem veniunt intolerabiles miſeriarum & calamitatum pœnæ, quas perpeſſus ſum. Quiſquis igitur fidem adhibere mihi volet, non

ſine maximo commodo ſuo fecerit, ſolum inde laborem, alios inſtruendo, reportare poſſum. Qui vero credere nolet, ſuo damno tandem experietur, quanta ſit fatuitas aliorum exemplis nil commoveri, nec diſcere velle. Fugite ſophiſticationes Alchemiſtarum nequam, & quoscunque alios, qui fidem iſtis adhibent. Nam ſi quid boni vos lectura librorum docuit, falſis juramentis & aſſertionibus adimere conabuntur, ac à via recta vos abducere, nihil habētes quo ſuos errores tandem excuſent, feci ſæpius (inquiunt) at jam non habui quæ ad hanc rem erant neceſſaria, hæc & illa ſi addantur, &c. Niſi fugias potius quam peſtem iſtos impoſtores & nebulones, in hac arte nihil unquā boni deguſtabis. Prius quam ego hoc opus perfeciſſem experimento, duobus annis artem exactè didiceram ex libris, nihilominus ad me cum venirent ejusmodi homines deteſtabiles, & nequiſſimi fures, juramentis imò perjuriis aſſerebant mihi manifeſtiſſimos errores pro veris experimentis, quos tamen olim delirans maximo diſpendio fueram expertus. Nec prius in bonis meis opinionibus confirmari potui, quam ipſos omnino deſererem, ac ſtudium meum in ea materia totum intenderem, & vigilantiſſime proſequerer. Quicunq; cupit artem veram addiſcere, verſetur cum ſapientibus: id eſt, iſtorum libros legat; & non impoſtorum, licet obſcuris verbis eam doceant. Nullibi claris & apertis deſcriptos ejusmodi libros reperies, quapropter conſideranda poſſibilia ſunt ex operibus naturæ per comparationem iſtorū ad illa, & è contra. Sophiſticationes omnes fugiendæ ſuut: item ſublimationes, conjunctiones, ſeparationes, congelationes, præparationes, disjunctiones, connexiones, aliæque deceptiones omnes. Taceant quotquot aliam tincturam affirmant, quam noſtram, & aliud ſulphur, quam noſtrum occultum in magneſia: item illi qui aliud argentum vivum extrahere præter quam ex ſervo rubeo, & aliam aquam à noſtra quæ permanens eſt, & nulli rei conjungitur, niſi propriæ ſuæ naturæ, nihilque madefacit aliud præter id, quod eſt unitatis propriæ ſuæ naturæ. Aliud enim acetum non eſt quam noſtrum, non aliud regimen, neq; alij colores: item non alia ſublimatio, ſolutio, congelatio, putrefactio, &c. quam noſtræ. Suadeo ut alumina, vitriola, ſalia, & atramenta omnia, boraces, aquas fortes, animalia, & omne quod ex eis provenit, crines, ſanguinem, ſpermata, carnes, ova, lapides, & mineralia quæque relinquas, pariter & metalla ſola. Quanquam enim ex ipſis eſt introitus & materia noſtra, ut aſſerunt omnes Philoſophi, componi debet ex argento vivo, & hoc alibi non reperitur, quam in metallis (ut apparet ex Gebro, magno Raſario, Codice totius veritatis, Ariſtotele Chemiſta, Platone, Morieno, Haly, Calib, Maria, Avicenna, Conſtantino, Alexandro, Bendegid, Eſid Serapione, Arnoldo Villanovano, Sarni Lilio, Daniele,

S. Thomæ Breviloquio, Alberti Tramite, Scoti Abbreviatione, Senecæ ad Aros epiſtola ad Regem Arabiæ, & Hemus; Euclide ſeptuageſimo capitulo Retractationum,& Philoſopho tertio Meteororum, per quos omnes affirmatur, metalla nihil aliud eſſe, præter argentum vivum congelatum graduum decoctionibus his non obſtantibus omnibus affirmativis rationibus, ipſa non ſunt lapis noſter, dum in forma ſunt metallica: nam impoſſibile eſt unam & eandem materiam habere duas formas. Qua ratione poſſint eſſe lapis,qui formam dignam & mediam habet inter metallum & Mercurium, niſi primo corrumpatur, & auferatur ejusmodi forma? Hac de cauſa Philoſophus, atque Democritus libro 3. Phyſicorum, capite 3. de Meteoris, inquiunt: Glorientur Alchemiſtæ utut volent,nunquam formas transmutabunt metallorum,niſi per ipſorum in primam materiam reductionem: hoc ipſum habent omnes libri qui de forma tractant metallica. Verum,ut intelligatur quid ſibi velit in primam reductio materiam, apprime ſciendum materiam eſſe primam, rem ipſam in quam immeditate proximeque ſpecifica forma introducitur,uti prima hominis materia, eſt utrumque viri ſemen & mulieris. Plerique ignari hanc intelligere putantes reductionem, interpretantur perperam ad quatuor elementa: nam (ut ipſi loquuntur) ex iſtis conſtant omnia,quæ creata ſunt absque dubio: ſed iſta ſunt *materia prima* primæ materiæ, id eſt, ex elementis quatuor conſtant argentum vivum & ſulphur, quæ tandem ſunt *prima materia* metallorum. Etenim elementa quatuor æque ſunt ad informationem aſini,vel bovis apta,ac ad metalla: primo namque fieri debent per naturam argentum vivum & ſulphur: quam eſſe queant metallorum materia prima. Exempli gratia, homo non componitur ex quatuor elementis, exiſtentibus adhuc in elementari natura ſimplici,ſed à natura transmutatis in naturam primæ hominis materiæ. Haud ſecus natura transmutans elementa quatuor in Mercurium & ſulphur, tum primum effecit metallorum primam: nam quicquid ultra fuerit in dictam operata materiam, nihil aliud inde reſultare poterit quam forma metallica. Verum antea cum adhuc eſſent elementa, & non argentum vivum neque ſulphur, natura potuiſſet ex eiſdem elementis procreaſſe bovem, herbam, hominem, aut quidvis aliud à metallo differens. Ex præcedentibus liquet apertiſſime, quatuor elementa non eſſe metallorum primam, ſed argentum vivum & ſulphur. *Alioqui* juxta ſententiam illorum, ſequeretur inde homines, & *metalla*, herbas,plantas,animalia bruta, in ſumma cuncta nil niſi rem unam exiſtere ſine differentia,quo nihil abſurdius unquam dici poteſt. Item inde ſequeretur, etiam ex metallis homines generari poſſe, cum iſti pariter, ut illa, conſtent ex elementis, & ultra quid-

ris ex quovis fieri, nec non ſimile ſibi ſimile non producere, non eſſe generationem, neque ſemina, nullam rerum differentiam, ſi actu omnia eſſent una ſubſtantia. Ut ad primam redeamus materiam, utemur exemplo hoc videlicet, ſemen viri per ſe, & ſemen per ſe mulieris, non ſunt prima materia fœtus, quoniam natura poteſt ex eis ad hũc modum ſeparatis, aliud quid producere monſtroſum, velut ſubſtantiam verminoſam: ſed ex amborum in unum conjunctione, ut unius virtus alterius virtutem in ſe recipiat, & amplectatur, tum demum natura nihil aliud inde producere poteſt, præter formam infantis, quod hic ſit finis illius materiæ & non alius. Natura non poteſt itaq; aliam introducere materiæ formam, ea ſola, ad quam finaliter eſt inclinata, diſpoſitaque: ſpermatica igitur unio duntaxat, eſt prima materia ejus, vel eorum à quibus ſemina deciſa, vel ſeparata fuerunt, quæ nullam aliam formam recipere poteſt, quam propriæ ſuæ ſpeciei, ad quam eſt diſpoſita. De diſpoſitione ad finem rude ſatis hoc ſit exemplum: Si quis aliquo feſtinet iter, priuſquam eo deventum ſit, multæ occurrunt viæ huc atque illuc deflectentes, ut ubi ſemel in rectam gradum direxerit, perſeverans in ea, tandem eo perveniet, quo ſtatuerat ire. Ad hunc modum ſingula propriam viam, ac materiam habent, per quam & ex qua facta ſunt, & non ex omni materia quodvis, neque modo quovis perficitur. Manifeſtum eſt utique, rem omnem habere ſibi ſimilem & præcedentem, ex qua producitur naturaliter, ut inde nihil aliud fieri queat, vel in equi formationem, requiritur natura quæpiam equina in ſpermaticam ſubſtantiam transmutata, ex duabus contrariis materiis (ſub eadem equina ſpecie tamen) unitis: item ad hominem ipſa natura non ſumit ſubſtantiam equinam principaliter: habet enim una quæque ſubſtantia proprium ac principale ſemen ex quo fit, ac per ſeipſam in ipſo multiplicatur, & per aliud neque alio modo quopiam. Patet ex verbo Dei, cum creaſſet hominem virum & feminam, creſcite & multiplicamini, ex veſtramet ſubſtantia, videlicet vobis ſimili: aliis ſuis creaturis namque dixerat antea: Producat unum quodque fructum ſuum & ſemen in ſeipſo, multiplicetur, &c. Si ex uno generari voluiſſet unumquodque Deus, non tot ac tantas feciſſet creaturas, tamque diverſas, nec opus fuiſſet cœlo neq; luce, ſed elementa quatuor ſemper unũ & idem protuliſſent quod abſurdiſſimum eſſet. Proinde ex omnibus fecit omnis generis diverſa, ut unumquodque ſibi ſimile generaret. Nunquid ante diluvium Dominus Deus dixit Noe: Sume tecum in Arcam ex omnibus animalibus unita paria maſculum & feminam, ut poſtea quodque multiplicetur in ſua ſpecie, & non aliter fieri videmus? Patet igitur ex præcedentibus ad uniuſcujusque generationem, opus eſſe ſui ſimili, ut ex mandato Dei, diverſæ re-

rum radices ab ipſo creatæ multiplicarentur in diverſa ſub propria quodlibet ſubſtantia. Per Philoſophorum auctoritates idipſum probatur: Scotus enim aperte loquitur, ex argento vivo coagulato,& ex argento vivo ſulphureo, primam materiam fieri metallorum omnium. Item in Turba quidam Noſcus nomine, Rex Albaniæ,loquitur ad hunc modum: ex homine aliud nil niſi homo fit, ex volatili niſi volatile: ſimiliter ex bruto quovis animali nil niſi bruta beſtia: natura namque in alio non emendatur,at ſolum in ſua natura. Idem à Joanne Mechungo dicitur in ſuo teſtamento: Quævis arbor ſuum fructum producit,ut pyrus pyra,poma pomus: pariter ex metallo generatur atque multiplicatur metallum,& nullo alio. Item Geber in Summa nonnullis locis bene in hanc ſententiam ſcripſit, quanquam in plerisque ſuis libris ferè omnibus de ſtudio ſcabroſus totus & ſophiſticus inquiens: Exactiſſime ſingula ſumus experti ſuis, idque probatis rationibus, nihil potuimus unquam reperire permanentis in igne,præter viſcoſam humiditatem ſolam,radicem omnium metallorum, reliquæ omnes humiditates ab igne per evaporationem facile fugiunt, & per ſeparationem unius elementi ab alio velut aqua per ignem: pars una in fumum abit, alia in aquam, in terram alia manente in fundo vaſis: ſic in omnibus,quoniam quæ in horum generatione haud bene ſunt unita,minimo conſumuntur igne ac ſeparantur à ſua naturali compoſitione. At humiditas viſcoſa, Mercurius videlicet, nunquam in eo conſumitur, nec ſeparatur à ſua terra,nec alio ſuo elemento: nam vel omnia ſimul manent, vel ſimul abeunt, ut nihil omnino de pondere pereat. His verbis itaque Geber concludit, ad hunc pretioſum lapidem nullo alio opus eſſe,quam ſola ſubſtantia Mercurij per artem optime mundati, penetrantis, tingentis, ſtantis in prælio adverſus ignem,& in diverſa ſeparari ſe non permittentis,at ſemper in ſola ſua mercurioſitatis ſubſtantia conſtantiſſime perſiſtentis,tum demum (inquit) conjungitur metallis in profundo radicaliter, formam ipſorum corrumpendo, ac aliam introducendo juxta virtutem & colorem elixiris, aut medicinæ tingentis. Item Aros ille Rex magnus & doctiſſimus ait; Noſtra medicina fit ex duobus unius eſſentiæ,videlicet ex unione mercuriali fixæ,& non fixæ naturæ, ſpiritualis & corporalis, frigidæ & humidæ, calidæ & ſiccæ, & ex alio fieri nequaquam poteſt. Etenim artis induſtria nihil infert novi,nec adfert ad naturam in ſua radice, verum adjuta natura per artem,ut decet vincula ſolvendo, item ars per naturam adjuta diſcendo ab operationibus ejus & in ſuppeditatione materiæ, ſimul ambæ deſiderium adimplent,ex voto diligenter operantis. Ad hæc Morienus ait: Miſcete & projicite medicinam ſuper corpora perfectione diminuta, vel imperfecta: & hoc

hoc aliud eſſe nihil dicit; præter argentum vivum exaltatum arte ſuper argentum vivum imperfectum: ex his docent aperte nihil aliud eſſe, quam argentum vivum. Adfert Arnaldus Villanovanus: Totum ſtudium tuum intendatur, in digerendo & coquendo mercurioſam ſubſtantiam; & pro ſua dignitate corpora digna reddet, quæ nihil aliud exiſtunt, quam ſubſtantia mercurioſa decocta. Infinitis rationibus probari poſſet, Mercurium duplicem eſſe ſolam materiam primam, & proximam omnium metallorum, & non elementa quatuor, quæ ſunt remotiſſima. Dixerit quiſpiam errorem ſuum protegere cupiens, ex tuis (inquit) contrà teipſum adduco, elementa quatuor poſtmodum in Mercurium & ſulphur, quæ metallorum prima materia ſunt, arte reduci, hac via ſubtiliora facta ſunt ejusmodi ſeparatione præcedente, quam ſine hac ſtatim in mercurialem ſubſtantiam adducta fuiſſent, materiamque proximam. Ut hoc refellam tanquam erroneum & falſum, ex iſta vana opinione ſequeretur facilè ſuperfluam eſſe naturam, ſi ſpermata rerum arte fieri valeant, ſic homo generaretur absque homine ſolum ex quatuor elementis absque alia natura media, vel alteratione, non aliter & principia fierent compoſitionum, quod pugnat contra omnem rationem naturalem. In hac arte ſiquidem natura produxit materiam, in qua poſtmodum juvatur arte. Sequeretur etiam ex ea falſitate medicum arte ſua, vel herbis reſuſcitare poſſe mortuum, aut morientem hominem ſanare contra dictum Avicennæ & Raſis. Medicina ſolum auxiliatur naturæ, qua quidem abſente vel deficiente, nihil operari poteſt illa, ut ſi projiciatur in corpus mortuum laxativa, non purgat, quia per naturam non recipitur actio. Quod Hippocrates in Aphoriſmis & principiis naturalibus, divinus magis quam humanus, ac velut ſpiritus corpore carens, teſtatur, inquiens: Ars præſupponit rem aliquam à natura ſola creatam, in qua præſtat auxilium ipſi naturæ, & hæc arti. Proinde conſtat artem indigere materia, quæ ſit à natura creata; & non ab arte, à qua ſi eſſet quid opus natura foret in eis, quæ non eſt operata, cum de ſuo nihil abſit? ſola ars perficere poſſet absque alia re extranea, & præter naturam. Patet multis irrefragabilibus teſtimoniis, & evidentiſſimis, naturam ex ſeipſa procreare naturas ſpermaticas, ac præparare: tandem ars per conjunctionem in eis operatur, ad finem tendens in quem natura crearat. Quamvis etiam, ſi fieri queat, ut metalla reducantur in quatuor elementa, prius oporteret in Mercurium & ſulphur, quam in elementa ſeparari neceſſario, poſtmodum elementa rurſus in ſulphur & argentum vivum, ut fiant proxima natura metallica: quæ ſtultitia quæſo hæc eſſet? Cum hæc omnia ſint unum idem, & eadem ſubſtantia, quæ novam non acquirit inde naturam, neque materiam, ab ejusmodi

reductionibus, at ſolum manet quod antea fuerat. Quid iſtis fruſtraneis igitur laboribus indigemus, ſi tantundem ſubſtantiæ habebatur, cum eſſent in forma ſpermatis argenti vivi & ſulphuris, atque poſt reductionem in elementa quatuor, & nihil acquirant novi, non in virtute, non in pondere, neque quantitate, vel qualitate? ea de cauſa videlicet, quia nulla materia ſibi fuit adjuncta, quæ digniora reddidiſſet, vel cum ipſis fuiſſet exaltata, ſed unica tantum huc atque illuc circumducta materia ſola, præter additionem: quapropter in forma proprij ſpermatis æque valida, ac in forma elementorum. Ad noſtrum lapidem ſi opponatur idem, nempe nihil etiam acquiri ſibi, negatur: nam ipſum reducimus, ut in ea reductione fiat conjunctio novæ materiæ unius & ejuſdem radicis, præter quam reductionem fieri nequit, atqui accidit etiam additio materiæ. Duarum utique materiarum una ſubvenit alteri, quo reſultet inde longe dignior materia, quam erant per ſe ſeorſim ante conjunctionem. Eſt igitur iſta reductio noſtra neceſſaria, quod per eam materiæ novam acquirunt formam & virtutem ob additionem materiæ novæ: quæ non fit in aliis reductionibus elemētorum, in quibus nihil aliud apparet fieri quam circumductio materiæ nudæ ſine forma, citra omnem innovationem, exaltationem, & acquiſitionem alicujus formæ, vel materiæ novæ. Unde liquet reductiones iſtorum hominum eſſe meras phantaſias, vanas, & erroneas. In hujus rei confirmationem apertiſſime loquitur quidam nomine Guilhelmus Pariſienſis, *vir in hac arte doctus*: In creatione hominis (inquit) primo concurrunt in unionem duo ſpermata, qualitatibus differentia, quarum qualitatum in uno eſt una frigida & humida, & in altero altera eſt calida & ſicca, quæ in utero materno digeruntur mixtione virtutis utriusque ſeminis, augmentatione per humiditatem ſanguinis, qui eſt ejusdem ſubſtantiæ, cujus eſt ſperma femineum, actione virtutis maſculini ſpermatis interveniente, nutritur inde materia dictæ mixtionis, donec fiat ſubſtantia media participans cum utriusque natura, citra ullam diminutionem, vel ſuperfluitatem. Proinde ſpermata creantur à natura, & non ab arte, quæ nullo modo etiam poſſet, hoc ſolum efficit, in utero materno conjungit ſimul ambo. Quamquam etiam iſta juvare poteſt in mixtione fomento caloris externi, quietis, ciborum optimorum delectu, & facile digeſtibilium, cum temperie, & moderatione ſumptorum, quibus omnibus aliud nihil operatur, quam rebus jam à natura creatis auxiliari tantum.

Subjungit idem auctor: Creare ſpermata non eſt artis, at poſtquam à natura creata ſunt, tum demum ars per ſolam virtutem naturalem exiſtentem in ſpermaticis materiis jam à natura creatis, conjungendo, velut naturæ miniſter, ſuccurrit ipſi rei quidem exiſtenti,

iſtenti, at nondum perfectæ: nihil tamen addit formæ, nec materiæ, neque virtutis. Eſt igitur generationis prima cauſa naturalis, & ſecunda ſolum artificialis, quæ poſterior absque priore nihil efficit. Fruſtra namque terra cultivatur ad meſſem, niſi naturalis adſit materia creata per naturam, frumenti granum videlicet. Conſtat igitur utramque ab altera juvari, naturam ab arte, hanc à natura, & viciſſim ambas ad opus facere, cum naturæ, tum artis. Cum igitur ab arte ſpermata creari nullo modo valeant, neque materiæ metallorum, impoſſibile fuerit hominem quovis artificio reducere quatuor elementa in ſpermaticam formam reductivam, alterativam, aut attractivam, ad finem recipiendi formam, vel actionem tendentem, ſive diſponentem. At ſi quis arguat Philoſophos dicere quatuor elementa in arte noſtra exiſtere debere: ſententia quidem eorum eſt, in duobus ſuis ſpermatibus quatuor primas elementorum qualitates haberi, caliditatem & ſiccitatem videlicet, ignem & aerem in argento vivo maturo, quod eſt ſperma maſculinum, & frigiditatem atque humiditatem in argento vivo crudo, & imperfecto, quoad finem, quæ terra ſunt, & aqua in ſpermate femineo, non quod actualiter in iſtis ſint quatuor partes elementales à ſe mutuo ſeparatæ ut ſunt quatuor elementa, quæ videmus: etenim haud ſic eſſent materia prima metallorum amplius, nec etiam alterari poſſent aliquo ingenio, vel artificio humano, in formam duorum ſpermatum metallorum primæ materiæ, ut aperte docet Calib. Philoſophus, & Albaniæ Rex, ad hunc modum: Scitote nos ab initio noſtri operis, niſi duabus materiis duntaxat non indigere, non niſi duo videntur, neque tanguntur, nec duabus plures intrant in magiſterij principium, medium, & finem: verum iſtis duabus qualitates quatuor inſunt virtualiter: in majori namque ſpermate, velut in digniore, duo digniora continentur elementa per qualitates, ignis & aer videlicet: in altero vero ſpermate natura ſua crudo & imperfecto, reliquæ duæ qualitates habentur, & alia duo minus digna elementa, quæ terra ſunt & aqua: per Calib. aperte ſatis patet, in hac arte non eſſe niſi duas materias ſpermaticas, unius & ejusdem radicis, ſubſtantiæ & eſſentiæ, ſcilicet mercurialis, ſolius ſubſtantiæ & eſſentiæ, ſcilicet mercurialis, ſolius ſubſtantiæ viſcoſæ & ſiccæ, quæ nulli rei jungitur in hoc mundo, præterquam corporibus. Id ipſum aſſerit manifeſte Morienus libro ſuo, inquiens: Durum aquaticum & molle reddito durum, ut ei conjungatur aqua, celato, vel abscondito potius ignem ſub, vel in aqua frigida: hoc eſt, junge ſperma maſculinum, quod aliud nihil eſt, quam Mercurius coctus & maturus, continens in ſe per digeſtionem elementum ignis, cum ſpermate feminino, id eſt, cum aqua viva. Item Iſudrius in eandem ſententiam loquitur in Turba Philoſophorum,

Aquam igni permiſceto, hæc eſt vnio ſpermatica potentialiter, proxima lapidis nobili perfectioni, ad eam recipiendum. Et in Codice totius veritatis, quidam Philoſophus nomine Artefimalef: Conjunge rubeum virum albæ ſuæ feminæ, in rotundo cubili circumdato corticum igne, continuo quoque calore foveatur ibidem, uſque dum fiat conjunctio hominis cum aqua philſoſophica, & non vulgari, id eſt, in continente hoc omne ineſt, quod ad ſui perfectionem requiritur: tum demum iſta conjunctio dicitur prima lapidis materia, & non aliter. Nam in ſe continet fixi naturam, qua fixatur, atque ſpiritualem naturam, dignamque ſubſtantiam nobiliſſimi lapidis. In ſumma qui probe Philoſophos intelligit omnes, optime concordare videt in omnibus, qui vero non ſunt artis filij, ſed ignari, diſſentire perperam judicant. Poſtquam de prima materia metallorum abunde ſatis loquutus ſum, argumentis quoque firmiſſimis, & auctoritatibus dignis Mercurium & ſulphur eſſe probavi, latius ut progrediar in gratiam & utilitatem auditorum, in hac ſequenti parte libri mei tertia, dicam quid ſint Mercurius & ſulphur: & quemadmodum in terra metalla generentur, eorumque differentias, adductis Philoſophorum auctoritatibus, à quibus didici quæ de lapide ſcio, Deo dante gratiam & intellectum.

PARS TERTIA LIBRI D. BERN. COMITIS Marchiæ Treviſanæ, qua per ipſum tractatur de radicibus & principiis Metallorum, idque rationibus & auctoritatibus evidentiſſimis, atque philoſophicis argumentis.

INprimis non ignorandum eſt, divinum hoc Geneſis opus, quo DEus in principio creavit materiam confuſam & inordinatam: plenam tamen ex ejus voluntate multis ac infinitis materiis, ex qua traxit elementa quatuor, & ex iſtorum commixtione creavit animantia, diverſaſque creaturas, nonnullas eſſe voluit intellectivas, ſenſitivas, alias vegetativas & minerales. Intellectivæ creatæ ſunt ex quatuor elementis, at ignis & aer in iſtis dominantur magis, quam alia duo. In ſenſitivis tamen minuitur ignis, quod aer æque dominetur ac ille velut in animalibus brutis, equis, aſinis, canibus, avibus, &c. Vegetativæ pariter ex quatuor conſtant, in his dominantur aer & aqua: ſed aer dignitate diminuitur per aquam, & iſta per ſolam ſubſtantiam quãdam terreſtrem & vaporoſam. Minerales vero creaturæ, licet ex quatuor etiam conſtent, prædominantur tamen terra & aqua: ſed aquæ dignitas eſt terroſa magis, quam aquatica. Diverſarum ſunt formarum, at multiplicari nunquam poſſunt, niſi per reductionem ad primam ſui

materiam,

materiam,cæteris antea dictis proprium ſemen in ſeipſis habentibus,in quibus deliteſcit omnis ipſorum multiplicationis & finalis compoſitionis virtus. Materia metallica conſtat ex ſolo Mercurio frigido & humido crudo, in quo ſunt etiam elementa quatuor, ſcilicet calidum, humidum, frigidum & ſiccum: quorum duo dominantur, frigidum & humidum: ſubjecta ſunt iſtis calidum & ſiccum. Cæleſtis motus calor circumcirca terrã penetrans, & venas ejus: eſt tam remiſſus ac temperatus, ut vix perceptibilis, at continuus: noctu pariter ac diu ſemper equalis. Calor hic non provenit ex Sole (quod nonnulli fatui volunt) ſed ex reflexione ſphæræ ignis aerem circumeuntis,& etiam ex continuo motu corporum cæleſtium,calorem cõtinuum,& lentum excitantium vix imaginabilem. Quamvis etiam calor mineralium eſſet à Sole (ex ſententia Raymundi Lullij & Ariſtotelis) nihilominus calor eſſet continuus, quia Sol dies & noctes circum terram inceſſanter volvitur. Verum iſtorum opinio falſa eſt, quoniam Sol non eſt calidus,neque frigidus, at motus ejus eſt naturaliter calidus. Calor itaque proveniens ex motu corporum cæleſtium, aſſidue verſatur in venis terræ: non tamen calefacit (ut putant nonnulli ſtulte loquentes) mineras: nam ſi vel minime calefaceret, hoc tantillo calore activo, minore ſpatio temporis quam annorum decem, decoqueretur Mercurius in perfectionem Solis, quod vix centum fieri conſuevit. Terra ſiquidem eſt frigida & ſicca,mineræ quoque ſunt in centro terræ: priusquam igitur vel tantillum caloris percepiſſent à Sole actualiter, nos qui ſumus proximiores adureremur prorſum: intentiſſimus eſſe deberet enim, ſi terram & aquam frigidiſſima corpora penetrans, nihilominus calorem adhuc retineret, cum ad centrum perveniſſet, non extinctum penitus. Verum enim vero hæc naturalius intelligi debent ad hunc modum: Cum ipſe Mercurius componatur ex quatuor elementis, calefactis igitur iſtis à communibus & generalibus per ſuum proprium motum, naturalis calor excitatur ab ejusmodi motione: pariter ignis & aer exiſtentes in Mercurio moventur, & ſenſim elevantur, cum digniora ſint elementa quam aqua & terra Mercurij, nihilominus humiditas & frigiditas dominantur. At quia calor & ſiccitas digniora ſunt elementa vincere conantur alia duo, videlicet frigiditatem & humiditatem in Mercurio dominantes: nam cæleſtes motus excitant alios motus calorum naturalium, per quos Mercurij motus: i. qualitates moventur. Poſtmodum ſucceſſu longo temporis Mercurij ſiccitas gradum unum ſuæ humiditatis vincit,& fit plumbum, alium quoque deinceps gradum vincit, & fit ſtannum. Tandem calor Mercurij iterum paululum humiditatis ex frigiditate vincit, & fit luna. Calore plus adhuc dominante, fit æs, vel Venus,& poſtea ferrum atque

atque ſol perfectus. Hac via duæ qualitates, quæ prius ſuccumbebant frigiditate & humiditate victæ, modo vincunt alias, ac dominantur caliditas & ſiccitas, quæ ſunt in excitatione ſua ſulphur, & Mercurij frigiditas atque humiditas ſunt ipſemet Mercurius. Non quod ſulphur hoc ſit quidpiam à Mercurio diviſum, aut ſeparatum: ſed eſt ſolum caliditas & ſiccitas, quæ non dominantur in frigiditatem & humiditatem Mercurij. Hoc ſulphur poſtea digeſtum dominium habet in duas alias qualitates dictas, frigiditatem, humiditatem, & ſuas imprimit virtutes. Per ejusmodi graduum decoctionum varietates, fiunt metallorum diverſitates. Plumbum ab igne continue fugit, avolatque, non alia de cauſa, niſi quia frigiditas & humiditas ſui Mercurij, nondum alteratæ fuerunt per caliditatem & ſiccitatem ſui ſulphuris, quæ quidem in eo nullo modo dominantur, alioquin ab igne plumbum quantumvis etiam vehementi, non abſumeretur, quinimo Mercurius ejus gauderet in ſibi ſimili. Pariter & alia metalla quæque fugiunt ab igne, præter ſolem, quia ſunt adhuc frigida humidaque, plus unum alio, juxta majorem cum dictis qualitatibus participationem, vel minorem: fugiunt (inquam) quod ſibi contrarium eſt, ſuſtinereque nequeunt. Omne ſiquidem naturaliter fugit ab adverſario, ſimili vero delectatur: inde ſequitur, ſolem aliud nil exiſtere, quam purum ignem in Mercurio, cum ab igne, quantumcunque vehementi non recedat, aliis omnibus illum non *ſuſtinentibus*, uno minus alio, plusve, ut magis accedunt, vel *recedunt* ab ignis complexione. Sulphur enim aliud nihil eſt, quam purus ignis occultus in Mercurio, qui longo ſucceſſu temporis in mineris excutitur, atque movetur motibus corporum cæleſtium (ut ſupra dixi) digeritque frigiditatem & humiditatem in Mercurio, pro varietate graduum decoctionis & alterationis in diverſas formas metallicas, quarum prima plumbum minus calidum & humidum: ſecunda ſtannum: tertia argentum: quarta cuprum: quinta ferrum: ſexta ſol, qui quidem in perfectione ſuæ naturæ metallicæ, purus eſt ignis à ſulphure digeſtus exiſtente in Mercurio. Ex his manifeſtè rurſum patet, ſulphur non eſſe quid per ſe ſeorſim extra ſubſtantiam Mercurij, neque vulgare ſulphur, alioqui materia metallorum non eſſet homogenea (quod pugnat contra philoſophorum omnium aſſertiones) qui hujusmodi qualitates dominantes vocaverunt ſulphur, à ſimilitudine, quia ſubſtanriam habent inflammabilem, velut ſulphur calidam & ſiccam, cui inſunt. Unde liquet apertiſſime, formas metallicas à *natura* ſolum ex pura ſubſtantia Mercuriali creatas eſſe, non *extranea*, Gebro ſic atteſtante. In profundo (inquit) naturæ Mercurij, eſt ſulphur, quod fit longo ſucceſſu temporis in venis minerarum terræ. Manifeſtius hac de re loquuntur Morienus & Aros: No-

ſtrum

ſtrum ſulphur (inquiunt) non eſt vulgare, ſed fixum, & non volatile, de natura Mercurij, & non ex alia re quapiam. Naturam exactiſſime imitamur, quæ in ſuis mineris aliam non habet materiam, in quam operetur, præterquam puram formam Mercurialem, ut etiam apparet optimis rationibus, auctoritatibus, & experientia. Mercurio huic ineſt ſulphur fixum & incombuſtile, quod noſtrum opus perficit, absque alia ſubſtantia quam pura ſubſtantia Mercuriali. Non aliter loquuntur Calib. Bendegid, Ieſid, & Maria: ſed clare ad hunc modum: Natura metalla ſua procreat ex calore, & ſiccitate Mercurij, frigiditatem & humiditatem ſuperantibus, alterando, & alia nulla perficiuntur eſſentia, ut omnibus Philoſophorum libris affirmatur, quod omnes allegare prolixum foret. Nonnulli perperam exiſtimant in procreatione metallorum intervenire materiam aliquam ſulphuream: ſed contra manifeſto patet, in Mercurio ſulphur incluſum eſſe, quando natura operatur: verum non dominatur in eo, niſi per motum calidum, quo ſulphur dictum alteratur & una ſimul aliæ duæ Mercurij qualitates: ad hunc itaque modum natura per hoc ſulphur in terræ venis generat metallorum formas diverſas, pro diverſitate graduum alterationum. In eo pariter imitamur naturam, cum nihil extraneum, ad materiam noſtram aſſumamus, atqui noſtro argẽto vivo ineſt ſulphur incombuſtibile Mercuriale, quod nihilominus adhuc non dominatur, ſed frigiditas & humiditas Mercurij volatilis, uſque dum actione continui caloris ſuper hoc noſtrum argentum vivum perſeverantis, fixum per totam ſubſtantiam volatilem mixtum dominetur, & vincat Mercurij frigiditatem & humiditatem, ac tandem fixi caliditas atque ſiccitas, quæ ſunt ejus qualititates, incipit aliarum dominari, ac pro gradibus hujus alterationis Mercurij, per ſuum ſulphur diverſi colores oriuntur, quemadmodum nec aliter, quam per naturam ipſam in mineris. Colorum ejusmodi primus eſt nigredo ſaturnea: ſecundus albedo jovialis: tertius lunaris: quartus venereus: quintus martialis: ſextus ſolaris: ſeptimus vero uno gradu per nos altius adducitur, quam per naturam: ſiquidem perficimus, & plusquam perfectum reddimus rubeo ſanguineove colore exaltiſſimo (proinde cum ſit plusquam perfectum, eatenus alia perficit: nam ſi non perficeretur ulterius quam à ſua ſimplici natura, quid opus eſſet tantum impendere temporis, ut puta menſium novem cum dimidio, cum à natura præter tantos labores ejusmodi corpora habere poſſimus jam creata. Verum oportet, ut antea dixi, corpus maſculinum plusquam perfici, idque per artem naturam imitantem, quo ſua plusquam perfectione, abundantique radiatione perficere queat alia imperfecta, in pondere, colore, & ſubſtantia, in radicibus & principiis mineralibus. Quis igitur adeo

præ-

præſumtuoſus, ut credat illud perficere poſſe, taleque reddere, quale deſideramus alio quopiam extraneo, in quo nulla radicalis habetur commixtio? In Turba quidam Ariſteus nomine, qui mundum univerſum gubernavit annos ſedecim ſua ſapientia, poſt Hermetem excellentiſſimus, de quo legitur in Chronicis Salomonis, ipſum congregaſſe diſcipulos Pythagoræ, ac nunquam mentiri ſolitum: quapropter veridicus appellatus ab Aſtrologis, ait: Natura non emendatur niſi in ſua natura. Non poteſt igitur noſtra materia aliter, quam in ſua propria emendari. Parmenides idem loquitur, qui me primum retraxit ab erroribus, & in rectam viam direxit. Patet utique naturam metallicam non emendari, præterquam in ſua natura metallica, & non in alia quavis, adeo ut hac via per noſtram artem perficiamus aliquot menſibus, quod ipſa natura vix mille poſſit annis. Nam in mineris calor fere nullus, qui ſi vel tantulus ineſſet, opus naturæ celerrimum foret. Ut in arte noſtra duplicem calorem habemus, ſulphuris videlicet, ac ignis, ut alter alteri ſubveniat. Non eſt ignis (ut volunt Conſtantinus & Empedocles) de ſubſtantia materiæ, qui tamen opus augmentat, alioqui ſequeretur ejusmodi calorem indies magis ac magis penetrare, quod eſt erroneum. Verum ignis duntaxat omnem artem regit, quo natura utitur, aliud nihil adferre poſſumus. Igne vehementi vero non alterantur inter ſe viciſſim, neque moventur. Fiat igitur ignis digerens continuus, non violentus, ſubtilis, concluſus, aereus, circundatus, alterans, & non comburens: ita me Deus amet, jam tibi narravi omnem ignis conſtruendi modum, conſidera igitur ac rumina verba mea particulatim: ſiquidem ignis omnem comprehendit artem, ut patet ex omnibus locis Codicis veritatis. Conſidera pariter quid Roſarius magnus in hanc ſententiam adfert: Cavete (inquit) ne ſolutionem veſtram acceleretis, perficere volentes illam ante requiſitum tempus: nam hæc præcipitatio ſignum eſt privationis conjunctionum: ſit igitur ignis veſter perſeverans, ac lenis, in modum gradus naturæ, corporibus mitis, digerens, & frigus excludens.

Item adfert ad hæc Maria Prophetiſſa: Vehemens ignis impedit conjunctionem, & album in rubeum tingit coloris florum papaveris ſylveſtris, quod quidem per teipſum poteris imaginari, & ex opere, quemadmodum ego, diſcere. In calore fimi fruſtra tenui, & in igne carbonum abſque medio, materia mea ſublimata eſt, non ſoluta: Verum in igne quem dixi, vaporoſo, digerente, continuo, non violento, ſubtili, circumeunte, aereo, claro, clauſo, incomburente, alterante, penetrante, & vivo bene ſucceſſit. Jam ſi fueris qualem te decet eſſe verum inquiſitorem, facile per hæc verba intelliges qualis eſſe debeat. In Turba habetur, experientia ac-

tia artificialis te docebit qualis ſit ignis. In Lumine Ariſtotelis Chemiſtæ: Mercurius (inquit) in triplici vaſe coquendus eſt, ad evaporandum & convertendum activitatem ſiccitatis ignis, in humiditatem vaporoſam aeris circumeuntis materiam. Geber & Seneca hoc ipſum affirmant: Ignis (inquiunt) materiam noſtram non digerit, ſed calor ejus alterans, ſiccus per aerem exiſtimatus, quod medium eſt quo ignis movetur, & humectatur. De hoc dicere hactenus diſtuli: nam ignis omnia perficit, vel deſtruit. Aros & Calib. In toto noſtro opere (inquiunt) Mercurius & ignis tibi ſufficiant, in medio, & in fine: ſed in principio non ita ſe res habet: ſiquidem non eſt Mercurius noſter: quod intellectu facilimum. Item Morienus ait, Scitote noſtrum Latonem eſſe rubeum: ſed inutile nobis exiſtit, uſque dum albus fiat. Scitote etiam aquam tepidam penetrare, ac albefacere, quemadmodum ipſa eſt, & ignem humidum & vaporoſum omnia operari.

Rurſus Bendegid, Jo. Mehungus & Haly: Vos qui dies & noctes (ajunt) quærentes, veſtras dilapidatis pecunias, facultates, & opes veſtras conſumitis, atque tempus inutiliter, torquetis ingenia veſtra circum librorum ſubtilitates, admonitos ex charitate volo (per compaſſionem) velut pater motus erga filium: ut (inquam) albificetis Latonem rubeum, per aquam albam ſuffocatam atque tepidam: cæterum frangite tot ſophiſticos libros, tot regimina, tantasque ſubtilitates relinquite, mihi credite, ut bene ſit vobis: vana ſiquidem hæc ſunt opera cuncta, præter id, quod jam vobis dixi: & in hunc ſcopum tendunt omnia, quæ ſcripta ſunt. Quid melius clariusve dici poſſet unquam?

Codex etiam omnis veritatis ad hæc: Dealbate (inquit) rubeum, & poſtmodum rubeum faciatis album, in eo tota conſiſtit ars, ejusque principium & finis. Ego autem dico tibi, niſi nigrum effeceris, minime dealbare poteris, ſiquidem nigredo eſt initium albedinis, & nigredinis finis eſt ſignum putrefactionis corporis penetrati jam & mortificationis. At hæc inquit Morienus ille ſapiens philoſophus Rom. Niſi putrefiat & nigreſcat, non diſſolvetur, & niſi diſſolutum fuerit, ab aqua ſua non poterit penetrari, neque dealbari, unde nulla conjunctio, mixtio nulla, & per ſe conſequens nulla prorſum unio, quæ poſtrema fieri non poteſt absq; mixtione: item compoſitio præcedere debet alterationem. Ad hunc itaque modum per ejusmodi gradus noſtra materia tractatur ad imitationem operis naturæ, in omnibus absque diminutione vel additione cujusvis alterius De ponderibus vero, ne quis multum ſit anxius, quænam ſint, & qualia, quibus natura utitur, ſciendum utique minerarum locis non haberi: nam ubi ſolum unum, quid his opus eſſe videtur, & alibi, quam inter duo, vel plura? Pondus autem noſtrum eſt reſpectu ſulphuris exiſtentis in Mercurio.

curio. Siquidem (ut antea dixi) elementum ignis, quod in Mercurio crudo non dominatur, hoc ipſum eſt, quod materiam digerit. Quapropter omnis, qui vere Philoſophus erit, optime ſciet quanto ſubtilius eſt elementum ignis aliis elementis, & iſta vincere quanta proportione valeat. Pondus igitur eſt in elementali prima compoſitione Mercurii, & non in alio quovis opere. Proinde compoſitio primo loco fieri debet, vel conjunctio, poſtmodum alteratio, poſtea mixtio, & poſtremo tandem fiet unio. Quicunque volet in his imitari naturam, hujus obſervet ordinem atque pondera duntaxat, ut Codex omnis veritatis habet. Si confectio fiat absque pondere, retardabitur opus, quo fiet ut animum facile deſpondeas. In hanc ſententiam optime loquitur Albugazal præceptor Platonis: Terrena potentia ſuper ſibi reſiſtens, pro reſiſtentia dilata, eſt actio agentis in iſta materia. Verba ſunt mere aurea, ponderum fundamentum nobis aperientia, quæ non facile, niſi doctus, intelliges, vel à quopiam explicata fuerint, inſigniter docto. Ipſe tibi libenter expoſuiſſem, niſi Deo votum, æquitati, Philoſophisque præſtitiſſem, me nunquam nudis verbis expoſiturum, aut vulgato ſermone pondus, materiam, neque colores, at ſolum parabolis (ut infra mox audies) veris & perfectis, absque diminutione & ſuperfluitate, ad imitationem ſapientum. Antea dixi de hujus artis inventoribus, eisque qui habuerunt, me quoque habuiſſe perfeciſſeque lapidem à principio usque in finem *fallus* ſum: item de impoſturis, quas ſuſtinui, & propter eas ingentes impenſas & labores intolerabiles, ab anno decimo octavo ætatis meæ, uſque ad annum ſexageſimum quartum, priusquam artem adeptus eſſem. Verum ſi habuiſſem ab initio libros omnes, quos poſtea nactus ſum, citius ad eam haud dubie perveniſſem: at nihil aliud quam falſiſſima legebã recepta, & libros erroneos: præterea non niſi cum perverſiſſimis furibus, hominibus nequam, & impoſtoribus communicare contingebat. Sed poſtquam ſcivi, familiarem notitiam habui cum quindecim bonis viris, qui pariter ſciebant lapidis artificium, & præcipue cum quodam Barbarino (ſciveram nihilominus artem duobus annis priusquam elaboraſſem, vel perfeciſſem) hic inter diſputandum (cum ex improviſo dixiſſem, me nondum expertum) fuiſſe conabatur à propoſito vero divertere, quapropter deſerui ſocietatem ejus. Diſputabamus potiſſimum de modo celandi, & contegendi hominibus indignis artem. Verum in ignis ſtructura ſcribentium alij diſſentiebant ab aliis, quamvis ad eundem ſcopum tenderent omnes, ut nempe fieret ac hunc modum, ne fugiens prius avolet quam ipſum perſequens, quocunq; modo pararetur ignis. Concluſionẽ igitur hanc meam ut intelligas, arrige attentius aures: Opus noſtrum fit ex unica radice, & ex duabus ſubſtantiis Mercurialibus, crudis,

aſſumtis,ex minera tractis,puris,& mundis,igne conjunctis amici
..æ,ut exigit ipſa materia,aſſidue coctis, uſque dum ex duobus u-
num fiat,in quo quidem uno corpus ſpiritus, & iſte corpus facta
unt à commixtione.

Poſtmodum augeatur ignis donec fixum corpus tingat non
ixum ſuo colore naturaque: nam ubi rite mixtum eſt, omnia
incit,ad ſuam naturam & virtutem adducit, ac tandem ſuperat
x tingit millies millena, ac decies millies millena: id qui
idit,is pariter credit. Ad hunc itaque modum virtute, quantita-
eque multiplicatur, ut fatentur venerabilis ille Pythagoras, Iſu-
drius,& Codex omnis veritatis. In nullo unquam librorum re-
eri multiplicationem, præterquam in Roſario magno, in Pan-
dectis Mariæ,in Veridico,in Teſtamento Pythagoræ,in Turba, in
Morieno, in Avicenna,in Bolzain,in Albugazal fratre Bendágid,
n Ieſid Conſtantinopolitano,at in aliis ſi habeatur, non intellexi,
ec ab ipſis addiſcere potui. Novi quendam ex Marchia Anconæ,
ui lapidem optime noverat, multiplicationem autem ignorabat,
ic me ſedęcim annos integros ſollicite inſequutus eſt, ut diſce-
et,verum ex me nunquam ſcivit, libros enim quos dixi, habuit
t ego. Totam ſpeculativam igitur, & principia mineralia, cum
uis rationibus detexi,quibus verum à falſo diſcerni poteſt, modo
ero practicam attexere viſum eſt, obſcuris verbis tamen ut ego-
net elaboravi, & quater compoſui dictum lapidem. Quicunque
gitur hunc meum libellum habuerit,ac legerit, ab omni liberari
erito deberet anxietate,nec non veritatem cognoſcere citra de-
ectum, dilucidius enim ſcribere haudquaquam potuiſſem, niſi
em ad oculum demonſtrarem,quod quidem omnis ratio diſſua-
et. Ipſe tu cum ſciveris longe me cautius velabis,ægreque feres
ne tam aperte ſcripſiſſe. Voluntas Dei vetuit omnibus palam
eri,quod valde paucis notum eſſe bonum eſt,ut in Turba paſſim
gitur.

QVARTA PARS LIBRI BERNARDI COMItis Marchiæ Treviſanæ, de practica Philoſophici lapidis.

Cum in hac arte maximè profeciſſe me percepiſſem, cœpi do-
ctos in ea potiſſimum quærere ac frequentare: decet enim
robatos viros ſibi ſimilibus adjungi, & non aliis. Cum igitur per
elebrem quandam civitatem Appuleam Indiæ tranſirem,audivi
octiſſimum in ea reſidere virum in omni ſcientiarum genere,
ui parem in hunc mundo non haberet. Hic pretium diſputa-
onis inſtituerat omnibus in arte peritis, libellum foliis &

coopertorio puro, puroque auro fabrefactum. Quapropter honoris avidus, animum facere mihimet ipſi non dubitavi, ac ad præſcriptas diſputationes diſponere, addente mihi ad hanc ſuſceptam provinciam calcaria viro doctiſſimo, veniente mihi in mentem etiam, audentes ad ſublimia provehi, timidos dejici, ac perpetuo humi degere, viriliter in paleſtram tranſii, fatoque palmam obtinui diſputationis coram aſtantibus, libellusque premij fuit mihi per facultatem philoſophiæ admodum honorifice oblatus, ut circumſpectarer ab omnibus. Deinceps animi ſtudio fatigati recreandi gratia, campos amœnos, & prata quærens, in lympidiſſimum incidi fonticulum, pulcerrimo lapide circumſeptum, atque munitum, ſupra quercinum truncum, cætera muro circundatum, ne bruta ad eam intrarent, nec aves in eo balneum ſibi facerent. Super hunc fontem ſedens, contemplatus ſum ejus pulcritudinem, ac vidi ſuperius clauſum. Ea faciens iter vir ſenex, & venerandus admodum, ut Sacerdos, à me ſalutatus honorifice, & rogatus quamobrem iſte fonticulus ad eum eſſet modum ſuperius, inferius, & ad latera circumquaque clauſus, & munitus? amico reſponſo me dignatus ait: Eſt quod ſcias, amice mi, fontem hunc eſſe valde mirabilis ac terribilis virtutis præ cæteris omnibus totius mundi fontibus, pertinet ad Regem ſolum *hujus* patriæ, quem fons optime novit, & ipſe fontem. Prætereuntem Regem hac ſemper ad ſe trahit, & à Rege non trahitur. *In* eo balneo manet ducentis octuaginta duobus diebus, *quibus* ad tantum juventutis robur adducitur, ut à nemine quantumvis robuſtiſſimo vinci queat. Curavit igitur ſuum concludi fonticulum albo lapide rotundo, ut vides, in quo relucet fons clarus, velut argentum, & cæleſtis coloris, ut etiam eſſet fortior, ne ab equis & aliis deſtrueretur, induxit quercum veterem fiſſam per medium, qui tuetur à ſolis radiis, umbram faciens. Deinceps, ut vides, muro circumdatur valde ſpiſſo: primo duro lapide & claro clauditur, tum demum cava quercu, maxime quia terribilis eſt naturæ, adeo ut omnia penetret ſemel inflammatus, ac irritatus, item ſi evaneſceret, actum de nobis eſſet. Rogavi poſtmodum utrum ipſe Regem in dicto fonte vidiſſet, qui reſpondit, ſe vidiſſe quidem intrantem, ſed ab eo tempore, quo per cuſtodes in eo clauditur, non apparet amplius in centeſimum & trigeſimum uſque diem: tandem emergit admodum ſplendens, ac nitens. Cuſtos portenarius, balneum aſſidue calefacit, ut perſiſtat in calore, *qui in aqua* fontis occultus eſt, ac dies & noctes calefacit abſque *intermiſſione*. Interrogavi rurſum cujus coloris Rex eſſet, *qui ait*, veſtium eſſe panno aureo primum ab initio, deinceps holoſerica diploide, vel thorace nigro, camiſia quidem alba ſupra nivem, ejus
carnem

carnem tamen, vel ſanguinem rubicundiſſimum. Rogavi dein-
ceps utrum Rex eo veniens multam cohortem extraneorum, ple-
bisque minutæ ſecum adduceret? reſpondit amice, ac ſubridens:
Cum Rex huc venire propoſuit, relictis omnibus ſuis aulicis &
xtraneis, ſolus intrat, nemine fontem præter ipſum appropin-
quante, & ſolam ejus cuſtodiam: cujus curam habet homo val-
le ſimplex, imo ſimpliciſſimus hominum ejus ſupplere vices o-
ptime poſſet, cum aliud nihil efficiat, quam calefacere fontem.
Petii rurſum utrum fonti Rex eſſet amicus, & fons ipſi? qui ait,
mirum in modũ ſeſe viciſſim amant, fons Regem attrahit, & non
Rex fontem: nam Regi velut mater eſt. Interrogavi tandem cu-
jus generis Rex eſſet? reſpondit eſſe ex fonte, qui talem, ut eſt,
effeciſſet absque alia re quapiam. Petii utrum multos haberet au-
licos, qui ait, ſex duntaxat habere, qui ſucceſſionem expectant, ſi
forte Rex quandoque mori poſſet, potirentur etiam, ut ipſe, re-
gno: hinc fit, ut illi ſerviant, quia ſperant ab eo multam domi-
nationem & poſſeſſionem. Tandem interrogavi utrum ſenex
eſſet, qui reſpondit ſeniorem eſſe fonte, ſuisque maturiorem ſub-
ditis quibuscunque. Qui fit igitur, (petii) ut iſti non interficiant
Regem, à cujus morte tantam ſucceſſionem expectant, cumque
ſit adeo ſenex? Qui ait: Quanquam admodum provectæ eſt æ-
tatis, nihilominus ſubditorum ſuorum nullus adeo patiens algo-
ris atque ſudorum, pluviarum, ventorum, & laborum ut ipſe: item
nemo illorum per ſe, nec ſimul omnes occidere poſſent, neque vis
ulla. Quomodo igitur poſſidebunt regnum ſi mori nec etiam oc-
cidi poſſit ab aliquo? Reſpondit, ſex ejus ſubditi ſunt ex fonte, à
quo poſſident omne quod habent, ut ille, quo fit, ut à fonte tra-
hantur maxime. Rex occiditur ab ipſo fonte pariter ut illi, reſuſci-
tatur per ipſum, deinceps ex ſubſtantia regni ſui, quæ poſita eſt in
minutiſſimas partes, quisque ſubditorum ejus portionem accipit,
ut quantumcunque minutiſſimam particulam quilibet habeat, æ-
quatur opulentia, viribus & potentia Regi, fiuntque inter ſe æqua-
les. Interrogavi rurſum quanto tempore illi expectandum eſſet?
qui ſubridens iterum ait: Scito Regem intrare ſolum absq; ſub-
ditis, etſi fons amet etiam iſtos, non tamen intrant, quia nondum
hanc dignitatem promeriti ſunt. Verum intrante Rege veſte au-
ri puri contexta foliis, & contecta exuitur, quam primo ſuo tra-
dit cubiculario, Saturno dicto, hic ſervat diebus quadraginta,
plus quandoq; duobus ad ſummum, poſtquam ſemel habuit. De-
inceps exuit Rex thoracem holoſericeam nigram, quam ſecundo
ſuo cubiculario Jovi nomine tradit, qui cuſtodit viginti duobus
diebus, tum demum Jupiter jubente Rege, tradit Lunæ, quæ ter-
tia perſona eſt pulcra & reſplendens, hæc viginti diebus ſervat.

Tum demum Rex in pura camiſia alba nivis inſtar, aut ſalis floris exiſtit, quam etiam exuit, eamque Marti tradit, hic ſervat quadraginta diebus, aliquando duobus advenientibus. Poſtmodum Mars, Deo jubente, tradit Soli flavo, non claro, qui ſervat quadraginta diebus. Tum demum venit Sol pulcerrimus, & ſanguineus, qui ſtatim camiſiam arripit. Interrogavi tandem, quid inde fit ex iſtis omnibus? qui ait: Fons deinceps aperitur, ac ut camiſiam dedit illis, veſtem, atque thoracem, momento jam ſuam carnem ſanguineam & rubeam tradit omnibus manducandam, jam demum habent quod optabant. Rurſus petij, utrum tanto tempore ſemper expectarent, & num prius aliquam remunerationem ſervitiorum habere poſſent, in finem uſque niſi perſeverent? qui ait: Statim atque albam habent camiſiam, quatuor iſtorum auſicorum, ſi velint, gaudere potuerunt, opibus quoque frui plurimis: verum dimidia parte regni ſolummodo potirentur, quapropter malunt, vel tantillo diutius finem atque exitum expectare, ut etiam diademate regio ſui domini coronentur. Interrogavi an unquam aliquis accederet medicus, vel quidvis aliud eo tempore? qui reſpondit nullum, nec quicquam aliud præter cuſtodem unicum qui ſubtus calorem excitat continuum circumeuntem & vaporoſum, præterea nihil. Rogavi, num cuſtos hic multos labores pateretur? qui ait, plus à principio quam ſub finem, *quia fons* inflammatur. Petij utrum vidiſſent multi? qui reſpondit, verſatur ob oculos toti mundo, nemo tamen cognovit eorum qui ſunt in mundo. Rogavi latius quid agerent? qui ait, *Si volent* ſex illi Regem iterum purgare potuerunt in fonte diebus tribus, circuendo locum juxta contentam continentiam, dando primo die thoracem, ſecundo camiſiam, ac tertio carnem ſuam ſanguineam. Dixi ad hæc quorſum iſta? at ipſe, hactenus tibi reſpondi, fatigatus ſum. Quod cum percepiſſem, nolui eſſe moleſtus, at abeuntem comitatus ſum aliquatenus, illi quoque gratias agens immortales, valedixi. Venerabilis admodum ſenex fuit atque ſapientiſſimus, uſque adeo ut ipſi obedirent cœli, cunctaque tremerent coram ipſo. Sopor etiam invaſit me, ut rediens ad fontem aliquantiſper quieſcere deſtinaram, ſedemque ſuper hunc abſtinere non potui, quin clauſtra omnia ſecreto reſerarem. Interea cum libellum meum diſputationis præmium inſpicerem, per ſuum ſplendorem & pulchritudinem, ſoporem antea conceptum auxit, ut oſcitantia quadam à manibus in fontem delapſus ſit, *quod me* peſſimè habuit: volebam enim ſervare in memoriam *honoris* adepti. Cumque inſpicerem diſparuit ab oculis, exiſtimans igitur in fundum decidiſſe fontis, aquam exhaurire cœpi, cum induſtria tamen, adeo ut non maneret in eo, niſi decima pars ejus cum decem par-

tem partibus. Cumque totum exhaurire conarer, tenaces erant valdè interea dum in hoc opere fatigarer, ſupervenerunt aliqui, ut ultra haurire impedirent. Priusquam abirem tamen, concluſi rurſum omnia, ne quiſpiam perciperet me fontem exhauſiſſe, neque vidiſſe, neve fortè mihi libellum etiam ſurriperent. Tum demum cœpit excitari calor circumcirca in balneo ad lavandum Regem. Ego autem ob perpetratum facinus adductus ſum in carcerem, ibidemque detentus quadraginta diebus. Quibus abſolutis fui relaxatus, & ad fontem reverſus ut viderem ipſum: obſcuræ nubes apparuerunt, quæ durarunt longo tempore. In ſumma vidi ſub finem omnia, quæ deſiderabat animus, abſque multo labore: qui te non torquebit etiam adeò, modo rectam ingreſſus viam, ab ea non deflexeris ad erroneas, at naturam in omnibus fueris imitatus. Concludens dico tibi, quicunque libellum hunc meum legens, lapidem per ipſum non intellexit, nunquam intelliget, quicquid operetur. Nam in hac mea parabola totum opus continetur in practica, diebus, coloribus, regiminibus, viis, diſpoſitionibus, & continuationibus, quantò melius fieri potuit narravi ſingula, pietate, charitate, & compaſſione motus erga deſolatos operatores, in hac arte pretioſiſſima. Finem igitur faciens libello meo, Deum Optimum Maximum rogo, cujus gratia fuit abſolutus, ut aperiat mentes hominum bonæ voluntatis, quibus, ut ingenioſis, pauca difficultas erit, modo abſtineant à ſomniatis phantaſiis, & ſubtilitatibus ſophiſtarum, in via quoque naturæ maneant, quæ per meam ſpeculativam demonſtratur. Valete in JESU CHISTO omnes, & memores pauperum eſtote, cum ad hunc theſaurum inexhauſtibilem perveneritis. Deum orate, qui vos docebit ulterius.

FINIS.

OPVSCVLVM PHILOSOPHIAE NATURALIS METALLORUM D. DIONYSII ZACHARII NOBILISSIMI VIRI Philoſophi Galli.

AD BENIGNUN LECTOREM.

QUOTQUOT *in hac arte divina ſcripſerunt olim docti, ſapientes viri, naturalesq́ Philoſophi, profanationem, vel divulgationem ejus arcani vetuerunt. Nihilominus amice Lector cum ſatis conſideraſſem interpretationes contradictionum, figurarum, comparationum, æquivocationum, ac variorum ænigmatum paſſim in ipſorum ſcriptis occurrentium, abſq́ numero, celatum eſſe nolui, quicquid (poſt multos inutilesque labores, atque prolixiſſimos, circa ſophiſticationem recepta, deceptoria potius dixerim opera prorſum inepta) per imaginationes veras, ex proborum libris reſolverim continuis lectionibus approbatiſſimorum auctorum, velut* Geberi *in ſua Summa, & aliorum. Pedem itaque retrahens ab erroneis viis, quibus implicitus fueram antea magis quam* Dædalus *in ſuo labyrintho, in ſemitam rectam figere volui, qua gradiens tandem cognovi veram & perfectam materiam, à natura nobis in cavernis terræ præparatam, ad perficiendam ſupra terrã, quæ ſub iſta generat ipſa metalla naturaliter, quemadmodum experientia (*Deo *miſerente) me docuit, ut hoc libello declarabo clarius, quam unquam fieri valeat. In cujus prima parte narrabo modum & progreſſum, quibus perveni tandem ad veram hujus operis divini cognitionem. In ſecunda, quibus auctoribus uſus ſum in perquirendis auctoritatum explicationibus,*

nibus terminorum, aliarumque difficultatum. Tertia verò & ultima, declarabo practicam ad eum nempe modum, ut ignaros lateat, filiis autem artis ſit manifeſtiſſima: propter quos omnia redigere in optimum ordinem ſtudui quam diligentiſſimè: non imitatus hac in re nonnullos invidos utilitatis R. P. *homines, propriiq; ſui commodi nimium avidos, qui ſuam noluerunt materiam declarare, præterquam ſub diverſis variiſque fabularum allegoriis, imò qui libros ſuos aliis oſtendere vix voluerunt. Novi quendam qui nonnulla ſcripta recéperat à Veneto, hæc velut adorans occultabat occluſa, ut ipſemet vix auderet introſpicere, ne dicam aliis oſtendere, vel communicare, exiſtimans fortè lapidem ex ea papyro ſola proditurum abſq; labore, ſi modo concluſa ſtrictiſſimè contineretur arca, tanquam Hermetico ſigillo materia philoſophica. Verum ignorant iſti non fortuitò conceſſam eſſe tam divinam ſcientiam hominibus, ut ajunt Philoſophi, dum reprehendunt eos, qui non propriis, at alienis impenſis operantur. A quibus dubio procul aſperrimè taxabor, qui hoc opuſculum publicavi, præſertim idiomate vulgari, cum nulla hac tempeſtate ſcientia magis vulgò ſit odioſa. His breviter volo reſponſum quod hactenus ignorarunt, nimirum hujus divinæ philoſophiæ partem non eſſe in humana poteſtate, adeò ut libris ſolis intelligi queat, ſed in voluntate Dei ſitam, qui revelat cui vult per Spirtum S. ſuum, vel per medium alicujus hominis, uti ſecunda libri hujus parte narratur latius: tantum abeſt ut palam faciam omnibus. Quid novi ſi vulgariter ſcribam artem, quæ ab omnibus ſuis profeſſoribus non alio ſermone quam ſuo proprio pariter deſcripta fuit hactenus, ut ab Hameth Hebræo Hebraicè, à Thebit & Hali Chaldæis Philoſophis Chaldaicè, ab Homero, Democrito, & Theophraſto Græcis Græcanica lingua, ab Aboholy, Gebro, & Avicenna Arabibus in Arabica. Morienus, Raymundus, & plerique alij Latini, Latinè tradiderunt artem, ut cognoſceretur à*

tur à ſucceſſoribus, divinam iſtam ſcientiam hominibus etiam ſuæ nationis conceſſam quandoq; fuiſſe. De populari odio ſciendum veritatem artis non eſſe ſpretam, ſed falſas duntaxat in ea ſophiſticationes, ut in prima hujus libelli parte narrabo latius. At ſi dicant, cur ego non dilucide ac manifeſtè ſingula ſcribam, ut ex hoc opuſculo quiſq; ſecurè valeat operari, cum ſecus faciens nihil utilitatis adſeram lectoribus? Vt reſpondeam, quis ignorat innumeras impenſas inutiles, quæ circa hanc artem in Gallia ſolum fiunt indies propter ſophiſticationes, & a quibus ſi retrahi poſſint in viam rectam lectura mei libri, tum pij probiq; lectores in veritatis ſemita retineri per ea quæ ſecunda parte doceo. non erit iſtis omnibus lectura tertiæ partis inutilis, in qua narratur, qua patet ad practicam operis divini prorſum facilis aditus. Divinum voco hac de cauſa, quod nemo per ſeipſum abſq; divina inſpiratione comprehendere, vel intelligere poteſt, etſi doctiſſimus alioqui philoſophus exiſtat, ut ait Geber adverſus omnes, qui ſola conſideratione cauſarum, operumq; naturalium operari nituntur, inquiens: In eo plurimum errant putantes ſe naturam imitari poſſe, cum id arti ſit in omnibus impoſſibile. Abſtineant igitur ejuſmodi calumniatores à lectura noſtri opuſculi: non ipſis enim elaboravi, ſed filiis doctrinæ benignis, docilibus, & ſtudioſis amatoribus hujus artis. Quos amice quidem rogo, & admonitos volo, prius quam operari incipiant, ut omnibus dubiis, quæ circa ſingulas operationes in compoſitione neceſſarias verſantur, collatis, & quæ ſibi mutuo contradicere videbuntur, ænigmatum æquivocationibus, & id genus aliis, animum adeò reſolutum atque liberum habeant, ut videant, ac intelligant, non niſi meras eſſe concordantias, non diverſorum, ſed vario modo prolatorum in unum & eundem ſenſum. Hæc eſt unica via cognoſcendi veritatis, in hac arte præſertim, ut Raſis inquit. Quicunq; deſidioſus erit, ac oſcitans in noſtrorum lectura librorum, ineptus etiam erit ad præparandas materias, quando-

quidem

quidem unus alio declaratur, tum quod in iſto uno fortaſſe requiritur, ſuppletur in alio. Impoſſibile namque (ſic diſponente divino conſilio) reperiri omnia ex ordine ſcripta, quæ ad hanc artem ſunt neceſſaria. Proinde quoſcumque rogo, qui per hoc meum Opuſculum ad tantam felicitatem pervenerint, non abutantur ea, pauperumq; in primis non ſint immemores ad ſui condemnationem, Deo gratias agant aſſidue pro hoc, & reliquis liberalitatis ſuæ donis, cui ſit laus, honor, & gloria ſoli in æternum.

PRIMA PARS OPUSCULI DIONYSII ZACHARII, QUA VIA PERVENERIT auctor ad veram notitiam hujus artis, operisq; divini.

HERMES ille Triſmegiſtus non immeritò vocatus philoſophorum omnium naturalium propheta primus, atque pater, divini lapidis auctor, & Termagnus Interpres, poſtquam expertus eſſet veritatem hujus divinæ philoſophiæ, ſcriptum nobis reliquit, quod niſi metuiſſet univerſale Dei judicium poſtremum, nunquam de hac divina ſcientia quicquam ſcripſiſſet, in tantam venerationem habuit. Hujus opinionis etiam extiterunt quotquot eum in hac arte ſunt imitati: quo factum ut omnes libros conſcripſerint in ea, variis argumentis in utramque partem concludentibus, ut ait Geber in Summa, ut ignorantes ad hunc modum errare cogerentur, econtra doctrinæ filij ſub opinionum ejusmodi varietate, mentem ipſorum perciperent. Quos nihilominus etiam errare fuit neceſſarium à principio, ut poſtquam adepti fuerint artem ſummis laboribus, cum intellectus, tum corporis, pluris faciant, occultiusque ſervent. Iſta nimirum eſt occaſio maxima celandi: nam ad intolerabiles pœnoſosque labores accedunt ſumptus ingentes, his potiſſimum qui librorum lectura ſola diſcunt, expectantes inſpirationem à divino ſpiritu, quemadmodum ego feci ſpacio decem annorum, ut narraturus ſum, & medium dicturus per quod in cognitionem hujus arcani venerim. Cum annorum eſſem circiter viginti, poſtquam cura parentum inſtructus domi fuiſſem in principiis Grammatices, ad artes & philoſophiam relegatus, annorum ſpacio trium, diligentia particularis mei præceptoris, adeò profeci, ut viſum fuerit meis tutoribus (interea temporis enim uterque parens interierat) altius me provehere, videlicet ad legisprudentiam ſub eodem

præceptore: ſed priusquam diſcederem ab artium collegio, familiaritatem & amicitiam cum plurimis aliis ſcholaribus inieram, iſti varios habebant receptorum chemicorum libros, quos mihi datos mutuo ſumma diligentia deſcripſeram, annuente præceptore familiari, qui jamdudum etiam in hac arte laborare cœperat, adeò ut antequam abirem, collegiſſem librum admodum copioſum ejusmodi receptis refertiſſimum. Statim atque una cum præceptore meo veniſſem eo locorum, ubi legibus operam navare debui, ſcripta mea cœpi revolvere, quorum aliqua projectiones continebant unius ſuper decem, alia ſuper viginti, triginta, tertiam, mediam partem, ad rubeum octodecim characterum, viginti, &c. in coronatorum aurum, ducatorum, altiorisque coloris quam unquam eſſe poſſit, unum ſuſtinere debuit liquationem, aliud examen Lydij lapidis, omnia aliud examina: de albo ſimiliter, unum eſſe debuit denariorum decem, aliud undecim, aliud capitalium numiſmatis argentum, album ex igne rediens, aliud in affricatione lapidis Lydii. Summatim exiſtimabam, ſi vel minimum iſtorum præſtare valerem, in hoc mundo majorem felicitatem contingere mihi non poſſe. Præſertim cum legerem ejusmodi recepta magnatum inſcriptiones præ ſe ferre, unum Reginæ Navarræ, aliud Cardinalis Lotharingiæ, Turnonis, & aliorum infinitorum, ut ejusmodi larvis atque titulis fides ab incautis hominibus adhiberetur, quibus etiam decipiebat facilè cum cæteris. Fornaculas itaque fabricari cœpi, & à minimis ad maximas deveniens, totum iſtis replevi magnum cubiculum: unam ad deſtillationem deſtinaveram, ad ſublimationem aliam, ad calcinationem, diſſolutionem, balneum Maris, ad fuſionem, adeò ut pro primo introitu mei principij, ducentos coronatos, quos receperamus in ſuſtentationem ſtudiorum ad duos annos, penitus inſumpſiſſem, partim in fornacibus, partim in carbonibus, infinitis mineralibus, & vaſis vitreis, auro & argento inutiliter fuſis, mixtis, atque ſolutis, quæ longa tractatione peribant inter loppas & cineres, ac ita diminuta vix apparebant, vel tantillo reſiduo fragili & corrupto: finito nondum anno priore, ſubſtantiam duorum, aut ſaltem poſterioris jam inchoantis, in fumum redegi. Hoc tempore meus præceptor calidiſſima febre correptus, per calores noſtris carbonibus excitatos (illorum inſtar fermè qui Venetiis in Arcenali percipiuntur à fuſoribus tormentorum) quia jam inflammatus, ac flagrans intrinſecus frigide bibiſſet, ob cujus mortem maximè dolui: tum quia parentes renuebant plures mittere pecunias, quam pro me ſolo. Proinde cupiens inchoatum opus proſequi, domum redire coactus ſum, ut liber à tutela factus, meique juris, de paternis modo quo vellem diſponerem, quæ ſtatim in arendam (ut vocant) conſcripſi

cripſi quatuor annis quadringentorum coronatorum pretio, quibus tandem receptum ab Italo mihi datum experirer; hunc lui mecum,donec viderem exitum rei: affirmabat enim ſe viiſſe per experientiam ejus effectum. In hanc rem emi duas unias auri,& marcam unam argenti, liquata ſimul diſſolvimus in qua forti, poſtmodum calcinavimus per evaporationem, aliis quoque diverſis aquis, variiſque deſtillationibus diſſolvere coati ſumus,tantiſper dum tres præterirent menſes priusquam hic ulvis paratus eſſet in projectionem,quam quidem juxta recepti ræſcriptum fecimus,at fruſtra: nam augmentum transmutatum ſt in detrimentum, adeò ut ex auri & argenti ſimul unciis octo, eſtiterint unciæ tres tantum, ut interim taceam de multis aliis umptibus,quibus quadringenti mei coronati, ſunt ad ducentos c triginta redacti,de quibus etiam viginti defecerunt, iſtos Italo neo dedi, ut auctorem adiret recepti, quem aſſerebat eſſe Meiolani, à quo melius inſtrueretur. Proinde per totam hyemem xpectabam ejus reditum, verum in diem poſtremum potuiſem ibidem manſiſſe, nunquam enim poſtea mihi viſus eſt. Eſtas tandem comitante peſte rediit, quapropter loco mihi cedendum fuit,aliiſque ſociis anno dimidio, quo tempore incidi in quendam ſenem, vulgò Philoſophum appellatum, quo cum amiitiam contraxi,meaque recepta communicavi, rogans ut ſuo judicio meliora notaret: decem itaque vel duodecim quæ ſibi otiſſima videbantur, demonſtravit. Hæc, ceſſante peſte, rediens ad priſtinum locum tentare cœpi mox à reditu, perque toam ſubſequentem hyemem operatus ad feſtum uſque Joan. æquè antum emolumenti, quantum ex præcedentibus reportavi: ſiquidem adhuc quadringenti mei coronati ſumpſerunt augmenum, ut ex eis ſeptuaginta duntaxat numerarem, non propterea deſpondi animum. Quidam Abbas habebat receptum ab amico Roma transmiſſum,ex aula Cardinalis Armignaci, cui adjunctus expoſui centum coronatos, totidem & ipſe, ut communibus exenſis experiremur. Fabrefactis igitur fornacibus diverſarum ormarum ab aliis, quoniam opus erat nobis excellentiſſima aqua vitæ, pro diſſolutione marcæ aut libræ ſemis auri, generoiſſimi vini vas magnum emimus, ex quo per pellicanum ingentem copiam ejus aquæ ſæpius rectificatæ,plurimis vitreis vaſis ad hoc emptis paravimus. Poſtmodum auri noſtri, prius integro menſe calcinati, marcam unam, & quatuor marcas aquæ dictæ, poſuimus in duo vaſa vitrea ſpiſſiſſima retorta, unum in aliud intrante, ſigillatis, & ambobus collocatis in duabus magnis fornacibus rotundis: Emimus etiam carbones pretio triginta coronatorum unica vice, ad ignem ſubtus continuandum integro quidem anno, ut interea tamen aliquid in aliis etiam receptis tentaremus,

taremus,ex quibus non magis quam ex opere magno conſecuti ſumus utilitatis,ex utroque videlicet omninò nihil. Conſtruxiſſemus ignem ad infinitos annos, priuſquam, ut receptum pollicebatur,congelatio facta fuiſſet in fundo vaſorum, non præcedente ſolutione. Non autem operabamur in debita materia, nec erat iſta ſolutionis aqua vèra,quæ noſtrum aurum diſſolvere debet, ut ab experientia patuit. Invenimus enim aureum pulverem adhuc integrum,nec niſi paulò minutiorem, quem projecimus ſuper vivum argentum,ut habebatur in recepto,ſed in vanum. Ægre tulimus hoc infortunium,& præſertim Abbas, qui tamquã optimus ſecretarius publicus,jactitarat coram ſuis monachis,ſe nihil expectare,præter finem operis,tandem plumbeum fontem exiſtentem in monaſterio liquefacturum, & converſurum in aurum: verum in aliud tempus reſervare coactus eſt,ut poſtmodum ſuppeditaret ei ſumptus,quos interea fecit per Germanum operatorem prætereuntem,& fruſtra me abſente dum eſſem Pariſiis tentavit. Abbas utique reaſſumpto animo,perſuaſit mihi,ut congregarem pro parte mea trecentos, vel quadringentos coronatos, totidem adderet meis, quibus mecum aſſumptis Pariſios me conferrem, ubi laborantium numerus infinitus, tantiſper inter ipſos ac diverſos verſarer,donec opus aliquod perfectum inveniſſem inter nos velut fratres partiendum. Quo quidem pacto inito, bona poſſeſſionum mearum denuò conſcripſi, Pariſios utique veniens octingentos attuli coronatos, ea intentione, ut illinc non diſcederem, uſque dum aſſumpſiſſem aut reperiſſem quod optabam. Non ſine parentum & amicorum omnium offenſione maxima receſſi,qui me libenter in ordinis ſenatorij virum promoviſſent in patria,exiſtimantes me legisperitum eſſe promptiſſimum. Verum ego reſiſtens,ac ſimulans me his pecuniis officium aliquod empturum, valedixi,& accinxi me itineri altera die natalis feſti,ac Pariſios appuli triduo poſt Reges. Ibidem integro menſe primum incognitus latitare volui. Mox atque poſtmodum frequentare cœpi cum artiſtis, aurifabris, fuſoribus, vitrariis, fornacum ſtructoribus,aliiſque,tantam contraxi notitiam, ut vix altero menſe finito,plus centum operatorum facti ſint mihi familiares. Nonnulli operabantur in tincturis metallorum per projectiones, alij per cimentationes,aliqui per diſſolutiones, plerique per conjunctionem eſſentiæ lapidis ſmirilli vulgò nuncupati, nonnulli per prolixas decoctiones,aliqui in extractionibus Mercuriorum à metallis,alij verò in iſtorum fixationibus. Adeò frequens erat noſtra congregatio, in domibus, alias in ſummo templo, ut feſtivis ac dominicis diebus non parceretur. Aliqui dicebant inter ſe: Utinam nobis eſſet facultas opus noſtrum repetendi, perveniremus ad perfectionem: alij, ſi vas noſtrum integrum permanſiſſet,res

bene

benè ſuccedebat: nonnulli, ſi vas cupreum habuiſſemus optimè rotundum, fixum reddi diſſemus Mercurium cum luna. In ſumma nemo omnium aliquid operatus fuerat, quod ſuis careret excuſationibus, quibus adhuc tantiſper ſurdas aures exhibebam, inutiles namque ſumptus, quos feceram ejuſmodi perſuaſionibus, memoriam refricabant. Interea Græcus quidam exiſtimatione doctus, adiit mihi notum theſaurarium, aureos illi montes promittens ex fixatione Mercurij cinabaris. Hæc notitia dedit occaſionem, ut cum amico ſimul pro parte mea pecunias erogarem, ad hoc opus exequendum. Cum igitur opus eſſet argento puro in limaturas confracto, hoc emimus pondere trium marcarum, ex quo, cum adjuncta paſta quapiam artificiali, clavos efformabat operarius noſter, admixta cinabari pulveriſata, quos in olla figulina clauſa decoquebat ſuo tempore. Tandem exiccatos per cupellam fulminabat, adeò ut repererimus tres marcas, & paulò plus, argenti puri, quas quidem aſſerebat ex cinabari productas: noſtras antea poſitas in fumum evolaſſe. Lucrum hoc Deo notum eſſe potuit, non nobis, cum ego pro parte mea triginta coronatos, & ultra, perdidiſſem, vel fruſtrà inſumpſiſſem. Rumor hic clavorũ increbuit per totam civitatem Pariſienſem, ut nemo non de his audiviſſet, præſertim inter eos, qui ſophiſticationum operibus aſſueverant, velut antea de pomis cupreis ad fixandum cum luna Mercurium fama fuerat proſeminata. Tandem advenit quidam nobilis in ſophiſticationibus inſigniter expertus, adeò etiam, ut inde lucrum faceret, opera ſua vendens aurifabris, quo cum amicitiam inij, non ſine ſumptu, ne me putaret egenum.

Anno integro cum ipſo verſatus fui, priuſquam tantillum declararet, poſtremò tandem arcanum ſuum mihi communicavit, quod etſi plurimi faceret, nihil perfecti fuit. Nihilominus ad meum Abbatem ſcripſi cuncta, quæ ſucceſſerant, ipſique duplum poſtremi hujus operis miſi cum practica dicti nobilis. Ad me reſcripſit ut manerem Pariſiis adhuc annum ſumptusque non formidarem, maximè cum in arcanum incidiſſem, pro principio, quod exiſtimabat non exiguum, quamvis ego reſolviſſem in animo non uti materia, quæ non perſiſteret in eodem ſtatu, quo prius apparuerat, hoc mihi proponens, operandum non eſſe, neque laborandum cuiquam, ut nequam & impoſtor evadat, aliorumque detrimento diteſcat. Proinde manſi, ut ſcripſerat alio anno, cum duobus antea præterlapſis, frequentans jam hunc, modo alium, eosque de quibus opinio communis erat ipſos aliquid habere boni perfectique. Omnes fermè conſumpſeram pecunias, cum jam ad me rurſum ſcriberet Abbas, ut mox viſis perlectisque ſuis literis absque mora venirem ad ipſum, quod feci: nolebam enim promiſſam fidem fraternam perfringere. Advenienti mihi literas

literas obtulit à Rege Navarræ (qui harum rerum curioſus eſſe videbatur) ad ipſum miſſas, ut procuraret apud me, ſi rem gratam illi præſtare vellet, Regem adirem illicò, arcanumque docerē illius nobilis, nec non alia quæ me ſcire audiverat ex relatu, promittentem in remunerationem tria, vel quatuor millia coronatorum. Summa hæc Abbatem adeò inflammarat, ut non magis lætum ſe demonſtraſſet, ubi jam in crumena ſua latitaſſent, nec prius quieſcere potuit, quam in Aulam me contulerim. Quo cum veniſſem, non ante ſex hebdomadas operari potui, quod alio quærenda eſſent materialia. Abſoluto tandem opere muneris, quod expectabam obtigit nihil. Nam etſi Rex in animo concepiſſet remunerare labores meos (ut interim taceam de favore & amicitia per incolas & aulicos, mihi demonſtratis ſcilicet, à valdè paucis tamen) nihilominus diſſuadentibus Regi bonam opinionem ſuis, ac maximis nobilibus, & præſertim illis, qui potiſſima cauſa fuerunt adventus mei, dimiſſus fui à Rege vacuis manibus, datoq; verbo gratiarum, & ſi quid eſſet confiſcationum in ſuis regionibus, cujus poteſtatem haberet, perquirerem, hoc mihi dare pollicebatur. Tædioſa reſponſione perturbatus, fidere nolui tam vanis promiſſionibus, quæ mihi notiſſimæ fuerant olim, ad Abbatem non ſatis contentus redii, nec prius tamen quam inviſerem transeundo quendam religioſum Doctorem excellentiſſimum in philoſophia, de cujus ſingulari doctrina rumor erat non exiguus, hic me plurimum retraxit à ſophiſticationibus. Poſtquam cognoviſſet me philoſophiæ navaſſe operam, eo uſque, ut magiſtratus gradum (quem vocant) recepiſſem, ut ipſi etiam narraveram, dolere ſe plurimum, aiebat, me non habuiſſe libros optimos quoscunque priusquam & tempus, & opes tam inutiliter conſumpſiſſem in ejusmodi ſophiſticationibus diabolicis. Narrabam ei de hoc opere poſtremo, qui mox judicavit in multis examinibus perſiſtere non poſſe. Quapropter ſuaſit amice, ut prorſum deinceps abſtinerem ab iſtis erroribus, librosque legerem antiquorum Philoſophorum attentius, ad cognitionem veræ ſuæ materiæ, in qua videbatur conſiſtere hujus ſcientiæ potiſſima perfectio. Proinde accelerabam iter ad Abbatem, ut rationem redderem ſumtuum, quos feceram Pariſiis, partemque darem ejus remunerationis, quam acceperam à Rege Navarræ. Cumque narraſſem omnia, contriſtatus eſt, & maximè quia nolebam in opere perſeverare: credebat enim induſtrium operatorem eſſe me, nec tantum efficere potuerunt bona verba, quibus utebatur, quin Doctoris conſilium amplecterer, ob evidentes rationes quas adduxerat. Calculo dato cum Abbate, utrique noſtrum ex octingentis coronatis communibus, nonaginta reſidui ſunt inventi. Vale utrinque dicto, ſeparati fuimus: ego verò do-

verò domum reverſus,ut plures nummos à meis arrendatoribus haberem, quibus receptis, Pariſios iterum me contuli, deliberatione facta mecum, poſtquam eo veniſſem, à domicilio quopiam non exeundi, donec optimam & perfectam feciſſem reſolutionem, ex lectura diverſorum auctorum noſtræ philoſophiæ naturalis, antequam operi noſtro magno manum apponerem, relictis omnibus ſophiſticationibus auctori ſuo nequam. Appuli Pariſios itaque poſtridie Sanctorum, anno 1546. comparatisque mihi libris aliquot pretio decem coronatorum in hac philoſophia partim excuſorum, partim verò non, cum antiquorum, tum modernorum ſcribentum, ut Turba Philoſophorum, Trevisanus, Lamentatio naturæ, & plerique alij tractatus nondum impreſſi, & locato cubiculo in ſuburbio Marceo, manſimus ibidem ego, & puer inſerviens mihi, neminem interea frequentans, atque aſſiduè ſtudens, dies & noctes integro anno ſumma cum diligentia. Primo menſe vix abſoluto, cœpi jam unam reſolutionem mihi proponere, mox aliam, hanc ampliare, modo mutare prorſum, idque tantiſper facere propoſueram, uſque dum in unam tandem incidiſſem, in quam nulla varietas, & nulla contradictio ſententiarum philoſophicarum quadrare poſſet. In iſtis annus, & bona pars alterius præteriit, priuſquam ſtabilem aliquam ex eis cognitionem elicere poſſem. Inter iſtas perplexitates conſtitutus, frequentare viſum eſt expediens bonos operatores in hoc opere divino, ſophiſtis à tergo relictis, quos cognoveram toto cœlo (quod ajunt) errare, & alios ſeducere. Verum quæ me tenebat ambiguitas à ſtudio, jam augebatur, ac magis dum conſiderarem varium atque diverſum operandi modum inter ipſos. Nam ſi hic in auro ſolo operabatur, alter in auro cum Mercurio, alius admiſcebat plumbum, quod ſonans appellabat, quia cum argento vivo per vas retortum tranſierat: alius item convertebat metalla in argentum vivum, variis ſimplicibus atque diverſis, per ſublimationem: alius operabatur in attramento nigro, quod aſſerebat veram eſſe materiam, qua Raymundus Lullius utebatur in compoſitione magni ſui lapidis.

Si quis operabatur in alembico, contra reperiebatur, qui in multis, atque aliis diverſis vitris, æneis nonnullis, cupreis, plumbeis, vel argenteis, etiam aureis. Item nonnulli ſuas decoctiones faciebant igne magnorum carbonum, alij lignorum, aliqui floribus racemorum, alij Solis radiis, & in balneo Mariæ alij. Adeò ut operationum ejuſmodi varietas, una cum librorum contradictionibus, eo me fermè redegerant, ut deſponderem animum, cum Spiritu divino rurſum erectus, ad librorum ſeriam lecturam denuò me contuli, diligentius & majore cum animadverſio-

ne rele-

ne relegi ſcripta Raymundi Lullij, præſertim in Teſtamento & Codicillo, quæ contuli cum epiſtola quadam, quam ſcripſit, prope mortem exiſtens, Roberto Regi, & cum ſcripto quodam à Doctore mihi dato, cui fuit inutile, ut contra prædictas omnes operationes, quas antea videram concludens, ad unam tandem reſolviſſem, talemque reperiſſem, quæ conveniret cum omnibus libris: item cum ea reſolutione, quam facit Arnaldus de Villanova præceptor Lullij in hac arte, ſub finem magni Roſarij ſui. In hac itaque manens opinione, aliud nihil operatus fui; quam aſſiduè legere ac meditari circa meam reſolutionem dies & noctes, donec terminus adeſſet mei cenſus, ut domum redirem operatum. Cumque jam eſſem domi, propoſui quod reſolveram in effectum deducere, facta proviſione prius omnium quæ neceſſaria ſunt, ac primò furnum conſtruxi, & altera die Paſchatis laborare cœpi, non ſine multis impedimentis, quorum hic non faciam mentionem, niſi parentum & amicorum crebrarum increpationum, ac vicinorum. Nonnulli dicebant mihi, Heus quidnam verſas in animo, nunquid ſat inutilium ſumtuum in his nugis adhuc feciſti, quæſo? Alius admonebat niſi abſtinerem à tractatione tantorum carbonum, vulgus ſuſpicaturum de fabricatione monetæ falſæ, cum jam hac de re murmurare cœpiſſent. Adveniebat alius, qui cives omnes aſſerebat mirari, ac præeminentiores, cur non facerem profeſſionem Jurisprudentiæ, præſertim quod Licentiatus eſſem, quoad pervenerim altius ad officiū aliquod adminiſtrationis è Republica. Qui mihi conjunctiores erant, ac familiariores, increpabant indies absque intermiſſione dicentes: Quando tandem iſtis ineptiis finem impones, & bonorum paternorum dilapidationibus? potius foret hujusmodi ſumtus inutiles ad ſolutionem creditorum convertere, & emptionem alicujus officij. Nec id ſat eſſe videbatur, quin minarentur mihi, niſi deſiſterem, facturos ut miniſtri Juſtitiæ ruerent in domum, & omnia perfringerent inſtrumenta cum reliquis. Si noſtri nullus (inquiebant) nec cæterorum tibi amicorum ſit reſpectus, tui ſaltem habeto rationem, conſiderans cum triginta, vel circiter, annorum ſis, videris agere quinquageſimum. Sic tibi barba tingitur in albedinem fermè, præ nimiis laboribus, vanæ cujusdam opinionis gratia perpeſſis à tua adhuc juventute. Utrum hæc verba me pungerent aſperrimè conſiderate: maximè cum viderem opus meum indies ſuccedere proſperius, cui pertinaciter & conſtantiſſimè inſiſtebam absque tædio, ſpretis etiam iſtis ac aliis intervenientibus impedimentis, & præcipuè peſte, quæ ſæviebat per totam æſtatem, ut etiam ceſſarent omnes negotiationes. Singulis utique diebus conſpiciebam apparitiones trium colorum, quos Philoſophi ſcribunt apparere debere ante perfectionem operis divini. Eos omnes gratiâ Dei vidi

ſucceſſi-

ſucceſſivos unum poſt alium,& deinceps proprio die Paſchatis alterius anni, vidi perfectionem, experientia facta ſuper vivum argentum calefactum in tigillo,& converſum in purum aurum præ meis oculis, breviori ſpatio, quam unius horæ, pauco admodum hoc pulvere divino. Deus novit quanto fuerim gaudio perfuſus. Nec propterea jactabundus, aut elatus mundo coram exſilij, ſed clam Deo gratias agens immortales, qui meas preces exaudire dignatus fuerat, per JESUM CHRISTUM filium ſuum Dominum noſtrum, oravi latius, ut illuminaret cor & intellectum ſua gratia, quò poſſem uti ad honorem & laudem ſui glorioſi nominis. Altera die ſtatim accinxi me itineri verſus meum Abbatem, quo promiſſæ fidei facerem ſatis at obierat ſex antea menſibus: quamobrem dolore maximo affectus fui, & ob mortem alterius Doctoris videlicet, de qua mihi relatum fuit itinere, non longè transeunti à ſuo Conventu. Proinde contuli me in quendam locum aſſignatum cuidam proximo parenti meo, priuſquam diſcederem à patria, ut eum ad me venturum expectarem: hunc reliqueram domi meæ cum poteſtate procuratoria, vendendi omnia bona mea paterna, ut meis creditoribus ſatisfaceret, ac reſiduum ſecreto pauperibus & egenis diſtribueret, utque mei parentes & alij fierent participes ejus doni, quo me Deus honorare voluerat. Plærique, & ferè omnes alij exiſtimabant me tanquam deſperabundum, & præ dedecore ob tantos ſumtus inutiles vendidiſſe omnia, quo ad exteras regiones fugiens, laterem incognitus, ut mihi retulit ille meus parens, qui ad me venit prima Julij. Deinceps Lauſanam ivimus, in Sabaudia ſitam, ut inde nos conferremus ad celebre quodpiam emporium Germaniæ, pauco admodum comitatu, ne innoteſcerem etiam illis, qui hoc meum opuſculum legerent, me vivente. Quod quidem compoſui ſolum, ut diverterem bonos piosque viros à ſophiſticationibus, ad viam rectam perfectionis in hoc opere divino. Pro concluſione hujus primæ partis, in memoriam omnibus refero quod Poëta cecinit:

Felix quem faciunt aliena pericula cautum.

quo diſcant à meis erroribus inutiles ſumptus fugere, qui fiunt in ſophiſticationibus: contra, patienter & conſtantes prius legere & intelligere bonos auctores, quam operi manum admovere: Deum orando ſemper pro gratia & intellectu ſincero. Siquidem non fato neque fortuna huc pervenitur, at ſola vocatione divinitus facta, potius quam ſtudio. Quibus datum fuerit, dabitur pariter indignis velandi modus, & aliis probisque revelandi, ne omnes æqualiter intelligant: pariter & benè utendi gratia, in honorem Altiſſimi datoris luminum.

Amen eſto.

OPUSCULI DIONYSII ZACHARII SECUNDA pars, qua docet auctor legendorum Philoſophorum naturalium ex faciliima methodo modum & normam.

PRimo Phyſicorū libro Ariſtoteles docet contra negantes principia non eſſe diſputandum, at benè cum ipſis, qui fatentur eſſe vera, per ignorantiam (ſed hæc valeant, quantum valere poſſunt) incauti, non videntes anguem ſub hac herba latentem, ob larvam ſibi ante oculos poſitam, præ qua de falſis coloribus à veris diſcernere nequeunt. Sed auctorem in hac parte intelligere non ſat volens, ad meliora tranſeo, qui proſequitur adhunc modum: Bonis (inquit) viris, & hujus artis ſtudioſis opuſculum hoc volui conſcribere, quo valeant inde fructum & utilitatem referre non exiguam in legendis auctoribus, intelligendis obſcuritatibus, & velamentis, confuſione per varietatem inordinatam ſtructis. Proinde ut obveniam iſtis, & meis ſubveniam auditoribus, ordine partiar narrationem, ac primò dicam per quos hæc ſcientia potiſſimum inventa prodiit in aliquorum ſucceſſivam notitiam, tum quibus auctoribus uſus ſum in compoſitione hujus opuſculi: cauſam etiam quare tam obſcurè ſcripſerint. Deinceps diverſis probabimus argumentis veritatem & certitudinem artis, reſpondendo pariter magis apparentibus in contrarium adductis. Tertiò docebimus artem noſtram eſſe naturalem, & qua ex parte: item quamobrem divina vocetur ab operationibus principalibus, inibi declarando manifeſtos errores operantum hac tempeſtate. Tandem opera naturæ ſub terra per ipſam uſitata, in generationibus metallorum declarabimus, ad quorum imitationem artifices operari ſuper terram oportet. Poſtea materiam ad hoc opus neceſſariam indicabimus: & poſtremo terminos præcipuos uſurpatos in hac arte, ſententias quoque Philoſophorum antiquorum apparentes, ſibi mutuo contrarias concordabimus, in filiorum artis utilitatem, & in maximum detractorum dedecus, ignominiam, & confuſionem: ſingula per antiquiſſimorum, & doctiſſimorum Philoſophorum auctoritates, ne ſe putent à moderno quopiam detegi cum ſuis impoſturis. Ut melius declaremus noſtræ ſcientiæ primos inventores beati Jacobi Apoſtoli doctrina eſt, quod revocemus in memoriam, quæ ſic habet: Omnis donatio bona, & omne donum perfectum è ſupernis eſt, deſcendens à patre luminum, &c. Hæc ſententia generalis eſt, quapropter & noſtræ convenit intentioni, maxime quia ſcientia noſtra eſt tam divina, tamque ſupernaturalis (in ſecunda quidem operatione) ut ſemper fuerit, ac ſit adhuc impoſſibile hanc innoteſcere hominibus, quocunque ſtudio vel induſtria quavis, etſi

omnium

omnium ſapientiſſimi ſint, atque doctiſſimi Philoſophi, niſi primum à Deo ſit inſpirata. Deficiunt enim hac parte nobis naturalis omnis ratio & experientia. Quapropter merito ſcriptum eſt à nonnullis, arcanum eſſe reſervatum à Deo ſuis, ipſum timentibus & honorantibus, ut ait ille magnus propheta noſter Hermes. A nullo alio (inquit) nec per alium, quam à Deo per divinam ejus inſpirationem habeo. Alphidius idipſum confirmat, his verbis: Scito fili, Deum reſervaſſe hanc artem Adami poſteris, & præſertim vere pauperibus. Idipſum affirmat Geber in Summa inquiens: Noſtra ſcientia eſt in poteſtate Dei, qui ex miſericordia ſua donat eam quibus vult. Non eſt igitur in hominum poteſtate, neque ab ipſis excogitata. Verum in quantum ipſa naturalis eſt, aut in primis ſuis operationibus naturam imitatur, eatenus variæ ſunt opiniones in demonſtrando primum inventorem ejus imitationis. Nonnulli aſſerunt fuiſſe Adamum, alij Æſculapium: aliqui volunt Enoch primam ejus habuiſſe cognitionem, quem dicunt Hermetem extitiſſe, cui etiam tantum honoris Græci tribuerunt, ut omnium artium occultarum inventorem appellarent. Ego pro parte mea libenter aſſentirem poſtremæ huic opinioni, cum certiſſimum ſit ipſum fuiſſe præcellentiſſimum Philoſophum; ut ex ſcriptis ejus apparet. Cauſas rerum diligentiſſime ſcrutatus eſt, per experientias in naturalibus, quibus cognitis, innotuit ipſi pariter materia qua utitur natura in concavitatibus terræ generando metalla. Quotquot enim hanc imitati fuerunt omnes pervenerunt ad veram hujus artis notitiam, uti Pythagoras, Plato, Socrates, Zeno, Haly, Senior Raſis, Geber, Morienus, Bonus, Arnaldus de Villanova, Raymundus, & plæriqne alij, quos recenſere prolixum foret. Ex quibus omnibus, tanquam ex præcipuis, compoſuimus hoc præſens noſtrum opuſculum, non ſine maximo labore, ut ipſorum libri teſtantur. Scripſerunt enim ad hunc modum (cum præ oculis timorem Dei ſibi proponerent) ut impoſſibile ſit ad cognitionem artis hujus pervenire lectura ſola ſuorum librorum; quod Geber in Summa: Non eſt (inquit) quod filius artis animum deſpondeat in hoc opere divino: ſiquidem aſſidue meditans cauſas naturalium compoſitionum, tandem eo perveniet, quo tendit animus ejus. Contra, quicunque prætendit invenire medio librorum noſtrorum, tarde rem aſſequetur: nam ad eum ſcripſere modum Philoſophi (ait alio loco) ut ſibi ipſis tantum videantur congratulari practicam veram, huic inquirendi modum permiſcentes: item præcipuas quoque operationes vario modo, ac in diverſis capitulis ponentes: cauſam ponit: Quia ſi obſervaſſent ordinem in ſuis tractationibus, potuiſſet hæc ſcientia divina ab omnibus intelligi primo die, vel unica hora, adeò nobilis eſt, ac admiranda.

Alphidius inquit: Philoſophos, credendum eſt, prædeceſſores noſtros occultaſſe principaliorem ſuam intentionem, ſub ænigmatico & æquivoco ſermone, ac innumeris figuris ne per manifeſtationem ſuæ doctrinæ, mundus ruinam inde pateretur. Nam periret omnis agricultura, negotiatio, & quicquid neceſſarium eſt in conſervationem vitæ humanæ: nemo ſiquidem laborare vellet, cum ſe tantis opibus refertum videret, unusquisque neceſſitudinem contemneret. Quo fit ut Hermes in principio ſui libri, ſe excuſans dicat: Filioli, non eſt quod exiſtimetis Philoſophos occultaſſe hoc arcanum, ex invidia adverſus doctos ac ſtudioſos, at ſolum ne malignis & ignaris innoteſceret. Roſinus ait: Hoc medio ignarus æquaretur ſapienti, & malitioſus homo nequam abuteretur, in detrimentum, ruinam & perditionem totius populi. Similibus excuſationibus utitur Geber in Summa ſua, capitulo de Adminiſtratione Medicinæ ſolaris, inquiens: Non eſt quod merentur filij doctrinæ, Philoſophos obſcure ſcripſiſſe libros ſuos: non enim ipſis factum, ſed ignaris & indignis velatam eſſe voluerunt hanc ſententiam, ſub tanta varietate & confuſione diverſarum operationum, interea tamen ſtratam viam filiis ſapientiæ, quâ pervenire poſſent ad cognitionem artis. Non enim (ut habetur alio loco) ſibiipſis tantum ſcripſerunt artem, quam tenebant, ſed media dederunt, quibus cognoſceretur, & haberetur *ab aliis*. Hæc eſt igitur cauſa difficultatis in libris Philoſophorum. Quid enim difficilius eſſe poteſt, quam ex tam innumeris contrarietatibus & contradictionibus explicari, nedum in multis, ac inter omnes fere, verum etiam in unico auctore? ut Raſis ait, inquiens: Abunde ſatis demonſtravi libris meis verum fermentum, quo quidem opus eſt ad multiplicationem tincturarū ad metalla, quod alio loco dixi non eſſe verum fermentum, relinquens hujus ſententiæ ſententiarumquè judicium illis qui ſanum habent intellectum, ſubtilemque diſcretionem. Item ſi unus ipſorum dicat materiam noſtram eſſe vilis pretij, atque nullius, ubique in fimis reperiri, uti Zeno in Turba Philoſophorum: contra hoc eodem libro Barſeus ait, quod quæritur non eſt parvi pretij. Alius dicet rem eſſe pretioſiſſimam, non absque multis ſumptibus reperibilem. Hic docet præparationem materiæ in diverſis vaſis operationibusque diverſis, uti Geber in ſua Summa: mox reperias alium aſſerentem uno vaſe tantum opus eſſe ad divinum opus noſtrum, ut ſunt Raſis, Lilius, Alphidius, & alij. In lib. ejusdem *Raſis* habetur tempus novem menſium, in alio legitur *annus eſſe* neceſſarius ad hoc opus perficiendum, quod afferunt Roſinus atque Plato. Tandem in ipſorum terminis tanta varietas apparet, ut impoſſibile ſit rem à quoquam detegi, niſi per inſpirationem altiſſimi, vel immediate, vel per aliquem virum bonum & ſapientem

pientem in hac arte. Cauſa potiſſima hæc eſt, ut non appareat quisquam hujus rei peritus vivens, at ſolum poſt mortem fateatur ſcriptis: tantis enim laboribus adeptam artem ſibimet, ſi poſſent, occultam vellent Philoſophi, quanto magis aliis. Hoc nobis igitur cum vulgo non eſt ita mirandum, atque cum ſapientibus, quanam via ſit ad illam perveniendum. Priusquam autem ad ſecundum noſtræ diviſionis membrum veniamus, reſpondendum erit objectioni calumniatorum, labores alienos carpere ſolitorum, quod proprij ſui lumine vero careant. Non obſervatam (inquient) Ariſtotelis doctrinam libro ſeptimo Phyſicorum, quæ ſic habet? Definitio eſt vera forma ſubjecti definiti. Cum ergo ſuſcepiſſem veram tractare methodum hujus ſcientiæ, prius à definitione fuit inchoandum. Hos & ſimiles remittam ad priſcos auctores, qui cum ſcientiæ divinæ definitionem dare conarentur, & non invenirent perfectam & completam, fateri coacti ſunt, non eſſe poſſibilem, maxime quia familiaribus caret principiis, ut ajunt Morienus, Lilius, & plerique alij. Quapropter deſcriptionibus variis duntaxat contenti fuerunt, quibus effectus artis demonſtrarent. Ego vero dicam pro parte mea, quidnam hac de re ſentiam. Eſt philoſophiæ naturalis pars quædam docens modum perficiendi metalla ſupra terram, ex imitatione naturalium operationum, quanto proximius fieri poteſt: quam veram aſſerimus diverſis de cauſis. Præcipuè cum nihil ſit inter Philoſophos certius veritatem ibidem eſſe, maxime ubi nulla apparet contradictio, teſte Philoſopho. Quotquot autem in hac arte ſcripſerunt olim, ſive Hebraice, Græce, aut Latine, ſive quovis alio ſermone, conſenſerunt inter ſe, etſi diverſo tractandi modo per figuras, æquivocationes, & ænigmata, ut videantur uno & eodem idiomate ſcripſiſſe, eodem etiam tempore, quamvis centum, ducentis, ac mille annis alij alios præceſſerint, Senior in hanc ſententiam ait: Quamquam apparet quodammodo Philoſophos diverſa tractare ſub variis diverſisque nominibus: Verum enimvero nil niſi rem unicam intelligunt. Idipſum aſſerit Rhaſis libro Luminum, inquiens: Sub diverſis ſententiis, nobis prima facie contrariis apparentibus, Philoſophi non niſi rem unam intellexerunt, eandemque: cujus rei teſtimonium exhibent aliarum ſententiarum inſignes profeſſores, qui pariter in hac arte divina ſcribentes etiam, & affirmantes hanc divinam ſcientiam circa rem unam verſari perhibent. Sola Philoſophi ſententia hæc nobis ſufficeret, quam ponit Ethicorum libro 2. Omne quod rite peragitur, unico medio perfici. Omnium igitur opinio eſt, unica via divinum hoc noſtrum opus abſolvi. Teſte Gebro in Summa: Scientia noſtra (inquit) per diverſa non perficitur, at ſolum per unicam rem, cui nihil addimus nec diminuimus, ſed ſuperflua tantum removemus, præ-

mus, præparatione ſola ſeparando. Item Lilius ait: Magiſterium noſtrum, una re duntaxat, uno regimine, & unico medio perficitur. Idem aſſerunt omnes, quotquot ſcripſerunt hactenus in hac arte Philoſophi, licet videantur in varia diſtrahi. Potiſſima certitudo noſtræ ſcientiæ, qua confirmamur eſſe veriſſimam, eſt experientia, quam fecimus ejus, ut loquuntur Senior & Rhaſis. Verum ut iis talem approbemus, maxime, quibus dubitare merito contingit, cum cæteris Philoſophis erit fatendum, ipſam contineri ſub ea philoſophiæ parte, quam operativam vocant, & ſub medicina, quæ ſui veritatem non aliunde comprobare, quam ab experientia poteſt. Ut cum per eam docetur Reubarbarum purgare choleram, non melius id poterit, quam ex oculo percipi, & experimento per applicationem dicti ſimplicis medicamenti. A ſimili concludimus in arte noſtra: ſi videatur fumo ſolo plumbi coagulari Mercurium, & atramentorum fieri componique poſſe medicinam perfectiſſimam, naturæ metallorum & qualitatibus congruam, qua cum cæteris imperfectis perfici queat, ſola projectione ſuper ipſum facta, præſertim cum & ipſa mineralia compoſita congelent Mercurium, ipſumque reducant in ſuam naturam. Quanto magis perfecta per noſtram artem rite præparata congelabunt ipſum ac reducent cum aliis imperfectis metallis, ingenti & exuberanti ſua decoctione, quam habent per adminiſtrationem artis noſtræ. Quo firmius hanc noſtram intentionem curioſis hominibus approbemus, ut ejus veritati certitudinique melius aſſentiant, Ariſtotelis ſententiam lib. 4. Meteor. adducamus: Omne, quod (inquit) eandem cum aliquo compoſito operationem efficit, eſt idem per omnia ſimile, ut omne quod operationem habet oculi, eſt oculus. Haud ſecus, cum aurum noſtrum arte noſtra compoſitum, per omnia ſimile ſit minerali (in quo verſatur omnis controverſia diſceptationis, utrum aurum à nobis compoſitum verum ſit aurum) ſatis docuiſſe videmur ex Philoſophi ſententia, noſtram artem eſſe veram & certiſſimam. Satis fatebuntur ipſis probatum, qui viderunt ejus experientiam, aliis vero non: quibus Philoſophi probabiliores auctoritates in hanc rem adferemus. Eodem libro Meteororum, quarto Digeſtionum capitulo ſic inquit, aut ſimile. Quicquid in perfectionem deſtinatum eſt, ac tale manſit ob digeſtionis defectum, aſſidua digeſtione perfici poteſt: qualia ſunt omnia metalla imperfecta, cum à natura fuerint ad aurum ordinata prius ab initio ſuæ compoſitionis, ut poſtremo per eandem ad eum finem, auri videlicet, perducerentur, nec niſi talia ſunt ob imperfectam digeſtionem: ergo quod ſequitur audiemus eo loco, ubi quartum noſtræ partitionis membrum diſcutiemus. Quod igitur natura ſub terra voluit exequi, nos ſupra terram imitatione per noſtram artem, & projectionem

efficimus.

efficimus, ut infra latius audietur penultima noſtræ diviſionis parte. Rurſus cum elementa qualitatibus ſuis ſibi mutuo contraria (ut ait Philoſophus libro ſecundo Generationum) in ſe invicem convertibilia ſint, quanto magis ipſa metalla, quæ ſunt unius & ejusdem ſubſtantiæ materiæque, cum non ſint qualitatibus contraria, convertentur, hoc in illud facilimè. Quam ob cauſam Hermes procreationem ipſorum circularem eſſe dixit, at improprie quodammodo, ut ipſemet fatetur, quia non ſunt ad eum finē à natura creata, ut ex perfectis fiant imperfecta, ſed contra: quapropter eatenus non eſt eorum generatio prorſum circularis, niſi pro parte. Quanquam iſtæ ſimilesque rationes per ſe ſunt in confirmationem artis ſufficientes: attamen quia ſophiſtæ ſemper in contrarium adferunt, quod reluctetur veritati, ſi non omnia (quod prolixius foret, quam huic opuſculo noſtro conveniat) quæ difficiliora ſunt argumenta, ſtudioſorum animum & mentem perturbantia, mediamque inter dubium & reſolutionem hærentem tenentia, producemus in medium, ut ab iſtorum ſolutionibus alia refellere diſcant. Ex auctoritate Philoſophi quarto Meteororum, quæ pariter fuit Avicennæ, & Alberti Magni, ſic argumentantur: In vanum operantur Alchemiſtæ metalla perficere conantes, niſi reducant illam in primam materiam. Cum igitur id non faciant, ſophiſtica per concluſionem aſſerunt Alchemiſtarum omnium opera, ut ipſemet Albertus ait ad hunc modum. Quotquot metalla tingunt variis materialibus ſimplicibus in diverſos colores, ſunt impoſtores, niſi reducant illa in primam materiam. Multi ſapientiſſimique viri hoc argumentum ſolvere conati ſunt, cum ſit ex magis apparentibus. Iſtorum nonnulli dicunt, etſi per projectionem imperfecta non reducantur, nihilominus in compoſitione medicinæ ſimilis fit reductio, videlicet in ſulphur & argentum vivum, quæ ſunt vera materia metallorum, ut infra dicetur latius quarto noſtræ diviſionis membro. Sufficit igitur agentis ſola reductio, tum perfectio ſumma per decoctionem acquiſita, licet paſſivi nulla fiat reductio. In ea ſententia fuerunt Arnaldus de Villanova in magno ſuo Roſario, quem ſecutus eſt Raymundus Lullius in ſuo Teſtamento. Salva pace tamen & reverentia, quæ debetur graviſſimis auctoribus, hæc opinio contrariari nimium videtur Philoſophis omnibus. Cum enim concedunt metalla eſſe in primam reducenda materiam, quod motu fit corruptionis ex Ariſtotele, velle videntur ſola fuſione divini noſtri lapidis ſuper metalla, hæc ad eum corrumpi modum, ac nudari prima ſua forma, quod omni Philoſopho concedere nimis indignum eſt. Plerique alij diverſas adferunt ſolutiones, ut videre licet in ſuis libris. Ego vero meam ſolutionem proferam. Si quidem nova fabricare metalla moliremur, aut ex eis lapides vel quidpiam

aliud alienum à metallis, neceſſario forent in primam ſuam reducenda materiam, idque mediis quæ dicta ſunt. Cum tamen hæc ſit intentio noſtra duntaxat, ut imperfecta perficiamus metalla in aurum, præter omnem transformationem in materias novas & à propria ſua natura differentes, purgemus ac mundemus per operis noſtri divini projectionem, quo ad exuberantem deveniant perfectionem. Haudquaquam eſt opus illa reducere in primam materiam: differunt enim imperfectum perficere, & ex iſto novi quid producere vel generare. Alioqui concluderetur, omnia ſemicocta re[illegible]cenda eſſe ad primam formam, ut complete decoquerentur: quod quidem indignum eſt omni Philoſopho. Cæteras objectiones adverſus chemicas artes fieri conſuetas, in præſentia miſſas faciam, quod per ea quæ poſuimus, reliqua facile ſolvi queant argumenta quævis Auctoritatis Avicennæ tamen eſt, quod meminerim, de contradictionibus Ariſtotelis contra chemiam objectis in ſua juventute: Cognovi (inquit) intentionem eorum, qui noſtram artem negant, & aliorum qui veram affirmant eſſe. Priores, ut ſunt Ariſtoteles & plerique alij, utuntur quibusdam argumentis utcumque apparentibus, ac nomine veris, Poſteriores vero dicunt hanc ſcientiam certis demonſtrationibus probari non poſſe, vel licere, ut alias omnes, cum alia via procedat, aliis omnibus contraria. Nam celat ac velat *ſuorum* terminorum proprietates, cum cæteræ plurimum laborent *in ſuorum* declarationibus. Proinde noſtræ diviſionis ordinem proſequutus, tertium ejus membrum arripiam, exponens operationes ejus neceſſarias, ad executionem operis noſtri divini. Primo dicam rationem quare naturale vocetur atque divinum, ut cognoſcantur enormes operantum hac tempeſtate errores. Ariſtoteles docet naturam operari ſub terra in procreatione metallorum quatuor qualitatibus (ut melius intelligatur) elementis, igne, aere, aqua & terra: quorum duo, reliqua duo comprehendunt, terra ignem, & aqua aerem. Cum igitur materia noſtra conſtat ex aqua & ex terra (ut infra dicetur amplius penultimo noſtræ diviſionis membro) merito naturalis appellatur, quia in ejus compoſitione quatuor intrant elementa: duo manifeſta, ſub quibus alia duo latitant, oculis velata corporeis, ignis & aer videlicet, quæ ſolis mentalibus percipi debent, ut ait Raymundus Lullius in ſuo Codicillo, ad hunc modum: Conſidera (inquit) naturam, & proprietatem olei (quod ſophiſticatores aerem vocant, ideo quia *ſuis qualitatibus* magis abundare dicunt) oculus tuus non judicabit *illius* differentias, & proprietates: Per hæc verba ſatis innuit, *elementa* quatuor in opere noſtro divino non eſſe evidentia, quod plerique falſo putarunt, ut infra dicetur, ubi terminos declarabimus artis. Naturalis etiam dicitur ſcientia, quod in prima ſua operatione

imitatur

imitatur naturam quanto diligentius poteſt: non poſſet enim in omnibus,ut ait Geber in ſua Summa. Veterum operationibus Philoſophorum naturalium, qui nos præceſſerunt, optime confirmantur: hi quidem poſteaquam diligentiſſimis inquiſitionibus cognoviſſent (ut ait Raymundus Lullius in epiſtola ſua ad Albertum Regem, & Albertus Magnus in tractatu Simplicium animalium)naturam ad metallorum procreationem,ſub terra ſolum operari per continuas & aſſiduas decoctiones veræ materiæ, quibus mundum ab immundo, purum ab impuro, perfectum ab imperfecto,continuatis evaporationibus ſeparat calore terræ mineralis partim id efficiente,patim calore Solis,qui per ſe ſolum integram & perfectam iſtam decoctionem non adimplet, ipſimet confirmati ſunt. Hoc declarat optime bonus ille Treviſanus, quod etiam nos docet experientia: videmus enim in mineris diverſitatem metallorum & materialium,nonnulla craſſiora, & alia ſubtiliora purioraque in ſublime plærunque exaltata. Quapropter noſtra ſcientia naturam imitando, procedit in prima ſua operatione per ſublimationem,qua materiam noſtram optime purificet: impoſſibile namque fuerit nobis aliter præparare, ut Geber in Summa,& Raſis in libro Luminum inquiunt: Initium operis noſtri,eſt ſublimare,quare merito naturale vocatur. Quam ob cauſam ſcripſerunt illi,qui nos præceſſerunt,opus hoc noſtrum non eſſe artificiale: quicquid enim facimus, aliud nihil eſt quam adminiſtrare naturæ per artem materiam ad compoſitionem operis neceſſariam,quam ipſa natura non potuit in hanc profectionem connectere, quia ejus actiones continuæ ſunt,ut ait Geber in ſua Summa. Ratione hujus tam admirandæ conjunctionis elementorum ſcientia noſtra divina vocatur: quam vero conjuctionem Philoſophi ſecundam operationem appellarunt, & nonnulli diſſolutionem,aſſerentes,arcanum arcanorum eſſe, quod Pythagoras ait in Turba Philoſophorum: Magnum hoc eſt myſterium, quod hominibus Deus velatum eſſe voluit. Item Raſis in libro Luminum: Si veram noſtri corporis diſſolutionem ignoraveris, non eſt quod opereris: illa ſiquidem ignota,reliquum inutile fuerit: hanc etiam ex libris diſcere nemo poteſt, neque ex notitia cauſarum naturalium: proinde vere divina dicitur,ut Alexander inquit. Corpus noſtrum (quod lapis eſt occultus) cognoſci minime poteſt,neque videri,niſi nobis hoc ipſum Deus per Spiritum Sanctum ſuum inſpirarit, vel per aliquem vivum hominem docuerit,ſine quo ſcientia noſtra nihil eſt. Hic eſt lapis, de quo loquitur Hermes tractatu ſuo quarto: Lapis noſter (inquit) divinus cognoſcendus eſt,qui clamat aſſidue: Defende me, & ego juvabo te,da mihi quod competit,ego tibi viciſſim optime ſuccurram. De hoc eodem occulto corpore loquitur primo ſuo tractatu: Fal-

tu: Falco ſemper in cacumine montis clamans: Ego ſum album nigri,& rubeum citrini. Scientiam noſtram inutilem eſſe præter iſtam cõjunctionem,ratio eſt,quia tempore nativitatis & procreationis operis noſtri divini, pars volatilis ſecum defert partem fixam. Aliter enim quam per iſtam admirandam,& plusquam ſupernaturalem conjunctionem efficere haud quaquam poſſemus, ut in igne fixum opus permaneret: ut quod omnes Philoſophi præcipiunt,fiat fixum volatile,ac denuo volatile fixum Iſta conjunctio fieri debet ipſamet hora ſuæ nativitatis, ut inquit Haly ſecretorum libro: Quicunque noſtrum lapidem non invenerit hora ſuæ nativitatis,non eſt quod alium expectet ejus loco. Nam is qui divinum opus noſtrum aggreditur absque notitia determinatæ nativitatis ejus horæ,nil ex opere ſuo conſequetur unquam, præter inutiles omnino labores & pœnas erroris ſui. Hanc eandem conjunctionem Raſis libro Præceptorum propriè vocat pondera Philoſophorum,& regimina,ſuadens ut ab hoc opere divino prorſum abſtineamus,ſi non cognoverimus exactiſſime pondera,quæ Philoſophi præ cunctis aliis arcanis occultarunt, ut patet ab eorum ſcriptis variis. Nam ubi quis dixerit,ejusmodi conjunctionem divinam fieri die ſeptimo, mox reperias alium, qui aſſerat quadrageſimo die compleri: alium centeſimo: alium ſub finem menſium ſeptem aut novem,quod Raſis: alium ſub anni finem,ut Roſinus: vix duos hac in re concordantes legere poteris. Cum tamen unicus ſit idemque terminus, unicus dies, imò unica ſola & eadem hora,qua fieri debet noſtra conjunctio ad propriam ſuam decoctionem. Verum quia voverunt arcanum hoc potiſſimum ſe non revelaturos, de ſtudio diverſos ſcripſerunt terminos,quamvis inter ſe conveniant, intelligentes unicum, quo cognito reliquum nihil aliud eſt, præter opus mulierum & puerorum ludus, ut ait Socrates: Ecce tibi veram diſpoſitionem albi plumbi demonſtravi (hoc eſt veram præparationem materiæ noſtræ,quæ nigra prius ut plumbum apparet, poſtmodum albeſcit per noſtram continuatam decoctionem) ſi hanc probe intellexiſti,reſiduum aliud nihil eſt,quam opus mulierum, & ludus puerorum. Innuens per hæc verba nullum opus hoc noſtro levius, poſt conjunctionem exiſtere: quod ſane veriſſimum eſt. Cum non ſit opus alio labore quam ſola decoctione duarum materiarum jam conjunctarum: interea dum coquuntur, quies datur optatiſſima, ut ait Philoſophus Ethicorum 7. Quietem longè delectabiliorem eſſe quovis labore. Noſtram decoctionem poſtremam fieri cum requie, & absque labore tormentove teſtatur Raſis lib. Trium verb. inquiens: Omnes diſſolutiones,calcinationes,ſublimationes,dealbationes,rubificationes, ac reliquas operationes, quas Philoſophi ſcripſerunt eſſe neceſſarias ad divinum opus no-

opus noſtrum complendum, in igne fieri præter amotionem. Pythagoras in Turba Philoſoph. idem aſſerit, inquiens: Cuncta regimina ad opus divinum & perfectionem ejus facientia, decoctione ſola compleri. Barſeus idipſum ait eod. lib. Coquendum, tingendum, & calcinandum in hoc opere, verum operationes decoctione duntaxat omnes perficiendas. Ne tamen Sophiſtæ calumniatores dicant, & ſuas operationes etiam non eſſe niſi decoctiones, alias Philoſophorum antiquorum ſententias allegabimus, quibus errores eorum detegantur. Alphidius ait: In operis noſtri divini compoſitione, non niſi una materia ſola (quam aquam propriè vocant) una tantum actione, decoctione videlicet, quæ fit in unico vaſe præter amotionem ab igne. Idem atteſtatur Rex Salomon: in operis noſtri divini confectione (quod noſtrum ſulphur vocat) non indigemus (inquit) præterquam uno medio ſolo. Lilius idem ſentit: Divinum opus noſtrum (ait) fit in uno vaſe ſolo, uno medio duntaxat, & unica decoctione. Mahometus: Non habemus (inquit) niſi medium unum, decoctionem videlicet, vas unum, &c. quibus divinum opus noſtrum ad album & rubeum perficiamus. Avicenna tenuit eandem opinionem, qui præ cunctis optime loquitur, ad hunc modum: Diſputationes (inquit) omnes, id eſt, operationes, ad opus noſtrum divinum componendum neceſſariæ, fiunt in uno vaſe ſolo, duplici tamen.

Operantum igitur hac tempeſtate maxima pars errorem ſuum hoc ipſo fateri cogetur, cum nemo non ipſorum tres vel quatuor furnos habeat, & nonnulli decem vel duodecim, hunc ad calcinandum, illum ad ſolvendum, alium ad ſublimandum, & innumera vaſa, quibus utuntur. Verum enimvero tales in diem extremum operarentur, priusquam ad perfectionem hac via pervenirent, niſi corrigant ſuas operationes. Ut interim taceam de ſeparationibus elementorum (quas vocant) uſque dum de natura quatuor elementorum, ubi de terminis artis noſtræ dicturus ſum, tractetur. Satis mihi fuerit in præſentia demonſtraſſe modum, & viam detegendi, cognoſcendique devios operarios in hac arte, pariter eos, qui perſiſtunt in recta ſemita. Nam, ut antea dixi, latiusque dicetur infra, unicus eſt operandi modus, in unico vaſe (quod Lullius Hymen appellavit) in unica fornacula (quam Treviſanus ignem clauſum, humidum, vaporoſum, continuum, ac digerentem vocat) præter amotionem, donec decoctio compleatur. Non eſt ergo tantis opus inſtrumentis, neque ſumtibus ad hanc rem factis. Scio multos eſſe literatos libris inſiſtentes, qui præter ullam certitudinem operantur, iſtos peſſime habebit mea reprehenſio, cum Geber in Summa ſua doceat varias præparationes, cum ſulphuris, tum argenti vivi, ſimiliter corporis & ſpiritus. Item Raſis, libro Perfecti magiſterij, dicit corpora & ſpiritus variis præ-

riis præ-

riis præparari mediis,quorum plurima docet. Antea ſatis reſpondimus,hæc & ſimilia per Philoſophos ſcripta, non alia de cauſa, quam ut veram operis noſtri divini præparationem velent indignis,& contegant. Hoc Geber atteſtatur in ſua Summa, capitulo de Medicinarum differentiis, inquiens: Unica eſt perfecta via, qua relevamur à tantis præparationum operationibus, oneribusve. Jam eſt quod naturæ modum operandi ponam,in concavitatibus terræ generando metalla, quem ars imitari debet: ac deinceps materiam veram & neceſſariam, ad iſtorum perfectionem ſupra terram, declarabo. Cum igitur hoc ſit præcipuum in arte (ut Geber ait ab initio ſuæ Summæ, & Avicenna, præcipientes à practica hujus operis abſtinere, qui non prius vera fundamenta norint materiarum ac minerarum)imitabor excellentiores auctores & magis peritos in mineralibus,declarando quæ ad hanc rem apprime ſunt neceſſaria: Omnium itaque Philoſophorum ſententia eſt,cuncta frigore congelata plurimum abundare humiditate aquea in ſua materia prima, ut ait Ariſtoteles quarto Meteororum. Cum igitur liquata metalla frigore congelentur, neceſſario prima ipſorum materia humiditate multa pollebit aquatica. Verum Albertus Magnus(qui præ cæteris mineralia ſcrutatus eſt exactiſſime) iſtam humiditatem aqueam ait,non eſſe ſimilem aquæ humiditati, quam videmus communiter in aliis naturæ compoſitis. Iſta namque per ignis violentiam in fumum tranſit. At liquata metalla non ita reducuntur in vaporem, concludendum hinc ipſorum humiditatem alicui materiæ permixtam eſſe, quâ retineantur in igne,tutaque ſint ab ejus vehementia. Nihil autem igni magis reſiſtit, quam humiditas viſcoſa permixta ſubtilioribus terræ partibus,ut ait Bonus Ferrarienſis,& experientia docet: quapropter metallorum humidatem eſſe talem firmiter credendum eſt. Cum tamen experientia doceat; repurgandum inter aliquas humiditates in fumum abire, metallis nihilominus in igne minime conſumtis, fatendum eſt cum præcipuis auctoribus noſtræ ſcientiæ, metallorum compoſitionem ſubintrare duplicem humiditatem viſcoſam, extrinſecam, & intrinſecam. Prior eſt craſſa,ſubtili ſuæ terreſtri materiæ non bene permixta, quapropter ab igne facile comburitur in conſumtionem. Poſterior vero, quia maxime ſubtilis, & optime permixta ſubtili ſuo terreo, ut ambæ partes unicam & ſimplicem materiam conſtituant, neutra per ignem ab altera ſeparari,vel abſumi poteſt, quin ſimul abeant, aut una remaneant in igne. Ex ejuſmodi humiditate procreatum eſt argentum vivum,quod videmus,ut patet etiam experimento. Teſtatur Arnaldus de Villanova: Hoc(inquit) nos reddit certiores,ambas materias antea dictas in ipſo perfectiſſime conjunctas: nam vel terreſtris humiditatem ſecum retinet, aut iſta rapit illam in auras.

n auras. Quod quidem Albertus Magnus cauſas metallorum compoſitionis diligentiſſime requirens, optime cognovit, argentum vivum ſcilicet aſſidue moveri, ac fluere, quia viciſſim altera pars in alteram dominium habet, ut cauſa fluxus atque motus, eſt humiditatis imperium, & ſiccitatis terreſtris in humiditatem actus efficit, ut non adhæreat tangenti, neque madefaciat. Hinc Alberti ſententia comprobatur libro Mineral. ſimpl. Materia prima (inquit) metallorum eſt humiditas viſcoſa incombuſtibilis, forti mixtione, cum ſubtili terreo conjuncta in cavernis terræ mineralibus. Optime cum Gebro convenit, aſſerente in Summa ſua, materiam veram metallorum eſſe argentum vivum, quia (inquit) natura nunquam otioſa procreavit argentum vivum ex dicta materia mixta, &c. Bonus Ferrarienſis ait, argentum vivum eſſe proximam materiam metallorum, ſed præcipuam humiditatem viſcoſam ſubtili ſuo terreo mixtam. Geber etiam in argenti vivi definitione, quam facit in ſua Summa: Eſt (inquit) humiditas viſcoſa per auxilium terreſtris ſuæ partis condenſata, ſuam compoſitionem intrantis. Conſideremus itaque diligenter naturæ progreſſum, in rerum omnium procreatione, quibus propriam admiſcet materiam, quam Philoſophi vocarunt agens, quia ſeipſam non producit, ut ait Ariſtoteles: hoc eſt, ſuos effectus non demonſtrat. Quapropter natura in procreatione metallorum poſtquam creavit materiam, id eſt, argentum vivum, tanquam ſagaciſſima, proprium adjungit agens: nempe terræ mineralis quandam ſpeciem, velut colloſtrum ejus & pinguedinem in cavernis terræ mineralibus, longa decoctione inſpiſſatam, hanc vulgariter vocamus ſulphur: comparatione ad argentum non alia, quam coaguli ad lac, viri ad feminam, agētis ad materiam ei ſubjectam. Philoſophi duplex ſulphur poſuerunt, unum facilimæ liquefactionis, alterum vero congelatum ſolum, & non fuſibile. Proinde quo natura demonſtraret virtutem & efficaciam agentis, id eſt, ſulphuris, in materiam, cui adjunctum eſt, efficit admirabili compoſitione quadam, ut metalla coagularentur actione ſulphuris fuſibilis, ut eſſent liquabilia. Verum alia mineralia ſimplicia compoſuit actione ſulphuris non fuſibilis, ut non eſſent fuſibilia, uti ſunt magneſia, marcaſitæ, & id genus alia. Cum autem agens non poſſit eſſe pars materialis compoſiti, ut Ariſtoteles ait; natura procreans metalla ſub terra, poſtquam dictum ſulphur miſcuit cum argento vivo, compoſitione quidem inenarrabili, pretioſiſſimum inde generat metallum, aurum videlicet: ab eo decoctione perfecta ſeparando ſuum agens, id eſt, ſulphur. Et hæc eſt ratio cur ſit perfectius omnibus aliis metallis, tum quo videamus naturam illud in melius ultra non transmutare. Item hac de cauſa melius ac facilius conjungitur argento vivo, quia nihil aliud eſt,

quam

quam argentum vivum proprio ſuo ſulphure decoctum, & prorſus deinceps ab eo decoctione dicta ſeparatum. Ut itidem ſeparatio ſulphuris eſt auri perfectio, quod in aliis metallis remanens, iſtorum eſt imperfectionis potiſſima cauſa. Hinc fit etiam, ut argentum ſit imperfectius auro, & cuprum argento: ſcilicet ob defectum completæ digeſtionis, qua ſola ſeparatur agens ab eis, id eſt, ſulphur. In eo declaratur potiſſimum, ac præcipuum arcanum totius artis noſtræ. Cum enim ars imitari naturam in ſuis operationibus debeat, neceſſario, priusquam divinum hoc opus noſtrum perficiatur, agens vel ſulphur ſuum erit ſeparandum. Quod quidē occultarunt omnes Philoſophi, relegantes nos in ſuis libris ad naturales operationes, quas abunde ſatis declaravi. Quo tamen perfectius cognoſcatur, qua in re ſcientia noſtra naturæ operationes imitetur, operæpretium fuerit præcipuum & communiorem declarare modum, quo ipſa utitur in metallorum perfectione. Antea diximus metallorum perfectionem, vel imperfectionem fieri ob agentis privationem, vel mixtionem, id eſt, ſulphuris, & oſtendimus modum primum, quo natura conſueta eſt uti in compoſitione principis metallorum & perfectiſſimi videlicet auri. Modo ſciendum ipſam alio etiam uti progreſſu, qui licet priori contrarius eſſe videatur, eſt nihilominus perſimilis, ſi probe conſideretur finis, ad quem tendit intentio naturæ, qui pariter aliud nihil eſt præterquam repurgare metalla, purgareque penitus à ſuo ſulphure. Nam idipſum quod priore modo per decoctionem perfectam efficit, poſteriore continuatis, & longis digeſtionibus exequitur imperfecta ſenſim purificando tantiſper, donec reducantur in aurum. Siquidem experientia nos docet, in mineris argenti reperiri communiter plumbum, & in nonnullis ambo ſimul permixta, ut argentum videatur imperfectum ferme ob digeſtionis defectum: quapropter metallicarum periti rerum ſuadent, ut occluſis cavernis, ne materiæ ſublimiores evaporare queant, diutius triginta, vel quadraginta annis relinquantur, ac donec perficiantur. Quod quidem Albertus Magnus recitat accidiſſe ſuis temporibus in regno Liburniæ, vel Sclavoniæ: pariter ab experto mineralium foſſore mihi relatum fuit, ſæpius evenire. Secundum itaque hunc modum quo natura in perficiendis metallis utitur, ars imitatur ſuis operationibus ad imperfecta perficiendum, privatione ſui ſulphuris videlicet, facta per projectionem operis divini ſuper illa, poſtquam liquefacta ſunt: quæ purificantur à dicto ſuo ſulphure, perficiunturque in purum aurum, perfecta ſua decoctione exuberante, quam acquiſivit per adminiſtrationem artis noſtræ. Non aliter, quam varii modi, quibus natura utitur in purificatione metallorum, non efficiunt ut variæ ſint auri formæ (puto in perfectione) pariter & quibus

un

utimur diverſis ipſa perficiendi modis ſupra terram, aurum noſtrum naturali & minerali diverſum non redditur, cum eadem utamur materia ſupra terram, qua ipſa ſub terra, & in ſuis cavernis. Atteſtante hoc ipſum Ariſtotele nono Metaphyſicorum. Ex agente & materia (inquit) ſimilibus, operationes ſemper ſunt ſimiles, quamvis media ſint diverſa: nam iſta & materia duo ſunt. Verum ſi materia ſit una ſimilisque per omnia cum agente, omnes operationes, quæ ab initio diſſimiles videntur aut contrariæ ſub finem eundem ſortiuntur effectum. Ut approbemus materiam noſtram, qua utimur ad metalla perficiendum ſupra terram, eſſe in omnibus prrſimilem illi qua natura ſub terræ cavernis utitur in ipſorum procreatione, Gebrum citamus teſtem in ſua Summa: Ars (inquit) noſtra naturam imitatur quanto propius poſſibiliusque poteſt. Idipſum Hermes ait, Pythagoras, Senior, & plærique alij. Proinde ſi naturam, ars imitatur, neceſſario fatendum eſt, ipſam uti ſimili materia qua natura, quæ utrobique non niſi una ſola eſſe poteſt, quam vocavimus argentum vivum, non ſolum per ſe, at mixtum una cum agente ſuo proprio, ſulphure videlicet vero. Eadem igitur materia, quam Philoſophi vocarunt argentum vivum animatum, erit vera ſcientiæ noſtræ divinæ materia ad noſtrū opus divinum complendum. Cum hoc ipſo, & non alio natura in terræ concavitatibus utitur in procreatione metallorum, pro ſua vera materia, ut ſupra ſatis ample demonſtravimus.

Vocaverunt argentum vivum animatum, ut oſtenderent inter ipſum, & argentum vivum commune, differentiam, quod poſterius ita remanſit, quia natura nō adjunxit ei ſuum agens proprium. Falſo igitur exiſtimarunt plurimi argentum vivum commune, & ſulphur commune materiam eſſe metallorum. Nam ullo unquam tempore non accidit, ut illa ſimul ambo mixta reperta ſint in mineris, qua ratione potuerunt igitur eſſe vera materia metallorum in concavitatibus terræ, vel artis noſtræ ſupra terram? ut loquitur Geber in ſua Summa de Principiis artis. Et idem alio loco: Noſtrum (inquit) argentum vivum aliud nihil eſt, præterquam aqua viſcoſa, deſponſata per actionem ſui ſulphuris metallici. Hæc eſt vera noſtra materia, quam natura præparavit arti noſtræ (ut ait Valerandus Sylvenſis) & reduxit in certam ſpeciem veris Philoſophis notam, abſque ulteriori transmutatione ſuipſius. Avicenna ſimiliter ait: Natura nobis unam ſolam præparavit materiam, quam ars noſtra componere per ſe minime poteſt. Fatuum igitur foret credere ex omnibus materiis, quas miſcere poſſemus, ullas, etſi metallicas, aut quaſcunque alias, eſſe poſſe veram ſcientiæ noſtræ materiam, cum natura nobis præpararit illam, ut nihil deſit præter hæc duo: ſcilicet eam purificare & perficere,

ficere, conjungereque per decoctionem ſibi propriam & congruam. De hac materia loquitur Raſis libro Præceptorum: Noſter Mercurius (inquit) eſt verum fundamentum noſtræ ſcientiæ, ex quo tincturæ veræ metallorum extrahuntur. Alphidius de eodem: Animadverte fili totum opus ſapientum Philoſophorum, in argento vivo ſolo conſiſtere: quapropter Hermes præcipit nobis, hunc obſervare Mercurium, quem coagulatum vocat, & occultum in latebris deauratis. Geber de eodem Mercurio. Laudetur (inquit) Altiſſimus qui hoc argentum vivum creavit, eique dedit potentiam incomparabilem, ad magiſterium ſcientiæ noſtræ verum perficiendum. In ſumma nemo non ſcribentum ſapientum fuit ejuſdem opinionis. Objicient operantes moderni temerarium me judicantes, qui tot ac tantos viros prædeceſſores auſim reprehendere, quorum theorica & practica ſublimare docent argentum vivum (quod Mercurium appellant) cum vitriolo & ſale communi, poſtea per calidam aquam reviviſicare, ut cum auro tandem permiſceatur (quod Solem appellarunt) ac ad hunc modum ſolvere & fixare, quo divinum opus noſtrum perficiatur: quod ſcribit Arnaldus de Villanova in magno ſuo Roſario: item Raymundus Lullius in ſuo Teſtamento. Ut iſtis reſpondeam quod ſatis ſit ipſis, per eoſdem auctores, quos allegant, quorum ſcripta teſtantur, iſtas operationes omnes, deſtillationes, ſeparationes elementorum, reductiones, & id genus alias, nulla alia de cauſa poſitas fuiſſe, quam ſub ejuſmodi larvis practicam noſtræ ſcientiæ velarent. Adducemus eundem Arnaldum Villanovanum, qui poſtquam in ſuo Roſario docuit diverſas iſtas operationes, ſub finem ſuæ recapitulationis in hæc verba, vel his ſimilia prorumpit: Oſtendimus (inquit) veram practicam, verumque modum opus noſtrum divinum perficiendi, ſed brevibus admodum verbis, quæ tamen ſatis prolixa videbuntur intelligentibus. Proinde tot tamque diverſis, ac prolixis operationum ſermocinationibus, non intellexit veram præparationem divini hujus operis, neque practicam, quam antea brevibus tractaſſe dixerat. Hoc ipſum Raymundus in fine Codicilli, ubi reſpondet illis, qui fortaſſis interrogare poſſent, cur deſcripſerit artem, cùm antea dixiſſet impoſſibile cuivis ad artem hanc, ejuſque veram notitiam librorum lectura pervenire? Ut (reſpondet) lector fidelis introducatur, habitumque ſibi contrahat, quo pervenire queat in veram operis noſtri divini cognitionem, cujus præparationem ſincere nunquam poſuimus, nec declaravimus aperte. Conſideretur prolixas atque diverſas ejuſmodi præparationes, quas docet in ſuis libris, non eſſe ſolam & unicam practicam operis noſtri divini. Qui paulo doctiores erunt, objicient mihi, rogantes, cur ſcripſerim divinũ opus noſtrum fieri ex unica ſola materia, videlicet ex

cet ex unico & ſolo argento vivo animato, cum Geber in Summa, capitulo de Coagulatione Mercurij dicat, extractam eſſe à metallicis corporibus, cum arſenico ſuo præparatis. Roſinus contra dicit eſſe verum ſulphur incombuſtibile, ex quo divinum opus noſtrum conſtat. Salomon Rex filius David hoc ipſum atteſtatur, inquiens: Deus prætulit omnibus rebus exiſtentibus ſub cælo verum noſtrum ſulphur. Pythagoras in Turba Philoſophorum ſcripſit: Opus noſtrum divinum perficitur, quando ſulphura viciſſim conjunguntur, aliud cum alio: quapropter ex ſulphuribus conſtat, & non ex argento vivo animato ſolum. Ut reſponſum demus, quo ſpiritibus à via delirantibus ſatisfactum ſit, in memoriam revocanda ſunt, quæ ſupra diximus de metallorum materia, naturam videlicet in terræ concavitatibus, adjungere proprium gens argento vivo. Cæterum quia divinum opus noſtrum proprium nomen non habet, alij aliud indiderunt, ut Lilius ſcripſit ſum tot nominibus appellari inter Philoſophos, quot in hoc mundo res creatæ ſunt, innuens per hæc verba nominibus infinitis vocari: quamvis una ſemper & eadem res, ex unica materia ſola conſtans, exiſtat. Philoſophi nihilominus, qui præceſſerunt, i tot ac tam varia diverſaque, juxta colorum in decoctione apparentium varietatem, impoſuerunt nomina pro ſuo arbitrio. Qui uti nos vocaverunt argentum vivum animatum, conſiderant primam noſtram materiam, (quam antiqui Philoſophi chaos appellarunt, cujuſque principium ab exordio ſumptum) rè per omnia ſimile eſſe naturæ & materiæ argenti vivi, ex quo natura componit, ac perficit in terræ concavitatibus metalla, uti ſupra demonſtravimus. Item qui divinum opus noſtrum vocavent lapidem Philoſophorum (quod illi commune nomen eſt) id reſpectu finis decoctionis materiæ noſtræ fecerunt, quia fixa permanet in igne, ſolent enim appellare lapidem, quicquid non reſiſtit ignem, & ab iſto non ſublimatur. Plærique alij multa excogitarunt alia nomina, juxta ſuas rationes, quæ ſingula recenſere longum foret: ut ait Malvaſcindus: Si materiam noſtram dicamus eſſe ſpiritualem, verum eſt: ſi corpoream, non mentimur: ſi verò cœleſtem, verum eſt nomen ejus: ſi terreſtrem, non improprìe loquimur. His verbis manifeſtè patet, varietatem nominum ab antiquis noſtris prædeceſſoribus impoſitorum operi noſtro divino, diverſis rationibus in diverſitate colorum & operationum apparentium in ſua decoctione fundatam eſſe.

Pariter & qui ſulphur appellarunt, ut atteſtantur auctoritates, quæ contra me poſſent adduci, reſpectu ad poſtremam decoctionem, in qua materia apparet fixa ita loquuti ſunt. Ut igitur ab initio veram argenti vivi demonſtrabat apparentiam, quia volatilis erat, in fine fixatur, tum demum occultum, & quod intrinſecus ex-

 cus ex-

eus exiſtens, erat incognitum, pars fixa videlicet, quam ſulph appellamus, manifeſtatur continuata, poſtremaque decoctione in qua dominatur ſupra partem volatilem. Hac de cauſa materia noſtra non appellatur amplius volatilis (intelligo de his, qui poſtremam decoctionem conſiderant) at ſulphur denique fixum, ut ait Arnaldus de Villanova in ſuo Roſario magno, cum de poſtrema decoctione loquitur operis noſtri divini: Eſt (inquit) verum ſulphur rubeum, per quod argentum vivum perficitur in aurum. Proinde concludere verè poſſumus, omneque dubium reſolvere, materiam ex qua divinum opus noſtrum componimus, non eſſe niſi unam rem ſolam in omnibus, & per omnia ſimilem illi materiæ, qua natura in terræ concavitatibus utitur ad procreationem metallorum, non obſtantibus omnibus in contrarium ſupra allegatis auctoritatibus, ac ſimilibus aliis quibuscumque. Nominum enim diverſitas (ut ait Ariſtoteles) rem eſſe diverſam non efficit. Ut noſtræ diviſioni finem imponamus paulatim, reliquum eſt, ut noſtræ ſcientiæ terminos declaremus, id eſt, ſententias optimorum & præcipuorum auctorum, qui præceſſerunt, conferamus: utuntur præcipuè quatuor terminis inter alia, de noſtri divini operis compoſitione differentes, ut ſunt elementa quatuor, fermentum perfectum, venenum verum, & coagulum perfectum, quod alias maſculum appellarunt, ad fæminam facta comparatione, velut coaguli ad lac ſimplex. Quare melius itaque declaremus, quidnam intelligant per elementa, ſecundum quid Philoſophi naturales dixerint de materia prima, quam Chaos appellarunt, in quo confusè quatuor illa continebantur, & quæ ob ſuam contrarietatem, quolibet ſuas actiones demonſtrando, manifeſta nobis facta ſunt. Quamobrem Alexander in Epiſtola ſua? Quicquid (inquit) antiquis demonſtratum fuit, calidæ qualitatis, ignem eſſe judicarunt: quod ſiccum & coagulatum fuit, eſſe terram: quod humidum & labile apparuit eis, aquam: quod verò frigidum, ſubtile, ventoſumque viſum eſt eſſe, aërem appellarunt. Quorum duo ſunt in aliis duobus occulta & conclusa, ut ait Raſis libro præceptorum: Omne compoſitum inquit, ex quatuor conſtat elementis, duobus occultis in aliis duobus apparentibus, aëre videlicet in occulto aquæ, & igne in interioribus terræ, ut antea diximus. Et quia duo concluſa non poſſunt actiones ſuas demonſtrare, præter alia duo, debilia vocaverunt, alia verò fortia. Hac de cauſa dicunt compoſita eſſe perfecta, quando humidum & ſiccum, id eſt, aqua & terra conjuncta ſunt aquæ terræ auxilio naturæ, cum frigido & calido, quæ ſunt aër & ignis, per converſionem unius in aliud. Quamobrem Alexander libro Secretorum ait: Si converteris elementa unum in aliud, invenies quod quæris. Hæc ſententia benè perfecteque cognita nobis demonſtrat

ſtrat veram materiam, & perfectam indicat ſcientiæ noſtræ
cam: quapropter, ut melius intelligi queat, proprius de qua-
elementis, & eorum natura loquendum eſt, cum ſint neceſ-
in operis noſtri divini compoſitione. Hermes ait: In terra
a creata ſunt alia quævis elementa. Alphidius contra pro-
quam eſſe præcipuum elementum, ex quo cætera elemen-
operis noſtri divini compoſitionem requiſita, creata ſunt:
bus nulla habetur, ut apparet contradictio Nam ab initio
eationis operis noſtri divini, aliud nihil apparet, quam aqua
quam Philoſophi vocaverunt Mercurialem aquam, ex qua
procreata fuit, cum inſpiſſaretur conjunctione decoctio-
e ſupernaturali, præter quam nobis eſt inutilis. Proinde
oquutus eſt Hermes, dum dixit ex terra prodiiſſe reliqua
nta, cum ipſa ſola ſuas demonſtret qualitates in operatio-
unda, non ſecus atque aqua ſuas demonſtrabat in operis ini-
Quapropter Alphidius ad Valerandum ſcripſit, ac ad alios,
eſſe præcipuum elementum, in operis noſtri divini compo-
e.

ec ſunt illa duo elementa, quæ Philoſophi dicunt eſſe cogno-
a, priusquam aggrediamur opus. Ut Raſis libro Luminum:
quam (inquit) incipiatur opus, eſt cognoſcenda natura &
tas aquæ & terræ, quia in iſtis duobus comprehenduntur
ior elementa: alioqui volatile fixum rapiet ſecum, & ſcientia
a nobis inutilis futura eſt. Hac de cauſa præcipitur, elemen-
n quatuor converſio, ut divinum opus noſtrum ritè qualifi-
n in fine fixetur, utque reſiſtere valeat ignis omni violentiæ,
ptioni aëris, æruginiterræ, & aquæ putrefactioni, non aliter
n aurum minerale, propter magnam ſuam perfectionem.
onverſio elementorum (ut ait Raymundus Lullius) nihil a-
ſt, præterquam terram, (quæ fixa eſt) volatilem reddere, & a-
n (quæ eſt humida volatilisque) ſiccam & fixam efficere: quod
e fit continuata noſtra decoctione in vaſe noſtro, præter o-
m amotionem, vel apertionem, ne fortè noſtra pereant ele-
a, & in auras avolent in fumum.

oc ipſum atteſtantur ſcripta Raſis, & aliorum ſcripta varia
oſophorum in eandem ſententiam, quum dicunt veram ſe-
ionem, & conjunctionem elementorum quatuor, in vaſe
ro fieri nullatenus tacto manibus pedibusve: quoniam (ut
t) lapis noſter ſeipſum diſſolvit, coagulat, abluit, purgat, albi-
, & rubificat, præter extraneæ rei cujusvis additionem vel
ionem.

rnaldus de Villa nova eſt ejusdem opinionis in ſuo Roſario
no, dum inquit brevibus admodum verbis. Nullo alio labore
pus, quam in aqua trucidanda, hoc eſt, fixanda: nam ſtatim

 atque

atque hæc erit mortua, reliqua elementa necata ſunt, id eſt, fixata. Falſæ ſunt igitur operantum hujus temporis, & elementorum ſeparationes ſophiſticæ, in ſcriptis ejusmodi Philoſophorũ omnium peſſimè fundatæ, qui vetant expreſsè deſtructionẽ ſimplicium in ſuis præparationibus, quia (ut ajunt) impoſſibile eſt arti primas formas dare. Certiſſimum eſt, elementa quatuor minimè componi poſſe, niſi prius deſtruerentur. Quapropter non eſt opus hac elementorum ſophiſtica ſeparatione, falſaque ad operis divini compoſitionem. Falſam eſſe talem ſeparationem, hoc ipſo probatur, quod antea dictum fuit: nempe duo elementa eſſe in aliis duobus comprehenſa: quo fit, ut veram eorum ſeparationem cognoſcere minimè poſſimus, quantò minus perfectam conjunctionem. Experientia comprobatur, elementa, quæ ſeparaſſe dicunt, nihil habere commune cum natura verorum elementorum (ut ait Valerandus) exemplo ſit ipſorum oleum, quod vocant aërem, humectat & madefacit omne quod tangit: contra veram aëris naturam. Proinde ſat mihi fuerit, oſtendiſſe naturam & qualitatem elementorum, & eorum converſionem in hac noſtra ſcientia neceſſariam, quo modernorum operantum palam fiat ignorantia ſcientiæ veris filiis, utque illos cognoſcentes, fugiant ab eorum conſortio. Jam videamus quidnam intelligant Philoſophi per hunc terminum videlicet fermentum. Dupliciter ſe dicunt uſurpaſſe: priori ſignificatione dum faciunt comparationem operis noſtri divini ad metalla: non aliter quam videmus parum fermenti panis multam farinam in ſuam naturam & paſtam convertere: ſimiliter divinum opus noſtrum convertit metalla ad ſuam naturam: & quia eſt aurum, illa tranſmutat etiam in aurum. Verum quod raro in hanc ſignificationem aſſumſerunt (in qua nulla difficultas) ad ſecundam veniemus, in qua ſcientiæ noſtræ maxima difficultas latet. Per fermentum itaque ſecundo modo verum corpus & veram materiam intelligunt, quæ divinum opus noſtrum perficit: quod quidem oculis eſt incognitum, & intellectu ſolo perceptibile quid. Etenim ab initio materia noſtra apparet volatilis (ut antea ſatis declaravimus) quam nos oportet conjungere proprio ſuo corpori, ut hoc medio retineat animam, quæ medio iſtius jam factæ conjunctionis, medianteque ſpiritu, ſuas divinas operationes demonſtrat, in opere noſtro divino, ut ſcriptum legitur in Turba Philoſophorum, adhunc nempe modum: Corpus habet plus virium, quam duo fratres ejus, quos vocant Spiritum & animam. Non quod intelligant quemadmodum Ariſtoteles declaravit, & alij Philoſophi (quod valde notatu dignum) ſed corpus vocarunt omne ſimplex, quod ex propria ſua natura poteſt ignem ſuſtinere, præter ullam diminutionem: hoc aliter fixum vocant. Animam appellarunt omne ſimplex per ſe volatile,

volatile,poteſtatem habens ſecum rapiendi corpus, ac deferendi ab igne: hoc alio vocabulo nominarunt volatile. Spiritum eſſe dicunt id, quod poteſtatem habet retinendi corpus & animam: iſtaque duo ſimul adeò conjungendi, ut non poſſint amplius ſeparari,ſive perfecta ſint, aut imperfecta. Quamvis in opere noſtro divino,ab initio nihil intrat novi (puto poſt primam præparationem) nec in operis medio,neque in fine. Verum Philoſophi diverſis reſpectibus & conſiderationibus rem unam & eandem vocarunt corpus,animam, & ſpiritum, ut ſupra dictum abundè. Primò cum materia noſtra eſſet volatilis, vocaverunt animam quia ſecum deferebat corpus. Poſteaquam id quod occultum erat,manifeſtum eſt in noſtra decoctione, tum demum corpus vires ſuas palam fecit, mediante ſpiritu, hoc eſt, animam retinuit, hanc ad propriam naturam ſuam reducendo (id eſt, in aurum) eamque ſua fixavit potentia,per auxilium artis noſtræ. Hoc ipſo declaratur exactè, quod Hermes ſcripſit, nullam tincturam fieri citra lapidem rubeum. Nam ut Roſinus ait: Verus ſol noſter apparet albus & imperfectus in noſtra decoctione, & eſt perfectus in rubeo ſuo colore. Fermentum eſt de quo loquitur Arnaldus de Villanova in ſuo Roſario magno, quod apparet illis duobus coloribus,non tactum,neque mixtum alteri materiæ cuipiam, ut per ea ſcripta poſſet intelligi. Verum eſſe teſtatur Anaxagoras, inquiens: Sol noſter eſt rubeus & ardens,qui conjunctus eſt animæ albæ,& naturæ lunæ,ſpiritus medio: quamvis totum ſanè aliud nihil ſit, præter argentum vivum Philoſophorum. Morienus declarat: Impoſſibile fuerit (inquit) ad perfectionem ſcientiæ noſtræ pervenire tantiſper donec luna ſoli conjuncta ſit præter quem ſcientia noſtra eſt inutilis, ut ait Hermes, & reliqui omnes Philoſophi. Per hæc intelligi poſſunt, quæ Raſis loquitur libro Luminum: Servus (inquit) rubeus uxorem duxit fœminam albam,in fine perfectionis operis noſtri divini. Similiter quod Lilius habet: Unio vera corporis & animæ, fit in albo & rubeo colore,medio tamen eodem, certo tempore,per auxilium noſtræ decoctionis,ad eum gubernatæ modum, ut materia noſtra non deſtruatur: nam,ut in Turba ſcriptum reperitur, emolumentum & detrimentum operis noſtri divini, utrumque provenit ex adminiſtratione ignis. Proinde ſuaſerim una cum Raſi, ne quis temerè hujus practices ſuſcipiat provinciam, in hac noſtra ſcientia, priusquam ignis regimina cuncta (quia diverſa) in operis noſtri divini compoſitione apprime neceſſaria,probè admodum cognoſcat: alioqui terminus,quem venenum appellant,applicabitur ipſi, quod in ſecunda operatione ſolet accidere,ut antea dictum. Non propterea venenoſum quid addendum eſſe quis exiſtimet in noſtra materia,neque Theriacam,minus extranei quidpiam (ut exi-

ſtimarunt nonnulli literam conſiderantes) ſed quod induſtrium ac vigilem operatorem eſſe oporteat, ne terminum & horam nativitatis aquæ noſtræ Mercurialis prætereat, ut adjungat ei proprium corpus, quod antea fermentum appellavimus, & jam venenum vocamus, idque duabus de cauſis: Prior nos concernit, quia non aliter quam venenum humano corpori nihil præter damnum inferre poteſt: ſi hoc loco non conjunxerimus illud ſua hora determinata, nihil nobis quam detrimentum adferet ac diſpendium, ut ſupra diximus. Poſterior concernit Mercurium (quem vocamus aquam mercurialem) quia hunc trucidat, & ſigat. Quo quidem interpretatur quod ſcripſit Hamech, inquiens: Cum noſtra materia pervenit ad ſuum terminum, eſt conjuncta suo veneno mortifero. Item quod Roſinus: Venenum hoc (ait) eſt valde magni pretij. Haly, Morienus & reliqui omnes idem atteſtantur. Eadem comparatione theriacam vocarunt, ut ait idem Morienus. Quoniam idipſum operatur in corpore metallorum, quod in noſtro theriaca. Quamvis etiam id quod ſcripſerunt, adaptari queat ad conjunctionem perfecti fermenti, cum hora determinata facta eſt, quia per ipſam divinum opus noſtrum perficitur. Similes igitur auctoritates intelligi debent ex allegorico ſenſu, & non apparentia literæ, quod plerique falſo exiſtimarunt. Iſtiusmodi eſt poſtremi termini, magis uſitati, & intellecti minus, interpretatio: etenim major pars per ipſum intelligunt divinum opus noſtrum, quando perfectum eſt: non aliter (inquiunt) quam parum coaguli plurimum lactis congelat, noſtræ materiæ tantillum projectum ſuper vivum argentum, iſtud congelat, & ad propriam ſuam naturam adducit. Verum decipiuntur, aberrantes à veritate: nam per ea concludunt materiam noſtram comparari non poſſe metallis, quia congelata ſunt. Proinde ſciendum eſt, quando Mercurius noſter apparet ſimplex, eſt labilis ipſumque Philoſophi lac vocarunt, cujus coagulum appellant id quod nos ſupra fermentum, venenum, & theriacam vocavimus. Quia velut coagulum non differt à lacte, niſi pauca decoctione noſtrum coagulum etiam à noſtro Mercurio non differt, niſi per decoctionem, quam acquiſivit antea: hoc eſt, magnum & ſupernaturale ſecretum, ob quod Philoſophi noſtram ſcientiam divinam eſſe dixerunt: quia deficiunt in ea rationes humanæ, ut ſupra narravimus. Hoc eſt, coagulum, quod Hermes vocavit ſimrem auri, de quo volunt intelligi, cum inquiunt: In congelatione ſpiritus, facta eſt vera diſſolutio corporis: & è contra in diſſolutione corporis eſt facta vera congelatio ſpiritus. Quia per cujus medium totum perficitur opus, ut ait Senior: Cum vidi noſtram aquam (id eſt, Mercurium noſtrum) per ſe congelari, credidi firmiter noſtram ſcientiam eſſe veram. Eandem ob cauſam ſcri-

bit A-

: Alexander in ſcientia noſtra nihil eſſe creati, præter id quod
ctum eſt ex maſculo & fœmina. Coagulum noſtrum vocat
aſculum, qui ipſum eſt quod agit, & Philoſophi maſculo tri-
ierunt actionem, & paſſionem fœminæ, quam dicunt eſſe Mer-
rium noſtrum, adeò quia coagulum dictum agit in ipſum,
am potentiam demonſtrans. Hac de cauſa dixerunt, fœmi-
m alas habere, quia noſter Mercurius ſimplex eſt volatilis: qui
men retinetur per dictum ſuum coagulum. Ea propter ſcri.
erunt: Fac aſcendere fœminam ſupra maſculum, & poſtea
aſculum ſuper fœminam, idipſum intelligentes quod in Turba
hiloſophorum: Honorandum eſſe Regem noſtrum, & Regi-
m ſuam uxorem, ac diligentiſſime cavendum ne adurantur, id
t, ne decoctio noſtra acceleretur. Nam, ut Arnaldus ait in ma-
o ſuo Roſario: Præcipuus error in operis noſtri divini practi-
, eſt accelerata, vel feſtinata decoctio. Similibus ac variis ter-
inis uſi fuerunt in ſcriptis ſuis antiqui Philoſophi, & quia præci-
i ſunt iſti, quos declaravimus, finem interpretationibus termi-
orum imponemus: etenim his probe cognitis, vera materia
on poteſt non cognoſci, ac deinceps libri Philoſophorum faci-
s facti ſunt, ut ait bonus Treviſanus. Concludendum igitur
um Philoſophis omnibus, quorum ſcripta hactenus in melio-
em ordinem quam potui, redegi, non niſi unam eſſe materiam
lam, ex qua divinum opus noſtrum adimpletur. Componitur
nim ex ſolo ſimplici Mercurio (quem Philoſophi proprio ſuo
rmino, citra ullam æquivocationem, Mercurialem aquam vo-
arunt) coagulato per actionem ſui proprij ſulphuris (quod
Iermes propriè vocavit florem auri) qui longa & continuata
oſtra decoctione, tantam ac tam excellentē acquiſivit perfectio-
em, ut opus hoc noſtrum valeat omnia corpora metallica im-
erfecta, quibus conjunctum fuerit projectione, in purum & pu-
um aurum transmutare minerali ſimile, idque diverſis rationi-
us antea deductis & allegatis, quibus amplè ſatis declaravimus,
uinam fiat, ut imperfecta metalla per illud perficiantur. Cum
itique nulla ſimplicia differentia, vel qualitatibus contraria con-
ungi poſſunt, aut perfectè miſceri ſimul, divinum pariter opus
oſtrum, quia conflata ex ſolo argento vivo, pati nullo modo
poteſt conjunctionem cum ſulphure, quod remanſit in metallis
imperfectis, ob digeſtionis defectum, ut ſupra notavimus. Ve-
rum enim verò, cum ſic potentiſſimum, & ſumma digeſtione per-
fectiſſimum, ſeparat ſulphur dictum à metallis, & argentum vi-
vum, quod in ipſis eſt reliquum, perficit in aurum. Experimen-
to comprobatur, cum projectionem facimus ejus ſuper commune
vivum argentum, reperimus ipſum totum fermè converſum in
aurum. Contrarium videmus efficere ſuper metalla projectum:

ſiquidem ex ſemilibra aliquorum vix habentur unciæ ſex: at quantò magis decocta ſunt, tantò minus hac via diminuuntur. Finem itaque hujus opuſculi mei ſecundæ partis faciens, tertiam & ultimam tandem aggrediar, in qua veram & perfectam ſcientiæ noſtræ divinæ practicam ſub diverſis allegoriis explicabo. Quam Deus manifeſtabit ſuis fidelibus, ejusque ſtudioſis amatoribus, qui diligenter hæc mea ſcripta perlegent, veram dans intelligentiam per Spiritum Sanctum ſuum, ad ſui gloriam & honorem: cui ſit laus in æternum.

TERTIA PARS OPVSCVLI DIONYSII Zacharij, de Practica divini operis.

UNIVERSA terra per Philoſophos & Coſmographos in tres partes principes diviſa eſt: in Aſiam, Africam, & Europam, ſub quatuor plagis, vel regionibus, Oriente, Occidente, Meridie & Septentrione ſitas, ſubque dominio diverſorum Imperatorum, Regum, Principum, potentumque Dominorum. Quorum unusquisque res diverſas & varias habet in delitiis, cum ob earum raritatem, tum ſingularem valorem: poſterior cauſa non æque grata, atque prior exiſtit, quod experientia didici, cum varias atque adverſas peragrarem regiones. Siquidem ubi doctorum frequentia virorum fuit, ibidem (maximo meo malo) vidi ſapientes valde miſeros & abjectos, econtra ditiſſimos ignaros, & in maximo haberi precio. Ubi vero penuria doctorum peritorumque hominum erat, maxima quoque pars ignari prorſus & inepti, hoc loco potiſſimum ſapientes honorabantur ab omnibus, & præſertim à majoribus ſummo favore & obſervantia maxima proſequutos animadverti. Haud ſecus opum inopia minerarumque (unde nobis aurum communicatur & alia metalla) his locis ubi non reperiuntur, maximam iſtorum æſtimationem efficit, ut abundantia ſecum adfert ejus vilipendium, cujus habetur magna copia penes opulentos: & viliora quæque nulliusve pretij, perfectique nihil habentia præter apparentiam, oculos eorum ſemper occæcarunt, ut perfecta pretioſaque non cognoſcerent. Quapropter indignati ſapientes, cum vident ignaros eſſe prælatos, alio ſe conferunt, ſuæ ſapientiæ vires & potentiam deliberantes alibi locorum demonſtrare. Quod fecit olim magnanimus quidam Gubernator, proponens nunquam deſiſtere, donec reliquam mundi partem, ultra ſuam, qua potiebatur, ſibi ſubjeciſſet copiarum ſuarum præſidio, & præſertim fidelis œconomi ſui conſilio. Interim dum hæc in animo verſabat, varios ac diverſos adjunxit ſibi extraneos, qui quod minime fideles eſſent, exiſtimarunt ſe liberalius exceptos iri ab Imperatoribus, Regibus, aliisque Principibus. Quapropter (ut ſolent exploratores) ab eo defecerunt, ejusque vulgarunt illis

conſilia.

conſilia. Qui parvipenderunt, nullam terrenam exiſtimantes potentiam ſuæ reſiſtere poſſe, quanto minus dicti Gubernatoris deliberationem. Dum igitur in Aulis magniſque Palatiis nil niſi ridebatur, cantabatur, procationibus, larvis, equorum exercitiis, choreis, ac variis ludis fallitur tempus inutiliter, adulatoribus, & ſuſurronibus benignæ præbentur aurés, viri ſapientes deriſorie tractantur nomine philoſophico (quod olim magni Monarchæ Potentatusque non ſunt dedignati, nec adhuc facererent, ſi ſanum, ut aurea libenter adhuc audirent conſilium) interea bonus ille Princeps Gubernator, ſuis ſtipatus præſidiis, auxiliaribusve copiis, unam ex celeberrimis urbibus Imperij jam obſederat. Imperator conſcripto copioſiſſimo milite, multis Regibus comitatus, ac Principibus, ſigna jamjam ad conflictum conferre parabat, cum bonus Princeps Gubernator perſuaſione ſui fidelis œconomi, aliorumque ſuorum, obſidione relicta, ſolus in munitiſſimam arcem tuto ſe recepit, copiis ejus campos circum occupantibus, & indies inimico ſtrenue reſiſtentibus. Adduxerat Imperator quinquaginta millia peditum, equitumque ſex millia, innumeraque tormenta bellica, Princeps itaque deſerens urbem ferrea turri propugnatam, ordine claſſico ſuis cum caſtra movit, pugnantibus ſtrenue poſt ipſum copiis poſterioribus adverſus hoſtem, & ni fluvium illico trajeciſſent, fractiſque pontibus ſibi ſuoque Principi proſpexiſſent, maximum imminebat eis periculum, at illæſi omnes evaſerunt manus inimicorum. Altera die perſequentibus viriliter hoſtibus, coactus eſt Princeps conſilio ſuorum aſſentiens, in locum inexpugnabilem ſecedere, ſimul & omnis miles cum eo. Vallis & aggeribus muniebatur, in cujus meditullio ſedebat in rupe muris circumſepta, nunquam expugnabilis arx rotundiſſima, cui aſtabat alia turris eminentiſſima, per quam ſub terra cuniculis excavatis, œconomus omnia quæ & victui, & bello erant neceſſaria, potuit introducere neſciis inimicis, ut olim factum extitit Neapoli Romaniæ, dum Solimanus Rex Turciæ hanc obſideret annis viginti, nec perciperet unde venirent urbi ſubſidia victus, & alia. Princeps autem ſuis intra mœnia receptis, in arcem ſe recepit, ac in parvum cubiculum rotundum ornatiſſimum quoque ſingulis tanto Principe dignis, in quo tempore manſit, quo duravit obſidio, quod ſumme delectaretur eo receptaculo: fabrefactum erat, quemadmodum in Ducatu Lotharingiæ videre licet. Inde per quatuor feneſtras ei fuit conſpicuum quicquid hoſtes facerent machinationum, ut ipſum interciperent. Verum intrare non poterant, quod porta ſui domicilij præcipua, ad eum erat occluſa modum, ut nemo valeret eam aperire, præter fidelem œconomum, qui de ſingulis adeo prudenter diſpoſuit, atque providit, ut integro obſidionis anno deficeret nihil. Ob varios & aſperri-

 mos in-

mos inſultus ab Imperatoris milite factos indies, coactus eſt Princeps exercitum ſuum in quinque turmas partiri, ut quælibet ageret excubias per ſuas vices. Exercitus Ducibus ad hunc modum Imperatori ſuadentibus, ne caſtra moveret: Si Principem (inquiunt) reliquerimus, merito nos deridebit, præſertim quod noſtri fuerat ordinis & a nobis receſſiſſe dicat ea de cauſſa, quia minus digne tractabatur: quamobrem ſi manus evaſerit noſtras, omnem vindictæ quæſiturus eſt occaſionem. Hæc & ſimilia verba moverunt Imperatorem, ut obſtinato prorſum animo deliberaret, Principem captivum facere per inediam, aut alia via qua poſſet. Ac inſtante hyeme, parte caſtrorum ſuorum tantiſper ſecum retracta, reliquam in obſidione reliquit Imperator ſub Ducatu potentiſſimi Satrapæ, qui plurimos impetus faciebat indies adverſus bona Principis militem. Conſilium Imperatoris erat, ne ſui caſtra moverent ante præterlapſum annum. Quod intelligens Princeps per ſuum œconomum turmis imperavit ſuis, ut quælibet unū ex Imperatoris excercitu, vi direptum armorum adferret vexillum, indicta pœna maxima ſuæ indignationis, ni facerēt imperata. Quod ſi etiam præſtitiſſent, addito ingenti præmio quibusvis, inſuper pollicitus eſt in propria perſona, comitante fideli ſuo œconomo prodire, hoſtique manum infligere tam ſtrenue, ut vel vitam ſoret amiſſurus, aut primum Imperatoris vexillum reportaret, ſpoliisque ditaret omnes, qui ſequuti fuiſſent, ſupra cunctos ſuos inimicos, qui obſidebant eum. Reaſſumptis igitur animis, priusquam tempus conſtitutum præterlaberetur, allata ſunt ei per ſuas turmas, quotquot Imperatoris ſigna deſiderarat, medio duplicationis circuli, quam docuerat œconomum ſuum Princeps quidam Galliæ. Primum vexillum erat nigrorum equitum Germanorum, quos vocant Reutherorum atrorum: Secundum interſertum erat variis coloribus: Tertium erat non uſque adeo diſſimile velo Regis Galliæ: Quartum inſignitum erat Luna creſcente: Quintum vero ſimile fuit ſigno maximo Imperatoris: quod quidem Principi animum auxit, ut altero die cum œconomo ſuo prodiret ad mœnia, & ibidem ſtrenue ſupra modum pugnaret, usque dum conſequeretur maximum vexillum Imperatorum. A pugna tandem rediens, & fatigatus, ab œconomo, cibis prioribus obſidionis initio reſiduis, reficitur, ac refocillatis viribus altera cum ſuis & œconomo viriliter inſiliens in hoſtem, totum exercitum partim proſtravit, partim fugavit Imperatoris, Ducum ſuorum auxilio, qui omnes ſui Principis coloribus illuſtrati ſunt. Quo factum deinceps, ut omnis Potentatus, ſive Papa ſit, aut Imperator, ſive Rex, Princeps, vel Solimanus, quotquot ſunt, ... Auro Principi deferant palmam, & victoriam cedant ... maximo, Deo ſic jubente ac volente, cui ſit laus, honor, & ... pe...

nis. Reliquum erit,ut operis noſtri divini projectione ſuper
lla,tincturam gemmarum,& humani corporis medicinam in
am eſſe,declaremus.

De projectione ſuper metalla.

GIS noſtri multiplicati viribus, & cibis refecti, uncia una
rojiciatur ſuper uncias quatuor auri puri, purique liquati,
de materia frangibilis,quæ pulveriſata, coquatur in monte
o inſultus poſtremi caloris,vaſe admodum ſtricto etiam ob-
o,ſpatio trium dierum. Hujus pulveris uncia una projicia-
per viginti quinque marcas argenti,vel cupri,vel ſuper octo-
n marcas plumbi vel ſtanni,vel ſuper quindecim marcas ar-
vivi communis,in crucibulo calefacti,vel plumbo congelati.
ria mox ſpuma craſſiore contegetur, operatione completa,
us fiet,ac ſi crucibulum frangeretur. Tandem liquefiat hæc
ria,& erit in aurum converſa. Verum ſi dictum pondus ob-
tum non fuerit,nec materia priore ſuo colore mutata: qua-
er eſſet in cineritio magno fulminanda ſine plumbo, ut ho-
n trium ſpatio materia,quæ non erit transmutata, conſuma-
eliquum in fundo purum,eſt cimento regali ſex horis latius
andum. Hac via totum habebitur aurum,opera magni Re-
oſtri converſum,ſimile minerali cuivis & æquipollens.Et hæc
a, quam docet Raym.Lullius in ſuo Codicillo,quod ad pro-
nem attinet. Secundam pro tinctura gemmarum docet in
Teſtamento.

De Tinctura gemmarum & unionum.

vandus eſt magnus ille Rex noſter, ac reficiendus ſtatim
oſtquam allatum eſt ei ſignum album creſcente luna inſigni-
, nec finis obſidionis eſt expectandus, ſed à ſuæ refectionis
primo. Hic eſt Mercurius,quem Raymundus Lullius voca-
rgentum vivum exuberatum. Ejus unciæ duæ vel tres ponan-
uper cineres,in alembico parvo bene clauſo, deſtillentur igne
o primum,cum nihil hoc igne ſtillare volet amplius, mutato
piente lutatoq; fortiori tandem urgeatur igne,quicquid aſcen-
poterit. Liquor iſte ſecundus in alembico recenti, per bal-
n Mariæ deſtilletur, tertio cohobando liquorem ſuper fæces
oſas,& aqua brevi ſuo tempore diſſolventur:tertia vice tamen
m per cineres deſtilletur, & poſtmodum in alembico recenti
balneum rurſus deſtilletur quater, fæces vice qualibet ſer-
do ſeorſim, uſque dum aqua deſtillata ſit clara ſplendens-
perlarum candido nitore, cujus uſus hic eſt ad uniones. Po-
tur iſti licet minutiſſimi, in cucurbitam parvam,quibus affun-
ur aquæ dictæ tantum,ut parumper emineat,cooperiatur ga-
cæca,& poſt horas tres in paſtam reſolventur albam, & ſuper-
natabit

natabit liquor admodum clarus, evacuetur modeſtè ne turbetur. Cucurbita cum paſta ponatur cooperta, in balneum Mariæ tribus diebus digerendo, poſtmodum auferatur. Fabricetur formula argentea rotunda, intrinſecus deaurata, quæ per medium in duas æquales partes aperiatur, adapteturque filum aureum vel argenteum deauratumque inter ambas concavitates. Tandem ſpatula aurea formulæ medietas repleatur utraque dicta paſta, filum per medium collocetur in medio ſui foraminis, claudaturque formula, filum autem protrudatur, ac retrahatur, quo bene foratus ſit unio per medium. Aperta formula eximatur unio formatus, & ponatur in ſcutellam auream altera ſimili coopertam, non tangatur manu, ſiccetur in umbra, & non ad Solem. Cum plures habueris, filo perforentur omnes, & in canali vitreo ab una parte latum foramen habente, ab altera non majus filo aureo, & ſuſpendantur ſimul in bocia, vel urinali vitreo mundo ſupra liquorem dictum ſublimatum, lutetur vas, & octo diebus in aere contineatur, poſtea tribus ad Solem, ſingulis ternis horis movendo vitrum, ut vapor aſcendat, hoc artificio perficientur uniones tantæ quantitatis ut voles. Ad eundem modum de rubinis & carbunculis fieri poterit, rubei Mercurij medio, poſt unicam ejus refectionem.

De uſu divini operis noſtri, ad humani corporis medicinam.

SUmatur pondere grani unius poſt exitum Regis, & albo vino diſſolvatur in argenteo vaſe. Tingetur vinum citrino colore, quod ægris adminiſtretur, paulo poſt mediam noctem uno die ſanabitur, ſi morbus ſit unius menſis, ſi fuerit unius anni, infra duodecim dies, vel infra menſem, ubi valde diuturnus morbus eſſet futurus. Ad conſervandam ſanitatem, ſumendum ex eo parum ſingulis annis bis, ſub initium veris & autumni. Hoc medio ſane vivitur, & alacriter uſque ad prædeſtinatum vitæ terminum, Deo dante, cui laus ſit, honor & gloria nunc ſemper, & in æternum, Amen.

Finis opuſculi Dionyſii Zacharii.

ANNOTATA QVÆDAM EX NICOLAO Flammello Auctore Gallo.

AD metallorum veram cognitionem ignorandum non erit, dum in primis adhuc ſpeciebus exiſtunt, in ſulphure videlicet, ac in argento vivo duas habere formas, unam maſculeam, alteram vero femineam, quæ duo ſpermata maris atque feminæ, ſulphuris prius, elementa maſculina duo continet, ignem & aerem: poſterius alia duo feminea, terram & aquam. Quo duobus comparantur in arte ſerpentibus, uni alato, terribili, alteri

alteri quidem alis carenti multo horribiliori. Hæc duo ſpermata ſi per naturam conjungantur in ventre Mercurij,qui propter ſuum ardorem vocatur ignis naturæ,& à nonnullis leo devorans, & ejus ventrem licet aurum & argētum ſubintrent,non abſumuntur, quod illo natura duriora ſint, atque perfectiora. Mercurius eſt imperfectus,nihilominus aurum & argentum communia proveniunt ex eo. Argentum eſt ſubſtantia lunæ inferioris, ut aurum ſolis etiam inferioris. Mercurium igitur matrem occidi, ac mori oportet per dicta ſpermata,qui poſtquam ſemel mortificatus fuerit à natura,nunquam poterit amplius reviviſcere. Nam vel tantillum congelatus in venis terreſtribus, adeſt mox in eo granum auri fixum,quod ex duobus ſpermatibus producit verum germen Mercurij: ut à plumbi cavernis videre licet,in quibus nulla minera locorum ubivis, in qua fixi granum verum non contineatur manifeſte,id eſt,granum auri,vel argenti. Siquidem prima congelatio Mercurij eſt minera plumbi, in qua poſitum eſt à natura Hoc vere multiplicari poteſt in ſuam perfectionem absque dubio vel errore, exiſtens tamen in ſuo Mercurio non ſeparatum à ſua minera. Metallum enim in minera ſua conſiſtens, eſt Mercurius,à quo ſi granum ſeparatur, ut pomum erit immaturum ab arbore ſua deſumptum, quod prorſus deſtruitur. Granum fixum eſt velut pomum,& Mercurius arbor. Non eſt igitur ſeparandus ab arbore fructus,quia non poteſt aliunde nutrimentum accipere, quam à ſuo Mercurio.Major eſt fatuitas in Mercurium ponere aurum & argentum, non ſecus atque diſcerptum pomum arbori rurſum infigere. Ut igitur negotium hoc adimpleatur ex æquo, ſumenda ſimul arbor cum ſuo fructu, quo denuo plantetur,citra fructus ablationem,in fertiliorem terram atque nobiliorem, quæ plus nutrimenti dabit unico die,quam prior ager in centum annis exhibuiſſet, ob ventorum aſſiduam agitationem. Altera terra, quod ſoli proxima ſit,creſcere vegetareque facit arborem, continuo rore, & aſſiduo ſole in horto philoſophico, mane, veſperi, dies & noctes,ac in ſingulas horas, absque intermiſſione lucente, arborque rore dulciſſimo conſpergitur, ac nutritur, uno anno magis,quam in priore terra decem millibus. Poſitis igitur ambobus in furno continui caloris dies & noctes,vapor ejus, qui ros eſt,impedit combuſtionem. Lignorum vel carbonum calor eſt inutilis, imo noxius. Noluerunt itaque ſapientes Philoſophi in alia re quapiam operari,quam in ipſa natura,cum ipſa luna,in matre congrua Mercurio. Ex quo tandem generalem Mercurium effecerunt,longe potentiorem & fortiorem illo naturali. Aſcende igitur in montem,ut vegetabilem ſaturniam, regalem & mineralem herbam videas. Succus enim ejus ſumatur purus abjectis fæcibus. Ex eo namque maximam partem operis tui perficere poteris.

poteris. Verus eſt hic Mercurius Philoſophorum. In primis igi Mercurium tuum ne laveris, ſed jungas ipſum cum parte ſua, id eſt cum igne, ſuper cineres, qui ſtramen ſunt, in vitro ſolo, absq; ulla re alia, quod nidus eſt, in furno, qui domus eſt: ex nido pullus naſcetur, qui ſuo ſanguine ſanabit omnes.

Fons Chemiæ.

FOns & caverna metallorum omnium, eſt mater, ex qua naſcuntur & proveniunt illa ſeptem, ut ex ſua natura: item Saturnus, Jupiter, Mars & Luna Plumbum intellectualiter eſt aurum leproſum, &c, Fons autem naturæ ſi Mercurium in eo poſitum recipiat, inde medicina fiet excellentiſſima. Naſcitur in terra maſſa plumbea Mercurius, qui clauſus in carcere poſtea libereretur, alioqui non poteſt ſciri pondus, nec menſura, quæ deſideratur: ad eum tamen cognoſcere modum poteris. Solis Mercurius non eſt Mercurio lunæ ſimilis, cum hic ſemper albus manere debeat, quo ſibi ſimilem procreet, Mercurius vero ſolis eſt rubificandus & hic eſt labor primus: & poſtmodum congregari poterunt. Notandum utiq; quintam eſſentiam eſſe nobis in hac arte præcipue neceſſariam, & Mercurium iſtum reperiri potiſſimum eo loco, in quo ille eſt in maximo ſuo calore, multosq; flores producit: nam poſt flores ſequuntur fructus. In luna ſimiliter invenitur dum in ipſa quæritur, in Saturno, Marte, venere, & in Mercurio ſecurius: ego autem (Flamellus inquit) in ſole reperi & elaboravi. Cum igitur ſingula conveniunt in hoc opere philoſophico, quorum quodque ſimile eſt alteri, tum fætus matrem devorat, patremque ſuum in unico lacu ſuffocat, in quo ſimul flores, lac, fructus, atque ſanguis inveniuntur. Metallum igitur hoc unum in unico vaſe ponendum, & in unico furno. Mercurius eſt de quo loquor, & nihil aliud. In operis abbreviationem unicum habetur in hoc mundo metallum in quo Mercurius iſte noſter abunde reperitur. Aurum calidum eſt & ſiccum Luna vero frigidæ naturæ, Saturnus gravis atque mollis: quapropter ſoli ſimilis hoc ipſo, aurum leproſum appellatur: Venus eſt Lunæ ſimilis pondere & malleatione, Mercurius frigidus & humidus ſimilis Jovi, qui naſcitur ex eo, Mars autem durus, gravis & frigidus. In duobus igitur negotium hoc omne conſiſtit, ut videlicet igne tuum ſulphur penetrativum efficias, & attractivum, quo matrem ſuam devorare queat, & compleverit opus. Matrem infige ventri ſui fœtus, quem antea peperit, tum demum ſibi pater erit, ac filius ex duobus ſpiritus perfectus. Poſtquam ſulphur tuum devoratum erit, Mercuriusque ſuus mortificatus, conjiciatur in carcerem, in quo maneat diebus quadraginta, & videbis quod optas, juxta hoc verſus:

Si

fixum ſolvas, faciaſque volare ſolutum,
r Volucrem figas, facset te vivere tutum.

JOAN. Mehunnius de Lamentationibus naturæ.
Luna quod concluditur, cælum hoc loco vocatur, quia mate-
ormam appetit, non ſecus atque femina virum. Materia ſo-
eſt ex 4. elementis, ex quibus fit chaos, & ex iſto Rex atq; Re-
generantur. Primo quidem creatus eſt ignis à Deo, quem
Luna collocavit, expertem corruptionis, & puriſſimam eſſen-
quintæ partem in ſe continentem. Poſtea factus eſt aer ſubtilis,
uo Deus pariter eſſentiæ quintæ partem poſuit, non tantam
igne, minorem in aqua, & in terra minimam. Ut ignis igitur
erem agit, ſic aer in aquam, & in terram. Terra mater eſt, &
rix omnium quæ concipit in utero ſuo ab igne: hoc ipſum fo-
, in centrumq; uſque ſuum absque intermiſſione. Cum igitur
natura potentiam habeat reducendi 4. elementa in primam
teriam generaliter mixtam, quibusvis elementis; impoſſibile
rit cuiquam operantum id efficere, præter ipſam, quæ ſola dat
teriam atque naturam. Quinta namque eſſentia, quæ cathena
itur aurea, ad hunc modum contraria connectit & concordat,
nunquam diſſentiant amplius. Conſiderandum in primis au-
n, quod pulcherrimam formam ſuam accipit in cælo, & opti-
m in terra materiam pariter & gemmæ. Cælum igitur quin-
n eſſentiam informat forma & materia in elemento contenta,
r quam forma detinetur: quæ depuratione, & ſucceſſu longi
nporis perficitur. Aurum itaque & gemmæ per me naturam ſo-
n componuntur: nemo enim proportiones præter me novit.
uod utique quæris ſummum eſt naturæ ſecretum, deſcendens
virtute cæleſti. Quapropter tota ſcientia naturæ debetur, qua
npl icitas elementi de cælo depromitur, hæc in cælo dicitur eſ-
ntia primitiva, & in elemento quinta, quam ipſa reductionibus
ficit, ac prolixis circulationibus, inferius in ſuperius converten-
, & frigidum & ſiccum, in humido & calido conſervando, lapi-
s atque metalla ſub humido ſuo radicali, cæleſtibus motibus
trorum, quibus elementa gubernantur, & eorum obediunt in-
ientiis: ut quanto purior eſt materia, tanto per naturam fiat ex-
ellentius opus. Cæleſtis itaq; motus, eſt intelligentia correſpon-
ens in inferioribus, in quibus per ſuas influentias omnia produ-
t in eſſe. Utitur ergo natura materia in igne quovis infallibili,
uia ex iſto virtutem recipit omnem. Item aqua ex origine ſicca
roveniens, nihil quod tangit humectans, non recedens neq; vo-
tilis, eſt oleum incombuſtibile. Nullus artificialis ignis tantum
lorem infundere poſſet, quantus ex cælo provenit. Cæterum in
is non ignorandum, opus hoc noſtrum integrum fieri ex vili
ateria homogenea, in unico vaſe clauſa, in unico furno id conti-
nente,

nente,quod eam perficit: nam ſolo regimine perficitur.imitando naturam. Hæc in generatione hominis,corpus admodum ſubtiliter format ex argento vivo & ſulphure maſculino agente, ſolo vaſe,matrice videlicet contento,cujus furnus venter eſt, quamvis auxilietur homo per ſuam artem, dum ardet in ſua natura, materiam congruam infundendo, præter quod aliud nihil efficere poteſt. Non ſecus in arte noſtra, ſi quis eligere norit materiam ejusmodi,qua natura delectatur,eamque rite præparatam ſuo vaſe & furno concludere,ego(inquit natura)& ipſe perficiemus ubique ſine mora,modo requiſitum ignem adminiſtrarit naturalem, contra naturam,non naturalem,& absq; ardore: ignem(inquam) calidum, ſiccum, humidum & frigidum. Conſidera igitur qualem eſſe oporteat: nam absque igne & materia nihil fit in hac ſcientia. Do tibi materiam(inquit natura)forma eſt,quod ipſi tibi pares,non dico ſubſtantialem,neque accidentalem,ſed conſtruendi vas, atque furnum. Deinceps præpara materiam tuam in pulverem factam cum aqua ſua,vaſe concluſam unico: rege calore temperato, hic promovebit actionem, & frigiditas putrefactionem. Siquidem ob magnam frigiditatem non poſſet impedire ſiccitas,neque reſiſtere huic argenti,quin argentum vivum ſtatim reducatur in primam materiam integra connexione. Proinde priusquam opereris(inquit natura)diſce me cognoſcere,quæ mater ſum,ſine qua nulla creatura poteſt eſſentiam recipere, vegetare,neque animam habere ſenſitivam abſque cælo & elementis. Eſt utique medium inter Mercurium & metallum, quod ſumendum eſt ad artem noſtram: Eſt(inquam)aurum potabile, & humidum radicale,ſummaque medicina quam per tuam artem,& meam ſcientiam perficimus. Absque me quæ materiam exhibeo, nihil unquam efficies,& absque te,qui miniſtras,non poſſum hoc opus exequi ſola. Sed per me & te brevi tempore conſequeris. Transmuta quatuor elementa,metalla deſerens & atramenta,ſub ſpecie transmutabili,quæ materia notatu digna fuit à Philoſophis uſurpata, & ab ignaris contemta. Similis eſt auro ſubſtantia,diſſimilis eſſentia: Convertens ejus elementa, quod quæris invenies,inferiora ſublimando, & ſuperiora & inferiora convertendo. Sumito igitur vivum hoc argentum agente ſulphure mixtum,& unico vaſe,unico furno etiam concluſum, inhumetur vas pro tertia parte,ſupraque philoſophicum ignem contineatur: omnisque ſpecies,præter materiam ſolam à qua minera ſumit originem, relinquatur.

Reſponſio.

Natura movens ſuperiora digitis & pedibus, inferiora transmutat elementa uſque in centrum terræ ſine intermiſſione, à cælo primam formam accipit, & materiam ab elementis: quamvis hæc

hæc materia confuſa ſit,& non diffuſa, donec per naturam ſpecificetur,& qualificetur. Tum demum recipit formam ſubſtantialem,& poſtea viſibilem accidentalem. Formam priorem transmutat,ut informet nova forma materiam. Objectum namq; potentia ſubjectū eſt,quia ſubſtantiā in actu, qui prius fuit in potentia,ſuſtinet. Aurum ſcitur eſſe minerarum omnium theſaurum,attamen formam non habet, neque materiam tantæ potentiæ, ut ſuam excedat perfectionem: non habet enim majorem potentiam,quam perficiendi ſeipſum,quicquid moliatur artifex. Ipſum deſtruere ac in eſſe reducere,fatuum eſſet opus, cum ex eo nihil plus virtutis,neque potentiæ haberi poſſit, quam obtinet ex propria ſua natura. Nulla fit reductio eorum, quæ natura perfecit in ſpeciem,vel individuum,niſi primo corrumpantur. Etiam poſt corruptionem generatio non fit ſpeciei ſimilis, niſi fiat regreſſus in hoc genus. Quapropter auri deſtructio viam non ſternit ad ipſum conſtruendum, quia per ſui deſtructionem conſtrui nihil poteſt: ipſo namque mortuo pariter moritur ejus ſubſtantia, ut ex eo non poſſit amplius aliud argentum vivum enaſci, neque metallum. Et quia elementum ignis in terra continetur, & aeris in aqua,quorum quantitatem,qualitatem,proportionem perfectæ conjunctionis ſuæ nemo novit,ſeparanda non ſunt elementa,cum reparari nequeant. Solum id igitur quod natura generavit, nobisque relinquit ſumendum ad artem. Summatim elementorum ſeparatio non fit effectualiter argenti vivi, neque ſolis, qui pater eſt artis filio ſuo ſpiritum impertiens.

Auctoris incogniti.

EST in Mercurio quicquid quæritur,ex quo corpus, ſpiritus, & anima trahitur, unde puriſſima & mundiſſima tinctura provenit. Humor eſt pretioſus, hominem lætificans, factus ex terra, aqua & igne. Corpore utique purgato, conceptoque ſpiritu, tandem clarus fons exurgit, in cujus fundo jacet leo viridis aut ſerpens qui extenditur. Si expergefiat in altum aſcendit,& poſtquam ei deficit animus,deorſum decidit in balneum,quo tantiſper lavatur donec rubeſcat, lavatur (inquam) aqua vitæ uſque dum non agnoſcatur amplius. Poſtremo vertitur in digniſſimum lapidem,primo album,& poſtea citrinum viſu pulchrum, atque delectabilem, Sis igitur de Mercurio vero ſollicitus,quem natura generavit,& qui cum ſuo patre moratur proſpere, proſperaque reddit imperfecta metalla.

Teſtamentum Arnaldi Villanovani.

LApis generatus,ortusque de terra per elevationem perficitur, aquæ potione ſatiatus. Infra duodecim horas, ut minimum inflatur,& intumeſcit circumquaque viſibiliter. Poſtmodum in

balneo poſitus, vel in aeroſo hypocauſto moderate calido & ſicco, ac purificatus ab extraneo vapore, ſoliditatem ſuarum partium acquirit, extenuatusque ſuperflua humiditate, fit idoneus ad commixtionem. Quo facto, ex purioribus ejus partibus exprimitur lac virgineum. Quod mox inde poſitum in ovum philoſophicum, proprio & continuato calore, foveatur ut pro pullorum excluſione. Varietate ſuorum calorum nudatus, gaudet cum ſuo compare, colore tinctus inſtar nivis. Inde poſt absq; periculo reſiſtit ignis violentiæ, tantiſper, donec pavonis coloribus ornatus, de monumento deinceps egrediatur cum Regali ſummaque potentia.

Etſi brevis admodum hic videatur eſſe proceſſus, prolixiſſimis tamen circumſtantiis non caret, ac operationibus. Singula compendioſe tractantur, quæ circa hoc opus neceſſaria ſunt opera, per ſingulas periodos optime conſideranda, nec inconſiderate prætereunda. Nam facilius ex tantillo ſermone veritas comprehenditur, huius divinæ ſcientiæ, quam ex copioſiſſimis & innumeris voluminibus, multitudine varietateque veritatis unitatem & ſimplicitatem contegentibus.

ALIÆ QVÆDAM ANNOTATIONES EX VARIIS AUCTORIBUS.

De ſolutione & coagulatione materiæ Chemiæ.

CUm ſolutio ſit præcipua hujus artis operatio, primo de hac dicendum erit, adductis variorum Philoſophorum auctoritatibus, quo facilius intelligi queat, una aliam interpretante. Hæc ſunt igitur, quæ colligere voluimus, & attexere noſtris collectaneis. Etenim ex varietate mens Philoſophorum petenda eſt, ſi reducatur comparationibus ad unum & eundem ſenſum. In quibus maxime convenire videntur, hoc ipſum eſſe quod quæritur, non dubitandum. Totum utique negotium operis divini philoſophici conſiſtit in his duabus operationibus, videlicet in ſolutione & congelatione. Solutio igitur ex ſententia Gebri, eſt rei ſiccæ in aquam reductio.

SCALA PHILOSOPHORUM.

Solutio lapidis eſt reductio ejus in mineralem aquam.

VILLANOVANUS.

Solvimus (inquit) quando corpora dividimus, ea ſimplicia & ſubtilia reddimus, atque in primam naturam & materiam reſolvimus.

AVICENNA *de materia.*

Duplex eſt materia prima, propinqua & remota: propinqua

eſt ai-

eſt argentum vivum: remota eſt aqua. Quia argentum vivum prius fuit aqua, deinceps argentum vivum.

LULLIUS.

Diſſolutio primariam intentionem habet, ad deſtruendum cum lunaria.

CLANGOR BUCCINÆ.

Prima materia haberi non poteſt, niſi per operationes artificiales, naturalibus operationibus contrarias.

AUCTOR INCOGNITUS.

Quam difficilis res ſit diſſolutio, teſtari poſſunt, qui ſolutioni dederunt operam. Multi ad eam ſua imperitia pervenire non potuerunt. Qui aliter igitur quam per noſtrum artificium ſolvit, fruſtra ſolvit.

CLANGOR.

Solutio eſt opus naturæ, & non artis: artifex tantum naturæ miniſter eſt, & adjutor.

AVICENNA.

Ut aqua eſt prior & propinquior materia lapidis, ita altera materia lapidis, eſt ſpiritus metallorum.

ROSARIUS.

Qui cupis inveſtigare hujus artis ſecretum, cognoſcere te oportet primam metallorū materiam, alioqui tuo labore fruſtraberis.

VILLANOVANUS.

Diſſolutio eſt ſapientiæ perfectio: oportet enim ut ipſa ſapientia quæratur: alioqui non invenietur. Propterea dixit Hermes: Homo non poteſt habere, nec reperire diſſolutionem niſi per ignem divini ingenij.

AVICENNA.

Verum principium noſtri operis eſt diſſolutio lapidis. Idem: Primum regimen lapidis eſt lapidem ſolvere, & in ſuam primam naturam reducere.

VILLANOVANUS.

Indiges tu, quicunque vis operari, ut in ſolutione & ſublimatione duorum luminarium primo labores, quia primus gradus operationis eſt, ut fiat argentum vivum ex ipſis.

LUDUS PUERORUM.

Artifex noſtri operis primo debet lapidem ſolvere, deinde coagulare: quoniam opus noſtrum nihil aliud eſt, quam facere perfectam ſolutionem & congelationem.

CLANGOR.

Tota hæc ars in hoc vertitur, ut jungamus humidum ſicco: id eſt, ut ſolvamus & coagulemus. Humidum eſt ſpiritus liquidus ab omni ſorde mundatus. Siccum eſt corpus perfectum purum & calcinatum.

MIRNERIS.

Siccum eſt terra: humidum vero eſt aqua.

ARISTOTELES CHEMIOGRAPHUS.

Primum quod facere debes in opere, eſt, ut Mercurium ſublimes, deinde ut in Mercurium mundum corpora munda mittas.

CALID.

Niſi converteritis corpora in ſubtilitatem, ut ſint impalpabilia tactui, non dirigetur vobis quod quæritis. Et ſi trita non fuerint, revertimini ad operationem, quouſque terantur, & fiant ſubtilia. Quod ſi feceritis, vobis quod optatis dirigetur.

TURBA.

Niſi copora fiant incorporea, nihil operamini.

GEBER.

Nullum argentum poteſt fieri, niſi omnia prius ſolvantur.

ROSARIUS.

Qui aurum ſcit deſtruere, ita quod amplius non ſit aurum, is ad maximum arcanum pervenit.

JOAN. AQUINAS.

Facilius eſt aurum conſtruere, quam deſtruere.

SCALA PHILOSOPHORUM.

Solutio lapidis eſt occulti revelatio, craſſitudinis attenuatio, rei duræ & ſiccæ in quandam liquidam ſubſtantiam reductio.

VILLANOVANUS.

Aurum & argentum in peneralibus terræ dura, ſicca, & ſtrictiſſime ligata reperiuntur. Per diſſolutionem vero artificialem mollia redduntur, fluentia, & ſubſtantia liquida. Idem: Natura in ſuo corpore tincturam occultat, quam ars manifeſtat cruciando & torquendo corpus, modo per aquam, modo per ignem. Item: Non pigeat vos cruciare & corrumpere corpus terendo, & imbibendo, donec aquam extraxeritis, & corpus tenue factum ſit, & impalpabile.

CLANGOR.

Corpora metallorum diſſolutione diſſolvuntur.

VILLANOVANUS.

Aqua Philoſophorum benevole & naturaliter diſſolvit metalla, cum quibus non ingrato, neque contrario vinculo colligatur. Idem: In aqua Philoſophorum virtus ineſt humida, proprietatem habens, quæ ſine damno & detrimento corpus torquet.

BERNARDUS.

Similitudinarie generantur per artem homo & aurum: tamen horum ſpermata & ſemina per artem generari non poſſunt, eo quod illam proportionem mixtionis, ad producenda ſemina, ars neſcit componere.

CONGREGATIO PHILOSOPHORUM.

ra eum gradum,quem perficere poteſt, perficit, ſed quem e nequit. Alius: Natura continet in ſe ea quibus indiget; perficitur,niſi arte moveatur,& operatione. Item:Primæ ones lapidis nulla arte induci poſſunt, natura ſolum hoc oteſt. Item: Materia lapidis fit natura. Materiam facere Item:Materia lapidis fit natura. Materiam facere per ali- tificium impoſſibile eſt. Lapis enim à natura creatus in- ,nec alio indiget,niſi ut removeatur quod ſuperfluum eſt eſt,in materia ejus.

AVICENNA.

is non fructificat, donec ad nihilum deveniat tanquam a- currens.

TURBA.

um magiſterium noſtrum fit cum aqua noſtra, ex ea, & de t omnia neceſſaria. Nam ipſa ſolvit corpora ſolutione ve- ilosophica,ut convertantur in aquam,ex qua ab initio fue- Alibi: Niſi quodlibet vertatur in aquam nullatenus perve- ad perfectionem.

ALPHIDIUS.

natu ras attenues,aquam illas faciens, nihil colorare potes: go corpora eſſe aquam liquefaciendo, quæ apud Philoſo- qua ſapientiæ nuncupatur.

ROSARIUS.

ua permanens,ſive perennis,ſive vinum ardens dicitur aqua ris,id eſt,quando corpus redactum eſt in Mercurium. Item: permanens eſſe non poteſt absque ſuo corpore, cum quo eſt. Item: Abſque aqua permanente nihil fit. Dicitur et- qua vitæ. Item: Solum cum ardente vino potes complere perfectum.

SCALA.

aco eſt ſulphur, quod extrahitur de corporibus per magi- m.

AVICENNA.

ui elixir album facere inſtituit, in argento ſulphur album re- t,in auro rubeum. Et quoniam tale ſulphur non reperitur terra,niſi in iſtis duobus corporibus,ideo præparanda ſunt ora ſubtiliter,ut ſulphur eorum, & argentum vivum ex ipſis re poſſimus,qualia fuerunt illa, ex quibus aurum & argen- ſub terra efficiebantur.

CLANGOR.

lvite corpus perfectum in Mercurium, inde habebitis virtu- occultam, id eſt, ſulphur philoſophicum digeſtum, & deco-

ctum per opus naturæ, quemadmodum in minera digeritur, & decoquitur.

LUDUS PUERORUM.

Oportet noſtrum lapidem ad primam materiam reduci, & ad originem ſulphuris & Mercurij.

CLANGOR.

Et tale argentum vivum dicitur oleum incombuſtibile, anima, aer, & ſplendor corporum, quia corporibus metallicis mortuis & imperfectis vitam præſtat immortalem, & ea illuminat.

GEBER.

Principalia naturalia in opere naturæ ſunt, ſpiritus foetens, id eſt, ſulphur, & aqua viva.

CLANGOR.

Diſſolutio corpus in naturam ſpiritus convertit.

ROGERIUS.

Oportet omnino quod fixum fiat volatile: id eſt, quod corpus fiat ſpiritus, idque cum volatili, id eſt, cum Mercurio mundo.

CLANGOR.

Spiritus, id eſt, aqua Philoſophorum, eſt locus animæ. Anima eſt tinctura à corporibus perfectis extracta, & in ſpiritum, id eſt, in aquam Philoſophorum derivata.

VILLANOVANUS.

Hæc eſt via qua ſecretum conſequimur conficiendi ſulphuris albi & rubei, quod eſt anima corporis, quæ à corpore educta, tingendi vim habet, quam ſpiritui aquæ vitæ committit conſervandam.

SCALA.

A radice convenit extrahere naturam, id eſt, primas partes eſſentiales, ſine quibus nulla fit metallorum transmutatio.

VILLANOVANUS.

Intentio noſtræ operationis non eſt aliud, niſi quod eliciatur, & eligatur puriſſima ſubſtantia ex ſole & luna.

CLANGOR.

Extrahe argentum vivum, ſeu lapidem philoſophicum tam à corporibus, quam à vivo argento: quoniam unius ſunt naturæ, & habebis Mercurium & ſulphur, de illa materia ſuper terram, de qua aurum & argentum generata ſunt in terra.

COMMUNIS SENTENTIA.

Mercurius Philoſophorum conſtat argento vivo & *ſulphure.*

BERNARDUS.

Sol nihil aliud eſt, quam ſulphur & argentum vivum. Terram, inquit, & aquam Mercurio attribuunt, aerem & ignem ſulphuri. Terra & aqua ſunt elementa paſſiva, aer & ignis activa. Terra & aqua feminæ rationem habent, aer & ignis viri, nec eſt alia extranea ad-

nea additio, niſi digeſtio, qua mediante, omnia quatuor in auro circundantur, & æquali proportione maturantur.

COMMUNIS SENTENTIA.

Corruptio unius eſt generatio alterius, idque tam in artificialibus, quam in naturalibus. Aliter: Secundum naturam nihil generatur, quod prius non corrumpatur, & nihil reſurgit, quod præmortuum non ſit.

BERNARDUS.

Si aurum in argento vivo decoquatur, ſeu diſſolvatur debito modo & via naturali, ipſum argentum vivum naturales propietates auri obtinebit. Idem: Solutio quæ fit per aquam Philoſophorum, formam quidem corrumpit exteriorem corporum ſolutorum, at non corrumpit materiam.

VILLANOVANUS.

Quod diſſolvit corpus à ſpiritu eſt, quod verò coagulat ſpiritum à corpore eſt. Alibi: Spiritus diſſolvit, corpus coagulat. Idem, Quantum corpus ſolvitur, tantum ſpiritus coagulatur. Quod ſi corpus non ſolveretur, neque ſpiritus inſpiſſaretur. Alibi: Quod à corpore ſoluto exit, humiditas eſt radioſa, quod diſſolvit corpus, de ſpiritu prodit, & virtus ejus eſt germinoſa. Idem alibi: Solutio corporis fit cum coagulatione ſpiritus, & coagulatio ſpiritus cum ſolutione corporis. Tunc miſcetur corpus cum ſpiritu, & fit unum cum eo, nec unquam ſeparantur, non magis quam aqua mixta aquæ.

CLANGOR.

Quando ſperma Mercurij jungitur cum terra corporis, corpus diſſolvitur in aquam ſpermatis, & fit aqua una ſine diviſione.

VILLANOVANUS.

Intellige autem corporis ſolutionem, & ſpiritus coagulationem, ſimul eodemque tempore fieri.

ROSARIUS EX CALIDE.

Solutio corporis, & coagulatio ſpiritus ſunt duo, ſed habent unam operationem. Quia ſpiritus non coagulatur niſi cum ſolutione corporis, nec corpus ſolvitur, niſi cum coagulatione ſpiritus. Ideo inter ſolutionem corporis & coagulationem ſpiritus non eſt differentia, nec diverſum opus in aliquo; ita ut fiat unum ſine alio. Quemadmodum videmus fieri, cum aqua vulgaris terram conatur ſubtiliorem efficere, & in ſuam materiam ſolvere: eodem enim tempore aqua denſior & ſpiſſior fit, terra autem ſubtilior & rarior.

LULLIUS.

Multi Philoſophorum in aqua forti communi, facta ex vitriolo & ſale nitro, corpora metallorum diſſolvebant, & per evaporationem trahebant aquam illam, tunc calx in fundo vaſis remanebat,

bat, quam poſtea cum aqua dulci communi abluebant: deinde aquam illam per evaporationem tollebant, & calcem cum menſtruo diſſolvebant, ut opera ſua conficerent, quæ ſecundum quod competebat, finem non conſequebantur optatum. Diſſolutio enim quæ fit cum aqua forti, non eſt ſicut natura poſtulat. *Idem* alibi ſic: Aurum & argentum ſolvuntur in rebus radicalibus ſui generis, non autem cum fortibus aquis, quæ metalla corrumpunt: quoniam illæ aquæ repugnant naturæ.

ROGERIUS.

Metallis nihil adhæret, neque eis conjungitur, neque transmutat, niſi quod ex illis eſt.

BERNARDUS.

Fatui ex mineralibus conficiunt aquas per diſſolutionem corroſivas, in quas mittunt ſpecies metallorum, & corrodunt, & non ſolvunt ſolutione naturali, quæ requirit permanentiam amborum, nempe ſolventis & ſoluti.

IDEM.

Nulla aqua naturali reductione ſpeciem metallicam diſſolvit, niſi illa quæ permanet cum ſpecie metalli in materia & forma, & quam metalla ipſa poſſunt recongelare. Quod non eſt in aquis fortibus ad ſoluta corpora non pertinentibus. Corpora quidem per aquas fortes corroduntur, ſed non ſolvuntur. At quantò magis corroduntur, tantò magis à metallica ſpecie alienantur.

VILLANOVANUS.

Per ſolutionem corpus cum ſpiritu miſcetur, & cum eo unum fit, ita ut alterum ab altero nunquam ſeparetur.

CLANGOR.

Corpus diſſolvitur in aquam ſpermatis, & inde aqua fit una ſine diviſione.

PHILOSOPHUS.

Melior eſt ſolutio voluntaria quam violenta, & temperata quam feſtina: & ideo cavendum eſt, ne vis formæ generativa cum corroſivis & adurentibus ſuffocetur.

ROSARIUS.

In noſtro lapide ſol & luna vivi ſunt, alioſque ſoles & lunas ex ſe gignere poſſunt. Aliud aurum ad hoc, & alia luna mortua ſunt: remanſit enim vis & potentia eorum in ſolutione facta per noſtram aquam. Alia aqua ea perdidiſſet, ac ſterilia reddidiſſet.

VILLANOVANUS.

Solutio tantum fit per argentum vivum: ipſum enim *ſolum* poteſt ſolem & lunam ad primam materiam redigere. *Idem*: Totum beneficium hujus artis in Mercurio, ſole & luna conſiſtit.

ARISTOTELES.

Si nihil aliud haberemus à Mercurio, quam quod corpora ſubti-

ſubtiliat ad naturam ſuam, non parvum nobis præſtaret beneficium.

GEBER.

Omnis ſolutionis perfectio, adducitur cum aquis ſubtilibus, & maximè acutis, acribus, ponticibus, & fecem nullam habentibus, ſicut eſt acetum deſtillatum, uva acerba, pyra multæ acritudinis, mala granata deſtillata, & his ſimilia.

VILLANOVANUS.

Corporis ſoluti, & aquæ ſolventis natura una eſt, niſi quod natura corporis completa eſt, digeſta, & fixa: aquæ autem natura, incompleta, indigeſta, & volatilis.

REGOR.

Argentum vivum eſt ignis corpora comburens, mortificans & confringens.

ROSINUS.

Aqua tantò eſt igne calidior, quantò ignis eſt calidior aqua.

ROSARIUS.

Aqua noſtra eſt fortior igne, quia facit de corpore auri merum ſpiritum, quod ignis facere non poteſt. Idem: Spiritus eſt totus igneus per ſuam igneitatem ſolvens, & dividens corpora.

TURBA.

Comburite æs noſtrum igne fortiſſimo.

CALIDIUS.

Minor ignis omnia terit: minus enim operatur, quam aqua noſtra, quæ corpus ſolvit, quod ignis facere nequit.

LULLIUS.

Sciri poteſt materiam primam noſtri lapidis eſſe ex natura Mercurij vivi, & ſulphuris: quoniam ipſa non poteſt in igne corrumpi, nec in aqua, nec in aëre.

ROSARIUS.

Aliqui dixerunt, quod argentum vivum vulgi adhæret corporibus, quod eſt falſum. Quod enim Geber ait: Non invenimus inventione noſtra rem aliam magis, quam argentum vivum amicari corporum naturis. Hoc totum intelligendum eſt de argento vivo philoſophico. Ipſum enim ſolum adhæret corporibus, nec ullam aliam rem invenire potuerunt Philoſophi antiqui, nec moderni invenient aliam rem, quæ corporibus adhæreat, niſi argentum vivum philoſophicum: quia argentum vivum vulgare non adhæret corporibus: Et propter hoc multi ſunt decepti operando in illo argento vivo vulgi.

LULLIUS.

Qui cum forti aqua diſſolvunt, ignorant vegetabilia noſtrum menſtruum acuentia: ignorant etiam aquam Mercurij vulgi, quam nos ſcripſimus in Teſtamento noſtro.

VILLANOVANUS.

Ut natura mutet naturam & convertat, tantum eo indiget, quod ſuæ eſt naturæ. Item quod ſolvit & ſolvitur, unius ſunt generis & naturæ. Idem: Vera non eſt, neque philoſophica corporis ſolutio, neque ſpiritus coagulatio, ſi in diſſolutione erit materia, & natura extranea.

DASTINUS.

Oportet ut elementa aquæ ſint ejusdem naturæ cum elementis metalli transmutandi, alioqui degener ſoboles erit: quoniam ex diverſitate partium naſcitur & totius diverſitas. Quomodo ſimilitudo ex eis eſt, quæ ex uno genere ſunt, & ex una radice pullulant.

ROSARIUS.

Lapis Philoſophorum fit ex tribus: ſcilict ſole, luna, & Mercurio. Item: Fac Mercurium ex ſole & luna in ſuo eſſe, ſine Mercurio vulgi, ſed per viam philoſophicam.

LULLIUS.

Lapis componitur ex argento vivo metallorum, non ex argento vivo vulgi.

NOVUM LUMEN.

Argentum vivum noſtrum non eſt argentum in propria natura, nec adhuc in natura ad quam deductum eſt per mineram, ſed natura ad quam deduxit illud artificium noſtrum.

RICHARDUS.

Mercurius crudus diſponit corpora in primam materiam, ſed Mercurius corporum id facere non poteſt. Idem: Quia per congelationem illud crudum ſulphur, quod antea, (id eſt, ante congelationem) in illo fuit, eſt alteratum in natura, & ideo non corrodit ſicut primum.

PHILOSOPHI IN GENERE.

Ab immundo ne quæras munditiem. Stultum eſt ex re quærere, quod in ea nunquam fuit. Quis dabit quod non habet? Quæ eſt illa inſania, velle ex deteriore facere, quod ſit melius: hoc eſt, perfecta facere ex imperfectis?

LULLIUS.

Cœlum, lunaria, menſtruum, liquor vegetabilis, aqua argenti vivi rectificata & acuata cum vegetabilibus, eſt cum qua fit diſſolutio metallorum naturalis.

VILLANOVANUS.

Aquæ ſolutionis ex ſalibus, aluminibus, & aliis id genus confectæ, quæ cum metallis nullam habent cognationem, ſpecies metallorum non conſervant: contra, deſtruunt ac diſſipant. His aquis contra eſt aqua Philoſophorum, quæ metalla conſervat, ſubtiliora reddit, deinde diſſolvit, & magno naturæ conſenſu ea in primam transfert materiam.

TUR-

TURBA.

Accipite ſpiritum nigrum non urentem, & cum eo corpora ſolvite, & dividite.

CLANGOR.

In aqua Philoſophorum latet ſpiritus quintæ eſſentiæ, cujus ſolius eſt magiſtraliter corrumpere, & in ſuam primam materiam transformare.

ROSARIUS.

Succus lunariæ fit ex vino noſtro, quod paucis filiis noſtris notum eſt, & cum illo fit ſolutio noſtra, & fit aurum potabile noſtrum, mediante illo, & ſine illo nequaquam.

LULLIUS.

Menſtruum abſque auro & argento, lapidem philoſophicum generare non poteſt nec econtra. Ubi autem illa conjunguntur, menſtruum movet metalla ad diſſolutionem. Et viciſſim metalla movent menſtruum ad producendum ignem in lapidibus.

CLANGOR.

Si corporis imperfecti, ſcilicet terræ fuerit una libra duodecim unciarum, fixatur cum imbibitionibus ſuis nonaginta diebus.

LULLIUS.

In ſingulari aqua de corpore rubeo præparato, id eſt, de terra noſtra rubea præparata, & in tenues laminas coaptata, vel in pulverem limaturæ redacta, pone duas drachmas, id eſt, quartam partem unius unciæ. Quod ſi plus ſolvere poteris plus apponas, veruntamen non excedas unciam unam. Si de terra remanſerit aquid non ſolutum, relinque in vitro: quod autem ſolutum eſt, ſepone: poſtea quæ terra non ſoluta reſtitit, cum nova ſolvenda ponatur. De nova autem terra non ponas duas drachmas, ſed minus, nempe quantum relicta terra ponderat. Quod intellige, niſi perſpexeris aquam plus ſolvere poſſe.

GEBER

Modus ſolutionis duplex eſt: ſcilicet per fimum calidum, & per ferventem aquam: quorum una eſt intentio, & unus effectus. Modus ergo per fimum eſt, ut ponatur calcinatum in ampullam vitream, & ſuper illud fundatur quantitas aceti deſtillati, vel conſimilis duplum ejus, & obturetur caput ipſius benè, ne ſpiret, & ſub fimo tepido ſolvi dimittatur: poſtea per deſtillationem filtri ſolutum removeatur: non ſolutum verò iterato calcinetur, & poſt calcinationem iterato ſimiliter ſolvatur, donec per iterationem operis ſuper illud, totum ſolvatur. Modus verò ſolutionis, quæ fit per aquam bullientem velocior eſt, & eſt ut calcinatum in ampullam ordinetur cum aceto obturato foramine, ne reſpiret. Quæ ampulla in caldario pleno aqua & ſtramine ſepeliatur, & poſtea ſuccendatur ignis ſub ea, donec aqua per horam ferveat. Poſt

verò

hoc verò ſolutum deſtilletur,& ſeorſim ſervetur,non ſolutum verò iterato calcinetur, & iterato eodem ordine ſolvatur,donec per reiterationem totum ſolvatur.

SEMITA SEMITÆ.

Accipe pretij libram unam,cum quatuor libris aquæ: tere & incorpora cum ſale modico,& aceto,quouſque fiat totum amalgama, Pretio optimè amalgamato,pone ipſum in multam quantitatem aquæ vitæ,id eſt,Mercurij. Pone ſuper cineres & ſit ignis lentiſſimus per diem naturalem. Sine vas infrigidari, & cola aquam per pannum lineum, ut transeat quod de corpore fuerit reſolutum. Quod remanſit in panno, cum nova aqua benedicta repone ad ignem per diem naturalem, cola ut prius. Toties reitera,donec totum corpus in aquam convertatur.

VILLANOVANUS.

Tere libram unam limaturæ mundæ in mortario, cum quatuor libris Mercurij. Illi libræ duodecim libras aquæ vitæ dato. Pone totum in urinali, & ſuper ignem cinerum debilem & lentum,& per diem coque. Frigefacto vaſe,aqua coletur, ut cum ea transeat,quod de corpore & limatura ſolutum erit, eam aquam ſepone. Et quod ſolutum non eſt, cum nova aqua benedicta ad ignem repone per diem & noctem. Cola ut prius quod eſt ſolutum,& hanc ſecundam aquam pone cum prima. Ita fac, donec tota limatura in aquam,id eſt,in primam materiam converſa ſit.

LULLIUS *in luce Mercuriorum*

Recipe unciam unam ſolis puriſſimi, pone unciam illam in vitreo vaſe,& ſuperpone unciam unam cœleſtis menſtrui, vel duas, ad plus,& immediatè claude vas,ne reſpiret, pone vas in igne cinerum per diem naturalem ad leniter bulliendum. Menſtruum diſſolvendo ſolem colorabitur,colore citrino reſplendente, poſtea ſoluto ſole, pone in balneo Mariæ per ålium diem naturalem. Poſtea per tranſitum de uno vaſe in aliud vas,menſtruum ſic coloratum in alio vaſe repone, & vaſe ſigillato ad partem ſerva. Deinde ſuper ſolem qui remanſit inſolutus in fundo vaſis, pone de alio novo menſtruo,ut ſupra diximus. Et demum clauſo vaſe, pone in igne cinerum per alium diem. Deinde extrahe ſolutum per tranſitum,ut ſupra in alio vaſe cum alio ſole ſoluto. Et ſic cum novo menſtruo reitera ſolutionem prædictam, donec menſtruum amplius coloretur,& in fundo vaſis manebit de terra ſolis abſque anima. Idem: Accipe calcem cujuscunque corporis volueris,pone in ampulla,quæ habeat longum collum. Superfunde aquã lunariam,ut ſupernatet quatuor digitis. Pone ſuper cineres, ubi bulliat per diem naturalẽ. Deinde pone in fimo per duos dies naturales,ut melius digeratur, & ut materia ſeparetur per partes ſubtiles à groſſitie ſua. Poſt extrahe ampullam. Recipe aquam

illam

llam claram in una cucurbita,& cave ne feces turbentur,dum vas nclinatur. Mox cooperi cucurbitam, & pone in fimo ut prius. Vaſe autem benè obturato, & facta evacuatione, ſuperfunde aiam aquam ſimilem primæ, quæ ſupernatet ut prius, & pone in fimo. Iſtas operationes reiterabis, donec corpus à ſuis ſpiritibus evacuetur. Idem: Accipe aurum,& projice ipſum in aquam vegetabilem. Sit aurum ad pondus aquæ vegetabilis, pone illud totum in digeſtione balnei per ſex dies naturales,& aurum diſſolvetur in aquam,in colore croci. Poſtea verò deſtilla menſtruum in deſtillatione balnei. Poſtea ſuperpone aliam lunariam recentem,& pone iterum in digeſtione balnei alios ſex dies naturales. Et tunc extrahe & mitte aliud,quod ſolutum eſt, in aliam ampullam,& ſuper aliud,quod remanſit finitis ſolutionibus, & deſtillationibus,iterum de menſtruo ſuppone ad quantitatem terræ, & pone in digeſtione balnei per quatuor dies naturales. Et illud quod ſolutum eſt de metallo,ſimul cum menſtruo pone in cucurbitam ut prius,& ſic fac usque ad ſex inhumationes & deſtillationes,& illud quod remanſit finitis deſtillationibus de fecibus non cures.

GEBER.

Non ſolutum iterato calcinatur, & poſt calcinationem iterato ſolvitur.

COMES.

Opus diſſolutionis grave eſt, & difficile: expedit autem corpora ſolvere per aquam ſolam: id eſt,per argentum vivum ſine calcinatione: quoniam iſtud eſt ſecurius, licet in operatione ſit tardius,tincturam igitur non feſtines extrahere. Feſtinatio omnia comburit,& ad remotum perducit.Potenter ſuſtine,coque,& non te tædeat.

ALPHIDIUS.

Multitudo & diverſitas relinquenda, uua diſpoſitio quærenda.

LULLIUS.

Terra rubea ubi purificata & mundata fuerit,& in tenues laminas coaptata, ponenda eſt in aquam, ibi non ſolvetur primò in aquam,ſed tantum calcinabitur,& in pulverem rubeum quodammodo ſine tactu reducetur. Idem, terram eam deſicca ſecundum ſuum modum, ita quod pulvis ſuper eam non cadat,donec aliam aquam attuleris,in qua poſſit diſſolvi.

SCALA.

Sol & luna cum prima aqua calcinantur philoſophicè, ut corpora aperiantur, & fiant ſpongioſa & ſubtilia, ut aqua ſecunda melius poſſit ingredi ad operandum ſuum opus.

ALBERTUS.

Mercurius noſter fit ex corporibus perfectis, & non ex imperfectis:

fectis: hoc eſt, cum aqua ſecunda, poſtquam per primam aquam fuerint debitè calcinata.

ROSARIUS.

Fixum fit volatile ſpatio unius menſis.

CLANGOR.

In diſſolutione facienda, terra toties terenda, id eſt, in igne continenda, & aqua eſt illi adjungenda, donec apertè videas nihil amplius ſupereſſe, quod diſſolvi queat.

ROSARIUS.

In ſolutione corporis, ſi plus erit de non fixo, id eſt, de ſpiritu, ſolutio erit celerior, quam ſi plus erit de fixo, id eſt, de corpore, ſi contra, tardior erit ſolutio: quare volenti citò ſolvere multa opus eſt aqua. Idem: Neceſſe eſt autem, ut plus ſit de volatili, quam de fixo, à duplo uſque ad quintuplum, ſextuplum, vel uſque ad decuplum, & non ultra.

COMES.

In diſſolvendis corporibus, vide ne corpus album cum rubeo, nec rubeum cum albo miſceatur, ſed utrumque ſeorſum diſſolvatur, neque aquam unius cum aqua alterius confundas.

LULLIUS *in magia naturali*.

Si tibi aqua defecerit, ſume cucurbitam, in qua ſunt omnes liquefactiones, & ſuperpone alembicum. Deſtilla aquam leni igne, ſcilicet per balneum, in tantum quod habeas duas partes liquefactionis. De iſta aqua pone ſuper materiam corporis, quæ eſt in ampulla, in qua cœpit ſolutio fieri, uſque ad quantitatem priſtinam. Et ſic iterabis, donec tota terra ſit evacuata.

REGOR.

Caveatur ne acetum in fumum convertatur, & pereat.

ROSINUS.

Caveas tibi ne tantum fumoſitate pereat.

LULLIUS *in Repertorio*.

Solutiones aquæ ſunt in balneo, vel in fimo collocandæ: unde quod deſtillari poterit levi calore educatur. Vaſa deſtillatoria ſunt arcte connectenda, ut ne quid foras exhalet. De tribus aquæ partibus, duæ tantum ſunt per deſtillationem evocandæ, aqua ſolis & lunæ ſejunctim ſunt excipiendæ. Vitreum vas ex lapide potius quam ex ſilice conflandum eſt: ſcilicet, ne mordacitate & acrimonia aquæ corrodatur. Et ne ſpiritus evaneſcant, ea vaſa fideliter ſunt obturanda. Deinde iſtiuſmodi aqua virtute & bonitate præſtantior eſt, quam antea.

SCALA.

Qui non ſolvit & coagulat, multipliciter errat: Congelatio eſt rei mollis induratio, humoris occultatio, & diverſorum colligatio.

Clan-

CLANGOR.

Diſſolvere eſt corpus in naturam ſpiritus convertere. Coagu- eſt ſpiritum efficere corporalem. Solutio facit corpus fixum atile. Coagulatio contra, facit corpus volatile fixum. Idem: ritus, id eſt, aqua non coagulatur, niſi mediante corpore, quod a ſit diſſolutum. Corpora enim ſunt velut coagulum hujus la- , id eſt, Mercurij. Coagulum autem eſt, vel ſol, vel luna, in Mer- io ſoluta.

MENABDES.

Jubeo poſteros facere corpora non corporea, & incorporea pora: illud per diſſolutionem, hoc per ſuavem fit decoctionem.

AVICENNA.

Sales ſunt radices operis. Idem. Salia cujuſcunque generis : noſtræ arti ſunt contraria, demto ſale noſtræ lunariæ, quod lu- ia noſtra reliquit ex corporibus ſolutis.

GEBER.

Non egemus niſi uno vaſe, una fornace, unaque diſpoſitione. uod intellige poſt præparationem primi lapidis.

COMES.

Ubi aquam magno ingenio, & ſubtili ſagacitate tuæ mentis aporaveris, cape tuum ſalem ita calcinatum, & pulverem ſubti- ſimum, atque impalpabilem, & ſepone mundo in vaſe vitreo, que quo oporteat eum operi adjungere.

ROSARIUS.

Tres ſunt lapides, tres ſales ſunt, ex quibus totum magiſterium nſiſtit.

Triplex eſt lapidis materia, aurum, argentum, & aqua philoſo- ica.

Tres aquæ, ſolaris, lunaris, & Mercurialis: quæ poſtrema cor- ora ſolis & lunæ, in ſuas aquas reſolvit.

Triplex eſt Mercurius Philoſophorum, primus calcinans cor- ora, ſecundus ſolvens, ac ſublimans, tertius his duobus con- nctus.

CLANGOR BUCCINÆ.

Duplex eſt argentum vivum, & nomina materiæ primæ multa. rius dicitur præparans, quod corpus diſſolvit per aquam Philo- ophorum. Alterum eſt tingens, quod à corporibus perfectis ex- ahitur per diſſolutionem: & tale argentum vivum dicitur oleum combuſtibile, anima, aer, & ſplendor corporum, quia corporibus etallicis mortuis imperfectis vitam præſtat incorruptibilem, & a illuminat.

GEBER.

Principalia in opere naturalia, ſunt ſpiritus fœteus, vel ſulphur, aqua viva.

CLAN-

CLANGOR.

Spiritus eſt aqua Philoſophorum, animæ locus. Anima eſt tinctura à corporibus perfectis tracta. Aqua Philoſophorum duplex eſt, ſolaris & lunaris, ex quarum conjunctione fit Mercurius Philoſophicus, & lac virginis, ex quo lapis albus & rubeus.

TREVISANUS.

Taceant omnes quotquot affirmant aliam tincturam, quam noſtram, eſſe alicujus momenti, tum qui aliud ſulphur prædicant, quam noſtrum, quod occultum eſt in magneſia. Item omnes qui aliud argentum vivum extrahere conantur, quam ex ſervo rubeo, & aliam aquam quam noſtram, quæ permanens eſt, & nullo modo ſe conjungit alteri, quam ſuæ naturæ, & nihil humectat aliud, prẹter id quod eſt unionis ſuæ propriæ naturæ. Non eſt enim aliud acetum, quam noſtrum, nulli colores, nullum regimen, operationes nullæ.

SCOTUS.

Argentum vivum coagulatum, & argentum vivum ſulphureum, ſunt prima materia metallorum.

COLLECTANEA QUÆDAM EX ANTIQUIS SCRIPTORIBUS.

CErtiſſimum eſt rem nullam extraneam poſſe metalla imperfecta perficere, vel aliquam ex eis facere transmutationem. Quapropter inſanorum eſt hominum opinio, animalia & vegetabilia in hac arte aliquid efficere poſſe, cum reperiantur mineralia metallis propinqua. Philoſophos tamen in illis artem poſuiſſe credendum eſt, per ſimilitudinem duntaxat. Nam ex duobus tantum, ſulphure videlicet, ac argento vivo, metalla quævis oriuntur, & non ex aliis. Nihil etiam eis adhæret, nec ea transmutat, niſi quod ex eis originem duxit. Conſtat igitur non niſi duo, quæ dicta ſunt, eſſe neceſſaria ad conſtruendum lapidem. Verum tamen ex altero disjunctim nullum generari metallum poteſt, ſed ex amborum conjunctione, diverſo modo præparatorum, metalla diverſa generantur. Hoc vero in primis occultiſſimum eſt, ex qua re minerali fieri debeat propinquius. Si ex vegetabilibus, oportebit ex his prius fieri per artem ſulphur & argentum vivum, quod impoſſibile fuerit: excuſamur igitur in iſtis, quia natura nobis illa duo præparat. Sed ſi eligamus argentum vivum & ſulphur in ſua natura, quemadmodum creata ſunt naturaliter, oporteb[illegible] illa conjungi proportione, quam ignorat omne humanum ingenium, excuſamur ergo & ab iſtis, maxime cum habeamus corpora, in quibus à natura debito modo proportionata repe[illegible]: in quo totum ſecretum latet. Aurum eſt corpus perfectum maſculinum, & argentum eſt etiam perfectum, quæ ſi ſola fuſione, & cum aliis imperfectis mixtione, hæc perficerent, eſſent elixira,

unum ad album alterum ad rubeum, at non ſunt ejusmodi, quia ſimpliciter à natura perfecta ſunt. Si tamen plusquam perfecta decuplo vel centuplo forent, tanto perficerent imperfecta. Verum quia natura ſimpliciter in eis operatur ſimplicem perfectionem, in ea manent ſemper, ni forte per artem reducerentur ad primam naturam ſulphuris, & argenti vivi. Cum ergo perfecta corpora naturalia conſtent ex argento vivo mundiſſimo, & ſimili ſulphure, quare non eligeremus illa pro materia noſtra ad elixir album & rubeum? Reſponſio: Quia iſta corpora ſunt adeo compacta, & fortiter unita, ut vix inveniamus ignem in illis quicquam agere valentem, nec in ipſorum ſpiritus. Et quamquam ignem non ignoramus, per hunc tamen ad intimam ſui mundificationem pervenire non poſſemus, ob fortiſſimam compoſitionem naturalem. Quamobrem excuſamur etiam ab iſtorum duorum corporum electione, cum invenire poſſimus alia corpora, in quibus argentum vivum mundum, & ſimile habetur, in quæ natura paululum operata eſt, adeo ut igne noſtro artificiali ad congruam ipſorum mundificationem, ſeparationem, fixationem, ingenioſa noſtri operis decoctione ſuper ea continuata, valemus pervenire. Eligenda eſt ergo materia, in qua reperitur argentum vivum mundum, purum, clarum, album, nondum ad complementum adductum, ſed commixtum æqualiter & proportionaliter, cum tali ſulphure albo, vel rubeo coadunatum, ut ingenio noſtro naturali, & noſtro igne artificiali, ad intimam ipſorum mundificationem, & completam puritatem devenire queamus, & opere hoc abſoluto millies ſint perfectiora & fortiora quam corpora, in quibus natura eſt ſimpliciter operata. Ex his quæ dicta ſunt, modo ſis ingenioſus, guſtabis hoc delectabile nectar, ſuper quod intentio Philoſophorum eſt fundata. Cum igitur materiam in ſupradictis manifeſtatam, oporteat artificiali noſtro labore plusquam perfectam reddere, modus non ignorandus, at à natura diſcendus. Hæc metalla perficit operatione frequenti & continua, inſtrumento ſolo caloris, qui montibus ineſt mineralium, ut craſſities aquæ tantisper decoquatur & inſpiſſetur, quo ſuo tandem temporis curriculo circulove transeat in argentum vivum. Item ex pinguedine terræ per eandem continuam decoctionem & calorem generatur ſulphur. Hoc ipſo continuato calore ſuper iſta duo ſimul unita, juxta puritatatem vel impuritatem ipſorum generantur perfecta, vel imperfecta metalla. Quæ nam dementia tenet operantum animos in hac arte, ut alia via quam ipſa natura procedere velint: iſtam redarguere, vel ſuperare conantes, quam vix ulla poſſunt induſtria imitari. Deus per ipſam nobis viam rectam demonſtrat, ut puta ſimplicem & continuam decoctionem igne lento factam. Et quamvis ſemper loquamur de lento igne,

nihilominus in operis hujus regimine paulatim augendus eſt. Eſt itaq; lapis unus, una materia, & medicina una, in qua totum conſiſtit magiſterium, cui nullam rem extraneam addimus, nec etiam ipſam imminuimus, ſed in præparatione ſuperflua removemus: & hoc fit in purificatione, quæ per ſolutionem perficitur. Sublimationem noſtram cum facere volumus lapidis, ipſum cum tota ſubſtantia ponimus in vas noſtrum, cujus orificium firmiter occludimus, ne reſpirare poſſit, & in furnum ponimus inter cineres: ignem tandem excitamus tam diu, donec tota materia ſolvatur, in aquam Mercurialem. Poſtmodum rege per lentum ignem, idque tantiſper, donec major pars in pulverem nigrum vertatur. Ad hunc modum completæ ſunt omnes iſtæ quæ ſequuntur operationes: ſcilicet Solutio, Deſtillatio, Deſcenſio, Ablutio, & Calcinatio. Philoſophi de qualibet peculiare capitulum poſuerunt, ut occultarent artem. Cum enim lapis noſter eſt in vaſe noſtro, & materia noſtra ſentit ſolem noſtrum, mox in aquam reſolvitur, quæ aſcendit in cælum, id eſt, in altum ad cacumen vaſis, & poſtea deſcendit in terram, vel fundum. Item videntes talem aquam inſpiſſari, & ad terram converti nigram, quæ ſpiſſa ſtabat in principio ſuper aquam, ac ſinendo paulatim inſpiſſari, videbant, terram ſub aqua mergi, & in fundo vaſis reſidere nigram & fæculentam, dixerunt eam eſſe putrefactionis operationem. Videntes etiam terram croceam, ſubnigram, & fæculentam ſtantem ſub aqua longo temporis ſpatio, in ſole noſtro amittere colorē nigrum & fœtorem malum, eorum nonnulli vocaverunt eam operationem, Ablutionem, Cerationem, de qua Morienus ait: Scitote totum hoc magiſterium nihil aliud eſſe, præter extractionem aquæ à terra, & iterum ipſius aquæ in terram reductionem, donec ipſa terra putreſcat per ſuam aquam & mundificetur: quæ poſtquam mundificata fuerit auxilio divinitatis, totum magiſterium dirigetur. Philoſophus dicit, terra ceratur & imbibitur per aquam, & per temperatam decoctionem ſolis exiccatur, & in terram vertitur tota materia, ſi quis perfecte noverit operationem exequi. Hermes enim ait: Vis ejus integra eſt, ſi verſa fuerit in terram. Videntes itaque totam materiam in terram verti, & reduci in ſolidam ſubſtantiam, quæ non fluebat, ſed in ſe conſtricta ſtabat, dixerunt eſſe perfectam congelationem. Inde Plato: Solvite (inquit) lapidem noſtrum, & poſtea congelate, id eſt, in terram vertite magna cum cautela, ſic habebitis totum magiſterium. Quod nihil aliud eſt, quam rectam facere ſolutionem, & perfectam congelationem, ut omnes Philoſophi dicunt. Ut igitur metalla permutentur, oportet neceſſario illa reduci ad ſui primam materiam generi metallico proximam id eſt, in gummam fluentem. Tum demum ejuſmodi materia prima, aptitudine ſua innata, virtutibusque

ſque diſponentibus, facile recipit veram ſpeciem illius metalli, quo intenditur philoſophice: videlicet cum natura fermenti i, cui jam dicta materia adhæret in profundo inſeparabiliter: ſed it, quod non facit argentum vivum commune crudum. Quinque vero ante hujus reductionem in materiam primam albiant, vel citrinant, manente ſpecie prioris metalli in materia n conjuncta vaporabiliter, & non cum materia fermenti fixi gummam inſeparabiliter permixtam deceptores ſunt, quia ven aurum non faciunt, nec verum argentum. Ut igitur quodlit corpus transmutabile in quamcunque ſpeciem transmutetur, primam reduci materiam neceſſum eſt, cum ratione materiæ ſſibilis ſit transmutatio: ut ait Ariſtoteles 4. Meteor. de Geneione & corruptione, & Phyſicorum: Omne corpus poſſibi- per operationes ſuæ naturæ contrarias reducitur ad ſuam maiam primam, ſcilicet per corruptionem ſuæ formæ, quia omnis ntraria operatio eſt ejus corruptio, & corruptio eſt generatio mæ materiæ. Demetrius demonſtrans modum purificationis, putrefactionis utriusque, ſcilicet corporis & ſpiritus, ante ipſon perfectam mixtionem, inquit: Nunquam autem ex illo, ſcilit ſpiritu, habetur perfectio, quousque mixtione perfecta duxecorpus ſuum, quod eſt frater ſuus, ad ſpiritualitatem ſecum, ut bo ſint unum facta ſine ſeparatione in æternum. Magiſterium go diſſolutionis diſponit materiam lapidis, ut poſſit per ſe diviin quatuor elementa, ex quibus primo fuit compoſitus. Alioin elementa perpetuarent in genere, niſi vaporabiliter miſceatur, nec proportionata compoſitio, nec debitum pondus inducetur, ut decet, neque perfectio, quæ inpreſſionis & retentionis medium ultimum. Ad hunc modum perfectus lapis purgat, & at hominem ab omni ægritudine, ut innovetur tanquam à ma-. Nam excitat motum in corporibus, & vivificat elementa: ſiidem elementa vivificantur, cum in actum ſuum excitantur. m vita naturalis nihil aliud eſt, quam actus elementorum, poſt em lapis non patitur diſſipationem, aut ſeparationem, ob iniſibilem ſui compoſitionem: unde habet quo ſenium retardet vitam ſuam, quam infundit humano corpori, non ſecus atque tallis, annos adaugens mediante gratia Dei, ultra propriam, & ivam proportionem, actumque naturaliter ſuſceptum, vin producit. Attamen ejusmodi effectus non poſſunt alicui elentorum attribui, ſed ſolummodo virtuti cæli, quæ eſt in ipſo ide. Et virtute cæli, lapis ad ſpeciem deductus eſt. Licet igitur oprietas naturaliter adveniat lapidi ex impreſſione cæleſti: taen id quod diſponit lapidem ad ſuſceptionem iſtius impreſſio-, poteſt eſſe latitudo mixtionis, vel complexionis, quæ conveſpeciei. Ergo tota vita lapidis, totumque magiſterium in vapo-

re conſiſtit,& in ſubtiliatione aquæ ſuæ reſpirando ad aerem. Et lapidis vita fulgor eſt,& claritas metalli,in ſubtilitate aerea, atque fixa fuſibili cum ignitione. Ex prædictis itaque ſequitur argentum vivum noſtrum nullatenus fixari poſſe ad utilitatem, niſi propriis naturalibus inſtrumentis (quæ ſunt calidum & frigidum) & locis aut retinaculis ſicci terrei alligetur,& retineatur. Et quia nec ipſa inſtrumenta,nec retinacula poſſidere valemus, niſi per virtutem ſeparationis ipſiusmet naturæ in partes primas, videlicet elementares naturas. Ideo recta coagulatio fieri non poteſt,niſi prius facta ſeparatione poſt debitam aptitudinem ſubtiliationis & putrefactionis. Cauſa ergo univerſalis conjunctionis, eſt ſeparatio poſt putrefactionem,& debitam attenuationem corporis cum ſpiritu,quia ſic unita debite conjunguntur. Separatio vero poſt putrefactionem nihil aliud eſt,quam reductio rei, à ſua mutatæ natura iterum ad eandem. Cum igitur per mortificationem, & putrefactionem natura fuerit mutata à ſua ſpecie metalli viva, in aliam ſpeciem mortuam, ſcilicet in ſubſtantiam terream, oportet eam iterum ad eandem ſpeciem vivam redigi metallico generi proximam: quod fit per ſeparationem ipſam à mortuis reſurgere facientem: & tunc propter uniformitatem naturarum inſimul conjunguntur,& adhærentia forti conglutinabuntur. Et hæc eſt forma ſpecialis noſtræ diſſolutionis: & hic eſt modus, quo naturæ gremium revelatur,tunicam ejus ſublevando, & quod ſub ipſa latet manifeſtando. Cavendum tamen ne ultra medietatem ejus tunicæ ſublevetur,quo humiditas operetur in pauciori ſicco, & quod elevatum fuerit,imprimatur,& candor elevati fumi in intimis rerum cavernis iterum occultetur, ita humidum cum retinaculo ſicci terrei adjungatur, coaguletur, & retineatur. Quo ut res deveniat,operationem ejus iterare minime te pigeat, ſcilicet ſpiritum reprimendo,ejusque candorem tam diu occultando, & iterum manifeſtando, quousque perveniat ad illam ſubſtantialem albedinem,quæ amplius occultari non poteſt,nec alterari,nec variari,nec in alios colores converti, præterquam in rubeum facta digeſtione. Et tum demum fit in eo paſſu conjunctio corporis & animæ, commixtio, ſeu potius unio quæ nunquam ſeparatur.

Ariſtoteles ait,argentum vivum eſſe elementum omnium liquabilium: etenim quando liquantur, in ipſum convertuntur. Manifeſtum eſt ergo medicinæ hujus operationem eſſe operationem naturæ, quia ex natura ſolum eſt compoſita. Certiſſimum eſt enim omne componi ex eis in quæ reſolvitur,uti gelu, *vel* glacies calore in aquam reſolvitur,quia prius ex aqua eſt frigore congelata. Non aliter lapis noſter reſolvitur in argentum vivum per magiſterium noſtrum,ergo ipſe prius fuit argentum vivum. Primum

mum itaque verbum eſt, corporis in argentum vivum reductio & hanc vo carunt ſolutionem, quæ eſt artis fundamentum. Roſinus philoſophus ait: Solvite corpora & ſpiritus, & conjungite, tunc de cætero non poſſunt ſeparari per ignem. Hermes inquit: Primum corpus ſolutum, & aqua perennis, congelat Mercurium perpetua congelatione, quod etiam dicunt omnes Philoſophi. Qui habet aures ad audiendum, audiat: Omnia metalla fuſa ſe habent inſtar Mercurij, & ſi frigida poſſent in ea fuſione permanere, eſſent ipſemet Mercurius. Conſiderandum humida metalla, uti Saturnus & Jupiter, facile reducuntur in ſuum Mercurium primitivum. Et Mercurius debite præparatus omne corpus comedit & reducit in ſeipſum. Calor namque agens in humido efficit nigredinem primo, & agens in ſicco efficit albedinem, & operatur in albo citrinitatem ac rubedinem. Quod in plumbo videre licet, ipſum calcinando: primo uritur in cinerem nigrum, poſtea in album, & poſtremo in citrinum, atque rubeum. Verum itaque operis noſtri principium eſt diſſolutio lapidis, quia corpora ſoluta in naturam ſpiritus ſunt redacta, niſi quod magis fixa ſint, quam ſpiritus. Item: Solutio corporis fit cum congelatione ſpiritus, & contra congelatio ſpiritus fit cum ſolutione corporis. Tum demum commiſcetur corpus cum ſpiritibus, & fit unum cum eis, ut nunquam ſeparentur, non magis quam aqua mixta aquæ, quoniam tunc ſimul omnia ſunt ad homogeneitatem ſuam redacta. Hac de cauſa dixit Ariſtoteles, corpora metallorum transmutari non poſſunt, niſi ipſa prius in ſuam materiam primam redigantur: quod ſi fiat, aliam bene formam ſuſcipiunt, cui non contrariatur ratio. Sed non fit tranſitus de extremo ad extremum, niſi per medium. Sulphur & argentum vivum omnium ſunt metallorum extrema: igitur metalla erunt media inter ſulphur & argentum vivum. Conſidera igitur ſi poteris ſubſtantiam puram argenti vivi, & ſine combuſtione digerere, ſin minus opus tuum vanum eſt. Oportet itaque artificem conſiderationibus uti, quarum certitudo traditur in aliis facultatibus, quas ſupponit. Et ut ſtudium ejus ad metam dirigatur experimenti, circa duo potiſſimum inſudare verſarique debet: prius ut de rei curandæ, vel ſublimandæ quidditate elementali diligentiſſime perquirat, ejusque proportione: alterum, ut rei curantis, id eſt, principalis agentis, ac transmutantis rationem habeat. Artem enim oportet, agente fortiſſimo, diſponere materiam, quo virtutes naturales digeſtionis activæ, prævaleant in paſſiva materia. Videmus enim quandoque per agens inſufficiens omne digeſtum molinſin, id eſt, imperfectam digeſtionem pati, ſive cruditatem, quæ contingit ob cõmixtionem crudæ materiæ indigeſtæ, aut propter debilitatem caloris digerentis & terminantis. Quapropter ſumme curandum eſt, ut

nem erit, ergo putrefactio ſua generatio & diſpoſitio. Mixtorum & vegetabilium varia eſt & differentialis nativitas. Nam ſimpliciter mixta dicuntur illa, quæ præter noſtrum intuitum ſub terra naſcuntur, aut circa ſuperficiem ejus, ex ſola commixtione elementorum ad invicem compoſitorum: & eſt ejusmodi primæ, & ſimplicis naturalis mixtionis gradus multiplex. Primus eſt quatuor elementorum nuda compoſitio, in qua non eſt facta mutatio vel alteratio unius elementi ad aliud. Secundus primum ſequitur, quia reſolutis præfatis lapidibus, elementis videlicet, mineralia, de quibus ſermo præſens, generantur: quæ nobiliores ſubterraneæ ſpecies inde procedunt, quia incipit in hoc eorum actio & transmutatio. Ad conjungendum mandarunt Philoſophi, omni amoto extrinſeco, ſolum calorem adhibendum, qui adjuvando, excitat intrinſecum calorem naturalem auri ad digerendum, & active maturandum Mercurium. Cum igitur ejusmodi ſpermata, ſeu ſemina per artem generari non poſſunt, ideo quod mixtionem proportionaliter ad producenda ſemina ars componere neſcit, nec in homine, nec in terra, ubi eſt proprius locus generationis naturalis eorum, iſta ſemina naturaliter facta, artificialiter conjunguntur. Et in hac naturæ proportionali actione, & Mercurij digeſtione, ſimul manent naturæ maſculea femineaque inſimul clauſæ: feminea, ut terra & aqua: maſculea, ut aer & ignis: quam terram & aquam Philoſophi ut Mercurium, aerē & ignem, velut ſulphur eſſe dixerunt, in noſtro lapide. Præter iſta duo nihil aliud intrat, nec generat, nec multiplicat, ut patet ex præmiſſis. Et iſta diſſolutio ſolum dicitur liquefactio compoſiti, & non proprie ejus ſolutio, quia partes non ſolvuntur adinvicem ſeparabiles. Quando compoſitum prædicto modo diſſolvitur, partibus inſeparatis manentibus (quamvis ſeparabiles) ita quod virtus digeſtivorum elementorum à diſſolvendis, per diſſolutiones poteſt extrahi, ſcilicet argentum vivum, partes craſſæ in tali diſſolutione capiunt latitudinem ſubtilitatis, eo quod corpus in ſpiritum vertitur, & vice verſa.

QVÆ EX DEMOCRITO COLLEGIMVS APPONERE viſum eſt, quo res dilucidior fiat, ex multorum opinionibus auctorum.

CApiens Mercurium infige corpori magneſiæ, vel corpori Italici ſtimmi, vel corpori ſulphuris ignem non experti, vel ſpumæ agenti, vel calci vivæ, vel alumini ex melo vel arſenico, vel ut ſcis, & conjice terram albam Veneris, & habebis Venerem claram, flavam conjice Lunam, & habebis aurum, & erit chryſocorallum in corpus redactum. Idem etiam facit arſenicum flavum & ſandaraça præparata, & cinabrium valde contuſum. Æs autem

ſplen-

ſplendidum ſolum argentum vivum facit. Natura enim naturam vincit.

Si vero vis exacte rem ſcire, duobus catalogis mentem adhibe, quia ſciendum ante omnia Mercurium poſitum eſſe, & in flavo, hoc eſt, in ſole, & in albo, hoc eſt, in luna, Et in ſole quidem dixit, Mercurius à cinabrio, in albo vero dixit Mercurius ab arſenico, vel ſandaraca, vel quæ ſequuntur.

Ego autem venio in Ægyptum naturalia ferens, ut materiam ſuperfluam contemnatis, & confuſam. Natura ſiquidem natura gaudet, & natura naturam vincit, & natura naturam retinet.

Mercurius itaque omnes induit formas, quemadmodum cera omnia ſigilla, ſic etiam Mercurius Philoſophorum dealbat omnia, & omnium animas ad ſe trahit, coquit, & rapit. Ad inſtrumenta ergo aptatus, & in ſeipſo humores habens, prorſus etiam corruptionem ſuſtinens, permutat omnes colores, & permanet ipſis non permanentibus, imo vero ipſo non ſubſiſtente, tunc etiam continetur corporum & ſubjectorum rectionibus. Quatuor (inquam) corporum compoſito, vel compoſitione, & his quæ affinia ſunt, ut ſunt materiæ ipſorum, & animæ ipſorum materiæ ſunt ipſorum. Ut faber ex ligno, vel ex ære, aut lapide ſtatuam erigens, de ſe nil niſi formam exhibet in materiam: ſic etiam Mercurius arte elaboratus à nobis, ipſe omnem formam ſuſcipit, & infixus, ut dictum eſt, corpori & quatuor generibus conſtanti, fortis & firmus manet, continens & contentus, & ob id Pibichius magnam affinitatem dixit habere. Per Mercurium ex cinabrio, ab arſenico, calcantho, ceruſſa, magneſia, vel ſtimmi Italico, & reliqua alba vel rubea cuncta ſunt intelligenda corpora. Corpus etiam magneſiæ chryſocollam, vel chryſocorallum vocat. Oportet igitur prius rerum ſpecies liquefacere, & conflationibus conſimiles in unum colorem convertere, duoſque Mercurios, album & rubeum, in argentum vivum redigere, & ad putrefactionem ſeparare.

Marcaſitam ergo (pyriten Græce vocant argenteam) rege & fac ex more, ut ſolvi poſſit: fluet autem per aureum, vel album litargyrium, vel in Italico ſtimmi: ex pugna cum plumbo. Plumbum non ſimpliciter intelligas, ne aberres, ſed quod eſt ex ſciſſili, & litargyrio nigro noſtro, vel ut ſcis. Natura enim natura gaudet.

Rege (inquam) donec fiat incombuſtibilis, abjiciens nigredinem. Rege autem muria, vel urina incorrupta, vel aqua maris, vel oximellite, ut ſcis. Mercurius autem actu quidem albus eſt, virtute vero citrinus.

Fruſtra laborant igitur, qui materias explorant, & non naturas corporum magneſiæ quærunt. Corpus vero magneſiæ, ſubſtantiarum eſt mixtio quatuor generum, ut antea dictum. Capiens

reas feceris, non informabis naturas, neque corpora facies. O naturæ cæleſtes, corporis expertes, in quas corpora ſeſe inſinuant, & cæleſtis ſapientiæ beneficio informantur, in quibus illæ permanent, ac ipſa corpora poſtmodum complectuntur. Oportet igitur ſpoliare materiam, & ipſius animam extrahentes, per ipſam deinceps corpora non corpora facere, continere & informare. Spolianda eſt itaque materia, ut ad ſtabilem perfectionem perveniat.

Definitio igitur hujus philoſophiæ eſt, corporis diſſolutio, & animæ à corpore ſeparatio, ut tinctura in corpus ſeſe inſinuet, utque naturæ cognatio oblectet naturam, retinens, vincens, & in ea permanens. Hoc fit cum intrinſecum foras extruditur cum voluptate, totaque ſubſtantia terrea, cumque per elevationem aquæ feceris incorpoream compoſitionem: item cum per aſſationes conſpexeris extractam fuliginem, atque ita velut per nebulam ferri. Non enim poteſt incorporea natura niſi ſuperioribus adhærere: cum enim in ſublime ferri ſoleat, una cũ eo, quod ſibi ſimile eſt, & cognatum. Augmentatur itaque amata & amans natura ſimul, oblectans & oblectata, ſplendensque, una res ambæ naturæ rei naturalis & unius, alias unitæ naturæ, quæ vincit omnem rem totius mundi, quare dictum: Unum ſunt omnia. Hoc autem unum & unam rem exiſtima compoſitum ex anima & corpore non corpus facto, in temperatum unum per unum. Candida igitur & pura luna, lunaris ſpecies eſt, fuligo quæ per aquam divinam probe abſtergitur, & abluitur. Nihil ergo deeſt, præterquam nebula, & aquæ elevatio: opus regimine conſummatum. Primo cujus nebulæ? fuliginis videlicet in ſublime ad cælum per aquam divinam & cæleſtem elevatæ. Lapis igitur omnibus notus, vilis & valde pretioſus, eſt conjunctus ex pugnaci Venere cum Mercurio, id eſt, mare & femina. Æs ergo rubeum ingredi facias, ac tinge rubiginem auri. Pugna Veneris cum pugna Mercurij. Venus cum luna pugnando per iſtam corrumpitur, & luna per Venerem conjunctione figitur, id eſt, Mercurius per magneſiæ fuligineum vaporem. Corpus igitur æris per lunam lunariumve liquorem corrumpi debet, ac egregie conteri, tantisper ut ars ipſa poſtulat. Si quis enim corpus hoc per ſpiritum reddat flavum, potentemque ipſius naturam, ſecundum artem blandè præparando extrahat, tingit omne corpus. Si quis morte corpus delens, ac diſſolvens, ſpiritus beneficio per fuliginem citrinet, omne corpus tingit. Spiritus enim hoc modo fit ex corpore fuliginis, immunis à materia, vigor & ſplendor corporis, imperio ſuo creatoris. Capiens ergo Mercurium infige corpori magneſiæ.

Tota compoſitio fit per Mercurium, & magneſiæ corpus per marem & feminam. Eſt in corpore mixta & ſimul contrita luna,

æ per nebulam & ſuliginem completur: ipſa rationabiliter gurnata potentem naturã intus latitantem evocat, omne corpus gentem, Venerem dealbantem, Jovi ſtridorem auferentem. agnum in his myſterium latet, quod cum videris, Deum lauda. lphurea à ſulphureis continentur, id eſt, elementa cœleſtia & nea continentur à terreſtribus, à quibus illa haberi poſſunt.

Prima clavis operis eſt, ut ignis argenti vivi, Mercurij videlicet njungatur cum aqua terreſtris magneſiæ per ſuam terram. Hac fit ſeparatio humidorum à ſiccis, id eſt, animarum æris ex corribus.

Secunda clavis eſt, cum luna & aqua conjungitur cum igne genti vivi dicti, per aërem æris in elevatione nebulæ, quæ eſt rectio frigidorum cum humidis, & mixtio ſuperiorum cum infeoribus. Terra, id eſt, ſcoria æris, conjungitur cum aëre ſolari per nem, id eſt, per argentum vivum.

Tertia clavis eſt, cum per torrefactionem putrefactionis, conngitur ſcoria cum divina aqua per ignem: hoc eſt, per lunam, r ſolis etiam cõjungitur cum terra, id eſt, cum ſcoria per aquam, c eſt, per humidum.

Quarta verò fit conjunctione aëris cum terra, ſoluta ſcilicet per trefactionem & aſſationem ſeptem reductionum, cunctis in uam unam coactis, & exiſtentibus in cinabari philoſophica, quæ nſtat ex dicto Mercurio & ſulphure magneſiæ. Quibus peras ad hunc modum, ignis fit rurſum calidus & ſiccus, generans orem aëris, & ſiccitatem terræ. Similiter & aqua, cum ſit huda & frigida, generat humorem aëris, & frigiditatem terræ. erra cum ſit frigida & ſicca, generat frigiditatem aquæ, & ſicciem ignis. Aër verò cum ſit calidus & humidus, generat calom ignis, & humorem aquæ. Singula cum duas qualitates haant, fiunt ex tribus elementis conſtans elementum. Collecta nul omnia fiunt duodecim ex tribus in quatuor productis, juxta na duodecim, quatuorque ſtationes, ut Verni temporis aërei, ſtivi ignei, Autumnales aquei, & Hyemalis terrei. Quæ vera elementorum compoſitio per artem. Item colores ſeptem parentes in opere, corpora dicuntur planetarum ſeptem ejuſm compoſitionis, qui jam adſunt, modo poſt abſunt in ſignis oris, ut in cœlo, nunc ingrediuntur ſua ſigna, poſtmodum egreintur. Itaque per ſeptem aſtra ſua, quæ planetæ vocantur, & r duodecim non errantia ſigna ſua, verum Philoſophorum myrium perficitur.

Colores elementorum in opere ſunt, à pedibus uſque ad genua reum elementum nigrum: à genubus uſque ad umbilicum aeum ſplendens & album: ab umbilico uſque ad cor, aëreum, vum, citrinum: & à corde ad cervicem igneum, candens, ac rubeum.

rubeum. Deinceps ubi hæc quatuor elementa mixta fuerint inter ſe, fit ex ipſis calx & cinis Philoſophorum, ut perfecte atque omnino conjunguntur per extremam unionem dealbata, nigredine prorſum abjecta. Sacra igitur atq; divina hec Philoſophorum ars & ſcientia, ex una ſpecie cõſtat & perficitur divinè ac magnalia, hoc modo ſcilicet: Si enim feceris corpora incorporea, & incorporea corpora, mirificè operaberis, votiq; tui futurus es compos, per quatuor elementorum compoſitionem: per trinum regimen, per duodenariam ſignorum mutationem: per ſeptem aſtrorum aſpectus, ſpecies & corpora: & per monadicam quandam ſingularem extremam unionem, glorificabis in trinitate & unitate Filium Dei verbum æternum, qui ex quatuor elementis inferiorem hunc mundum perficit, & ex quatuor mutationibus anni *circulorum* exornavit, & poſt ſeptem ſecula introducet eos qui *vocati ſunt*, & electi in requiem æternam: laudantes unicum & indeficiens lumen in Patre, Filio, & Spiritu Sancto.

Duo ſunt igitur quæ ex materia conſtant, cum binarius numerus materiam ſignificet. Horum conjunctione, medio tertij cauſæ fiunt omnium. Siquidem per ternarium binarius: & omnis numerus ad unitatis ſimplicitatem reducitur. Vapor, qui in ſublime fertur, eſt materia aëris, & fumus, ſive fumida exhalatio ſiccorum eſt ignis materia. Non conveniunt iſta duo cum reliquis duobus, aqua videlicet, ac terra, niſi per tertium, id eſt, vitalem, & igneam naturam. Tria hæc igitur, terno regimine dicto, quaternarium conſtituunt, unitati ſecundo, ternario videlicet, proximum. Quapropter Sybillino quodam ænigmate notatur hoc myſterium ad hunc modum: Ter tres literas habeo, quadriſyllabus ſum, conſidera me. Quælibet trium priorum ſyllabarum duas habet, reliqua verò reliquas habet, mutæ quinque: Totius autem numeri centuriæ duæ, octo & tres ter decades cum ſeptem. Intelligens autem quis ſum, non rudis vel ignarus eris ejus, quæ in me eſt ſapientiæ. Aliter: Totius numeri centenaria ſunt bis octo & tres ter, & decades quatuor. Adhæc: Principia ſcientiæ ſunt ſenſus & experientia: poſterius eſt principium activæ cogitationis prius verò apparentis rei cogitationem præbet, ex quibus intellectio ſequitur animæ mundi hujusque prudentiæ. Cum enim iſta ſit ab omnibus exempta, ſenſibilem mundum complet. Tres igitur ternarij, ex ea conſiderentur immaterialium ſubſtantiarum ordines conficere.

Cum tria ſint etiam, quæ ad univerſalem operationem ſpectant ex quibus poſtea compoſitio fit quaternaria. Molybdochalco noſtro plumbo inquit: Injice Mercurium, donec incorruptibile fiat, & permanens, quod cum fiet, non amplius erit plumbum. Hæc omnia unum ſunt, & duæ tincturæ nullo colore differunt,

unam

ıam eandemque tantum cernis. Et quomodo totum ex una
ecie, alia quidem Veneris, alia lunæ, alia ſolis. Unica tantum a-
.ıa videtur, Rhaponticum, à ponto marique dicta, Rha verò ſu-
erficiem notat, ergò ſuperficies aquarum intelligitur. Flavam
nquit) injice lunam, & erit chryſocorallum, &c. Capiens ergò
Iercurium à Mare, vel maſculo, fige ut mos eſt, conjice Veneri
el pyriti ſulphurato, & dealbabitur, id eſt, fuligini ſiccæ. Corpora
on corpora facito & incorporea corpora compoſitum erigendo,
titantemque naturam extrahendo. Per Mercurium corpora cor-
umpe, & per magneſiæ nebulam maſculum & fœminā conjun-
e, & latitantem rurſum naturam evocans, per ipſam denique
orporum formationes facies, id eſt, colorum planetarum. Ad
unc itaque modum corpora redduntur incorporea, & iſta fiunt
orporea.

Si omnia igne attenuentur, & fuligo ſurſum feratur, fierent va-
.a & infrangibilia corpora. Per ignem intellige Mercurium &
gneum pharmacum, quia Mercurius comburit, corrumpit, & ex-
enuat uno & eodem artificio. Venus itaque non tingit, ſed tingi-
.ır, & cum tingitur tingit. Nihil enim poteſt per ſe corpus tingere,
el ſeipſum ſeparare, ſi ſpiritus, qui interius latet, non emergat.
Quomodo enim poteſt corpus ſine ſpiritu conſiſtere, niſi per pul-
ram naturam, quæ in ipſo eſt, animalem puta ſpiritum, qui colo-
em tincturæ ſecum educit, & infert. Venus itaque non tingit, ſed
.ngitur. Terrea namque materiæ pars, ut quæ craſſa exiſtit, non
ingit, ſed illa qualitas ſubſtantiæ tenuis tincturam in corpore pro-
reat. Cum enim Venus, id eſt, corpus, per magneſiam rectè guber-
.atur, ſuamque ſubſtantiam tenuem in lucem profert, tum de-
num tingendi vim aſſumit, ac tingit. Venus autem ſunt quatuor
orpora. Tincturæ verò ſpecies ſolidæ, & humidæ, & herbæ di-
untur à ſimilitudine, ſolidæ quidem à nebula uſq; ad chryſocol-
.ım, humidæ aqua divina. Divina enim à citrinis retinentur, &c.
Veritas autem hæc eſt: Natura naturam oblectat, & natura natu-
am complectitur. Rurſus Veneris quadricorporea natura per
nagneſiam oſtenditur, & verſicolorum ſpecierum herbæ in
ompoſitione elementorum attritiones prodeunt in lucem. Cum
ationabiliter attritiones corporum fiunt, tum effloreſcentia
virent, cum herbæ prorſus non ſint, niſi colore tantum, nec iſtæ
oſſunt in igne permanere. Solida enim (inquit) & humida &
ıerbas. Solida quidem vocat corpora, albedinem, citrinatio-
ıem, &c. penetrantia, & in corporibus permanentia, nec omnino
edentia, ſed ipſa firmè retinentia & ſuperantia. Humida verò
lixit, ut ita recrearet illa per humida, id eſt, per aquam divinam.
Quæ nam hæc eſt aqua divina, & cur divinam appellant? Ma-
gnum certè nomen hoc præ cæteris, atque præſtantius, quod ſine
hac

hac in opere nihil producitur, neque perficitur. Divina aqua eſt id, quod ſimplex & lucidiſſimam, & puriſſimam, & ſine umbra corporum naturam facit, velut immutans corpora, abſtergens, & eſt quod ex corporibus latitantem naturam extrahit. Conjuncta enim naturæ forma, pulcerrimum opus per naturam efficit & cooperatur. Acuta aqua elevata & evocata dicitur. Divina enim ſunt, quæ intus latitant, & extrahuntur. Divina igitur à divinis retinentur. Anima & ſpiritus à divinis extrahuntur, & ab iiſdem retinentur, qualitate corpora penetrantia. Veritas enim eſt: Natura naturam oblectat, amplectitur, & vincit. Cum enim quod intus latet per divinam aquam benè geritur, & expurgatur, oblectat ſeipſum ad propriam corporis naturam penetrantem, vincentem, & permanentem. Propriam itaque naturam agnoſcens, lætatur connexa & conjuncta viciſſitudine.

Sed ut ad rem revertamur: Quatuor corpora tinguntur, & non tingunt. Magneſia enim dealbata non ſinit corpora frangi, nec umbram Veneris induci. Sed vide quidnam Philoſophus dicat, quatuor corpora tingi, & non tingere, nec dicit ut antea, ſi cum tinguntur, tingunt: ſic ſolidorum corporum ſubſtantiam intellige: Magneſia (inquit) dealbata, &c. Quæ magneſia niſi totum compoſitum? Quomodo igitur dealbatur? quando recte gubernatur, & aſſata, cum divina re expurgata, omnium corporum ſolidorum latitantia referat ex profundo, ut per iſta corporum natura tingatur. Compoſitum enim per divinam aquam irrigatum non ſinit frangi corpora, quin potius umbram eis adimit argenti ſpuma magneſiæ immixta, corpus dealbat, cæteraque generis ejuſdem. Magneſiæ pulcra vide miraque, quomodo per unum multitudinem infert aliqua quidem ab unitate: aliqua à dualitate: aliqua à ternario nec non pluribus intendit, donec ipſius univerſum conſervetur. Aliqua quidem à monade, igneum ſcilicet pharmacum: aliqua à dualitate, ut cum corpore ipſo magneſia: aliqua à ternario, ſcilicet expurgatio cum aqua divina, & ſi quis intendit, & per alios aſſationem referat, donec totum opus quæſitum ſervetur abſterſum, & abſolutum perficiatur, & compleatur. Materia enim ad aurum conficiendum accommoda, eſt ipſe Mercurius. Mercurius à cinabari (inquit) aliquando à Venere aliquando verò à B. Mercurius à cinabari eſt magneſia: Mercurius à B. aqua divina, quæ à contracto inſtrumento extrahitur, & hæc ſunt quæ materiam immutant. Venus ut homo animam & corpus habet. Oportet igitur materiam corpore ſpoliare, ut permanente ſpiritu tingente, ad cujuſcumque quæſiti perfectionem accommodetur. Quid eſt Venus? quod homo, materiale corpus. Anima quidem eſt pars tenuis in ipſa, quæ per regimen in lucem prodit: hoc eſt, ſpiritus tingendi potentiam habens. Corpus vero eſt,

grave

rave & materiale,terreſtreque ſuum quod umbram habet,quam portet ſpoliare igneo pharmaco. Diſpoliare eſt humiliare, cor- umpere,ſolvere,& mortificare. Nihil poſtea deſit, nihil eſt reli- uum,præterquam nebulæ & aquæ extractio. Philoſophus uſus era figura, aquam calcanthi vocavit: etenim ibi eſt æris gene- atio: & calcanthum aurum generat, flos æris(ait Philoſophus) ſe eſt,qui rem conſummat,& perficit: eſt etiam ſpiritus maſcu- . Sic exponitur: Conjice ex ſubſtantia hauſta ab Altiſſimo,ut di- ina virtus effecta, & in ſpiritum converſa divinum opus faciat. ivinum quærendum eſt,ut ſpolietur materia, & fiat ſola anima, ſpiritus ſublime petens colorem ſumat, & ut cum igne ſit, pu- nacior, & tenacior, veluti planum corpus dæmonum, & pene- rantium: radix enim ſolidi eſt planum.

In ſpiritum ergo converſum,& ſurſum latum, ut ignis (doctri- æ ratione) igni quodammodo aſſimilatur, & penetrantior, ac enacior fit: quæ verò rationes à mundi natura inventæ ſunt. am quemadmodum quatuor elementa in ſeipſa transmutantur. fiunt quod non erant,cum eorum ſubſtantia ſubſtantiæ non ſit ontraria,ignis fit terra,& terra fit aqua,& aqua aer,& rurſus aqua rra,& terra uſque ad ſuperiora, & in ſeipſa mutata & ſoluta o- nia operantur,ut eſt apud Hermetem: Qualitates enim ſibi ipſis ontrariæ ſunt, & non ſubſtantiæ. Sic etiam compoſitum cum rra ſit,& ex aqua aer, & ex aëre ignis. Quemadmodum igitur x cœlo, quod tanquam camera terræ incumbit, hæc omnia ſunt b exhalationibus: ſic etiam ex olla velut ex terra, & ſuperpoſito lembico velut ex cœlo, vehementes fiunt mutationes. Et quem- dmodum terræ putrefactiones exhalantes transmutantur, ſic tiam flos æris ſimul transmutatur exhalans. Hoc idem quoque onſiderabis in humano capite, cucurbitulæ, vel galeæ inſtar im- oſito corpori. Ut non fruſtra dictum, igitur contere: ſic modo on temerè dicitur,coquuntur ſenſim,& elevantur inter ſe. Levi amque elixatione ſpiritus tingens, qui latet elicitur: quod ſur- m fertur,ſpiritus eſt corporis expers,& anima totius compoſiti, d eſt, corporis. Quemadmodum igitur anima corporibus oſten- it ſeipſam,fermentans omnia, in ſeipſa tres ſubſtantias effectri- es habentem,motum,ſenſum & ignitionem: ſic enim hic ſpiri- us igneus factus, & anima corporis expers, cum rei cuncta tin- entis corpus penetrarit,ſi in iſto condita ſit, ut planum in ſoli- o,per ſuæ medicinæ injectionem in argentum igne rarefactum. ætus hic ſpiritus igneus (inquit) inſilit, qui in corporibus etiam atitat,& ſublime petens, etiam corpus ipſum, ut animam pro- riam, retinet. Cæterum quod ad differentem aquæ extractæ auſam ſpectat,ne hoc terreat, flos eſt enim, qui extrahitur, non olum ſemel,ſed bis terve per maripetas. Poſtquam igitur oſten-

ſum eſt ſecundum accidens, flos aqua ſulphuris eſt illibata, & fixationis uſum habet. Dixit enim Philoſophus, & gummi paulu-lum, omne corpus tinget. Maria inquit: Retinaculum omnium, quæ ab igne fugiunt, eſt alabaſtrum omnium candidiſſimum, lapis encephalus, mente reconditus habens velut calorem: hunc capiens contere, & miſce cum aceto, & conjiciens in vaſculum, poſtmodum tandem conde ſub fimo: hoc enim eſt quod quæritur, aquam ſcilicet ſulphuris illibatam, & rubiginem unum & idem eſſe: atque hic verè totius artis cardo vertitur. In ipſis deinceps conſideratur in una compoſitione omnia fieri, quod tingit, & quod tingitur: quod fugit, & quod ſequitur: quod familiare eſt, & contrarium: maſculum & fœminam: ſponſum & ſponſam: agens & patiens. Unus enim eſt ſerpens, qui duas habet compoſitiones & rubiginem. Unum eſt totum, ob quod ſunt omnia, & ſi totum non haberet totum, nihil totum eſſet, ait maximus Chimes. Nam res fixas facere non ſolum ſulphuris eſt, ſed etiam rerum, quæ dealbatæ, emollitæ & rarefactæ ſunt. Cum enim ſubſtantiæ à ſulphure albo in perfectione & aſſatione patiuntur, tunc & ipſæ ſunt ſulphur incōbuſtibile factæ, & permanent facientes quod paſſæ ſunt, dando & accipiendo: & tum utraq; ſulphur facta ſubſtantias fixas reddunt: hoc eſt, quod inter ſe non frangantur, efficiunt. Deinceps cur (inquit) multiplicium rerum ſpecies requiritis, cum una natura omnia vincat. Hanc naturam ab initio uſque ad finem expendens, manifeſtum videbis myſterium: hoc eſt, cymbalia. O naturæ cœleſtium naturarum creatrices, hæ diſſolutæ omnia operantur. Quid ergo hoc eſt diſſolvere? Huc age ad liquores, & diſce: Sume crocum Ciliciæ ſimul cum flore cinici conjunctum ſucco vitis, & una liquorum ſerie diſſolutionem invenies. Huc age rurſus ad album: & item in ipſum eſt diſſolutio, ipſe te docet, inquiens. Relinque inferius & fiet. Verum dixit: Alij corpora appellarunt, alij ſulphur, & non decepti ſunt. Et ob id diffuſus eſt error per orbem terrarum, propter appellationum multitudinem. Quæ de quatuor & quinque elementa dicuntur, ad illa referenda ſunt. Saturnum collocarunt & ex adverſo plumbum in altiſſimo vertice, & poſt ipſum Jovem, Martem, Solem, Venerem, Mercurium, & infimo loco Lunam. Singula inter ſe diſtincta, uni tamen orbi conjunguntur, & unus ipſis miniſtrat, eademque gubernat, & ob unum ſpiritum amantur, mutuoque ſeſe intuentur oculis, & mutuò verſantur, & mutuò ſolvunt, & in ſuis tectis ſpatiantur, quemadmodum ſtatuit Creator altiſſimus. In terra ſimiliter enim reperiuntur, & in aëre ſunt, & in aqua, & in igne, omninò pacem inter ſe habent, & unus opifex miniſtrat illis, eademque regit, unoque jugo omnia conjugata ſunt atque unam potionem bibunt, ex terra enim

alantur,

aluntur, & quodlibet ipſorum proprium munus obit, & in propria ſeſe conſiſtit, & Creatoris arbitrio patet, quodlibet ipſorum occulitur in terra, & in propria gloria. Et vos ô amici, cum ad hanc pulcerrimam artem vultis accedere, ſpectate herbarum naturam, undenam prodeunt: aliquæ ex montibus, ex convallibus aliæ; ex campis item aliæ. Conſiderate aerem ipſis miniſtrantem: conſiderate divinam aquam irrorantem, & nebulam ferentem, ac æthera gubernantem ipſas: quæ cum permiſcentur, unum ſunt, & nemo poteſt ipſas ſeparare, cum in unam coierunt naturam. O Cleopatra (inquit Oſtanes) in re totum arcanum latet, expone clarè nobis de elementis, & quomodo ſuperius deſcendit ad inferius & quomodo medium ſupremo & extimo propinquum eſt, & non concurrunt partes, cum præcedant, & uniantur; quodnam ſit ipſis medium, quod unum faciat, & quomodo deſcendunt aquæ benedictæ ad videndum mortuos jacentes, ligatos, & poſitos in tenebris, & in caligine intus in inferno, & quomodo ingreditur medicina vitæ, & ſuſcitat eos, ut tanquam è ſomno expergiſcantur, & quomodo ingrediuntur novæ aquæ; quæ in principio lecti, & in lecto generantur, & quomodo nubes ipſas fert, & quomodo ex mari aſcendit nubes aquoſa. Ea quæ oſtenſa ſunt contemplantes Philoſophi gaudent. At Cleopatra ait eis: Aquæ ingredientes corpora ſpiritus ipſis incluſos & debiles, velut è ſomno excitant. Rurſus (inquit) anguſtias perpeſſi ſunt, & rurſum occludentur in inferno, & paulatim naſcuntur, & ſurgunt, atque diverſos & glorioſos colores induunt, quemadmodum flores vere, quod lætatur, & exultat ob pulcritudinem, qua veſtitur. Vobis (inquam) prudentibus herbas, elementa, & lapides, cum eruitis ex ſuis locis, pulcra admodum videntur, & non pulcra: quoniam omnia probat ignis. Cum verò gloriam induent per ignem & colorem viridem, ibi ſunt majora ſpectacula, ibi gloria occulta, & accuratè quæſita pulcritudo, & terra mutata in divinitatem: quoniam in igne nutrit illa. Quemadmodum infans ſub ventre nutritus paulatim augeſcit, & cum ſtatus menſis adeſt, non prohibetur in lucem prodire, ejusmodi res eſt hæc præclara. Verberant ipſam procellæ, & undæ in inferno, & ſepulcro, in quo jacet, cum verò ſepulcrum panditur, exurgit ipſa ex inferno, velut infans ex utero. Contemplantes Philoſophi pulcritudinem, quemadmodum ſtudioſa mater infantem, quem peperit. Tum demum quærunt quomodo, velut infantem lacte, aquis hanc artem nutriant: quandoquidem ut infans formatur, & cum perfecta fuerit in his omnibus, ecce arcanum, ſignatum. Nunc autem primum apertè, ubi vobis jacent elementa, & herbæ, in ænigmatibus exordiar dicere: Aſcende in ſupremum tectum, in montem arboribus conſitum, & videbis lapidem in

veritate: ex lapide hoc ſume arſenicum,& de alba divine. Et vide in medio monte infra arſenicum,ibi eſt conjux ſua cum qua conjungitur,cum qua gaudio perfunditur,& lætatur,natura in natura, & extra ipſam non conjungitur.

Deſcende in Ægyptium mare,& educ tecum ex arena ex fonte, quod nitrum dicitur,& conjunge illud ſimul,& ipſe extrahet foras pulcritudinem omnia tingentem, & extra ipſum non copulatur: menſura enim eſt conjux. Ecce natura naturæ contra tetribuit: & cum omnia æquabiliter coëunt, tunc naturæ naturas vincunt, & invicem lætantur.

Conſiderate ſapientes,& intelligite: ecce enim artis perfectio, conjugatorum ſponſi & ſponſæ factorum unum: ecce herbæ, & ipſarum differentiæ: ecce dixi vobis omnem veritatem, & iterum vobis dicam,videte & intelligite. Quoniam ex mari oriuntur nebulæ, quæ ferunt aquas benedictas,& ipſæ irrigant terras,& educunt herbas & flores. Item noſtra nebula egrediens ex noſtro elemento, cum ferat divinas aquas, & irriget herbas & elementa, nulla alia terra indiget. Ecce fratres arcanum admirabile, ignotum prorſus: ecce veritas vobis patefacta eſt. Videte quomodo irrigetis terras veſtras, & quomodo nutriatis ſemina veſtra, ut maturum fructum colligatis. Audi igitur, & intelligens eſto, ac dijudica exacte in quibus loquor: Sume ex quatuor elementis arſenicum ſupremum & infimum,albumq; & rubeum,& maris & feminæ pondus æquale, ut conjungantur invicem. Nam quemadmodum gallina calore fovet,ac excludit ova ſua, ſic etiam vos fovete & perficite,& extrahentes & irrigantes divinis aquis in ſole, & in locis calidis aſſate igne levi,cum lacte virgineo, & cavete à fumo. In inferno autem occulite ipſa, & caute movete, donec ipſorum præparatio fiat ſolidior,nec fugiat ab igne, tum extrahatur ab eo. Cum conjungentur anima & ſpiritus, & fient unum, tunc cönjicite in corpus lunæ,& habebitis ſolem, quem non habuerunt regum repoſitoria. Ecce arcanum Philoſophorum, pro quo adjurarunt nos patres noſtri, ne patefaciamus illud, divinam habeat formam & operationem. Divinum enim eſt, quoniam conjunctum cum divinitate,divinas ſubſtantias facit, in quibus ſpiritus fit corpus, & mortua animantur, ſuſcipientia ſpiritum ex ipſis prodeuntem, ac invicem tenentur, & tenent. Quemadmodum ſpiritus contra tenebricoſus,plenus vanitate & triſtitia,prohibet corpora ne dealbentur, neve ſuſcipiant pulcritudinem & colorem,quem habuerunt à Creatore. Ægrotant enim,& corpus & ſpiritus, & anima, ob tenebras extenſas: ſed cum ipſe ſpiritus tenebricoſus & pernicioſus removetur, ut nõ appareat odor neq; color tenebrarum, tunc illuminatur corpus & anima, & ſpiritus gaudet cum abeſt nigredo à corpore, & vocat anima corpus illu-

ſtratum

ſtratum ad hunc modum inquiens: Egredere ex inferno, & reſurge ex ſepulcro, expergiſcere ex tenebris: indutum enim es ſpiritualitate, ac divinitate: quoniam audita eſt vox reſurrectionis, & medicina vitæ ingreſſa eſt ad te. Spiritus rurſus gaudet in corpore, & anima in eo, in quo eſt, ac citato curſu fertur in amplexum ipſius, & complectitur ipſum: nec ipſi tenebræ dominantur amplius poſtquam ſubiit lucem, nec patitur ut ab illo in æternum ſeparetur. Abiit nigredo, & conjuncti ſunt in amore corpus, anima, & ſpiritus, & facta ſunt unum, in quo latet æternum, & ſignata eſt domus plena luminis & divinitatis. Ignis enim ipſa conjunxit & transformavit; & ex ſinu ventris ejus exierunt, ſimiliter etiam ex utero aquarum, & ex aere ipſis miniſtrante, & ipſe eduxit vos ex tenebris in lucem. Venter enim ignis ipſa portavit, & propter ipſum induerunt gloriam, & ipſe ad unionem unam perduxit, & abſoluta eſt imago corpore, anima & ſpiritu, & facta ſunt unum. Subjectus eſt enim ignis aquæ, & terra aeri, ſimul & aer cum igne, & terra cum aqua, & ignis & aqua cum terra, & aqua cum aere, & facta ſunt unum. Unum enim herbarum & fuliginum factum eſt unum, & ex natura, & ex divino facta ſunt. Unum quod omnem naturam conciliat, & retinet. Ecce naturæ naturas retinent, retinuerunt & vicerunt: propterea naturas alterant, & corpora, poſtquam ingreſſus eſt fugitivus in non fugitivum, & retinens in non retinentem, atque invicem in unum coiere. Corpora ſunt cæleſtia divinaque, ſupra memorata. Aquæ arcanum eſt, quia ut polus ex quatuor percurritur, & nunquam quies dabitur. Hæc creata ſunt in hac terra noſtra Æthiopiæ, ex qua ſumuntur herbæ, lapides, & corpora divina, quæ Deus & cælum fecit: in quolibet enim Creator inſevit potentiam. Unum viride fecit, alterum non: unum ſiccum, unum humidum, unum conjungens, alterum disgregans: unum retinens, & alterum recedens, & in occurſu mutuo ſeipſa retinent: & unum in alio reducit in corpus, in alio exornat, & fiunt una natura, quæ omnes naturas amplectitur, & retinet. Et ipſum unum omnem naturam ignis & terræ vincit, & omnem potentiam ipſorum alterat: ecce finem.

¶ Cum perficitur fit medicina lethalis in corpore currens: quodammodo enim proprio colore ingreditur, & ſeſe inſinuat in corpora. In putrefactione enim & calore fit medicina, currens in omne corpus ſine impedimento, vel nocumento. Hic enim philoſophiæ ars extremam manum accepit.

Multa ſunt igitur quæ faciant aurum, quod vero fit, unum eſt. Primum: arena quædam eſt littoralis, quæ ab auri colore chryſites appellatur: aliqui auream arenam vocant. Pila conteratur, ſale inſpiſſetur, & igne calefiat per diem & noctem. Trita rurſum abluatur aqua ſalis, & pulvis imbibatur aceto guttatim, ut coeat

ſiccetur & imbibatur, idque quarto. Argentum ac plumbum liquans utraque, pulverem injice, confundantur ſimul, & permiſceantur. Poſtea auferens & frigefaciens horis quibuſdam, cernes totum durum: deinde arenam purgans invenies aurum.

Sin velis ita facito.

Sandaracum, calcanthum, & arſenicum, & ſulphur vivum & cinabarim ſimul terens, ac tenacem faciens mixturam in purum vitrum conjice oris anguſti, obſtructum argilla, per diem igne aſſato, poſtea auferens lutum invenies materiam ſiccam craſſitudine pici ſimilem. Hoc iterum terens in fictili vaſe reconde, totumque capiens loca in ignem, & ablato cooperculo invenies flavum, &c. Et magneſiam quidem ſi ceperis albam, & par pondus arenæ optime præparatæ, poſtea vero utraque conterens oleo raphani concoxeris, erit tibi id quod in fornacibus aurum. Si vero non ſit colore nitens, ſale uncta quæ ſuperius dicta ſunt, & myſi & ferri croco conterantur, & rebus potentias communicantibus, aurum fulgentius aureis pactoli arenis efficies. Si vero aurum habens, duplum pondus facere volueris, nihil auferens ex qualitate, hoc ponderans duplo majora pharmaca ponderata, myſi & berilli ſcobem ut ſit quadruplum auri, quod ex ambobus conſtat hæc miſcens, ſeu temperans, affige auro, atque ea, ubi in crucibulum conjeceris, & ignitum feceris, extrahe, & te ipſo duplo ditior fies. Sed noſtrum inſtitutum erat, non ut de auro colluſtrando, neque augendo, ſed de conficiendo ageretur. Hoc itaque præſtabo, quamvis aliquantulum digreſſa oratio alias artes obiter reſpexit.

Cinabaris igitur, & aureus flos æris, velut naturales quædam formæ lunari materiæ injectæ, aureum corpus faciunt. Si igitur argentum liquefaciens medicinas miſcendo temperaveris, ſol tibi luna fiet, & ſi tale quid ſecueris, invenies colorem, & ad omnem auri uſum argentum in aurum verſum. Et luna aurum quidem facit, ſol vero lunam non facit: ſola enim ipſa inde lumen habet, nec lunæ tantum, ſed magno etiam lumini miniſtrat. Æris igitur corpus protrahens quantum par eſt, ceu quandam linguam oblongam facito. Poſtea ſuper carbones reponens, in ipſum vulcanum concita; irradians nunc ſale foſſili, nunc ocra Attica continue, vel alternatim humerum & pectus Paphiæ exornans, pulchrior plane fiet, ac glaucũ colorem abjiciens, apparebit tota aurea. Cum talem fortaſſe Paris Venerem vidiſſet, Junoni & Palladi antepoſuit. Quoniam vero regiminis ſupra meminimus, interpretabimur quidnam ſibi nomen velit. Et quia chryſitidis mixtura indigemus ad opera, prius medicinam habere neceſſe eſt, ut ea in tempore utamur.

Chryſocolla terra flos eſt, in Macedonia naſcens, hanc aqua dulci

dulci purgans, & poſtea ſolaribus radiis exiccans, æris Scythici flore & chryſolytho ſimul ſolve, & commiſce. Poſtea humido excremento inſpiſſans in vitro reconde, totamque flammis calefacito: ex hac enim igneum pharmacum facies. Habes ſimul & regiminis ſignificationem, quodve tincturam facit. Aurum vero ſic facere poteris: Ubi plumbum igne liquaveris, ſulphur vivum huic inſperges, & igne uratur, donec vapor evanuerit. Poſtmodum aluminis ſciſſilis & cinabaris par pondus capiens, miſcensque in oximellite, liquato plumbo inſpergito, itemque ſulphur vivum (quod ſupra) ut tum ſolidum fiat, tum etiam colorem per cunctos poros capiens, propter hæc omnia aurum efficiatur.

Quidnam tibi igitur totam Democriti Abderitæ ſapientiam breviter revelabimus, nihil intus in adytis relinquemus? Sed nec qui alios ſacris initiant hoc dicunt, neque myſtica divinatio. Stata autem tempora ſacrorum principem concitarunt, ac rurſus ille à debacchatione conquievit, ſacriſque initiatus compoſitum feſtinavit. Sed ne moleſte feras, ſi tibi primo ac ſacrorum principi, alius ipſe ſacrorum princeps ſedeo. Tibi enim præſtantiora concredita ſunt, ac tu de cœlo Deum deducis, & evehis animam & mentem, quæ in materia eſt, & applicas rei exemptæ à materia. Ego vero humi jaceo, ac naturæ contemplator ſum, nec dum retuli me ad rerum non aſpectabilium ſpeculationem; quoniam nondum mihi acutius lumen factum eſt. Hæc Pſellus ad Xiphilinum Patriarcham, & ultrà. Noſti igitur quid faciemus, inquit? Mihi quidem terræ adyta concredita ſunt: tu vero illa cæleſtia es conſecutus. Impertiamus ergo invicem res quas habemus: tu mihi egregia ſpectacula: ego vero tibi naturales effectus. Sed viden' quid ego tibi fecerim, cum enim auri fontes aperuerim, nec Atho concuſſi, nec Pangeum commovi, nec venas quaſdam ſubterraneas recluſi, ſed lapides inter ſe conterens, & herbas quaſdam miſcens, ingenue tibi ac utiliter aurum valde pretioſum elaboravi. Hujuſmodi aliquid tu mihi etiam comminiſcere, non in aerem concitans, non ſublimem tollens, ſed aliqua ratione in terris mihi oſtende ſupercæleſte bonum: nullibi enim eſt, ſed ubique, & in qualibet univerſi parte. Inventum multos latet, quodque intus in nobis eſt, in cælo, errantes quærimus. Sed doce quomodo prope eſt, & quomodo longius abeſt, non loco diſtans, ſed diſpoſitione propius accedens, quod longius abeſt. Dic quænam ratio eſt defenſionis intelligentiæ? deinceps uſque adeo deſcendens, quomodo rurſus aſcendit? In ſumma me manu ducas ad Deum. Si enim per ſatis anguſtum iter, contentus ero, ſi vero per iter noſtri capax. His me ſacris initiandum, ſi deduxeris, polliceor tibi me nullum reliquum ſcientiæ & naturæ opus, nullumque ſtudii genus, vel antiquio-

tiquioris ſapientiæ, vel arcanæ prætermiſſurum: ſed tibi ſi placuerit, quæ ſub terra ſunt, explicabo. At vero ſi tibi ſtudioſiſſime munus confero, tu autem mihi ſcientiam non oſtenderis, ærea pro aureis minus permutans: nec ob id tamen ſuccenſebo, nec tibi turpem ingrati animi notam inuram: ſed ſciam in vitro magis ſolare lumen Atticum ſuccendi. Vis igitur me dicere, quod pro omnibus dico. Impenſius ama, & vale.

SUMMARIA DECLARATIO EORUM, quæ dicta ſunt hactenus ex Democrito, per ænigmata.

QUod eſt ſpoliare, humiliare, corrumpere, ſolvere, & mortificare, omnemque materiam extrahere, ut ſpiritu incumbente ac patefaciente, ſciatur id quod tingendi corpus vim habet? Ad quæſiti perfectionem accommodetur reſponſio. Hoc enim promptum & idoneum eſt ad perfectum complementum, ex ſpeculationibus, quæ ſub ſenſum cadunt, ad eas quæ intelligentia ſola percipiuntur, aſcendendo, & magnum cæleſte ornamentum intuendo. Horum ornatum ubi contemplatus fueris, ſuper omnia mentem elevans, magnamq; & ſat nitentem angelorum gloriam, tantumque gaudium conſiderans, ne convertaris deinceps ad materialem hujus humilis & abjectæ jam patefactæ ſcientiæ aut conficiendi notionem: ſed totum te ad ſuperiora erigas, & ad ſplendorem ſupernarum ſubſtantiarum alas mentis attollens, innumerabiles & arduas harum pulcritudines, ac aliud lumen, quod omne lumen ſuperat, intentis & internis oculis intuens, admirans, operaque omnia in mundo deponens, ac electam ante tempus mortem animo cogitans, tecumque tuum corpus mortificans: præterea vero tuam animam abnegans, claris hymnis cunctorum Regem ac dominum gloria glorificans, & laudans: tremore vero timoreque perculſus omnipotentem potentiam in mente contemplator, & ipſius bonitatem, quæ omnem bonitatem ſuperat, & quemadmodum omnia producta ſunt per ejus inenarrabilem ſapientiam. Lingua torpet, mens quoque ferre non poteſt, vel prorſus inveſtigare, vel recenſere, quæ magnalia Dei omnipotentis menti contemplanti vere ſunt repoſita. Hæc vero omnia in nobis ipſis conſiderantes, ſtudeamus etiam ut cum omnibus, tanquam fratres per fidem, atque delectationem, uniamur, & aſſimilemur, quantum fieri poteſt, verbo Deo quod nos dilexit: ipſumque Deum dominum noſtrum adorantes, amemus ex tota anima ex tota mente, & ex toto corde: tantumque theſaurum admirans glorificemus ut tandem contubernio Dei dignati, per ipſum gra-

ia repleamur, & luce ejus ſapientiæ, quæ omnem naturam illuſtrat, ac mentem omnem illuminat. Cui laus in æternum.

Hæc Xiphilinus Patriarcha ad Michaelem Pſellum, qui contra etribuens ait: Accipe chryſolithi partem unam, magneſiæ cinaorij partes tres: contere vero donec ſimul conjungantur, & ommiſceantur ſubſtantiæ, & nihil amplius ſulphuris vivi appaeat: fit enim admodum nigrum, ut atramentum ſcriptorium, oſt tres dies conjiciens in lavacrum, impone ex liquore, qui olet abluere partes æquales, & ablue omnem tincturam excijiens, &c.

Chryſolithus eſt arſenicum, ut ſcis, vel lapis æthesius. Magneſia inabrij eſt chalcopyrites, vocatur & plumbum. Humor lavacri ſt radicis raphani noſtri acetum radicatum cum ſuo ſale, & ab eo er cohobationem tractum in ſolutivam. Ablue, inquit, donec rubigo ejus egrediatur, & ſic abit nihil ex ære remanente in lumbo. Hæc eſt magna ſolutio per evocationem, æruginatio, denigratio, ablutio, &c. Procede ut ſcis. Evacuationem dictam ccipiens in vaſis relinque reſidere, & exprimens liquorem exicca, quod ſubſidet, hoc invenies ut atramentum ſcriptorium, quod ontere donec fiat perfecte citrinum, vel album prius: ad hunc nodum exiccando conteratur igne continuo, donec albeſcat, & andidiſſimum fiat. Vide igitur, ne dealbationis tempore deſes s: negligentia enim accidit, eo quod non videtur illa pulchrituo: quoniam per hanc dealbationem ſine umbra æs fit, omnem iam terreſtrem ſuperfluitatem & craſſitiem abjiciens. Si igitur es dealbatur, ſpirituale fit, & denique nihil relinquitur, nihil det, præterquam nebulæ & aquæ elevatio. Zozimus ait; Unum rdinem ego novi duo opera habentem: prius, ut fluat per reſiam (intellige per purgatorium) poſterius, ut exiccetur humor aturni per elevationem in pulverem levem. Ponas igitur lapiis levis partem æqualem, cum repurgato, & contere abluendo evacuando cum aceto extracto per alembicum, donec albeſcat, onec candidum fiat. Vide igitur dealbationis tempore, ut ſura, &c. Dulcificans igitur medicinam & exiccans, repone, & meicinam exæqua: Calcanthi partes tres, magneſiæ partem unam, medicinæ partem alteram, contere ſimul, irrigans ad ſolem um aceto albo dies ſex, & poſtea exiccans pone in fimo bovino, ſine ut urantur per dies duos, vel tres, & tollens ab igne invenies aurum tinctum ut ſanguinem: hoc eſt cinabaris Philoſophoum, & æs clarum citrinum. Quid vobis (ait Senior) & multarum erum ſylvæ? cum una ſit materia naturalis, & una natura, quæ mnia ſuperat. Tunc igitur per divinam aquam ſolutum & fer-

mentatum, ut fermentum panis, ac deinceps etiam chryſolytho æquis partibus contrito & aqua ſoluto; ſecundum naturam ſuam per fluxionem, tingit omne corpus. Zozimus ait: Sol naturalis per chryſolithum ſpiritualis factus, ſecundum naturam tingit. Argentum etiam ſi diſſolvamus per aquam, & ſpirituale faciamus per chryſolithum, æs tingit album. Hoc enim etiam aliis verbis dixit. Duæ enim tincturæ nulla alia re inter ſe differunt, niſi colore tantum: hoc eſt unam & eandem præparationem habent: quia & per divinam aquam prius conteruntur, & poſtea vero per chryſolitum ſpiritualis medicina fiunt, unum quodque ſecundum propriam naturam tingit, ſol ſolem, & luna lunam. Per aquam divinam intellige viſitationem occultorum. Ætheſius lapis igitur cum ære colligatus, & cum oleo raphani reductus, hic beatos Ægypti ſtudioſos reddidit. Arte compoſitum igitur erigens, ac latitantem naturam evocans, per ipſam denique corporum formationes facis, & ſic corpora incorporea redduntur, & incorporea corporea fiunt. Si omnia igne attenuentur, & fuligo feratur, erunt varia, & infrangibilia corpora. Laudetur Altiſſimus.

INDEX

INDEX RERUM ET VERBORUM MEMORABILIUM, QUÆ IN HOC PRIMO TOMO continentur.

A.

ABſinthij ſal 671
Abubali & Ebenhali unde dictus 15
Academia Paracelſi 576
Aceti fax 679
Acetum Hydromelis 664
Alpha literæ figuræ quid notat 469
Adam & Eva in arte Chemica 509.520
Adam Philoſophicus 519
Adam peccavit & nos omnes in illo 408
Adamas unde fiat 317
Aer quid 355. 373. frigidus qua ratione dicatur 498. maſculus hermaphroditus ibid.
Ænigmatica chemiſtarũ ſcriptiones 40
Ænigma de igne 180. de mercurio ſolificato 224. de Natura Vinculo 374. de Pract. artis Alchemiæ 705. &c. de vino 223. de vitriolo 221.267
Ænigma ſibyllinum de ternario 782
Æquivoca in Alchemia 152 & ſeqq.
Æris ſulphur 38
Æs uſtum 779
Æs Philoſophicum eiusque vires 631
Ager chemicus triplex 778
Ager mineralium 571
Ager & terra Domini 263
Agnoſcere fratrem qui poſſunt 245
Ægyptiorum mos in tradendis diſciplinis 545
Alamandina unde 487
Alberti locus de auro 649
Alberti magni ſophiſtica purgationes in præparando lapide philoſophico 516
Album & rubeum ex una radice 519
Alcali rerum Paracelſi 459
Alchemia an ſit ars legitima 48. & ſeqq. quid 555. unde dicta 33. 44. 45. Alchemiæ artis argumentum Patavij inventum 29
Alchemiæ artis definitio 13. 725. difficultatis cauſa 559. diſcipulus qualis eſſe debeat 123 incõmoda 186.189. occultatio & ejus cauſa 139. ſtudium vitandum 136
Alchemiſtarum labor cur vanus plerunque evadat 729. vexationes 555
Alexandri locus de quatuor elementis 738
Alimẽti externi cauſa qua 261
Allegoria practica Alchemiæ 744 & ſeq.
Almandir Philoſophi locus de Mercurio 509
Aloes lota apud Galenum 78
Alphidij dictum de ſale 627
Alteratio quid 288. in arte ſpagirica 420.436
Aludel vocabulum chemicũ 8
Alumen ſaccarinum 499
Amari quid oporteat 246
Ambitione homo lapſus eſt 480

Amor

Amor quid 253. *demonſtratur* 248. *nullus cur adepto comparari nequeat ibid. Philoſophicus quis & qualis* 247. *verus ubi quærendus* 248. *unde natus* 245
Amoris fons quid efficere valeat 267
Amphibologia cavenda 369
Anatomia Spagirica 460
Anatomiæ adeptæ quatuor inſtrumenta 266
Anatomici ut alter alterum correxit 97
Anaxagoræ de magno lapide præſagitio 506
Anaxarchi philoſophi piſtillo contuſi conſtantia 269. 448
Angelica ſal 672
Angelus reprobatus Diabolus factus 463
Anima quid 232. *in Alchemia* 740. *quando dicatur ſpiritus* 399. *quibus conſtet* 232. *quomodo à ſpiritu diſtinguenda* 370. 399
Animæ motus qualis 232
Animam ſuam diligere quid 234. *qui dicatur* 402
Animalia quæ ſint 205
Animal currens abſq; pedibus 587
Animantum tria genera 206
Animus quid 232. 399. *quando cum anima unum & idem dicatur* 234. *quibus potiſſimum delectetur* 233
Animus hominis verſipellis 100.
Aniſi oleum 656
Antimonii vires 616. 618. *duplex* 563. *chemico more præparatum non venenum* 616 *præparati adminiſtratio ib.*
Antimonii Balſamus 620. *oleum* 655. *Regulus* 619. *tinctura* 237. *eius tinctura formula* 619. *tinctura rubea* 541
Antonij Schnebergi locus de antimonio 616
Anxietatis humanæ cauſa 254
Apobamma 626
Appetitus perfectionis cauſa 392
Apyron ſulphur 16
Aqua elementum mater, ſemen & radix mineralium 571. *producit mineralia* 570 *ardens* 502. *Calcanthi* 784. *corroſiva* 774. *divina*. 779. *in qua mineralium via conſiſtit* 444. *mercurialis* 485. 742. *mirabilis ad morbos epatis & omnium obſtructionum* 615. *Philoſophorum* 179. *ſalis nitri* 610. *ſicca quid* 161
Aqua ex fragis facta 628
Aqua mater, Ignis pater 498
Aqua ſpiritus receptaculum 668
Aqua & Elementorū mors 573
Aqua ex mineralibus deſtillata tres partes 668
Aqua fortis prima & ſecunda gradatio 552
Aquæ tres ex Marchaſita Saturni 619
Aquæ vitæ deſcriptio ad aurum potabile 275
Aquæ vivæ quam ſitim extinguant 249
Arabici libri Chemici 19
Aratrum Domini 262. 263
Arbor mineralium 571. *eius mors* 574

Arbor

Arbor quatuor Planetarum 470
Arcanum alba tinctura per arſenicum 538. *de rubea tinctura ex vitriolo* 539
Arcanorum occulta quis detexerit his temporibus 204
Archelai philoſophi ſententia de auro 645
Archeus mineralium diſpenſator 576
Arena in renibus an ſit quomodo ex urina probetur 609
Argenti tinnitus cauſa 37
Argentum luna cur vocetur & qualis 202. *non eſt lapidis materia* 44. *unde componatur* 590
Argentum diſſolvere in aqua forti 686
Argentum Philoſoph. eiusq; vires 630
Argētum vivum 587. *animatum* 735. 736. *aſſidue cur fluat* 733. *exuberatū* 294. 447 *non præbet materiam lapidis* 133. *philoſoph.* 163. *quadruplex* 600
Argenti vivi abuſus 600. *æquivocationes* 154. *definitio* 39. *pilulæ* 83
Ariſtolochia ſal 676
Ariſtotelis philoſophia quidnā doceat 253
Arnaldi locus de nominibus variis lapidis philoſophici 512. *de auri medicina* 645. *de mercurioſa ſubſtantia* 695. *nova opinio de carbonū igne* 502. *teſtamentum* 753
Aros rex magnus & doctiſſ. 694
ἀρσενικὸν 539
Arſenicum ad Alchemiam uſurpatum 585 *aurum continet* 585 *cum oleo tartari coagulatum* 517 *unde compoſitum* 538
Arſenici natura cryſtallina 539
Ars Cabaliſtica Moſi & Prophetis familiaris 844 *Chemica in quo conſiſtat* 266. *metallica multiplex* 33. *ſignata Paracelſi* 351. *ſpagirica quid præſtet* 593
Artis alchemiæ inventores 723
Artis Chemicæ manifeſtatio plana 568
Artis puncta neceſſaria 266
Artifex Chemiæ qualis debeat eſſe 123. *& ſeqq.*
Artifex qualis, opus tale 244
Artificium Chemiſticum circa quod potiſſimum verſetur 206. *ſupernaturale quid* 277. 280
Artium primarum inventrix 254
Artemiſiæ ſal 670
Aſari ſal. 677
Aſinorum æquitatio in Academiis Galliarum conſueta 242
Aſtra quatenus hominibus actiones imprimant 401
Aſtris qui ſubjiciantur 234
Aſtronomia judicaria labefactata 401
Aſtrum ſolis, Mercurij, Veneris, &c. 534
Athanor, furnus 503. *eius conſtructio ibid.*
Atrophiam ut Galenici curent 77
Audire & non videre in arte 266
Avicēnæ locus de auro 644. 645

Avi-

Avicenna regula de lapide philoſoph. inveniendo 114

Avis noctu volans abſque alis 527.

Auripigmētum auri vena 38

Auripigmenti oleum 620

Aurora ſurgens 169

Aureum vellus quid 19

Aureus Ramus quid ibid.

Aurum auro quatenus transmutari poteſt 203. *cur metallorum optimum* 733. *cur ſol vocetur & qualis* 202. *diaphoreticū* 627. 652. *ex argēto vivo factum* 109. *igne non minuitur* 760. 166 444. *non eſt materia lapidis Phil.* 42. *ſeparatur à duob.* 275. *triplex in eſſentia* 566. *unde generetur* 588. *univerſale quid* 202

Aurum Philoſophorum quid 203. 246. *ejus vires* 625. *argentea deaurat* 625

Aurum vivum 668

Auri appellationes intricata 156. *cimentum* 549. *conſtantia in igne cauſa* 202. *coloris citrini cauſa corruptio* 271. *deſtructione nihil conſtruitur* 753. *extractionis formula tinctura* 271. *generationem quid impediat* 389. *materia proxima* 202. *in medicamētis præpoſterus uſus* 626. *oleū quid* 275. 625. *ponderis metallorum & argenti vivi cauſa* 202. *præcipitati doſis* 629. *projectio ſuper metalla* 747. *puritatis cauſa* 202. *quinta eſſentia* 625. *temperatura* 202. *tinctura* 270. *tinctura rubicundiſſima* 628

Auri & argenti diſcrimen 5[illegible]

Auri & argenti fœtus non cito & properanter enaſcitur 530

Aurum potabile quid 16. [illegible] 275. 533. 625. 625. 627.

Aurum potabile impoſtorum 628.

Auri potabilis compoſitio [illegible] *forma* 275. *præparatio & vires* 645. 647

ἀτλὸσιφα Pythagoreorum 96

Auctores primi tinctura 543. *qui de chemica arte variis linguis ſcripſere* 19. 20. *chemicam artē comprobarunt* 27. 28.

Auctorum ſcriptis ſolis cur ſtandum non ſit 206

B.

Balneum auri 541. *Mariæ* 500. *roris* ibid.

Balſamum antimonij 620. *naturale in homine* 274. *cum tinctura* 273. *perpetuū* 532. 534. *pulmonum* 655. *ad eius inventionē varij errores* 512 *Saturni* 635. *vitæ* 457. 469

Balſami artificialis oleū 6[illegible]

Bellum in mortuos 19[illegible]

Benedicta cariophyll. ſal 6[illegible]

Bernardi .com. Marchia Treviſana chemia 68[illegible]

Bernhardi Penoti Aquitani locus de Mercurio 600

Beryllus unde fiat 48[illegible]

Bilis purgatio 81

Bina via philoſophorum 369

Binarius quid 200. *duplex* 462. *materiam ſignificat* 782. *quaternarium efficit* 481 *rejiciendus* [illegible]

Binarium ſpirituale & corporeum cum venenis 378

Bin

...is unio reprobanda 463
...vium electionis 256
...onum Dei videre 342
...orraginis ſal 678
...orax cryſtallinus 83
...ragadinus Alchemiſta Venetus eiusq; hiſtoria 188
...ranca urſina ſal. 672
...rodium ſalis armoniaci 609 ſalis communis 607. ſalis ex oliuis 608
...ruta quo modo intelligāt 233
...ugloſſa ſal 678
...urſa paſtoris ſal 678
...uxi ſal 679

C.

Cabala plena divinis myſteriis 546
Cachymia 587
Cacodæmonum magia 665
Caius Imp. aurum ex auripimento effinxit 39
Calcinatio quid 184. in opere ſpagirico 425. minor 202
Calcinationis membra 497
Calib. Regis locus de materiis 697
Calor in arte chemica 179. duplex in Alchemia 702. terram penetrans unde 699
Calor Mercurij 566. 567
Caloris gradus triplex 48. nimij effectus 529
Calumniatores cuius filij ſint 281. cur invehātur in artes & ſuos profeſſores 282
Camomilla ſal 669
Camphora oleum 621
Camphora probatio 621
Cancer morbus 599. 632. quomodo ſanetur 662
Canones metallorū ſeptem 558
Capillorum remedia 638
Carbunculus unde fiat 487
Cardani locus de auro 626
Caro noſtra poſt lapſum 408
Carui ſal 673
Cauſa motus ſubtilior eſt ſuo motu ſeu effectu 370
Catarrhi cura 658
Centauri majoris ſal 676
Centinodij ſal 678
Centrum fons menſura 482. imaginarium binionis 467. influxus 495. mineralium 358. Monomachia 484. mundi 667. operis 296 ſapientia 391. veri increatum 467. veritatis tutiſſimum 477
Centri natura 339
Ceratio 520
Cera oleum 657
Cereviſia Martiana 664
Cervi cornu ſal 679. 680
Cervini ſanguinis ſal 680
Charefolij ſal 674
Chaos artificiale 291. quid 286 Spagiricum 418. variis modis conſideratur 286
Charitas quid 267. quando à ſeipſa incipit ibid.
Chelidonia ſal 671. ſuccus ad inveniendum lapidem adhibitus 513
Chemica ars monti comparata 184. quidnam moliatur 242. quatenus dicatur levis 121. philoſophorum 344
Chemia artis fundamentum primum 343. intelligendi difficultas 156. praxeos difficultas 159. præcepta maxime utilia 189. ſcriptores 685
Chemica medicina vis in veget. minor. &c. 26
Chemica figmēta Poetarū 20
Chemicam artem lectura ſola nemi-

neminem aſſequi poſſe 263
quis repudiarint 72
Chemica remedia in Regis Daniæ aula 82
Chryſites 789
Cimenta imperfectorum 549
Cimẽtatio minerarũ 550. partis unius ſolis cum altera luna 552. volatilium corporum 550
Cimentationes metallorũ 548
Cimini oleum 657
Cinabaris quid 535. ex ſulphure pulcerrima 517
Cinabaris minera 533
Cinnabarum Miſnia ſeu Voitlandiæ 137
Cinamomi oleum 656
Circinus erroris 463.467.482
Circularis motus Phyſiochemiſtarum 340
Claves operis chemic. 781
Clavis philoſophica 293. 298. 425. quomodo extrahatur 307
Clavis meditativa philoſophiæ 396.
Cleopatra Chemica centies ſeſtertium una cœna abſorbuit 27
Clypeus aſinorum 138
Coagulatio 499. Mercurij 551
Coagulationis materia Chemica annotat 754. & ſeqq.
Cœlum quid 285.287.298. eius ornamentum 285. Chemiſtarum 345. Elementum purum & unitum 283. extrahendi modus quis 284. in arte Spagirica 412. 419. 429. in quovis elemento naturali 279. incorruptibile 365. metallorum quid 312. metaphyſicum 385. virtutem generandi & nutriendi habet 387. noſtrum 307. philoſophorũ 247.628. qua virtute attrahat vires rerum 289. quomodo rationem habeat materiæ & formæ 286. unde oriatur 286. rerum naturalium vita 367. triplex 346. 436
Cœli & Elementor. fœdus 248
Conſideratio 296. naturã omnia creata participant 666. operatio in Elementa 367
Cognitio adepta 243. miſeria cõmunis quid operetur 246
Cognitionis utilitas 245
Cognoſcere ſe ut oporteat 244
Cohobatio 499
Colchotar vitrioli 582.65
Collectanea ex antiquis Scriptoribus de Alchem. 76
Color auri & argenti unde 3
Colores quid 290. in artificio Spagirico 422.423. elementorum in opere Chemic. 781. ex ſale naturæ 575. ſextus Spagirici 444. Lapid. philoſ. 149. majores 292. vitrioli 59
Colorum conſideratio 396 ſignificatio 436.437.4
Comez quid ſit 61
Comparatio pulcerrima corporis ad hortos 262. habitationum 269. Mercurij cum conjugib. 530. moralium d Chymiſtica 269. Naturæ Pictore 5
Congelatio quid 211. Mercurij 566
Congregatio philoſophorũ 7
Conjugium divinum 318. metaphyſicum 288
Conſcij ſuſpicione ſe prodit 193

Conſi-

Conſilium ingens 245
Conſtantiæ mirum Exemplum. 269. 448
Contradictiones Scriptorum in arte Alchem. 724
Contraria contrariis curanda 465
Contrariorum in homine mira conjunctio. 233
Corallorum liquor 649. tinctura 623
Coralli tinctura 272. Oleum eius ibid.
Cornu divortij 468
Corpus in Alchemia 740. in arte Spagirica 425. diligere in anima quid 234. ex ijs primo componitur in qua ultimo ſolvitur 100. imperfectum & immundũ apud Philoſ. 164. Mercurio, Sulphure & Sale conſtans 508. mortem cur timeat 258. minus quid 292. qua via trãseat in Eſſe ſulphureum 274. quomodo reducatur in materiam primam 274. vincendi ratio certiſſima 263
Corpora duo in minerali 572. mineraliũ imperfecta 587. naturalia perfecta cur non materia eſſe poſſint in Alchemia 768. 769. non ſolum elementis conſtare 209
Corporis bona diſpoſitio duplex 232. dimenſiones 199. facultas unde proveniat 232. quid ibid. cum horto comparatio 434. Pædagogus 262
Corruptio Chemica 198
Corruptionis rota 296. differentia 198. in homine cauſa 274
Corruptionis metallorum rotæ formula 296
Cranij hominis oleum 659
Creata à natura tribus principijs compacta 508
Creatio mundi juxta Moyſen 331. rerum occulta quomodo 247. quomodo ſecreta ibid. quomodo à Deo inſtituta 666
Creationis mũdi principiũ 335
Creatura intellectiva ſenſitiva, vegetativa unde & ex quibus 698
Croci venenum 79
Cryſtalli liquor 650
Cryſtallorum oleum 623
Cryſtallorum præparatio 650
Cryſtallus in hyacinthum mutatus 584
Cuprum quomodo fiat 590. non facile comburitur 523. in plumbũ transmutandi modus 560
Curioſitas neceſſitatem ſuppreſſit 255
Cutis remedia 727

D.

DAuci Cretici (Beerwurtz) ſal 673
Decanus 176. annorum 659
Decompoſita elementa 374
Democriti locus de Mercurio 776
Democriti locus de Meteoris 692
Dentium remedia 638. 659
Deſperatorum cura 628
Deſtructionis operis cognitio 294.
Diæta Galenica in atrophia 77
Dialogus Apologeticus de præſtantia Chemicorum medicament. 70

Diaphoreticum argẽtum 630. *aurum* 627.652
Digeſtio quid 289. *in arte Spagirica* 421
Digeſtiones graduales Lulli 175
Diligere animam 402
Dimenſiones Chemiſtarũ 200
Diocletianus Imp. libros Chemicos exurit 19
Dionyſii Zacharij opuſculum de Alchemia 710. *methodus legendi philoſophorũ libros* 722. *Experientia in Alchemia* 714. *& ſeqq.*
Diſſolutio quid 288. *in arte Spagirica* 420.426.436. *minor* 294
Diſſolutionis conſideratio 296
Diſpenſator naturalis Mineralium 575
Diſpoſitionis artificiata tres partes 237
Diſsimilitudo creaturarum unde 503
Diſtillatio ſuccorum 217
Dualitas morbus 469. *mors eſt* 357
Duellum admirabile mentis & corporis 234. 472. *& ſeqq.*

E.

Ebuli ſal 679
Eccleſiaſt. 12 *locus illuſtratus* 100
Efficacia quid 266
Electrum quid 586. *minerale duorum ejuſmodi corporum mixtura* 529
Electri ſolutioni ſeptenarius numerus competit 528
Elementum unius generis poteſt fieri alterius 528
Elementa quid 288. *in arte Spagirica* 429. *Compoſita quæ* 198. *corporum quoties deſtillanda* 448. *duo in arte Chemica* 739. *& cœlum quatenus dicantur differentia* 365. *dupliciter conſiderata* 436. *formam ab æthere ſortiuntur* 494. *formam non edunt* 493. *materialia & inſtrumentalia differunt* 497. *mercurialia* 457. *metallorum* 537. *nõ abſumuntur igne* 197. *per ſe nihil generant* 226. *principalia duo* 196. *quatenus dicantur patientia* 365. *quatuor non ſunt rerũ prima materia* 692. *quot ſint* 196. *Simplicia quæ* 198. *ſunt in quovis individuo* 279. *tripartita* 374
Elementorum arbor reſtituta 471. *Conſideratio* 296. *doctrina difficilima* 158. *Separatio* 283.297. *ſeparatio erronea quorundã* 519. *Separatio vera* 274. *per hominẽ impoſsibilis* 520. *Separatio vulgaris* 274. *triplicitas* 198 *temperatura & conſervatio unde* 236 *unio* 283
Elitropia unde cõficiatur 487
Elixir 17.22.26.116.117.118 129.130 164.171.437.625.735 *unde fiat* 23. *Elixer melis* 644
Elixiris & lapidis differentia 297. *miræ proprietates* 189
Embryonatum Spagiricũ 584 *Sulphuris* *ibid.*
Empedocles in Ætnam ſe projiciens 348
Emplaſtrum ad cancrum ſanandum 662

Enoch Hermes eſt 723
Ens primum metallorum 534
Epilepſia 599
Error in lapidis indagatione 688
Error varius de igne ſimplici Chemicorum 501.502
Errores artificum 297
Erroris via 256
Eſſe & naſci differunt 368
Eſſentia quinta 374.443.751
Evacuatio quid 287. *in opere Spagirico* 426.447
Eva proprius numerus 465
Euphragia ſal 678
Eupatorij ſal 675
Examina vitrioli 581
Experientia quid 197
Experimenta quadam in Chemia fruſtranea 134. *& ſeqq.*
Externus homo quid 232
Extrema mineralia qua 213. *metallorum* 773
Extremũ ſecundum, quid 286
Ezechielis Proph. locus de auro Chemico 10

F.

FAba Pythagora 41
Fabarum ſtipitum ſal 669
Fabri naturalis & ferrarij comparatio 372
Falſitas quid 240
Fatuus quis 234
Fermentatio quid 292.313
Fermentum in arte Spagirica 423.436.457. *compoſitũ* 312. 447 *ſimplex* 312.447
Fermẽtationis cõſideratio 296
Ferri ignita lamina 500
Ferrum in cuprũ trãſmutare 582. *transmutandi modus* 560. *in plumbum* 560
Fex aceti 679
Fides quid 266. *inter homines quando ſervari deſiit* 255
Fidei comprobatio 267. *Stimulus* *ibid*
Finis cognoſcenda veritatis 265. *operis quid* 300
Firmamẽti influxus quid 495 *ſignificatio* 345
Fixatio 520
Fixionis in ſua minera metalli deſcriptio 550
Fixum volatile 382
Flores Antimonij 616
Flos auri Hermetis 742
Flumina fructus elementi aqua in mari moriuntur 573
Fluvius de cœlo affluens 251
Femina metalli mortua 524
Fœniculi montani ſal 673. *vulgaris ſal* *ibid.*
Fœtoris, per deſtillationem, oleorum correctio 219
Fœtus quid 227 *ſpagiricus* 420 445.
Fœtus ſpagirici generatio 449
Fontanum ſal 577
Fons Chemia 750
Fons in Vngaria ex vitriolo originem ducens 581
Fontes in lapides res transformantes 497
Fontium ſcaturigines ex Mari 349
Forma in arte ſpagirica 419. 425. 429. 430. 436. 437. *Cœlum quid* 346. *generalis in metallis* 202. *minor quid* 293. *motiva quid* 302. *natura quid* 196. *quatuor elementorum* 374. *quomodo magiſterium ingredi debeat* 287. *quotuplex* 298. *triplex* 302. *rerum quid* 288
Forma cõſideratio 296 *virtus & effi-*

& efficacia 595. univerſalis efficacia 204. metallica unde creata 700
Formarum generationes 196. ſeparatio ordine naturali & ſpagirico 493
Fornacum in officina Chemica nomina 75. 180. varia constructio vaſorumque 206. & ſeqq. 679
Fraxini ſal 679
Frequentia quid 262
Fructus mineralium 572
Fuligo vera duplex 779
Fumariæ ſal 675
Furni acedioſi uſus 216
Furnorum genera in arte Chemica 180
Furnus ſecretus 180

G.

Galenus Moſen ridet 98
Galeni ſententia de ſale 681
Galeni vitia 91
Galenicus idololatra confuſus 98
Galyopſis ſal 695
Gariophyllorum oleum 659
Geber Chemiam definivit & locupletavit 98
Geberi locus de materia congrua lapidis 688. 794. de vi medicinæ Chemica 25. ſophiſtica de præparatione lapidis 516
Gehameum coniugium 546
Gemmæ ſal 680
Genealogia mineralium 568
Geniſtæ ſal 670
Gentianæ ſal 670
Georgij Galli Schnebergenſ. judicium de Antimonio 616
Gemmarum liquores 624
Generatio quid 289. Chemica quid 199. Spagirica 421. dupliciter conſideratur 436. humana cur potiſſimum veneranda putatur 248. mineralium 569. rerum 226
Generationem extra ſe non fieri, nō tamen in ſeipſa 247
Generationis cauſa 278. naturalis artificialis, 697. conſideratio 296. media eius 296 rota unde ſumat exordium ibid.
Generationes in terra, meteoricis non abſimiles 366
Genus generaliſſimum rerum creatarum 366
Genera generaliſſima tria 386
Gentiles carent eo quod docent 152
Gentilium doctrina falſiſſima 152. ſectatores cur non intelligant arcana Dei 279
Geſnerus oleum vitrioli commendat 83
Gignenere in quo impoſſibile, in quo autem neceſſe 248
Gilberti Cardinalis tinctura ex album. & vitell. ovorum 514
Gingidij ſal 674
Gladius ſuſpenſus 154. in Chriſtum mutatus 154. in hamum converſus ibid.
Globus terræ 556
Gradatio per aquam fortem 553. per liquorem 553. 554. per oleum 553
Gradationes metallorum 552
Gradus ſcalæ transmutationis ſeptem 497
Græcorum avaritia Ægyptiacam medicinam corrumpit 496. cū Spagiris cōtroverſia de ſeparatione formarū 494

Græci libri chemici 19.20
Græci omnium artium corruptores 547
Granata in torrentibus 588
Granatorum oleum 623.650
Granum frumenti cadens in terram 355
Gratia tempus 154
Gratiola vel Gratia Dei ſal 670
Grillus, vel Grilla 582
Guaiaci ligni ſal 679
Guilhelmi Pariſienſis locus de hominis creatione 696
Gumma Philoſophorum 312

H.

Hereditas a parētibus prima 241
Hecla Islandiæ mons. 112
Helias Artiſta 537.582
Hellebori nigri præparatio 658
Hellebori ſal 677
Heracliti locus de anima metalli 18.34
Herba fortis ſal 675
Hermes Triſmegiſtus 8. 359. 504.713
cur Triſmegiſtus dictus 262. 385. 545
à Trithemio explicatus 378 *& ſeqq.*
inſtaurator artis chemiſticæ 684.713
Hermetica doctrinæ ſcopus 361.
Hermetis dictum de Mercurio 510. *locus explicatus* 369
male interpretatus 383
locus de fermento 518
de genealogia ſpagiricæ prolis 392
de lapide vero 729
de vi ſuperior. & inferior. explic. 383
de terra ab igne ſeparanda explic. 380
Hermetis præparatio ſalis peregrinorum 611
Hermetis Tabula Smaragdina 362
Heſperides qui fuerint 19
Hiera Galeni 80
Hieroglyphica Ægyptiorum deſcriptiones 510
Hippocratis medicina rudis 91. *vitia* *ibid.*
Hircini ſanguinis ſal 681
Hiſtoria Bragadini 188
de Monacho alchemiſta occiſo 188
Homerus 545
Homo ad ultimam ſuam adducitur materiam 275
cur ad vile magis pronus quam ad precioſum 244
cur brutis irregularior 248
cur cœli terræque filius ſit 274
cur omnium excellentiſſimum opus 248
diverſimode judicādus 274
in duo numeratur 396
in quem finem creatus 460
in quid res omnes mundi transmutare novit 274
intra ſe poteſt, quod extra ſe 274
naturaliter ſeparatur in aurum *ibid.*
quidnam à principio fuerit *ibid.*
quomodo & quando dominari poſſit aſtris 274
quot partibus potiſſimum conſtet 232
ut cōvertatur ad Deum 396
Hominem cur odio habeat propria ſubſtantia 274

Hominis comparatio ad eſcã vel fomitem 274
Conditionũ differentia 233
finis 245
media materia qua 274
principium domeſticũ 101
principium duplex ibid.
Homines cur brevioris vitæ quam olim 461
Horti & corporis comparatio 433
Hoſpes ſeverus quis 257
Humanarum inclinationum ſeptem duces 473
Humanum corpus unde originem trahat 97
Humiliationis noſtræ myſterium raro conſideratũ 243
Humores quatuor infidelium Medicorum 464. 470
Hyacinthus quomodo effingatur 487
Hydrargyrum Hiſpanicũ 136
Hydromelis acetum 664
Hydromelis præparatio & uſus 663
Hydropicus morbus 599
Hyle 26
Hymen Lulli 731
Hypericonis ſal 669

I.

IDæa monarchiæ triadis 483
Idolum quisq; ſuum 260
Idria minera in confinibus Carniæ 136
Ignis & aqua principem locũ obtinent 498
Ignis aquam in ſe convertens 373
athanoris 501
in arte qualis eſſe debeat 702
in Chemia multiplex 46
chemicorum ſimplex 501 *de materia ſubſtantia non eſt* 702. *an plus abſumat quã generet* 373
externus & internus 781
in centro terræ originem habens 347
inviſibilis radiorum ſolis per Cryſtallum operatur 500
lapidis 448
Philoſophicus multiplex 503
quodvis occultum reſerat ut clavis 570
Ignis bina media 196
cognitio in arte chemica 178
conatus 197
diverſitas & uſus 211
duplex 197
duplicis duplex officiũ 197
Elementaris potentia quæ 227
lapidis ex quib. 313. *in arte magiſteriũ in quo conſiſtat* 382. *per quid accẽdatur* 274
Ignium genera quatuor 180. *varietas* 179. *ſubjecta varia varias habent operationes* 499
Imaginationes quomodo examinandæ 479
Imaginationis aſſidua virtus & efficacia 245
Imago Dei quid 239
Imitatio naturæ per artem 278
Imperatoria ſal 671
Impurum quid 270
Inceratio quid 295. *Spagirica* 427
Inclinationes humanæ quomodo juxta planetas cognoſcendæ 474
Inclinationum humanarum duces ſeptem. 473

Indicia artificij 304

Indigni qui ſint in arte chemica 266

Inſtdiduum quid 227

Infantuli cutis ſolidior reddita ſale inſperſo 605

Infirmitatum cauſa maxima 256

Ingenium magnum quid apud Hermetem 382

Inimici in omnibus 259

in natura qui 234

Initium operis quid 300

vitæ æternæ quod 258

Inſtrumenta Alchemiæ 556

viſibilia & localia 503

Inſtrumentum Chemiſticum quid 210. *quotuplex* 206. *naturæ quid* 210. *quotuplex* 210. *proprium Spagirorum* 381

Intellectus quid 232. *officium ibid.*

Internus homo quid 232

Ioann. de Rupeſciſſa fabula de lapide albo & rubeo 516

Iovis natura & proprietas 561

Spiritus 523

vires in medicando 631

Irrigatio per vivam aquam 263. *quæ hæc ſit ibid.*

Iter bivium illud quod optionis dicitur 249

Iuniperi oleum 657

Iupiter aer & ventus 455. *religionum dux* 473. *Spagiricus* 378

Iuriſconſultorum de Alchemia judicia & reſponſa 48. & *ſeqq.*

Ius Alchemiæ 48. *uſque ad* 64

Iuventus quomodo recuperanda 628

L.

L*Ac gallinaceum* 42. *philoſophorum* 742. *virginis* 451. 513

Lapis quid 295. 306. 313

Lapis philoſoph. 541. 619. 667. *quid ſit ejusq; virtutes* 116. *animalis* 313. *cur dictus animalis, vegetab. mineral.* 22. *cur animalis dicatur* 167. 515. *mineralis* 313. *unde ibidem. cur mineralis dicatur* 170. *mixtus* 315. *Vegetabilis* 314. *cur tam varia habeat nomina* 130. *proprium nomen non habet* 159 *in omni re & ubique invenitur* 171

Lapis philoſ. comparatur animalibus 146. *aquis fortibus* 149. *Cælo* 150. *coloribus* 240. *Gummis & reſinis* 148 *homini* 144. 167. *Humido omni* 149. *imaginibus & figuris* 147. *Mari & fluminibus* 149. *mediis mineralibus* 148. *metallis* 148. *Oleo, pinguedini* 150. *omnib. rebus elementatis* 143. *ovo* 146 *Salibus & aluminib.* 149. *Sicco omni* 150. *Theriaca & medicinæ* 147. *vegetabilibus* 147. 169. *venenatis & reptibilib.* 174. *vento & vapori* 150 *volatilibus* 146

Lapidis philoſophici abbreviatio 313. *complementum ibid. colores varij* 47. *ex vera materia fabricatio* 525. *formandi modus & norma* 298. *invētio multis erroríb. obſcurata* 252. *materia* 155. 159. 164 *materia varia efficta* 44. 164. *matrimo-*

pium 529. minoris practica 301. natiuitatis tempus 180. opus quatuor anni temporibus aſsimilatur 151. practica 304. practica præ cæteris excellentiſs. 303. principia tria 116. regimen & operatio 173. varia nomina 145. & ſeq. 156. 512. varia ſignificata 116. 117. 144. uſus 47
Lapidem renum comminuendum 657
Lapidem philoſoph. extruere ex ovis 687
Lapides philoſophici duo 686
Lapides pretioſi 556. Chemica arte effecti 26. tria continent 625
Lapidum pretioſorum ſtructura 485. plurium in unum reductio 319
Lapidi Adamici compoſitio 520
Lapidis reperti in ſpõgiis ſal 680
Lapis Iudaicus 623
Lapis mixtus ex quo fiat 487
Lapis phrygius 87
Lapis terra foliata 458
Lapidum & metallorum generatio 356
Lapidum materia prima 201
Lappa majoris oleum 657
Lapſus primi hominis 408. 476
Latini libri Chemici 19
Laudanum opiatum 651
Legum tempora 154
Leo rubeus, & viridis 608
Liberalitatis Dei primum exemplar 243
Libri Chemici 128. 132. 139. &c. Arabice, græce & latine ſcripti qui deſiderantur 20
Lili Alchemia & Medicina 536
Linteamenta dealbanda 643
Liquor corallorum 624. ſulphuris duplex 584
Liquores gemmarum 624
Liquoris gradatio 553. aquoſa gradatio 554
Liquorum concretorum tria genera 220. deſtillatio. ibid. ebullientiũ deſtillatio 220
Liviſtici ſeu Liguſtici ſal 672
Locus Chemiſticus quotuplex 206. proprius Chemiſtarum quis ſit 206. quærendi metalla 557
Lucta continua 257
Lues venerea curanda 601
Lullius in luce Mercuriorum 764. in magia naturali 761. in repertorio ibid.
Lumen perlarum 309
Luna non patitur defectum 367. conſtantiæ dux 473. uxor ſolis & mater rerum 376
Luna terra 600
Lunæ natura & proprietas 564
Lunæ vera præparatio 630
Lux & Luminare differunt 350
Lux vita idea 350

M.

Magia quid 665. an ſit licita 665. ex divino ternario orta 484
Magi qui Chriſtum adorarunt 546
Magiſterij totius finis 310
Magiſteriũ diſſolutionis 771
Magiſtri Henrici confeſſ. Imperatoris circa lapidis inventionem operatio 687

gnes lapis 439. *animatus* 44

agneſia corpus 778. *operationes* 784. *ſynonyma* 778

aius perfectum quid 292

aioris perfecti conſideratio 396

alum homini proprium 407

ane & veſpere quid notent 343

arcaſitarum colores 587. *Saturni quinta eſſentia* 619

argaritarum quinta eſſentia 622

arſilius Ficinus de temperamento 456

artagnon 512

artis effectus in medicina 632. *natura & proprietas* 562

arti mollitiē conciliare 309

ater chemica quid 201

ateria quid 196. 298. *Chemicorum in animalib. nō quærenda* 515. *in opere Spagirico* 405. 435. 437. *lapid. philoſ.* 155. 159. 166. 446. 508. 509. *lapidis per electrum* 525. 526 *metaphyſica quid* 286. *minor quid* 293. *philoſophica in genere* 508. *philoſophorū unica* 520. *prima quid* 275. *prima metallorum quæ dicatur* 312. *prima & ultima mineralium* 575. 571. *quot modis conſideretur* 286. *rerum ultima quid* 275. *tinctura* 535. *vera in Alchemia* 735. 736. 737. 742. 751. 760. 784

ateria & forma ſpagirici lapidis proportio 520

ateria conſideratio 396. *potentia unde* 196. *ſpagirica præparatio* 382. 519. *præparandi modus* 429. *ſubjectū ultimum quid* 274

Materiam balſami perpetui inveniendi varij errores 512

Mathiolus laudat antimoniū 616

Matrimonij nexus 428

Matrimonium philoſophici lapidis 529

Matrix philoſophica 506

Media in opere ſpagirico 425. 432 436. *mineralia quæ & cur ita vocentur* 205

Medicamentorum chemicorum præſtantia 70. & *ſeqq: differentia* 260

Medici duplices 99. *inſulsè artem in vegetabilib. fundarunt* 522

Medico peregrinationem eſſe neceſſariam 105

Medicina corporis humani ex auro chem. 748. *ex mineralibus mixtis vegetabilibus* 443. *perfecta* 528. *perfecta ſeptem requirit juxta Hippocrat.* 92. *tempore Hippocratis qualis* 75. *triplex.* 226. 237

Medicinæ artis definitio apud Galenicos inſufficiens 92, *de electro doſis* 528. *finis* 335. *fundamentum in electro* 527. *origo* 592

Meditativum ſtudium 405

Medium conjungendi Mercuriū cū prima materia 447 *extrema conjungens* 447 *in opere ſubtiliſsimū* 296 *quid* 311. *Meliſſæ ſal* 670

Meliſſæ ſylveſtris ſal 675

Mellis elixir 644

Membra quid 233

Memoria quid 233
Memoria præteritorum cauſa ibid. radix excellentiſſima ibid.
Menſtruum quid 298. *in hac arte quid* 298. *Lulli* 41. *reſolubile quid ſit ibid. reſolutivum quid ibid. vegetabile & reſolubile* 438
Mendaciorum pallium 242
Mens cur non metuat mortem 258. *petenda & exercenda* 237
quid 232
quando bene recipitur 233
quando ſit ibid.
unde 236
unde oriatur 246
unita ex duobus 258
Mentem promovens medicamentum 237
Mentis efficacia 225
occæcatio unde proveniat ibid. repurganda methodus à malis cogitationibus 262
ſpeculativa poteſtas 242
Mercuriales in homine liquores 105
Mercuriales hominis partes 105
Mercurius quid 600
Mercurius enecatus 78. *ex tartaro* 310. *mortificatus* 745. *omnium rerum receptaculum* 600. *philoſophorum* 510. 599. *ejus in medicina uſus* 599. *Planeta Mechanicarum dux* 473. *primum locum tenet in metallis* 570. *ex quatuor elementis compoſitus* 699. *Senſualis* 387. *Solis corpus* 522. *Sperma Solis & Lunæ* 509. *Sulphureus Paracelſi* 345. *transmutatus in Lunam* 576. *vegetabilis* 420. *vegetab. quomodo dicatur natus ex duabus ſubſtantiis* 288. *vita* 469
Mercurij Triſmegiſti locus de lapide philoſ. 510. *de lapide animali* 515
Mercurij actus in tartarum 441. *calor & congelatio* 566 *coagulatio* 550. *colores varij* 703. *comparatio ad cutem* 365. *Diaphor. liquor* 653. *extrahendi modus* 310. *in medicina abuſus* 600. *natura* 567. *operationes* 441. *proprietas* 561. *ſpiritus* 524 *varietates in mineralibus* 575.
Mercurius & ſulphur materia metallorum 5[illegible]
Mercurium coagulare 5[illegible] *ſolidandi, congelandi, & mortificandi ratio* 567 *extrahendi modus* 442 *ſiccitate an frigore vel calore efficiatur* 565. *quibus vis ineſſe arcanum* 345
Meſſis mineralium 5[illegible]
Metalla à natura abſoluta perfecta & imperfecta 5[illegible] *centro viciniora* 358. *in monetam excuſa ſub terra in lapides verſa* 496. 556. *omnia ad aurum à natura ordinata* 726. *planetarum nomina ſortita* 204. *quærendi modus & locus* 557 *quinque frigida* 566. *ſex ſeptimum generant* [illegible] *ſeptem numero* 590 *unde dicta* 33. *ut membris corporis hum. proſint* 84
Metallica eſſentia [illegible]

magis

magis durabiles 511
Metallicarum virtutum cauſa 202
Metallorum ductilium principia 43
Metallorum extrema 773. *gradationes* 552. *humiditas* 732. *deſtillatio per ſe* 217. *initium Mercurius* 570. *materia prima* 202. *principiorum triplex ſtatus* 201. *quorundam generatio* 37. *ſeptem canones* 599. *ſperma* 98. *uſus in medicina* 356.
Metallum ex cobletis 587
Metallum & lapis ut differunt 381
Microcoſmus primo vir fabrefactus, non opus integrum 525
Microcoſmus vocatur lapis 515
Mineralia quid 201. *ex quibus generantur* 201. *ut corpori humano proſint* 74
Mineralia & metallica remedia 83
Mineralium cum pyro comparatio 533
Mineralium diſpenſator naturalis 576. *genealogia* 568. *generatio* 569. *genus in Europa admirandum* 532. *mater aqua eſt non terra* 570. *materia prima* 575. *ejus variatio ibid. triplex genus* 201
Minus perfectum quid 293. 312
Minerarum cimentatio 550
Miraculum adeptum ex habitu 269
Mixtibilium individua 442
Mixtio in arte ſpagirica 421. *cœli varia* 413. *gradus multiplex* 776. *quadruplici ſignificatione* 436. *quibus fiat* 288
Mixtionis conſideratio 203
Mixtione planetarum inter ſe variatur lapidis conditio 310
Monarchia triadis idea 484
Moneta metallica in lapidem mutata 496. 556
Monomachia centrum 484
Morbus quid 25. *contra naturam quid ſit* 457. *Neapolitanus* 601. *omnis ex una radice, ſic medicina* 468. 50
Morborum omnium origo 332
Morbi à Paracelſo per tincturam ſanati 628
Morbi non curantur, ſed expelluntur 465
Morbi expulſi arte philoſoph. 631. *antimonio præparato* 616. 617. *argento philoſoph.* 630. *auro diaphoretico* 652. *auro philoſophorum* 626. *auro potabili* 628. *& ſeqq. balſamo Hypericonis* 654. *ſulphuris compoſiti* 654. *brodio ſalis communis* 607. *brodio ſalis ex olivis* 608. *eſſentia perlarum* 569. *fece aceti* 679. *ferro philoſophico* 632. *laudano opiato* 652. *helleboro nigro* 658. *liquore corallorum* 649. *cryſtalli ibid. mercurij diaphor.* 653. *oculorum cancrî* 650. *perlarum, ibidem. ſulphuris* 655. *tartari* 661. *mercurio & regulo* 653. *mercurio philoſoph.* 599. *nitro præparato* 637. *uſque ad* 644.

Morbi qui pelluntur oleo aniſi 656. *antimonii* 655. *argent. philoſoph.* 630. *auripigmenti* 621. *balſami artificialis* 650. *camphoræ* 622. *ceræ* 657 *cinamomi* 656. *cimini* 657. *cranii hominis* 659. *cryſtallorum* 623. *gariophyllorum* 656. *granatorum* 623. *juniperi* 657. *lappæ maioris* 657. *laterino* 622. *ligni pini* 654. *piperis nigri* 656

Oleo Martis 655

Muſcatæ nucis 656. *ſalis communis* 607. & *aqua ſalis nitri* 611 *ſapphiri* 623. *ſardæ* 623. *ſulphuris* 602. 659. *talci* 621. *terebinthinæ* 657. *vitrioli* 612. 613. 614. 615. *vitrioli veneris* 652

Morbi qui pelluntur oxalma ſeu muria acida 608 *plumbo philoſoph.* 662. *pulvere nitri præparato* 610. *quinta eſſentia antimonii* 620. *Samech* 653

Morbi qui pelluntur ſale 605. 606. *abſinthii* 671. *angelicæ* 672. *ariſtolochiæ* 676. *armoniaco* 609. *artemeſiæ* 670. *aſari* 677. *benedictæ cariophill.* 677. *borraginis* 677. *brancæ urſinæ* 672. *bugloſſæ* 677. *burſæ paſtoris* 677. *buxi* 677. *camomillæ* 670. *caprarum cornu* 680. *carui* 673. *centinodii* 678. *centaurij maioris* 676. *cervi cornu* 680. *cervini ſanguinis ibid. cherefolii* 674. *chelidoniæ* 671. *cornu cervi* 680. *dauci cretici* 673. *ebuli* 679. *euphragiæ ibid. eupatorij* 675. *fœniculi montani* 673 *fœniculi vulgaris* 673. *fraxini* 679. *fumariæ* 675. *galyopſis ibidem. gemmæ* 680. *geniſtæ* 670. *gingidij* 674. *gratiolæ* 670. *guajaci ligni* 680. *hellebori* 677. *herbæ fortis* 675. *hircini ſanguinis* 681. *hypericonis* 669. *imperatoriæ* 672. *lapidis reperti in ſpongiis* 680. *leviſtici* 672. *meliſſæ* 670. *meliſſæ ſylveſtris* 675. *ononidis* 670. *parietariæ* 676. *pentaphylli* 676. *perſicariæ* 677. *Petroſelini* 674. *pimpinellæ* 673. *pinaſtelli* 674. *plantaginis* 676. *polipodii* 669. *quercini ligni* 679. *ſalicariæ purpureæ* 675. *ſambuci* 679. *ſtipitum fabarum* 670. *ſymphiti* 677. *tali boum & porcorum* 680. *tali ſuilli* 679. 680. *tormentillæ* 676. *valerianæ* 676. *vitis viniferæ* 679. *verbaſci* 675. *veronicæ ibid.*

Morbi qui pelluntur ſpiritu ſuccini albi 651. *tartari* 650 *vitrioli veneris ſpiritu* 652. *ſtanno philoſophico* 631. *ſulphure vitriolato* 604. *tartaro præparato* 660. 662. *tartari cremore* 661. *terræ ſigillatæ* 651. *tinctura corallorum* 624. *vitrioli albi vomitorio* 652. *vitrioli præparato* 612

Morieni locus de ſulphure noſtro 700

Mars quid 240. 258. *arboris mineralium* 574. *chemiſtica* 360. *elementorum & præſertim aquæ* 573. *mentis & corporis* 462. *perpe-*

tua

ſua quare dicatur 415. quibus jucunda 711. Voluntaria 401.
Motus quid & quotuplex, quamque varie conſideretur 205. in artificialibus & naturalibus 370. dupliciter unus 372
Multiplicatio chemica 244. 447. minor. 294. 313
Mundanum quid 406
Mundi fabrica 254. fabrica mira concluſio ibid. peregrinatio 256. prima materia 340. pulchritudo 255. nexus quomodo perficiatur 372
Mundus elementaris quot & quibus conſtet 201. unione creatus 335. univerſus tribus conſtans 372. 386
Muria 578. acida 608. artificialis 578
Muſcata nucis oleum 656

N.

NAſci & eſſe differunt 368.
Natura quid 196. incorrupta quid 235. juxta ordinem operatur 492. magnetica 196. minerale ſperma in varia genera diſtribuit 515. pictori comparatur 575. prima quid 274. quæ potior 225. quid vere dici poßit 278. quomodo & per quid operetur 283. quomodo emendetur 690. quotuplex 135
Natura binum inſtrumentum 196. circularis operatio 197. ſulphur quid 306. vinculum 197
Neceſſarium quid 238
Neceßitas quid 241
Nihil quid ſit 240. ex nihilo 259
Nicolai Flamelli ænigma chemicum 21
Nitrum & eius vires 599. præparatio 637
Noa Chemicus 9
Nudus quis 240
Numeri impares maſculei, pares feminei 465
Numerorum ordo & gradus 396
Numerus primum membrum ordinis 371
Nutrix chemica quid 201
Nutrix fœtus natura 378

O.

OCcultatio medicinæ chemiſticæ ſub metallis 204
Occultator metallorum 559
Oculorum cancri liquor 650
Odiſſe corpus in anima quid 234. animã in corpore quid ibid.
Olea frigida 657. incombuſtibilia 453
Oleorum deſtillatio per deſcenſum 215
Oleum ad renum lapidem expellendum 657
Oleum ſpagiricum 426. noſtrum 295, quid 313. incombuſtibile 307
Olei natura & proprietas 728 gradatio 553
Olei ſolis deſcriptio 276. eius digeſtionis corpus 276
Olei ſulphuris tinctura 585
Oleum aniſi 656. antimonij 542. 618. 655. argenti philoſoph. 630. auri 625. auripigmenti 620. balſami artificialis 650. camphoræ 621. ceræ 657. cimini 657. cinamomi 656.

tni 656. cranij hominis 659. cryſtallorum 623. garſophilorum 656. granatorum 623 650. humani ſanguinis 635. juniperi 657. lappa majoris 657. laterinum 622. Martis 655. ex Mercurio ſepties ſublimato 516. nucis muſcata 656. piperis nigri 655. ex plumbo Philoſophorum 444 ſalis cõmunis 607. ſalis nitri 610. 636. ſapphiri 623. Sarda 623. Saturni 633. Solis 542. ſulphuris per campanam 659. ſulphuris multos ſanat morbos 608. talci 621. terebinthina 657 vitrioli 85 541. vitrioli praſtantiſsimũ 614. vitrioli & antimonij 516. vitrioli Veneris 652. ex vitro antimonij 618

Omnia cœli ac terra contenta cognoſcere 247. unde & quo redeant ibid.

Omnium in unũ adductio 204

Ononidis ſal 670

Ω omega forma quid notet 469

Operatio quid 289. in arte ſpagirica 423. 436. chemiſtica 198. 211. chemiſtica quotuplex 206

Operationis conſideratio 296

Operationes lapid. philoſ. 173. ſpagirica ſeptem 453

Operationum in alchemia varietas 719. 731

Operatorium chemiſticum 212

Opinio quid 195. 243. in philoſophia 365. 413

Opiniones de lapide philoſoph. differentium 37

Opus chemiſticum, quotuplex 211

Ordo in artis chemica tractatione 371

ſpagiricus 493

Ovorum albumen & vitella in Mercurij fixatione adhibitum 514. 682

Ovidij Metamorphoſ. lib. 379

Ovum metallicum 18. philoſophorum 41. 289. 507

Ovum ſomnianti theſaurus contigit 42

Oxalma 608

P.

PAllax lapis ex quo fiat 487

Panacea vegetabilis deſcriptio 643

Panis medicina 335

Paracelſus, cur Germanice, vel materna lingua ſcripſerit 204. non omnes ſuos agnoſcit diſcipulos qui libros ejus lectitant 507

quatenus carbonum ignem in arte admittat 505

ſpagirica medicina inſtaurator 504

Paracelſi calumniatores 503

Paracelſi Academia in qua omnia didicit 576

Phyſica fundamentum 344

Paracelſi locus de Antimonio 616

de balſamo perpetuo 511. 512

de conjugio ſpagirico 531

de curanda podagra 629

de electro 526

de fermento 518

de principio creatarum rerum 357

de proceſſu alio ad lapidem 532

de proportione lapid. ſpag. 521. de ſole caleſti 375. de ſtomacho membrorum corpor. 403. de

403. de vaſe philoſoph. 507. de uſu antimonij 618
Paralyſis ut ſanetur 639
Parietariæ ſal 676
Partes dum ſunt in ſuo compoſito, proprias vires non exercent 274. chaos artificialis quæ 278. naturam ſui totius retinent 278
Parvus mundus quid 279
Paſta alba & rubea 165
Patavina Academia 107
Pater chemicus quid 201
Patria olim felix 251
Paupertatis remedium 256
Pax quid 245. 247. ejus cauſa 245. miſericordia radix 415
Peccatum quid 240
Peccatum & mors quid ſint 408
Pentaphylli ſal 676
Peregrinationis abuſus 107
Perfectum minus in opere ſpagirico 423. 446. 447. majus 424
Perfectum nihil præter unum 239
Perfectionis cauſa 203. rerum omnium cauſa potiſſima 235
Perlarũ eſſentia ac vires 622 liquor 649
Perſarum rex σόφος 544
Perſicariæ ſal 677
Perſonarum acceptor cur Deus non ſit 244
Petere vere quid 237
Petri Appiani locus de epitaphio chemico Patavino 29
Petroſelini ſal 674
Pharaonis cor unde induratum 434
Philoſophia quid 253 chemiſtica quid 198 in quibus conſiſtat 236. meditativa quid 399. naturalis tria habet principia 390 ſpeculativa 232
Philoſophiæ bina via 195. 365. chemicæ definitio 780. Doctores varij 11. 12. Græca pabulũ quibus nauſeam excitat 253. meditativa clavis 396. naturalis ſtudioſus quis eſſe debeat 393. nomen 636
Philoſophici ſalis materia quæ ſit variæ opiniones 39
Philoſophorum proprium 142
Phlegma medij 309
Phœnix Cabaliſtarum 534. 595
Phrygius lapis 87
Phyſica Ariſtotelis, Avicennæ, Rhaſis, &c. falſa 574. Græcorum 572. ſpagirica Hermetis 359
Phyſices principia 278
Phyſici ſuperficiales 464
Picolomineus Toparcha 188
Pietas quid 241. 409. unde 243. circa quæ verſatur 243
Pilula catholica 655
Pimpinellæ ſal (Steinpfeffer) 673
Pinaſtelli (Harſtrã vel Hirtzwurtz) ſal 674
Pindari ſententia de auro 36
Piperis nigri oleum 655
Planetæ à Sole ignem habent 501. quomodo fœtum in utero regant 474
Planetarum imaginationes menti hominis impreſſæ bona 473. mala 472. ſitus non conſtituit calorum numerum 345
Plantaginis ſal 676

Plinij locus de Cleopatra cœna ſumtuoſa 27

Plinius fumo ſuffocatus 348

Plumbum 588. *album ſapientum* 541. *cur ab igne fugiat* 700. *in aurum vi herbarum converſum, fabula* 120. *in argenti mineris* 734. *in cuprum & ſtannum vertendi modus* 560. *philoſophicũ* 633. *ſonans* 718

Plumbi colores 143. *duo genera* 37. *metamorphoſis mira ibid.*

Pœnitentiæ obſtaculum 252

Polypodij ſal 669

Pondera ſpagirica 485

Ponderum fundamentum in Alchemia 616. *cognitio* 175

Pondus artificiale & naturale 521. *inter ſpiritum, animam & corpus ibid. medicamenti de electro* 528 πονηρίον *Chemiſtarum* 75

Potentiæ conſideratio 296

Præparatio quintæ eſſentiæ cũ quibus fieri debeat 215

Præpatatio materiæ lapidis per electrum 525

Præparationes materiæ ſpagiricæ apud Geberum, Albertum, Thom. Aquin. &c. quid 519

Praxis chemiſtica 206. *quid ſit ibid. ſpagirica* 430

Pretioſorum lapidum fabricatio 315

Pretium vile carumque quid 244

Primus numerus 371

Principia in arte ſpagirica 436. *tria* 390. *tria creaturarum à natura* 508. *rerum omnium quæ prima* 372

Principiorum naturalium triplicitas 198. *horum ac mediorum huius artis comparatio* 296

Principium in mundi creatione quomodo intelligendum [illegible]

Proceſſus Paracelſi ad lapidem 532.535.538

Procreatio circularis Hermetis 727

Proportio materiæ & formæ ſpagirici lapidis [illegible]

Proprium quid homini 239. *cuique quid* 243

Pulices in conclavibus enecare 607

Pulveris philoſoph. materia & compoſit. [illegible]

Pulvis árgent. philoſoph. 610 *nitri* 609

Purgãtes medicinæ Galeni [illegible]

Purgatio per vitriolum [illegible]

Purgatio ſine exoneratione alvi [illegible]

Purgatio radicalis ibid.

Putrefactionis proprietas 498 *membra* 499

Purum unde dicitur 277

Pyrauſtum [illegible]

Pyrites argentea 777. *pro lapide philoſoph.* [illegible]

Pyrus ut in arbore lateat [illegible]

Pythagoras 545. *vocatur* [illegible] 644.

Q.

QValitatum ſeparatio 283

Quaternarius cum ternario per unionem in ſeptenario conveniens 468

Quaternarius & ternarius ad denarium 547

Quaternarius numerus Pythagoricus 391

Quer-

Quercini ligni ſal 679
Quercuum radices in lapides transmutatas 496
Quinta eſſentia quid 280. 533. *catena aurea* 751. *cur omnibus & ex omnibus æqualis ſit* 283. *quo argumento oppugnetur* 374. *unde trahatur* 283
Quinta eſſentia auri 625 *marcaſita Saturni* 619. *margaritarum* 612. *metallorum* 312
Quinta eſſentia vini præparatio 215

R.

Radices mineralium 571
Radix inſtitutionum Dei 265
Rami in artis ſpagiricæ amplitudine 438
Ramus aureus quid 18
Rationalia quomodo intelligant 263
Ratio prima quid 233. *cujus & quid ſit* 262
Rationis officium 262
Reconcilatio cum fratre myſterium 245
Rectificatio quid 213
Reductiones ad primam materiam 696. 697. 699.
Regale cimentum 549
Regina, Rex item chemicus ut mundum alloquatur 531
Regio mundi tertia & ſecunda 256
Regis projectio ſuper metalla 747
Regula de creatione 666
Regulus antimonij 619
Reiteratio in arte chemica 436
Remedia metallica & mineralia 83
Rerum occultæ vires per ſeparationem aliquando manifeſtantur 268
Reſina terræ 584
Reſurrectio metallorum 524
Rota circulus 225
Rhaponticum unde dictum 783
Rhaſis locus de auro 646
Rubinus ut noctu luceat 585

S.

Salia cathartica apud Græcos 681
Salia hominis quomodo reducatur in calcis naturam 274
Salia multiplicia 682
Sal abſynthij 671. *alcali* 681. *angelicæ* 672. *animatus* 47. *aniſi* 680. *ariſtolochiæ* 676. *armoniacum* 609. *ſublimatum* 609. *benedictæ cariophilatæ* 678. *artemiſiæ* 670. *aſari* 676. *borraginis* 678. *brancæ urſinæ* 672. *burſæ paſtoris* 678. *buxi* 679. *bugloſſæ* 678. *carui* 670. *camomillæ* 676. *centaurij majoris* 675. *centinodij* 678. *cervini ſanguinis* 680. *charefolij, alias gingidij* 674. *chelidoniæ* 671. *cornu caprarũ* 680. *cornu cervi* 679. 680. *dauci cretici* Berwurtz 673 *ebuli* 679. *euphragiæ* 679. *eupatorij* 675. *fœniculi montani* 673. *fraxini* 679. *fumariæ* 675. *galyopſis aut meliſſa ſylveſtris* 675. *gemmæ* 680. *geniſtæ* 670. *gentianæ* 670. *gratiola vel gratia Dei* 676 *hellebori* 670 *herba fortis* 674 *hircinum* 681. *humani ſangui-*

ſanguinis 724. *hypericonis* 670. *imperatoria* 671. *lapidis judaici* 712. *lap. reperti in ſpongiis* 680. *levistici ſeu liguſtici* 672. *ligni guajaci* 679. *ligni quercini* 679. *ex lotio* 511. *meliſſa* 670. *meliſſa ſylveſtris* 675. *metallicum* 45. *nitrum* 580. *ononidis* 670 *parietaria* 676. *pentaphilli* 677. *perſicaria* 676. *petroſelini* 674. *pimpinella* Steinpfeffer 673. *pimpinella nigra* 673. *pinaſtelli*, Harſtra oder Hirſchwurtz 674. *plantaginis* 676. *polypo[illegible]ij* 669. *ſalicaria purpurea* 675. *ſambuci* 679. *ſtipitum fabarum* 670. *tali ſuilli* 679. 680. *tormentilla* 676. *valeriana* 676. *verbaſci* 674. *veronica* 675. *vitis vinifera* 679. *ſymphiti* 677. *vitrioli ejusq; vires* 611

Sal indigeſtum multos in ſtomacho morbos cauſat 580

Sal lucidum 469. *natura balſamum* 577. 580. *materia lapidis philoſ.* 43. *naturale hominis ex quo generetur* 273. *optimum condimẽtum* 604 *philoſophorum* 161. 273. 457. *ſiccum* 579

Salis effectus in cibis 578
laus 45
materia, de eaq; varia opinationes 39 *nutrimenti vitium* 578. *peregrinorũ compoſitio* 611. *ſpecies in homine* 104. 105. *tria genera ad uſum hominis idonea* 578. *vires* 604. 605. 606

Salis nigri praparatio 611

Salis nitri fixatio 636

Salis philoſophorum tinctura 273. *aqua extractionis formula* 271

Salium in alchemia & medicina virtus & proprium 577

Salicaria purpurea ſal 675

Sambuci ſal 679

Sanguis in hac arte 287. *an ſpermatis origo* 471. *humanus* 724. *natura ſalſus* 578. *mineralium & vegetabilium* 540

Sanitas corporis in tribus conſiſtit 454. *mentis quid ſit ibid.*

Semina in ſale, ſulphure, & Mercurio 594

Sapientia latens 239. *naturalis* 389

Sapiens quis 234. *cur dominetur aſtris* 234. *quid quarat* 246

Sapientes maxime qui ſint 154

Sapphiri oleum 623

Sapphirus unde componatur 487

Saporum differentia unde naſcantur 95

Sarda oleum [illegible]

Saturnus ſive plumbum [illegible]

Saturnus ſtudiorum dux [illegible]

Saturni natura & propri[illegible] 562. *ſpiritus* [illegible]

Scabies 503

Scala tranſmutationis 496. *ejus ſeptem gradus* 497

Scoti locus de materia metallorum 694

Scythica comaris [illegible]

Secretum artis chemic. 152. *tempore peſtis* [illegible]

Seipſum cognoſcere [illegible]

Semen animatũ chemic[illegible] 529.

De-

509. *Domini* 263
Seminum deſtillatio 219
Senectutis pons 257
Senſus quid 233
Senſuum teſtimonium quid valeat 93
Separata rurſum unienda 261
Separatio apud ſpagiricos 380 381. 422. 436
Separatio quid 297. *artificis neceſſaria primo* 247. *dupl.* 283. *elementorum* 437. *metaphyſica per ſe facta* 283. *per teſtam & cupellam* 549 *per vehiculum* 283. *poſt putrefactionem* 772. *philoſophia moralis* 233 *puri ab impuro* 283. *quibus detur* 233. *rationalium duplex: ſenſibilium item & inanimatorum* 283. *ſecunda* 285. *voluntaria* 238. *unde ſumat exordium* 246
Separationis conſideratio 296. *compendium in opere* 260. *inſtrumenta* 261. *naturalis hominis cauſa* ibid.
Serpens quomodo primum ſeduxerit hominem 465
Serpentis calliditas in ſeducendo primo homine 475
Septem humanarum inclinationum duces 473
Sexum alterutrum alterum continere 247
Sexus in vegetabilibus 349
Siccorum deſtillatio 219
Signata ars Paracelſi 351
Similitudo de arbore aurea 513 *balſamo perpetuo* 512 *de eclipſi lunari & Mercurio* 600. *fructuum & mineralium* 572. *de pyro in arbore latente* 533. *de ſomno in metallis & humano corpore* 512. *unionem cauſat* 562
Simplex in terra quid habeatur 101
Sitim ſedare 607
Smaragdus ex quo fiat 487
Smaragdina tabula Hermetis 685
Solaris lapis unde 487
Solida corpora 784
Sol cur in medio cœli 375. *fons lucis* 353. *mas, Luna femina* 509. *omnem ignem expergefacit proprio igne* 500. *pater* 455. *parens rerum* 375 *Planeta regnorum dux* 473 *neque calidus neq; frigidus* 699. *philoſophorum quid* 274. *in cimento* 548. *in igni terreſtri cur non comburatur* 566. *in quo vivat* 376. *ſimilem ſibi ſolem generat* 455. 504. *Sol terrenus pater medicinæ* 363. *terreſtris quid* 274. *ubi viſibilis & inviſibilis* 274
Solis comparatio cum centro cordis 375. *cũ Luna cimentatio* 551. *natura & proprietas* 565. *quinta eſſentia* 275. *tinctura* 521. 534. *Solis & Lunæ conjunctio in Alchemia* 741. *cum marito & conjuge comparatio* 376
Solvens à ſolvendo quomodo differat 775
Solvere corpora in aquam 775
Solutio artis fundamentum 772. *philoſophica* 486. *quid* 211 *quot modis fiat* ibid.
Solutionũ & coagulationum materia chemica annotationes ex variis auctoribus 752. & *ſeqq.*

Sophia quid 253
Sophiſma ſapientum 171
Sophiſta in Alchemia 715
Sophiſtici libri in arte chemica 683. 685. 714
Spagirica philoſophia tria principia 391
Spagirica medicina univerſalis 363
Spagirica medicina fundamentum 469
Spagirica & Græcanica medicina differentia 512
Spagirica ſeparatio 381
Spagirici fatus colores 449 *generatio* 449 *& ſeqq. genealogia* 375. *multiplicatio* 450
Spagirici operis majoris practica 430. *minoris praxis* 432
Spagirici ſtudij primus gradus 411
Spagiricum medicamentum quomodo à Vulgari differat 403
Spagiricum opus inchoatum & completum 370
Speculari, imaginari, cogitare cujus officium 263
Sperma minerale in Varia genera diſtributum 515
Spiritus quid 294
corporum 313
ab anima diſtinguēdus 370
in Alchemia 426. 741
medium inter animam & corpus 370
Spiritus & corpus metallica perfectione unita 564
Spiritus Arſenici tres 538
metallici mortui 530
Spirituum differentia 310
Siritus auri eiusque Varia nomina 35
cœli 668
corporum 457
mineralium 85
in centro 667
Spiritus occulti Vires 648
Stannum unde 578
philoſophicum 631
Stanni generatio 57
Stannum abſumentia 85
Stella cæli quibus correſpondeant 278
Stelliones ad aurum efficiendum collecti 514
Stilangem quem philoſophi Vocent 541
Stomachus cujuslibet membri corporis 403
Stomachus Struthionis 526
Stomachi morbus ex aqua ſuſpecta 616
oppilatio 456
remedia 640
Stomachorum in corpore multitudo 255
Studiorum mater altera 254
Studium chemiſtarum 238
philoſophicum ibid.
Stylus in arte chemica Varius 157
Subjectum philoſophicum generale 508
tincturarum 520. 58
Sublimata pars Volatilis cum fixis partibus manet 498
Sublimatio quid 174
in Alchemia 427
lapidis 770
minor 509
Subſtantia cæleſtis in corpore humano latens 405
Subſtantiarum eſt generare non accidentium 366
Succini albi ſpiritus 651
Suida locus de chemia 19

Sulphur

ulphur quid 700
in Alchemia 426
apyron 16
calidum naturale 469
ulphur naturale hominis cur a creatione media recedat in primam 274
naturale hominis ex quo generetur 274
mas & femina 154
natura 294 311.446.447
quare neceſſarium 311.313
philoſophorum 163
triplex mineralium 583
vitriolatum 604
vulgare 38
ulphuris æquivocationes 152
effectus 585
eſſentia rubicundi ſanguinis inſtar 605
liquor 655
oleum per campanam 659
ſpecies 102
utilitas varia 602
ummum bonum Chriſtianorum 242
entilium ibid.
ibyllini verſus de arſenico 538
ibyllinum ænigma, de ternario regimine 782
ymphiti ſal 677

T.

Tabula Smaragdina Hermetis 362 685
Tabula lapidea ab Adamo poſteris erecta 544.684
Tadium rerum unde 259
Talorum ſal 681
Tartari cremor 661
liquor 661
magiſterium 661
praparatio 660
ſpiritus 650
Tarviſinus Pharmacopola Venetus 99
Temperamentum quomodo tuendum 455
Temperatura cibi & potus 455.456
Tempus operationis 297
Terebinthina ſpiritus 603
Termini in opere chemico 181
Ternarius ad unitatem reductus 391
non ternarius 463
numerus abſolutiſſimus 481
in quaternario 547
triplex 482
Ternarij à binario per quaternarium aſcenſus eiusque gradus 393.396
excellentia 200
medicina 469
reductio in unarium 200
Terra quid 296.373
elementum infimum 355
elementata chemiſtarū 347
foliata 448
femina 499
inanis & vacua 341
ſigillata 651
Terra globus quid 556
vires qua & unde 202
Terrena quibus detegi debeāt 337
quibus cæleſtia ibid.
Tertium metaphyſicum 295
Teſtamentum Arnaldi Villanovani 753
Theobaldi Hobelandi fruſtranei labores in arte chemica 134. & ſeqq.
Theophraſti locus de generatione arboris & planta 26
Theſaurus hominis eſt in homine non extra ipſum 274
natura latens in omnib. 238

Theriacalis aqua 272
Thomæ de Aquino falſa opinio de igne 502
Timere ſeipſum 259
Tinctura quid 294. 500
  alba & rubea 522. 534
  alba per arſenicum 538
  antimonij 617. 618
  aſtrorum Solis, Venen. &c. 534
  auri rubicundiſsima 627
  auri rubicundiſsima 627
  ex quibus 313. *gemmarum ibid.*
  & unionum 747
  martia 523
  phyſicorum 537
  rubea ex antimonio 541
  rubea ex vitriolo 539
  Solis 521. 534
  Solis uſus ſecundum Paracelſ. 629
  Tartari 661
  in vitriolo latens 583
Tinctura ſpagirica 426. 457
  inventores ac profeſſores 544. &c.
Tinctura materia 715
  varij errores 514
Tingens in album & nigredinem 558
Titelmanni phyſici locus de cœleſti materia 12
Topaſius unde effingatur 489
Tormentillæ ſal 676
Tractus angeli Dei 250
Tranſitus non niſi per mediū 371
Tranſmutatio mira 246
Tranſmutationes metallorū quæ deſcribantur à Philoſophis 203
Tranſmutationis metallorum inveſtigatio Philoſophica 203
Tranſmutationibus naturalibus demonſtrari artificiales 268
Tranſmutare nemo poteſt niſi & creare 244
Tranſpoſitio metallorum 564
Tria chemicæ artis præcipua 778
Tria genera generaliſsima 386
Tria neceſſaria ad vitam naturalem 370
Triangulus ex cœlo, aere, & fimo 431
Trinitas in omnibus 454
Trinitas naturalis 357
Trithemij de artificio ſpagirico ſententia 388
Trutæ piſces aurum habent 515

V.

Vacuum nihil & quo repleatur 198
Valerianæ ſal 676
Vas lapidis philoſ. unum 47
  philoſophorum 177
Vas ſecretum Philoſophorum 480
Vaſis philoſophorum varia nomina 177
  cognitio in arte chemica 176
Vaſa chemiſtica quid 210
  unde conſtent ibid.
  natura quæ 210
Vegetabilia quæ ſint, & diverſimode intra corpus aſſumenda 205
  naturam ſulphuris in terræ cavernis exuentia 508
Vegetabiliū triplex genus 205
  cum animalibus communio 206
Vellus aureum quid 13
Venenum in Alchemia 748

Venetorum ars aurifica ficta 514
Venter chemicus quid 201
Venter equinus 502
Venter & uterus natura 378
Venus amorum dux 473
Veneris natura & proprietas 562. *quadricorporea natura* 783. *Vires contra morbos* 631
Verbaſci ſal 674
Veritas in quo ſita 268. *ex quibus & in quibus* 266. *res incorrupta natura* 365. *rerum naturalium occulta* 266. *ſociam non admittit* 513. *ubi quærenda* 267
Veritatis comparatio quædam 238. *effectus* 240
proprietates 241
Verum quid 238. 363
duplex 364
ſpagiricum quid 410
Veronicæ ſal 675
Verſio chemica 199
Vexationes Alchemiſtarum 555
Via erroris lata 250
mundi 458
Veritatis contractiſs. 250. 256
pœnitentiæ 257
reſipiſcẽtiæ & Veritatis 257
Videre & audire differunt fide 266
Videre pro intelligere 274
Vina ab acetoſitate cuſtodiuntur ſale 604
Vinculum indiſſolubile 200
Vinum ardẽs de juniperis 658
philoſophicum 280. 284
philoſophicum & Vulgare 411
Vini ſpiritus forma 271
Virtus quid 265
à fine Vel ſcopo dignoſcitur
à vitio ibid.
unde petenda 265
Virtutes Chriſtianorum quæ 266
cur philoſophi male deſcripſerint 265
ethnicorum non eſſe Virtutes 438
quando fiant Vitia 265
Virtutis fons quid efficiat 267
Virtutum carcer 266
Virum ſolum aut feminam ſolam integrum eſſe neutrum 248
Viſcoſa Philoſophorum aqua 529
Vitiorum origo 255
potiſſima radix quæ 262
Vita quid 259
corrupta 457
in rebus anima deſtitutis 78
rerum energia 77
Vegetabilium extrahenda 658
Vita & mors in quibus conſiſtat 359
Vitæ initium quod 259
Vitis Vinifera ſal 679
Vitriolum 580
ſepties purgatum 516
præſtantiſſ. minerale 339
Vitrioli albi Vomitorium 653
Vitrioli colores 144
olei Vires & Virtutes 214
præparatio 213
ſpecies & examina 581
tinctura rubea 540
Virtutes in medicina 582
Vitrioli Veneris oleum & ſpiritus 552
Vivens quodVis ignis eſt 566
Vivere Vere quid 262

Vltima

Vltima rerum materia quid 275

Vnguentum Philoſophorum 307

Vnguentum removens tumorem & durit iem cutis 637

Vnarius non eſt numerus 388

Vnde potiſſimum noſcatur artifex 244

Vnica res in qua 2. 3. 4

occulta quieſcunt 526

Vnio in medicina efficax 368

prima unde 138

ſecunda, tertia 236

quando dicatur 234

quando perfecta 402

qua ratione fieri debeat 233

qua ratione ſit indiſſolubilis & ſolubilis 288

unde progreſſum primo habere debeat 234

Vnione nihil generalius 495

Vnum quid apud Hermetem 369

unum ſolum 233

unum & duo inimici 233

unum incluſum & excluſum 389

Vni nihil adeſſe cur 239

Vniri qua dicantur 428

Vniones plures in unum conflare 318

Vnitas quid 200

in Alchemia 779

metallorum 311

per binariũ in ternarium deſcendens quid operetur 463. 464. *quomodo metiatur* 283. *rei quid* 283

Vnitatis numerus 343

Vnitatem non dividi 200

Vniverſalis forma quid 278. *Mercurius* 308. *materia* 278

Vniverſalem medicinam inveniendi ratio 285

Vocabulorum artis definitiones 283

Volatile fixum 382

Volatilium corporum cineratio 550

Vomitum in navigatione maris compeſcere 611

Vrina ſal cruoris 578

Vrna artis chemica Patavij inventa 29

Vterus ſpagiricus 503

Z.

Zinchinum di

Zodiacus Chemiſtarum

Zulapium vitriolatum

FINIS.

Digitized by Google

7599-
Digitized by Google

Digitized by Google